BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
18 — M
26

FASCICULUS
RERUM
Experendarum & Fugiendarum.

Imprimatur.

Maii 5. 1687.

Joannes Battely, Reverend. in Christo Patri ac Domino Domino Wilhelmo Archiepiscopo Cantuariensi à Sacris Domesticis.

FASCICULUS RERUM Expetendarum & Fugiendarum,

Prout ab

ORTHUINO GRATIO Presbytero *Daventriensi*,

Editus est COLONIÆ, A. D. MDXXXV.

In Concilii tunc indicendi Usum & Admonitionem ;

Ab innumeris mendis repurgatus juxta Editiones singulares & potiores plerorumque Tractatuum qui in eo continentur :

UNA CUM

APPENDICE sive TOMO II.

Scriptorum Veterum

(Quorum pars magna nunc primum è MSS. Codicibus in lucem prodit)

Qui ECCLESIÆ ROMANÆ Errores & Abusus detegunt & damnant, necessitatemq; REFORMATIONIS urgent.

Quorum omnium Ratio in Præfatione ad Lectorem redditur.

Cum INDICE rerum præcipuarum amplissimo ; in omnium quidem gratiam concinnato ; sed solis D. Inquisitoribus hæreticæ pravitatis dedicato.

Operâ & studio EDWARDI BROWN, Parochi *Sundrigiæ* in agro *Cantiano*.

Psal cxxiv. 2, 3, 6, 7. *Nisi quòd* Jehovah *fuit nobiscum, quum insurgerent adversum nos homines, tunc vivos deglutiissent nos, quum irasceretur furor eorum in nos —— benedictus* Jehovah *qui non dedit nos prædam dentibus eorum ——* laqueus *contritus est, & nos evasimus.*

S. Matt. xxiii. 15. *Væ vobis* Scribæ *&* Pharisæi, *hypocritæ, quoniam circumitis mare & aridam ut faciatis unum proselytum : & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quàm vos estis.*

LONDINI,

Impensis RICHARDI CHISWELL ad insigne *Rosæ Coronatæ* in Cœmeterio *S. Pauli*, MDCXC.

Reverendissimo in *Christo* Patri, & Honoratissimo Domino,

WILHELMO

Providentiâ Divinâ Archiepiscopo *Cantuariensi*, totius *Angliæ* Primati & Metropolitano, Domino & Patrono meo observandissimo;

Necnon Reverendo admodum in *Christo* Patri

HENRICO,

Illustrissimo Sedis LONDINENSIS Episcopo.

Illustriss. DD. Dominis meis honorandis.

Reverendissime atque Eminentissime D. Primas,
Reverende admodum Pater & Domine Illustrissime

IN lucem emissurus varia *Magnorum Virorum* opuscula, quæ vel jamdudum ab Ecclesiâ *Romanâ* damnata sunt, vel illico sunt damnanda, non satis eis præsidii & tutelæ esse existimavi, quòd à tantis & tam præstantibus viris & Ecclesiæ Romanæ filiis conscripta fuerint, & tam eximia pietatis & probitatis *Christianæ* testimonia & argumenta in se contineant (quod tamen censores, siquid eorum quæ in eis damnant haberent, pudefaceret) quin Vestro ea patrocinio munita, Vestrisque nominibus clarissimis inscripta palam prodire jubeam; quippe qui norim certissimè, ea sanctioris & melioris Ecclesiæ Præsulibus eruditissimis & optimis fore gratissima, maximiq; facienda, quæ ab Ecclesiâ istâ corruptâ & degenere rejiciuntur & prohibentur. Quare autem Vobis ante alios, Reverendissimi atque Illustrissimi Domini, ea statui dedicanda, neminem latere potest nisi qui cum *septem dormientibus* (quos celebrat Ecclesia *Romana* ex præclarâ istâ somniorum historiâ, quam contexuit Archiepiscopus * *Genuensis*) diu & altum dormivit, nec quid in *Anglia* gestum est superiore anno rescivit; & id per me licet, usque nesciat, donec proximo seculo expergefactus totum ab histo-

* In *aureâ Legendâ*, fol. 112. edit. *Basil.* 149.

ricis

ricis discat. At qui non nesciunt quo pacto Vos, Illustrissimi Domini, ob constantiam Vestram erga patrias Regni & Ecclesiæ leges laudatissimam tractati estis, persentiscunt facilè quàm æquè hæc Dominationibus Vestris nuncupantur, quæ parem cum bonis libris censuram & sortem subierunt; pejorem longè subituræ si res ex eorum sententiâ cessisset qui tantam Vobis molestiam crearunt. Paternitati & Dominationi Vestræ, Reverendissime Primas, secundum Deum Opt. Max. omnia mea debeo; è cujus ipsius bibliothecâ nobilissimâ, aliqua hic publici juris fiunt, quæ vix alibi occurrunt: improbus ergo & ingratus forem, si quæ privata & publica beneficia ex Vestrâ hausi munificentiâ, tacerem; & utinam aliquid mihi liceret agere tanto patrono dignum! Et Tu, Domine Illustrissime, nihil non officii & obsequii à me mereris, qui de Republicâ & Ecclesiâ *Anglicanâ*, sicut & de republicâ literariâ tam egregiè meritus es; præterquam quòd multis nominibus Vestram beneficentiam expertus fuerim annis aliquot retroactis. Ea igitur sub auspiciis Vestris prodeant, quæ in rem Vestram non parum conferent. Præclarissimorum aliquot virorum, Vestri sanctissimi ordinis sicut & patriæ, exhibentur hic monumenta, quæ authorum *tyrannidi papali* in faciem resistentium magnanimitatem & probitatem in omne ævum prædicabunt: ii sunt *Robertus Grossetest* Episcopus *Lincolniensis* (in eadem Provinciæ *Suffolciensis* parte natus, qua Vestra Dominatio, Reverendissime Primas, primum halitum hausit; cujusque tractatulum *De Patientia* mihi obviam factum opportunè cum *Septemviri* Ecclesiæ *Anglicanæ Confessores* ad angustias redacti essent, *de industriâ* in Vestri gratiam excripsi; quod in MS^{to} codice etiam, unde omnia illa sumpsi, annotatum est) cujus *sermo* coram Papa *Innocentio quarto*, corruptissimum tunc temporis Ecclesiæ statum arguit; à *Johanne Huss* in lib. *de Ecclesiâ*, cap. 18. mirè laudatus: & *Richardus Radulphi filius*, vulgo dictus *Armachanus* (Academiæ *Oxoniensis* suo tempore Cancellarius uterque) qui coram *Innocentio sexto* detrimenta à *Monachatu* Ecclesiæ facta fortiter exprobravit. Et multa quidem sunt hujusmodi tum in *Fasciculo* ab *Orthuino Gratio* congesto, tum in ampliori *Appendice* quæ eum comitatur, quæ fastum & libidinem Pontificiam non minus retundunt & comprimunt, quàm patriæ libertatis & juris vindices quosque, & assertores decuit. Et profectò res erat quasi *prodigium stultitiæ* demiranda, *monachorum* & *Jesuitarum examina* ausa fuisse huc, contemptis legibus, turmatim convolare, cum facilè potuerint prævidere, gentem tam potentem & nobilem, tamque à religione Pontificiâ aversam, istiusmodi *balatrones* diu non esse laturam. Si me non forent in *Angliâ* longè sapientiores, profectò vellem ut semel in *centum* vel in *ducentis* annis huc accedant Papæ *nuncius*, & *quatuor vicarioli* (scilicet)

Apostolici

Apostolici & *Jesuitulus à Consiliis*; certissimo causæ, quam aucupantur, exitio futuri. At veniunt, inquiunt, ad convertendam *Angliam*: imò veniunt ad convertenda omnia in Papæ & ipsorum commodum; in suis maneant cellulis; nos nullâ eorum operâ indigemus, meliori per Dei gratiam religione instructi & imbuti, quàm nobis per bullas Pontificias & nænias nescio quas derivari possit. At pristina sua jura, dicunt, recuperatum veniunt: sed quicquid unquam juris hic in *Anglia* habuit Pontifex *Romanus* (ut multum quidem, præter ea quæ ultrò usurpavit & surripuit, habuisse fateor, per incautorum & indoctorum seculorum inscitiam cum superstitione crassâ conjunctam) id illi nulla aliâ ratione competiit, nisi ex patriis legibus indultum & concessum; eademque potestas quæ hoc illi donavit, idque temerè & insipienter, æquiori longè ratione idem illi abstulit. De auferendi potestate lis est: non posse hoc fieri contendunt Romanistæ; quasi omnibus *Angliæ* Regibus standum esset *Johannis* Regis stultitiæ & temeritati: at iisdem hoc argumentis probant nostri fieri posse, quibus probant licere hominibus post diutinas ineptias & deliramenta resipiscere; post detectos errores & fraudes, sibi cavere & patefactam amplecti veritatem; post denique innumera *gravamina* & *expilationes* & injurias ab alienâ potestate, cui iniquè obeditum est, inflictas & extortas, sese ab eis omnibus vindicare, libertatem sibi naturalem asserendo: injustè enim datum, vel raptum & detentum, justissimè ab hærede vero requiritur à *non bonæ fidei possessore*. Nec auderem equidem ego hæc in fronte operis (qualecunque id demum est) mei tam fidenter Paternitatibus Vestris Reverendissimis & Dominationibus Illustrissimis scribere, nisi ætas hæc id dictum efflagitarit, totumque quod aio possem inconcussis argumentis demonstrare. Magna pars operis, quod præ manibus habetis, Viri præstantissimi, multarum Nationum querelas antiquas de Pontificum *Romanorum* injuriis, vitiis & abusibus clarissimè exhibet: eas ego hic congessi & auxi, ut afflictæ nuper Ecclesiæ, quam animitus amo, inservirem, totique mundo testatum darem non posse *Romanistas* erga nos esse mitiores, qui eorum cultum & religionem aversamur, quàm fuerunt olim erga majores nostros, qui nihil sanctum nisi quod *Romæ* probatum est, miserrimè crediderunt: quorum benevolentiam prodigam reverentiamque erga *Romanam* sedem, admirandam, dum tantis laudibus efferunt, easque in opprobrium nostri deprædicant, quasi à sanctissimarum ætatum moribus degenerantium; næ illi id agunt, suo more, ut fucus & dolus inscio populo fiant, & ad id præconiis fictis gens *Anglica* pelliciatur, cui omnia alia eorum argumenta militant; scilicet ut nos iterum in captivitatem stultissimam ducant & in *paradisum fatuorum*; immemores interea, vel (quod potius credo) maximè ignari, Reges &

 Principes

Principes nostros, avorum & proavorum memoriâ, non adeo elatos esse nimio in Pontificem *Romanum* amore, quin in ejus *Curiam* (quæ Pontificem regit) fuerint infensissimi: immò à multis retrò seculis præviderunt, *Gravamina* ista, quibus gens nostra per *Curiæ Romanæ* ministros miserrimè oppressa est & debilitata, ex sese aliquando *Reformationem* paritura esse cui nunquam Pontifex vellet annuere. In majorem hujusce rei evidentiam & probationem, liceat mihi pace Vestrâ, Viri magni, testimonium proferre illius *Gulielmi* qui *Conquæstor* audit; qui licet in rebus Bellicis quàm Ecclesiasticis versatior fuerit, non potuit tamen ad Cleri & Populi sui voces querulas obsurdescere, quin eis victus & fatigatus, ipsi *Papæ Romano* (mirum ni execrabili isti *Hildebrando*) hæc rescripsit * *Nobis gregi Dominico (cui disponente Domino præsidemus) desiderantibus (ut tenemur) consulere, necessitatibus atque periculis obviare, necnon honores & libertates Ecclesiæ nobilis Anglicanæ, ac jura nostra hæreditaria, quæ progenitorum nostrorum dignè recolenda prioritas magnificè defensavit, nostris tueri temporibus & augere, quædam quæ præ cæteris occupant mentem nostram, in puritate spiritûs sanctitati Vestræ patefacimus. Ipsa quidem Ecclesia mater nostra, quæ inter alias Ecclesias orbis terræ, in censu temporalitatis exuberans & divini cultûs officiis, ministrorum devotorum obsequiis, pietatis & hospitalitatis operibus ac nobilitatis prærogativâ semper floruit & honoris, dum sua patebat opulentia filiis propriis in ejus ministerium, non per ambitionem sed à Deo vocatis; jam per impositiones importabiles & provisiones excessivas sedis Apostolicæ factas indistinctè tam exteris quàm Anglicis plerumque nobis suspectis & exosis (precibus nostris oblatis pro dilectis nobis peritis & providis penitus obauditis) sic atteritur, deprimitur & turbatur proventibus complurium dignitatum & beneficiorum suorum pinguium collatis personis alienigenis qui non resident in eisdem, suorum vultus pecorum non agnoscunt, linguam non intelligunt, sed velut mercenarii solummodo temporalia lucra quærunt, & (ut de turpibus aliis taceamus) per quæ scandala pullulant, & nervus vilescit Ecclesiasticæ disciplinæ, sic animarum cura negligitur, diminuitur Christi cultus, &c.* Cumque hæc & alia ejusmodi Papæ monstrarat, & pericula exinde nascentia cleroque & populo damnosa exposuerat, tandem dicit------*Adimatur onus deprimens filiorum humeros; ne cogat eos necessitas ea tandem dejicere quæ diutius non possunt absque detrimento nimio supportari.* Ante sexcentos annos hæc quidem acta sunt; cum *Christianæ* religionis puritas jacebat tenebris obvoluta, & clericorum degenerum fraude cum ceremoniolis & superstitionum innovationumque fæce commutata: quid autem dixisset Rex, illique qui ei ab epistolis fuerunt, si animam & spiritum Evangelii calluissent, cultusque divini rationem ab umbris & fumo liberatam penitus cognovissent? Posteros *coegit* illa ipsa *necessitas*, quam Rex per transennam vidit, *ea tandem dejicere*

* Extat hæc charta in *Opere* (meritò appellato) *eximio* de verâ differentia Regiæ potestatis & Ecclesiasticæ, excuso *Londini* in ædibus *Berthe-leti*, typographi Regii, A. D. 1534. f. 53. & recuso inter scripta egregia *Monarchia Goldasti.*

dejicere quæ diutius non potuerunt absque detrimento nimio supportari. Miror ego Regis providentiam, quæ è longinquo prospexit à Pontificibus postpositam & neglectam *Reformationem.* Post undecimum illud seculum, eadem ubiq; occinuntur gravamina: quo enim sitientiùs sibi arrogarunt Papæ, *Hildebrandi* exemplo teterrimo, in rebus temporalibus dominium, & quò insolentius Imperatorum Regumque sceptris disponendis inhiarunt, eò magis suam ipsorum ἀλλοτριοπραγμοσύνην, quavis ἀλλοτριοεπισκοπῇ deteriorem, Principibus invisam reddiderunt. Cum *Robertus Grossetest* è *Lugduno* redux, de obedientia Pontifici præstandâ, privatim cum *Henrico tertio* Rege sermonem miscuisset, idque jussu Pontificio, * *Domine Episcope,* respondit Rex, *quæ pertinent ad Coronam & Regalitatem nostram, intendimus, sicut & debemus, conservare illæsa.* Cum verò tempore proximi successoris sui, *Edwardi primi* Regis, arbitraria Papæ potestas sese in animum Regis insinuasset, & nescio quibus artibus se in negotiis quibusdam ad prærogativam *Scotiæ* spectantibus, judicem ferè constituerat, Parliamentum Papæ invadenti Regis & Regni jura rescripsit acriter; &, inter alia, hæc dicit—* *Regnum Scotiæ progenitoribus prædicti Domini nostri Regibus Angliæ atque sibi feodale extitit ab antiquo: nec etiam Reges Scotorum & regnum alii quàm Regibus Angliæ subfuerunt, vel subjici consueverunt: neque Reges Angliæ super juribus suis in regno prædicto, aut aliis suis temporalibus, coram aliquo Judice Ecclesiastico vel seculari, ex libera præeminentia status suæ Regiæ dignitatis & consuetudinis cunctis temporibus irrefragabiliter observatæ, responderunt aut respondere debeant. Unde habito tractatu & deliberatione diligenti super contentis in vestris literis memoratis, communis, concors & unanimus omnium nostrûm & singulorum consensus hic est ac erit inconcussè, Deo propitio, in futurum, quod præfatus Dominus noster Rex super juribus Regni sui Scotiæ aut aliis suis temporalibus, nullatenus judicialiter respondeat coram Vobis, nec judicium subeat quoquo modo, aut jura sua prædicta in dubium quodvis deducat, nec ad præsentiam vestram procuratores aut nuncios mittat; præcipuè cum præmissa cederent manifestè in exhæreditationem juris Coronæ Regni Angliæ & Regiæ dignitatis, ac subversionem statûs ejusdem Regni notoriam; necnon in præjudicium libertatum, consuetudinum & legum * paternarum, ad quarum conservationem atque defensionem, ex debito præstiti juramenti astringimur, & quæ manutenebimus toto posse, totisque viribus, cum Dei auxilio, defendemus;* nec etiam permittemus, *sicut nec possumus nec debemus, præmissa tam insolita, indebita, præjudicialia & alia inaudita prælibatum Dominum nostrum Regem,* etiamsi vellet, *facere seu quomodolibet attentare.* Acta sunt hæc *Lincolniæ* A. D. 1301. & clarior quidem eorum sensus est quàm ut expositione egeant. Nec æquo audacius, vel à subditorum bonorum officio alienum, responsum illud videbitur, cum vel ipse Rex *Henricus primus,* Princeps eruditissimus, *Guilielmi Conquæstoris*

* In Epist. 117. pag. 389. *Appendicis ad* Fasciculum.

* *Opus eximium,* &c. fol. 58. b.

* *Forte* Patriarum.

quæstoris filius, non absimile responsum *Paschali Papæ*, *Hildebrandinum* quid postulanti dedit; cui obedientiam à suis antecessoribus præstitam, si eâ contentus foret, lubens offert----* *Eo videlicet tenore*, inquit, *ut dignitates, usus & consuetudines, quas pater meus, tempore antecessorum vestrorum, in Regno Angliæ habuit, ego tempore vestro, in eodem Regno meo integre obtineam: notumque habeat sanctitas vestra, quod me vivente (Deo auxiliante) dignitates & usus Regni Angliæ non minuentur: & si ego (quod absit) in tanta me dejectione ponerem, Optimates mei, imo totius Angliæ populus id nullo modo pateretur. Habita igitur, charissime Pater, utiliori deliberatione, ita se erga nos moderetur benignitas vestra; ne (quod invitus faciam) à vestra me cogatis recedere obedientia.* Cum ista autem à 500 & 400 ferè annis gesta sunt, etiam cum religio Papalis hic viguerit, & Rex ille & hoc ipsum Parliamentum Papam Ecclesiæ universalis pastorem existimaverint, quid (malum!) fascini hodiernos *papistas* detinet, quòd tam indefessè conentur ut *Anglia* iterum, quæ nullum cum *Roma* commercium exoptat colere, potestati Pontificiæ viliter subderetur? *Cruce* se signasset Cardinalis *Bellarminus*, si hæc Regis & Procerum fidelium & magnanimorum rescripta vidisset: quorum sententia mille *Alexandris Alensibus*, *Robertis Holcotis*, *Franciscis Maironis*, *Johannibus Baconis*, *Thomis Waldensibus*, *Reginaldis Polis*, & decem millibus *Sanderis* (quos ille * nominatim enumerat Scriptores *Britannicos* hac in re, ut illi visi sunt, argumenti sui patronos & fautores) præponderabit. Millies fœlicior est Ecclesia *Anglicana* sub Vestro & Vestri similium regimine, Reverendissimi Patres & Domini Amplissimi, quàm unquam fuerit vel esse possit sub *Papali*: illam nobis fœlicitatem auferre & abripere diu & multum sategit *Roma*: tentarunt papistæ per exterorum Principum opem; tentarunt per execrabiles tumultus & rebelliones inter nos concitatas; tentarunt denique per nostros ipsorum Reges clanculum & insidiosè ad eorum partes pellectos, & à patria Religione (proh dolor!) alienatos, Ecclesiam *Anglicanam* subruere & evertere: sed, Deo gratias, incassum omnia: quid proximè tentabunt? Viderint ipsi; at nostrâ intererit, cum præsidio Divino, cavere. Si seriò vellet *Roma* in gratiam nobiscum redire, de remittendis refundendisque istis auri & argenti millionibus, quos ex *bullis* & *palliis* & *annatis* & *denariis* cæterisque gentium divitiis emungendarum *artibus* hinc corrasit, cogitet & statuat necessum est: sed ab eâ Sancti *Edwardi* Regis

* Citatur hoc Regis responsum à sanctissimo juxta ac doctissimo Archiepiscopo *Armachano*, *J. Usserio*, in libro suo *De Christianarum Ecclesiarum successione & statu*, pag. 95. edition. *Londin.* 1687. ubi proxima ejus verba lucem afferunt *Processui contra Cardinalem Winton.* qui habetur pag. 618. *Appendicis* ad *Fasciculum*.

* In tract. *de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Guil. Barclaium*, p. 25. edit. *Colon.* 1611.

Regis *Angliæ* liberalitas laudabitur forsan, in exemplum verò vix trahetur; qui (uti narratur à * *Stephano Barone*, *Henrici* octavi Regis Confessore) *cum Consiliariorum importunitate victus taxam à populo exigi permisisset non necessariam, ductusque esset ad videndum thesaurum, stans à longe vir sanctus vidit diabolum similem simiæ sedentem super thesaurum; quapropter præcepit eam reddi his à quibus exacta fuerat; insistentibus autem eis ut potius in pios usus exponeretur; absit, inquit, ut ego exponam bona aliena subditorum meorum & laboratorum pauperum in eleemosyna: nonne videtis diabolum sedentem super cumulum pecuniæ & gaudentem quod nos captivavit laqueo suo? &c.* Si mille ejusmodi *Simiæ* ærario *Vaticano* insiderent, ad Pontificis conspectum aufugerent & evanescerent omnes, vel alia aliqua via excogitaretur, quo minus quod illic semel inclusum est, ad nos unquam redeat: donec autem Pontifices *Romani* summam immensam à Vestris reliquisque *Angliæ* sedibus Episcopalibus expilatam (cujus quidem calculus non semel in hoc libro subducitur) reddant, improvidissimè profectò secum aget *Anglia*, si eorum unquam posthac *creditrix* extiterit. Eam igitur, qui mirificè hactenus servavit, ab eorum fraudibus sospitet, Deus omnipotens, ejusque Ecclesiam præstantissimam tueatur; *Ecclesias* quaquaversum *Reformatas* augeat & confirmet, Vestrasque Dominationes Ecclesiæ suæ bono & *Christiani* orbis paci & saluti, quantum in Vobis est, promovendis incolumes conservet, ut corditus exoptat qui Vestras utriusque benedictiones supplex petit,

* In tractatulo *de Regimine Principum*, eidem Regi nuncupato, *Londini* excuso per *Winand. de Word.*

Paternitatum Vestrarum Reverendissimarum

Filius morigerus &

servus humillimus

Sundrigiæ *nonis* Octobr.
MDCLXXXIX.

E. BROWN.

PRÆFATIO

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CUM Pontifex Romanus ejusque clerus neque velint neque possint suam ipsorum doctrinam insanam, corruptissimosque ritus & mores in integrum reformare (multis enim legibus & decretis crassissimos errores sanxerunt) nec in aliis Reformationem ferre, nihil planè reliquum est filiis veritatis & pacis Christianæ (quales Ecclesiarum ritè Reformatarum cultores sese præstare sunt parati) nisi ut æquo animo istorum contumelias & convitia patiantur, & ab eorum insidiis sibi apprimè caveant: id est, eum Religionis statum, quem qualibet natio Christiana sibi pro jure suo naturali ascivit, juxta normam unicam fidei & morum, Verbum Dei, stabiliendum, sartum tectum conservent, quantumvis frendeant Papa & Jesuitæ. Res est non modò admodum servilis sed & impia, Ecclesias & Nationes liberas legibus astringi quæ nullum in eis locum habent nec habere possunt. Pax quidem & unitas Ecclesiæ magna res est & sancta; sed nulla nisi depravatissima secula eam in Vaticano fundarunt: & cum Roma ejusque satellites omnem nobis pacis sanctæ spem & rationem ademerint & præripuerint, verum Dei cultum adulterando & inepta Paparum placita pro doctrinis imperiosè obtrudendo, res ipsa satis indicat, non per Protestantes stare, sed per tyrannidem Romanam, quo minus omnes Christiani unus grex fiant & in unum ovile coeant. Quod præstiterunt hac in re Ecclesiæ Reformatæ, errores & deliramenta Romanæ Ecclesiæ abjiciendo, id summo studio optabant & nitebantur multi magni & præstantes viri, qui ante Reformationem vixerunt & facem quidem illi prætulerunt; id quod apertissimè testabuntur veterum Christianorum scripta, quæ ad hanc rem in tuum usum, Lector, collegi, & nunc demum post biennem & amplius typographorum moram tibi exhibeo: de quo opere hæc monendus es, ut de ejus ratione & instituto sicut & de Authoribus & Scriptis tibi constet.

Cum turma aliquot * exercitûs istius Sacerdotum (de quo Gregorius magnus Epist. lib. 4. Epistola 38.) Jacobi Regis gratiâ & potentiâ freta, Ecclesiæ Anglicanæ jura & doctrinam hostiliter pro more suo aggressa sunt & violarunt, totumque jus patrium subvertere molita sunt stultissimè, urbesque & oppida papalibus doctrinis obsederunt (quas tamen vel imperitissimum vulgus nauseat & refutare melius norit quàm ipsi probare) cum impudentissimi Missionarii pulpita usurpare & scholas erigere & libros excudere & ubique dominari in Angliâ cœperunt, quasi res Ecclesiæ & Regiminis Anglicani in desperato esset, & omnibus protenus ad Missam eundum esset, quoniam Jesuitæ (scilicet) in Anglia videbantur omnia sub nutu Principis agere, & ad eorum imperia nos pauperes & impotentes Angli omnia nostra, famam, leges, Ecclesiam & Conscientias submittere deberemus sine querelâ & murmure; cum cæteri quoque monachorum Anglicorum ordines huc ex cellis suis transmarinis, prædæ avidissimi, convolarunt, monasteria sua & redditus aucupantes pristinos, & omne papistarum genus id sedulo pro ingeniolo suo curabat, ut Anglia iterum papæ mancipetur, & Protestantium nomen & religio solum mutare cogerentur & aliò migrent, ut amplior Missæ cæterisque tricis Pontificiorum concederetur locus; cum hæc, inquam, agebantur, & omnia nobis turbida & minacia videbantur, unicum quod clero Ecclesiæ Anglicanæ restitit refugium fuit, ut nemo in tutandâ Ecclesiæ nostræ doctrinâ, quam hostes hujusmodi furiosè insectabantur, suæ provinciæ deesset. Populus Anglicus docetur melius Deo dante, & Scripturas plus callet, quàm ut facilè fallatur, præsertim in controversiis papisticis; in quibus magna earum pars ex diametro opponitur expressis Scripturæ verbis, vel primis principiis rectæ rationis; & nemo est ferè qui nesciat quantum blasphemiæ & deliramenti blaterant isti qui dicunt Ecclesiam melius regi posse per humanas inventiones, quàm per legem divinam evangelicam (quod olim culpavit in quibusdam sciolis Johannes Gerson in sermone coram ipso Papâ apud Tarasconam, in die Circumcisionis, consid. primâ) Res est Angliæ fœlicissima nosse quid interest inter Verbum Dei & Paparum Oracula; & quàm infinitis gradibus præstat Deo quàm Papæ fidere. Dum autem Papistæ in oppugnandâ, & Theologi eximii nostrates (Londinenses, Academici, Rurales) in defendenda Ecclesiæ Anglicanæ doctrinâ navabant operam, in animum mihi subiit, symboli aliquid

* Ita habet vera lectio: quidam autem trium literarum homo in Roman. edit. mutavit exercitum in exitum: de quo vide Tho. James, in lib. de corruptione patrum, part. 2. pag. 77. primæ editionis; vel eundem in specimine corruptelarum Pontificiarum, edit. Lond. 1626. vel denique in vindiciis Gregorianis excus. Genevæ

in commune Ecclesiæ nostræ omniumq; Ecclesiarum commodum & juvamen me esse collaturum, si scripta aliquot vetusta in rem nostram facientia, & multiplices Ecclesiæ Romanæ *corruptelas & squalores prodentia simul & liberè taxantia, quæ non uno in loco perquisieram, publici juris facerem. Hinc* Fasciculum rerum expetendarum & fugiendarum, *ab* Orthuino Gratio, *presbytero* Daventriensi *ante sesquiseculum editum, recudendum curavi; eò libentius, quod magni nominis Scriptores illum librum plurimi fecisse & sæpiuscule citasse, & doluisse tam pauca ejus extitisse exemplaria, subinde repererim; idq; proculdubio cleri* Romani *culpâ, quem industrium esse in supprimendis, depravandis, mutilandis, prohibendis bonis libris omnes norunt, & ipsi gloriantur: At homines probi multùm eorum* Indicibus expurgatoriis (*quantumvis inhonestis & malis) devinciuntur; cum exinde norint quibus authoribus invidet* Roma, *& quales libri inprimis sunt legendi, quia prohibentur.* Orthuinus Gratius *jamdudum damnatur in istis* Indicibus *hanc ipsam ob causam; & fortè meum aliquando nomen inter alios prohibitos authores recensebunt: id si egerint, profectò habebo cordi inter tot tam eximios viros nominari, quorum aliquibus maluerim esse* amanuensis, *quàm Ecclesiæ* Romanæ *Cardinalis. Apud me nihil omnino dedecoris est ab Ecclesia* Romanâ *notari; imò nec minimum eorum censuram pertimesco, cum* Innocentio undecimo *ante 7 annos astiti in* Bulla cœnæ *omnes* Protestantes *hæreticos execranti; astiti & derisi cæremoniam impotentem & fatuam; utpote qui* Catholicam Ecclesiam (*quam credo) &* hæreticos (*quos detestor) & alia id genus nomina longè alio sensu accipienda esse didici quàm hodierna Ecclesia* Romana *accipi ea velit.*

Communi bono inservire, majorem mihi addit stimulum, quàm cujuscunq; vel quorumcunq; censuræ poterint incutere timorem: Eo animo tibi, Lector, gratificari conatus sum in hisce opusculis excudendis, quæ non minimo mihi labore constiterunt; ea præsertim quæ in Appendice *tibi exhibentur, magna parte ex antiquis codicibus manuscriptis, nunquam antehac impressis, tibi tradita, non sine valetudinis meæ diminutione. Si autem hæc serò quereris data in lucem, post papismum ex sese profligatum, & celerius hinc aufugientem quàm adventarit, typographis id acceptum refer: Si isti enim temporius absolvissent librum, non tamdiu abfuisset, quin in ipso controversiæ ardore aliquà tibi non contemnenda subministraverit. Proinde noli esse securus in posterum contra insultus papisticos: olim tibi fortasse poterint esse usui, quæ hic suppeditantur, licèt impræsentiarum minus videantur opportuna & necessaria; & nunquam sunt superflua quæ semper prosunt: non sic, crede mihi, desistent emissarii* Romani: *astutissimi sunt populorum, morum & temporum observatores, & nullum non movebunt lapidem ut id aliquando assequantur, de quo hac vice deciderunt: invigila tuis rebus; invigilabunt enim* Romanistæ *suis; & nihil per totum terrarum orbem callidius est* Curiâ Romanâ. *Unde, quæso, nuperam opportunitatem te & tua in propriis castris invadendi nacti sunt, nisi ex credulâ tuâ desidiâ, eorum hypocrisi & fucatæ urbanitati (quæ semper in feritatem mutatur, cum superior evadit) nimis confisâ? At eò fortiùs, audacius & astutiùs spem repetent suam, quo ignominiosius eâ hucusq; frustrati fuerint, si vel tantillam unquam iterum adepti fuerint suæ commoda promovendi ansam. Quòd si tibi blandiaris ab eorum misericordiâ & lenitate, memento* pervicaces hæreticos, *qualis* tu *futurus es nisi in papismi monstra juraveris, flammâ esse absumendos; at si tuam & illorum religionem simul stare posse credas, vel semper eos* sub ferulâ *detineas oportet, vel tuo damno disces quod experti sunt Protestantes in* Gallia, Bohemia, Sabaudia, *&c. & tandem coactus fateberis* lucem *cum* tenebris *non posse convenire: & quò minus speranda est eorum gratia & benevolentia, eò acrius insistendum est tuæ ipsius religionis curæ & studio.*

Ex omnibus Ecclesiis quæ ab eis recesserunt, de convertendâ Ecclesiâ nostrâ maximopere laborant, i. e. *de destruendâ; invidiâ adversus illam feruntur malevolentissimâ; cumque hoc apertè apud nos non audeant, præ legum severitate justâ, propalare, clanculum id agunt sub personis fictis* de libertate Conscientiæ *contendentium inter partium studiosos sese occultantes, & vel* Tremulos *sese potius fingentes ex profunda malitiâ, quàm ut in* causâ Catholicâ *otiosi videantur.*

Omnem eorum operam hactenus delusit Dei Omnipotentis dextra; isque qui solus potest, irritas semper & inanes reddat eorum machinationes.

Scopum quem mihimet proposui in hisce, quæ lecturus es, opusculis, sicut & occasionem operis ingenuè tibi & liberè explicui, Lector benevole; quod autem ultrà te monitum velim in eorum lectione, mox habebis; ubi titulum prioris editionis integrum (cujus quidem partem resecare ab hac editione necessum fuit) tibi commonstravero: is autem talis erat,

Fasciculus rerum Expetendarum & Fugiendarum; in quo

Primum continetur Concilium Basileense: non illud quod in magno Conciliorum volumine vulgò circumfertur, sed quod Æneas Sylvius, qui postea Pius secundus est appellatus, & eidem Concilio præsens interfuit, fideliter & eleganter conscripsit.

Insunt

Insunt præterea

Huic operi nobilissimo summorum aliquot virorum Epistolæ, libelli, tractatus & opuscula, numero (ni fallar) 66. in quibus & admiranda quædam & obstupenda invenies: Quæ si futurum Concilium celebrari contigerit, summopere, tanquam cognitu necessaria, ab optimis quibusque expostulabuntur.

Lege indicem subsequentem.

ISAIÆ 5°.

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobisinetipsis prudentes. Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo, &c.

Anno M. D. XXXV.

INditum est autem nomen [*Fasciculi* rerum expetendarum & fugiendarum] *fortasse, ut imitaretur* Or. Gratius *titulum quo donavit* Georgius Valla Placentinus *librum quendam suum, quem inscripsit* * De expetendis & fugiendis rebus opus, *quod prodiit* Venet. 1501. *Vel fortasse animo ejus obversabatur definitio* Prudentiæ, *qua eam designarunt Ethici veteres, cum* Prudentiam *dixerunt esse* rerum expetendarum & fugiendarum *Scientiam*; *quod observavi in codice quodam MS. in* 4° *Trin. Coll.* Cantabr. *in cujus initio habetur index originum sive Etymologiarum alphabeticus, ex* Augustino, Isidoro, *&c. concinnatus. Utcunque se res habuit, nihil, quod video, in libri lemmate culpandum est; quæ autem in hoc Fasciculo* expetenda *sunt & quæ* fugienda, *prudens reliquit uniuscujusq; judicio; nisi quòd in quibusdam palam innuit quid utrinq; faciendum. Sed quæres, Lector, unde* Orthuinus Gratius *collegit hunc* Fasciculum? *Incidit ille nimirum in librum quendam* in folio, *longè antea impressum, sed à quo, vel ubi, vel quo anno, vel quo authore non constat (fortè circa primordia Reformationis, quando non fuisset authori vel typographo integrum, se prodere) qui nihil aliud tituli præ se fert, nisi* [Commentarii Æn. Sylvii de gestis Concilii Basileensis, &c.] *illi verò præterea insunt* Vita Hildebrandi. Vita Henrici quarti. Professio fidei fratrum Waldensium. Articuli Joh. Wiclefi cum impugnatione Wodfordi; aliæque Propositiones ejusdem ex illius libris excerptæ, damnatæque tam Londini, Oxoniæque, quàm in Concil. Constantiensi, &c. Fragmentum item Æn Sylvii Aretinus contra Hypocritas. De vocatione Bohemorum ad Synod. Basil. Petitiones eorundem. Examen Johannis de Wesalia. Condemnatio Wiclefi, Hussi & Hieronymi Prag. *Hæc, inquam, repererat simul excusa* Gratius (*quorum duo vidi Exemplaria; unum in Bibliothecâ* Lambethanâ; *in bibliothecâ amici mei docti & reverendi* Johannis Patricii, *hospitii* Suttoniensis *Capellani, alterum*) *is*, *qui editioni isti antiquæ præerat, in præfatione profitetur incidisse se in librum quendam MS.* (*mirum ni* Basileæ) *qui quasi farrago erat multorum tractatuum, quos in publicum dedit: hunc hominem suspicarer fuisse amicum quendam Reformationis, ex notis marginalibus quas suæ editioni affixit, quasq; resecuit* Orthuinus Gratius, *quia* (*scilicet*) *illi videbantur hæresim sapere. Satius autem fuisset* Gratio *notas illas* (hæresim sapientes) *intactas reliquisse; ego enim* (*nisi valde fallar*) *notas addidi quæ plus* aliquorum *palatis sapient hæresim.* i. e. *Liberiùs asserunt veritatem. Huic* farragini tractatuum (*ut autor appellat*) *multa alia addidit* Orthuinus Gratius, *ut cuivis liquet priorem editionem* Anonymi *authoris cum ejus posteriore conferenti, & omnia simul in* Fasciculum (*insignem quidem rerum congeriem, licèt nullo ordine dispositam*) *colligavit: Quòd si nostra* Appendix *magna adeo librum auxerit, ut non amplius videatur* Fasciculus, *eum, Lector, appella, si vis,* Fascem; *non qualis olim inserviebat* comburendis hæreticis, *sed qualis præferebatur Magistratibus* Romanis, *& peccantibus pœnam indicabat* (*si liceat in istâ voce ludere*) *mirum enim nisi* nonnulli *se vapulare querantur multum hac tertiâ editione, cum priorum editionum ictus adeo non ferre valebant, ut eas penè è conspectu hominum sustulerint.*

Ex titulo Orthuini Gratii *liquidò constat editionem ejus fuisse preparatam in usum omnium qui desiderabant Concilium generale, ad sopiendas religionis controversias quæ tum maximè fervebant inter* Protestantes *&* Papistas. *Pontifices* Romani *nunquam quiescebant, donec ex Imperatorum manibus extorserint Concilia indicendi potestatem; cumq; eam semel, declinante Imperio, usurparint, quàm ægrè & reluctanter adducti sunt ut ea convocent? Norunt quippe optimè & multis experimentis, quantum Conciliis cohibetur & refrænatur potestas* Papalis, *& quàm obnoxii sunt facinorosi, quantumvis alti, synodorum sententiis & censuris. Instítit Imperator* Carolus V. *idq; fervidissimè,* Clementi *Septimo* (*novem annis ante* Fasciculi *editionem*) *ut*

* Biblioth. Thuan part. 2. p. 380.

ut indiceret Concilium generale, ut vides pag. 687. Appendicis nostræ: & tamen anno secundo Pontificatus Pauli tertii, qui incidit in M. D. X X X V. (quo hic liber in lucem prodiit) quàm languidè nobis narrat Orthuinus Gratius spem Concilii generalis? Si, inquit, futurum Concilium celebrari contigerit. Profectò istud [futurum] ad nostram usq; ætatem, & diutius pertigisset, si Papæ ullo modo potuissent totius orbis Christiani querelas effugere: & (ut verum fatear) consultius fuisset Ecclesiæ Christianæ, ut nunquam fuisset indictum, nisi melius & honestius id fuisset Tridentino. Laudandus autem est interea Gratius qui talem librum, utilissimis Scriptis refertum, ausus est tam ancipiti tempore edendum curare; è quo quamplurima hauriri possint, quæ ad Concilium istud rectius & Christianius formandum contulissent multum, si seriò fuissent cogitata & perpensa. Ecquid enim commodius & utilius regulandæ synodo potuisset proponi & omnibus legendum dari, quàm accurata ista descriptio Concilii Basileensis quam Æneas Sylvius (Pontifex & ipse Romanus postea) exhibuit? Post illud Concilium expirasse mihi videtur potestas Conciliaris; quæ nisi aliquando reviviscat, & quicquid in Tridentino peccatum fuerit, emendet, sibiq; resumat justam Pontifices corrigendi auctoritatem, Papa cum suo suprematu judicii (qualem ei finxerunt Jesuitæ) Religionem Christianam, jam plus satis inter eos pollutam, reddet adhuc pollutiorem: Sed Christus non deerit suis.

Sed (ut jam ad particularia descendamus) dicunt Papistæ Æneam Sylvium retractasse hanc historiam Concilii Basileensis, qua toties probat Concilium esse supra Papam: Siccine verò? Quando, quæso, retractavit? Retractavit cum Pontifex Romanus Pii secundi nomen sibi assumpsit: gratias ago pro nihilo. Noluit ille Papa esse ambidexter, vel uno ore calidum & frigidum spirare. Si nunquam fuisset Papa, non retractasset: Papa cum fuerit, opus erat ut vel renunciaret papatui si stetisset historia Concilii quam scripsit, vel papatum proderet, eum Concilio subjiciendo. De Sylvio (inquit Gasper * Cardillus) illud certò affirmare possum, cum juvenis atque Æneas esset, ita sensisse (viz. auctoritatem Concilii majorem esse papali) sed ubi adolevit jam atque Pius evasit, non modo hac in re sed in multis quoque aliis sententiam mutavit suam, retractationumque bullam edidit, quam ad Rectorem & Scholam Coloniensem misit & invulgari jussit toto orbe terrarum. Cum clerici inferiores deprædicant auctoritatem Papæ supra Concilium, nemini debet mirum videri (inquit † Johannes Major) cum Papa det dignitates & beneficia Ecclesiastica, Concilium verò nihil det. Cum Papæ verò idem agunt, minus mirum videri debet; cum sedis suæ prærogativam, jure an injuria, tueri velint. Magistratus indicat virum; & qualis quisq; reipsa est, apparet maximè cum summâ rerum potitur. Gentianus Hervetus vir fuit doctissimus; & quamvis non nobis causæve nostræ multum faverit; nequit tamen sententiam suam dissimulare de hac retractatione Pii secundi. Mirum est (inquit, pag. 660. Appendicis meæ) quòd qui Concilium Basileense tantis laudibus extulit, Æneas Sylvius, mox creatus Pontifex & Pius appellatus, id improbavit.

* In disputationibus adversus Protestationem 34. hæreticorum Augustanæ Confess. Disp. primâ.

† Cap 18. Commentariorum in Evangel. L. Mat.

Ejus Bulla retractationum extat in initio operum Æneæ excusorum Basil. 1571. necnon in libro Gaspari Cardilli paulò suprà citato: lectu est dignissima tum ob multas res inibi ad Concilium Basileense spectantes, tum ob frivolas rationes quibus se nititur excusare: Cardinalis tamen Bellarminus eis adeo captus est, ut certissimis testimoniis didicit clarissimus Doct. * Edmundus Richerius, auctorem eum & suasorem fuisse ut tota Synodus Basileensis cum omnibus actibus Synodalibus (qui legendi sunt apud Petrum Crabb) ex editione Romanâ Conciliorum tanquam Spuria abraderetur: Vides quò tendunt Jesuitæ, Lector, & quid ab illis expectandum est: Vin' autem tu videre Pii secundi rationes summatim recitatas & nervosissimè refutatas à Papistâ probo. Consule librum quartum historiæ Conciliorum generalium ejusdem Edm. Richerii pag. 52. editionis quæ dicitur Coloniæ, in 4° & hominem bonum & pium, durissimaq; à Papæ partialibus * passum nullam aliam ob rationem nisi quòd probè defenderat jus Regum & Ecclesiæ contra adulatores Pontificum, ambabus ulnis amplectere: & cum deveneris ad mentionem Thomæ de Corsellis in historia Concilii Sylvianâ, divertere, obsecro, ad Propositionem istam Solennem ab eodem Thomâ factam Bituriglbus, præsente Rege in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ, quæ tibi exhibetur pag. 164. libri tertii historiæ Conciliorum general. ab Edmundo Richerio; te diverticuli non pœnitebit.

* Lib. 3. historiæ Conciliorum general. sub finem.

* Vide Claudii Bartholomæi Morisoti Epistolam ad Cretam ad finem libelli E Richerii de Ecclesiastica & politica potestate, ad calcem Vindiciarum doctrinæ majorum Scholæ Parisiensis, edit. (ut dicitur) Colon. in 4° 1683. pag. 102.

Hæc tibi, Lector, annotasse de Concilio Basileensi quod lecturus es, in rem tuam credidi: De necessitate verò istius Concilii plura admonendus es, quæ nusquam fortasse invenire poteris nisi in hac Præfatione, & manuscripto Codice ex quo ea desumpsi; quæ hac occasione mecum fuerunt communicata. Reverendissimus in Christo pater & patronus meus optimus, Dominus Archiepiscopus Cantuariensis meminerat probè se alicubi vidisse scripta aliqua vetusta de Concilio Basileensi, & in chartulâ quadam capita manuscripti (ut semper fuit diligentissimus antiqui-

tiquitatum scrutator) ubi hæc delitescebant, annotasse: Sed nec hæc ad manum, nec illa memoriæ statim occurrebant; tandem reperiit notulas suas & recogitavit volumen illud manuscriptum fuisse penes virum clarissimum Eliam Ashmole: *Mutuatus igitur ab illo librum, me accersivit jussitque ut siquid in illo codice invenirem publicâ notitiâ dignum, excriberem protinus, & prælo cum cæteris opusculis mandarem. Parui pro officio & debito meo, & quæ mihi videbantur proposito meo congrua & tuo, Lector, commodo inservientia, excerpsi statim: ea verò sunt*

1. *Commissio Henrici* sexti *Angliæ* & *Franciæ* Regis, data Ambasiatoribus suis ad Concilium *Basileense* suo nomine ituris.
2. Ejusdem *Instructio* eisdem credita.
3. *Propositio* ejusdem Regis nomine facta coram Papa *Martino* 5. per Abbatem *Ursicampi* super acceleratione Concilii.
4. *Collatio* ejusdem Abbatis habita ad Collegium Cardinalium.
5. *Propositio* M. *Willielmi Sulbury*, Abbatis *Belli loci*, ad eundem Papam, ejusdem Regis nomine, pro acceleratione futuri Concilii: *in qua exscribendâ me adjuvit vir doctus & amicus meus M.* Hen. Wharton, *qui D. Archiepiscopo est à sacris.*

Hæc tibi, Lector, non omnino displicebunt, si iis dignus sis; cum ex eorum quolibet Ecclesiæ statum tunc temporis perspectum habebis, sicut & Aulæ Anglicæ *versus curiam* Romanam *æstimationem; præter id quod utique observabis de rebus politicis & ceremoniis Regum & Principum nomine exactis: Hæc autem erant dedicata* Waltero de la Pool, *militi, à quodam monacho exscriptore.*

Commissio Ambasiatorum Basileam transmissorum.

REX, *Omnibus ad quos, &c. Salutem.* Cum juxta decreta *Constantiensis* Concilii præsens Concilium *Basileense* actualiter celebretur sub sanctissimo patre, domino *Eugenio* papa quarto; Nos eidem Concilio nedum ex parte ejusdem Concilii per suos oratores nobis ex hac causa specialiter destinatos; verum etiam Apostolicis & Imperialibus ac aliorum quamplurium sanctæ Matris Ecclesiæ Patrum & Principum secularium literis creberrimè instigati ad Dei laudem, sanctæ matris Ecclesiæ prosperitatem, optatum & honorem, & præsertim ob Fidei Catholicæ exaltationem interesse cupientes, variis & diversis causis rationalibus præpediti, quo minus personaliter eidem interesse poterimus, ut vellemus, venerabiles in Christo patres *Robertum London, Johannem Roffen.* & *Bernardum Aquen.* Episcopos; ac charissimum consanguineum nostrum *Edmundum* Comitem *Moritonii*, dilectos nobis in *Christo Nicolaum* Abbatem *Glaston*, *Willielmum* Abbatem Ecclesiæ beatæ *Mariæ Eborac.* & *Willielmum* Priorem *Norwicen.* & magistrum *Thomam Browne*, utriusque juris doctorem, *Sarum* Decanum; necnon dilectos & fideles nostros *Henricum Brounflete*, & *Johannem Colvyle*, Milites, nostros Ambassiatores, oratores veros & indubitatos procuratores, actores, factores & nuncios speciales constituimus, facimus & deputamus per præsentes; dantes & damus eis & ipsorum majori parti potestatem & mandatum tam generale quàm speciale nomine nostro & pro nobis in eodem Concilio interessendi, tractandi, communicandi & concludendi tam de his quæ *Reformationem Ecclesiæ universalis in capite & in membris*, quàm his quæ fidei orthodoxæ fulcimentum, Regumque ac Principum pacificationem concernere poterunt, necnon de & super pace perpetuâ guerrarumve abstinentiâ inter Nos & *Karolum* adversarium nostrum de *Francia* etiam tractandi, communicandi, appunctuandi, consentiendi insuper, & si opus fuerit, dissentiendi his quæ juxta deliberationem dicti Concilii inibi statui & ordinari continget; promittentes & promittimus bonâ fide nos ratum, gratum & firmum perpetuò habituros totum & quicquid per dictos *Ambasiatores*, oratores & procuratores nostros, aut majorem partem eorundem actum, factum seu gestum fuerit in præmissis & in singulis præmissorum: & hoc idem cum de & super his certiorati fuerimus, quantum ad Nos & *Christianum* Principem attinet, executioni debitæ curabimus demandare. In cujus, &c. Dat. sub magni sigilli nostri testimonio in palatio nostro *Westmonast.*

Instructio

Instructio data per Dominum nostrum Regem de advisamento Concilii sui venerabilibus in Christo patribus ac fidelibus suis Roberto London. &c. in ambasiatâ dicti Domini nostri Regis ad Concilium generale Basileense transituris.

I. INprimis, dicti Ambasiatores omni temeritate & præsumptione, ambitione, invidiâ, irâ, & contentione remotis, cum omni patientia & benignitate modestè, pacificè & tranquillè communicabunt, tractabunt & prosequentur negotia sibi commissa, non quærendo quæ sua sunt per adulationes fortè vel complacentias quibuscunque personis impendendas, sed omni personarum & negotiorum acceptione depositâ, cordibus ad Deum sursum erectis laborabunt pro universali & publico bono Ecclesiæ & Regis ac Regnorum suorum: nec quisquam eorum alicui alteri pro complacentiâ, affectu vel alia quacunque occasione revelabit ea quæ in hac instructione continentur, nec ea quæ consiliando conferentur, communicabuntur seu concludentur inter eos, nec tractet ad partem cum aliis extraneis negotia ambasiatæ suæ, nisi hoc faciat de communi eorum consensu.

II. *Item.* Iidem ambasiatores omnibus viis, modis & mediis quibus poterunt, præsertim in primordiis adventûs sui *Basileam*, prudenter & cautè laborabunt pro sciendo statum & dispositionem dicti Concilii, & præsertim Domini Imperatoris, & aliarum personarum sublimium ac Ambasiatorum Principum in dicto Concilio existentium, & ad quæ seu qualia tendunt, & quomodo conveniunt vel differunt in opinionibus, & quorum & quales assistentias & favores Regia celsitudo de verisimili est habitura in dicto Concilio: & idcirco non debent immediatè, postquam Basileam venerint, esse nimis præcipites, vel festini in petendo diem pro audientiâ publica sibi dandâ, sed prætextu laborum & vexationis in itinere, differre petitionem hujusmodi, & diem audientiæ quantum honestè poterunt; nec debent post audientiam hujusmodi publicam sibi datam, statim ingerere se vel offerre ad interessendum actibus Concilii; sed cautius, secretius & diligentius, quo poterunt, investigabunt & inquirent, An sit intentionis Præsidentis & Concilii admittere eos sine exactione juramenti novelli illic instituti, vel non: & an sit possibile inducere Concilium ad hoc quòd procedatur per Nationes vel non; & in eventum quo certiorentur quid sit de intentione Præsidentis & Concilii exigere ab eis juramentum supradictum nec aliter eos admittere, adibunt Imperatorem & alios de quibus sibi videbitur expedire; & specialiter Præsidentem, resumendo continentiam & effectum literarum Regiarum alias super hoc Concilio transmissarum, instando tam per rationes in eisdem literis descriptas, quàm per alias quas excogitabunt, pro libertate solita venientium ad Concilium, & præsertim pro *libertate Regum*, & pro vitandâ *insolitâ* hujusmodi & hactenus hoc casu *invisa exactione juramenti*, tollendo per rationem cum honestate & modestiâ responsiones in ea parte datas à Præsidente per suas literas Regiæ celsitudini transmissas & respondendo motivis ad oppositum ab eo factis; & in eventum quo finaliter nequiverint admitti absque eo saltem quòd juramento firmaverint illud unum articulum, De fideliter consulendo,&c. omnibusq; aliis articulis durioribus in dicto juramento contentis, ad quod moderamen tendere videntur literæ supradictæ domini Præsidentis; tunc si constiterit eis tam Imperatorem quàm alios Principes illic existentes, & absentium Principum ambasiatores articulum illum juramento firmasse, debent finaliter, si non obstet alia causa rationabilis, se in ea parte eis conformare.

III. *Item*, Si post diligentias ab eisdem ambasiatoribus investigando singulariter & ad partem, dispositionem personarum existentium in Concilio quoad modum procedendi per nationes, pro quo modis & viis, quibus poterunt, laborabunt, non videbitur eis quòd Concilium ad hoc quoquo modo possit induci, conformabunt eo casu se aliis in modo procedendi.

IV. *Item*, iidem ambasiatores exhibebunt & impendent Domino Imperatori omnimoda honores, reverentias & obsequia; ad quem in singulariter concernentibus Regem recurrent pro consiliis, auxiliis & favoribus, si & quando videbitur eis expedire, & quantum cum Deo & ratione poterunt, ad hoc semper tendent & laborabunt, ut in materiis

materiis in Concilio tractandis fit inter ipsum dominum Imperatorem & eos conformitas opinionum: Et si aliquando (quod absit) videbitur eis ratione ad hoc urgente, non esse sequendam opinionem suam, laborabunt honestiori, modestiori & discretiori modo sciverint ad removendum eum ab hujusmodi opinione suâ, quod si non poterunt cum minori displicentiâ Majestatis suæ qua fieri poterit, facient quod secundum Deum & rationem justius & utilius videbitur eis in hoc faciendum.

V. *Item*, Si postquam intraverint Concilium interessendo simul cum aliis tractatui negotiorum & materiarum, invenerint magnam vel majorem partem Concilii dispositam & inclinatam ad procedendum contra Dominum summum Pontificem ad maximum & extremum rigorem; ipsi tamen semper, quantum cum Deo & justitia possunt, ad hoc tendent & laborabunt, ut maneant & conserventur in Ecclesia pax, unitas & tranquillitas, & removeantur ab ea schismata, turbationes & scandala: hoc tamen servato moderamine quòd ubi ex causis justis * legitimis juri Divin. Et Ecclesiæ Cant. & approbatis Concilium procederet contra Dominum nostrum Papam, ipsi Ambasiatores eo casu facient quod secundum intelligentiam & discretiones eis à Deo datas videbitur eis faciendum: & si ipsis in itinere versus *Basileam* constitutis occurreret certitudo de processu hujusmodi contra Dominum *Papam*, ex causis talibus de quibus præfertur (quod Deus avertat) facto, ipsi nihilominus continuabunt iter suam *Basileam*, ad procedendum illic unà cum aliis ad actus ulteriores tales quales necessitas & utilitas universalis Ecclesiæ exigit & requirit: Si verò (quod nolit Deus) ipsis in itinere existentibus innotesceret de processu hujusmodi facto contra dominum *Papam*, & electione consequenter alterius in summum Pontificem, ipsi ambasiatores nec ultrà progredientur nec revertentur donec certioraverint Regiam celsitudinem de rebus sic gestis, & receperint responsa Regia de eo quod ultrà sunt acturi.

VI. *Item*, Si in Concilio fiant instantiæ pro cassatione, adnullatione seu declaratione nullitatis aliquorum *Statutorum* seu ordinationum Regni, & præsertim illorum quæ concernunt *provisiones Apostolicas*, aut Prioratus seu possessiones *alienigenarum*. & laboretur pro restitutione possessionum hujusmodi fienda Ecclesiis quibus antè pertinebant, Respondebitur, quòd nec à nunciis nec in literis, quos & quas tam crebrò complacuit ipsi Concilio transmittere Regiæ celsitudini, unquàm factum est verbum, mentio vel motio Regi de materia hujusmodi *Statuti*, & quòd pro tanto nullam super hoc habent instructionem vel mandatum: poterunt tamen cum protestatione, non ambasiatores, nec vice Regia, sed velut ipsi vice propria in materia concernente possessiones olim *alienigenarum*, dicere, quòd secundum antiquissimas Regni Leges, quæcunq; possessiones, prædia vel redditus ipsius Regni vel in eo conferuntur Ecclesiæ vel pio loco sub modo vel conditione, vel ad certum & determinatum usum, si neglexerint *Collatarii* observare, implere vel exequi usum, causam, conditionem *seu* modum *primariæ donationis*, poterunt ipsi *Collatores* vel eorum hæredes, propter defectum, neglectum seu culpam collatariorum non observantium, non implentium vel non exequentium causam vel usum determinatum, conditionem seu modum donationis hujusmodi, sed cessantium, repetere seu condicere possessiones, prædia vel redditus sic donata: Et quod ut iidem ambasiatores hactenus didicerunt dum & postquam exortæ fuerunt & durarunt guerræ inter *Angliæ* & *Franciæ* regna, non implentibus ipsis Ecclesiis & monasteriis *alienigenis* Causas & usus, propter, & ad', quos hujusmodi possessiones, prædia & redditus in *Anglia* eis fuerunt collata, sed cessantibus contra formam collationis, subsequentur demum præmissa conquestione debita auctoritate Regis & *trium Regni Statuum*, concurrente consensu omnium quorum intererat, revocabantur hujusmodi possessiones de manibus Ecclesiarum *alienigenarum* ad quas antea spectabant, & applicabantur juri & dominio Regis.

Et quod posthæc nihilominus inclytæ recordationis Rex *Henricus quintus*, pater Domini nostri Regis moderni, licèt occasione præmissorum dicta possessiones, redditus & prædia tibi retinere potuisset, amplioris tamen devotionis ardore succensus volens & intendens hujusmodi redditus, possessiones & prædia non in abusus, sicut antè tenebantur, sed in sacros & pios usus disponere, sicut postea disposuit ex abundanti & pro majori securitate & cautela impetravit & obtinuit à fœlicis recordationis *Martino Papa quinto* sibi concedi, quòd ipse omnia prædicta possessiones, redditus & prædia disponere posset & convertere in dotationem monasteriorum & Ecclesiarum, & alios pios usus secundum devotionem tibi divinitus inspirandam, sicut fecit; & quòd de terris in regno *Franciæ* & Ducatu *Normanniæ* constitutis congruam recompensationem facere posset Ecclesiis & monasteriis ad quæ prædicta redditus & possessiones & prædia de regno *Angliæ* antea spectabant, judicibus datis qui Ecclesias & monaste-

ria

ria *alienigenarum* ad hujusmodi recompensam recipiendam compellerent & coarctarent; sicut in literis dicti fœl. recordationis *Martini* palam est intueri: Cujus concessionis & indulti prætextu prædictus inclytæ recordationis Rex *H.* quintus dictorum monasteriorum & Ecclesiarum *alienigenarum*, prælatis coram prædictis judicibus ad hoc legitimè citatis & vocatis, recompensam congruam, juxta vim, formam & effectum dictarum literarum Apostolicarum obtulit & fecit offerri; sic quòd per ipsum non stetit quo minus recompensationem congruam habuissent: Nec fortasse stabit per Dominum nostrum Regem modernum quo minus recompensam hujusmodi habeant, si debito modo & cum humilitate instare voluerint pro hujusmodi recompensatione habenda.

VII. *Item*, Si à dictis Ambasiatoribus petatur ut per medium Concilii ineatur tractatus pacis, ut abstinentiæ guerrarum inter Regem & adversarium suum; Ambasiatores ipsi respondebunt, quòd quantas diligentias, sollicitudines & labores hactenus impenderit & impendi mandaverit & consenserit serenitas Regia circa pacem & media convenientia & rationabilia ad eandem inter ipsum & adversarium suum habendam, novit Deus & novit Reverendissimus pater, dominus Cardinalis *Sancta Crucis*, qui inter ipsum & adversarium suum per spatium quasi duorum annorum pro pace solers extitit mediator: In qua re cujus voluntatis & dispositionis extiterit Dominus noster Rex, memorato Cardinali satis constat, qui tanto tempore laborans partem adversam ad aliquem pacis seu treugarum modum rationabilem inducere non potuit, nec ad abstinentiam guerrarum si non quatuor mensium duntaxat; infra quos sibi colligere potuisset messem & vina frustrasse labores armatæ per Regem illo tunc in *Francia* transmissæ, sic quòd, ut idem Dom. Cardinalis satis novit, non stetit per Regem quo minus tractatus pacis inter ipsum & adversarium suum gratum habuisset introitum, & demùm donante Domino, votivum effectum.

Et licèt ex hujusmodi de qua præfertur, elongatione adversarii satis præsumi posset, & verisimilis conjectura recipi quòd non * immanet sibi dispositio vel inclinatio ad pacis hujus tractatum, sed quòd incassum dari putaretur instructio Regiis Ambasiatoribus ad pacem cum dicto adversario pertractandam; nihilominus pro reverentiâ Dei & sacri Concilii, ipsi Ambasiatores pro parte Regis, vestigiorum paternorum imitatoris, exhibebunt se paratos ad audiendas pacis hujusmodi tractandæ vias quas sacrum Concilium dignabitur aperire, & intendendæ taliter quòd nihil temeritatis in eâ parte Regiæ celsitudini aut debebit vel poterit rationabiliter ascribi: in cujus materiæ deductione poterunt dicti Ambasiatores ad hoc tanquam * via congrua condescendere quid advisentur per Concilium persona seu personæ indifferenti, neutri videlicet parti, rationabiliter suspecta seu suspectæ, per cujus vel quarum medium, in loco aliquo neutri partium subjecto, nec ab eisdem nimis remoto, veluti in civitate *Cameracensi, Hannonia* vel *Brabantia*, à quo faciliter mitti poterit ad utramq; partium, & ad quem majores Principes & alii qui consanguinitate vel affinitate contingunt partes principales, commodè accedere poterunt & venire, pro quo melius & tutius exequendo, posset ut videbitur per Imperatorem, vel aliquos de Concilio indifferentes suaderi & ad hoc laborari quod capiatur aliqua treuga, ad annos aliquot duratura, sub qua & pendente eâ intendi poterit & vacari tractatus desideratæ pacis antedictæ: in cujus treugæ tractatu sequantur iidem Ambasiatores *Instructiones* alias in ea parte *Roffensi* Episcopo datas.

VIII. *Item*, Vult & mandat Regia celsitudo dictis Ambasiatoribus suis quòd in omnibus & singulis materiis, tam videlicet illis quæ concernunt statum Regis regnorum, terrarum & dominiorum suorum, præsertim in materiâ pacis antedictæ, & aliis concernentibus statum Ecclesiæ *Gallicanæ* & regni *Franciæ*, communicent cum ambasiatoribus suis de & pro regno suo *Franciæ* transmittendis, & cum Ambasiatoribus charissimorum avunculorum suorum Ducum *Burgundiæ* & *Britanniæ*; ad hoc videlicet, quòd in singulis procedant unanimi & concordi assensu & voluntate.

IX. *Item*, Vult & mandat Dominus noster Rex eisdem Ambasiatoribus suis, quòd ad hoc nitantur & laborent, quòd prælati & clerus sibi obedientes in Ducatu suo *Aquitaniæ*, similibus prærogativis & reformationibus, eidem Domino nostro Regi & juribus suis non præjudicialibus, gaudeant & potiantur, qualibus ex dispositione & ordinatione dicti Concilii gaudebunt alii prælati & Ecclesiasticæ personæ nationis *Gallicanæ*.

X. *Item*, Cum inclytæ recordationis nuper Dominus noster *Henricus* Rex, pater Domini nostri Regis moderni, omni favoris prærogativâ prosequens personas Ecclesiasticas, præsertim in officiis & beneficiis Ecclesiasticis *Ducatûs sui Normanniæ* intitulatas

latas, & aliorum locorum conquestûs sui *Franc.* in locis insignibus & consuetis earundem partium, diversis diebus & temporibus inter se longâ interpolatione distantibus publicè proclamari mandaverit & fecerit, quòd omnes & singulæ personæ Ecclesiasticæ in hujusmodi officiis & beneficiis partium illarum intitulatæ, ad eadem liberè, si vellent, accederent & venirent, securitate plena eisdem repromissa; dummodo personæ hujusmodi, vel saltem illæ ex eis qui sibi haberentur suspectæ, præstarent juramentum, quòd nihil attemptarent seu facerent, nec fieri vel attemptari consentirent contra personam suam, subditos suos vel jura sua, aut in præjudicium ejus aut eorum, nec favorem hostibus vel inimicis suis; & subsequenter dum sic invitati non venissent iidem, Dominus Rex pater Regis moderni ne grex Dominicus remaneret pastorum officio destitutus, nec Ecclesiæ vel alia pia loca ad tales spectantia manerent inofficiata, requisiverit loci *Ordinarios* quòd secundum *Decreta juris Normanni* vocarent sic absentes ad residendum in dictis locis & beneficiis sibi commissis & officiarent in eisdem; ad quarum non venientium privationem *Ordinarii* postea processerunt; in quorum loca aliqui *jure Regaliæ*, aliqui *ordinario jure* fuerunt postea subrogati, jamq; nitantur iidem sic privati rebelles regii per processus tales quales dictos etiam *jure regaliæ* subrogatos amovere, & ad dicta officia & beneficia quondam sua redire in præjudicium *Regaliæ* antedictæ (quæ in *Curiâ Ecclesiasticâ* nullo modo est in quæstione vertenda) in periculum non modicum Regiæ Celsitudinis & patriæ suæ prædictæ; mandat Regia Celsitudo dictis Ambasiatoribus suis quòd cum omni diligentiâ se opponant conatibus dictorum prosequentium, & procurent quòd tali modo provideatur in eâ parte, quòd de cætero non sic molestentur possessores officiorum & beneficiorum prædictorum.

XI. *Item*, Dicti Ambasiatores servabunt in dicto Concilio locum Regis pro Regno suo *Angliæ* debitum, & pro loco sibi pro Regno suo *Franciæ* debito, quem occupari vult per Ambasiatores regni sui *Franciæ*, eis diligenter assistent & toto posse cooperabuntur ut locum ipsum habeant in sedendo. Quòd si pro ipsius loci occupatione discordiam oriri contingat, ambasiatoribus partis adversæ locum ipsum forsan vendicantibus, Ambasiatores Regii potius condescendent alicui medio indifferenti & æquali per *Concilium* advisando, quàm permittent ex hujusmodi contentione grave scandalum & turbationem in *Concilio* generari, continuari.

XII. *Item*, Cum in Concilio *Constantiensi*, cui præsens *Concilium* nititur tanquam basi, & subsequenter in *Papiensi* Concilio ad *Senas* prorogato fuerit non sine ratione servatum inconcusse, quòd in nullâ materia seu negotio specialiter concernente nationem aliquam, quicquam concluderetur sine consensu nationis quam sic contingeret, præfati Ambasiatores, si & quatenus viderint opus esse, laborabunt ad hoc, quòd idem observetur in hoc *Basileensi* Concilio, ad quod quamlibet aliarum nationum in favorem sui ipsius facilè creditur inducendam. In cujus rei testimonium dictus Dominus noster Rex sigilla sua *magnum & privatum* fecit his apponi. Dat. in palatio dicti Domini nostri Regis apud *Westmonasterium* ultimo die *Maii*, anno regni sui duodecimo.

Ibidem, die & anno prædictis, lecta & concordata fuit præsens Copia *Instructionis* per Dominos subsequenter specificatos,

H. Ducem *Glocestriæ.*
H. Cantuarien. & *J. Eborac.* Archiepiscopos.
Ph. Elien. / *Joh. Bathon.* } Episcopos.
W. Linc. / *R. Warewic.* / *Northumberland* / *Suffolc.* } Comites.
Hungerford. / *Tiptot.* } Barones.

Sub eorum signaturis manualibus consignata.

Propositio super acceleratione generalis Concilii pro Reformatione.

BEatissime pater, cunctorumque fidelium piissime pastor & rector, postquam in oculis vestræ Sanctitatis nos hic astantes, humiles Ambasiatores Serenissimi, &c. Filii vestri devotissimi, tantam invenire gratiam meruimus, ut hac hora & hoc sacro celeberrimoq; præsente auditorio ea proferre debemus in medium quæ Rex ipse *Christianissimus* Sanctitati vestræ nobis jussit & mandavit exponere; præmissis inde gratiarum actionibus devotissimis, quas ex omni nobis à Deo possibilitate concessâ eidem S. V. referimus, rem ipsam nobis injunctam prout ab alto mihi concessum extiterit, sub correctione tamen & benignissima supportatione V. S. celeriter, quantum *Instructionum* nostrarum materia patietur, absolvere conabor: ut autem sermo meus efficacior sit, eoque vivacius aut suadeat aut ædificet aut delectet, quo fundamento convenientiori innitetur, verbum illud præmittam Regium P. Scriptum XXXII. quod fidelis Rex *David*, ut populum sibi commissum ab his quas dudum patiebatur, tribulationibus & angustiis eriperet, ad Deum confidenter legitur direxisse, *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.*

Beatissime pater, piissimeq; fidelium pastor & rector, sæpe & multum, sicut vestra novit beatitudo, luxit & elanguit terra, & novissime diebus istis, maxime autem in Sacris, *Pisano, Romano, Constantiensi* atque maximè *Senensi*, generalibus Conciliis; vox audita est ploratûs & ululatus multus: *Rachel*, i. amabilis & Deo placens, beata mater Ecclesia, plorans filios in diversis mundi partibus heu! lamentabiliter destructos, noluit consolari, sed amicta veste lugubri, & quasi vidua facta domina gentium, post filios quos enutrivit & exaltavit, donec jocunda suæ pulchritudinis receperit primordia, in plateis continuè clamitat, nolite me vocare *Naim*, i. pulchram, sed vocate me *Maram*, i. amaram, quia amaritudine replevit me Deus. Ideo autem fortasse plus gravius solito his diebus amaritudine se repletam lamentatur Ecclesia, quia à diebus Sacri *Pisani* Concilii, in quo de fienda reformatione certa credebatur esse data promissio, frequenter levavit oculos in montes unde veniret auxilium sibi: In montes, inquam, i. in prælatos & viros Ecclesiasticos, qui propter altitudinem & eminentiam Sanctæ vitæ sanæque doctrinæ. quibus pollere debent præ cæteris, ab Ecclesiæ doctoribus ritè *Montes* nuncupati sunt: Sed vah! quoniam destruxerunt Templum Dei & in tribus diebus non ædificant! Etenim auxilium istud, quod est universalis Ecclesiæ Dei reformatio, quodq; per annos ultra 40, durante diro Schismate, ipsa mater Ecclesia cogebatur expectare. Rursus à Concilio *Pisano*, ad *Romanum*, à *Romano* ad *Constantiense*, à *Constantiensi* ad *Senense*; tandem verò à *Senensi* ad *Basileense* remissum est: quo fit ut ipsa mater auxilium istud sic longè factum esse ab ea conspiciens, ac per hoc de ipso pênè desperans, ad Reges & Principes terræ cum Sancto Job in amaritudine animæ suæ clamare compellitur; *Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarii mei quasi alieni recesserunt à me.* Porrò quis eos homines putabit esse Catholicos aut zelantes pro domo Dei, quorum aures tinnire non faciunt, corda non emolliunt ad compassionem & fletum in omnem terram & in fines orbis terrarum his diebus exeuntes clamores populorum, lamenti cleri, gemitus Sacerdotum, pontificum lachrymæ, luctuosa nobilium carmina, implacabilis Principum mœror, anxia Regum suspiria? Quorum omnium una vox, unaque dicitur esse sententia communis, *Omnia quæ fiunt in hoc seculo nequam, mala pariter & scandala, quæ profectò superceleri festinantissimaq; reformatione multùm egent, errores videlicet & hæreses, corrupti mores, iræ, rixæ, guerræ, sectæ, divisiones, simoniæ, concubinatus, fornicationes cæteraq; deformitates & ærumnæ quibus tota Christianitas paulominus ad fundamentum exinanitur, eo prius provenisse, magisq; semper ac magis de die in diem invalescere, quia de vitiorum & hæresum extirpatione, de conversione morum, de dissidentium inter se Christianorum pace & concordiâ per sanctam & desideratam cunctis gentibus Ecclesiæ Dei reformationem Ecclesiastici viri sufficienter hactenus non curarunt.*

His

His ergo, beatissime pater, assiduis validissimisq; populi *Christi* clamoribus quibus ferè comparati, minores invenirentur clamores filiorum *Israel* ab *Ægyptiis* quondam oppressorum (ad quos tamen visitandos & in melius reformandos, clementissimus Deus (ut habetur *Exod.* 2.) misericorditer descendere dignatus est) ad has insuper matris Ecclesiæ piissimas gemebundasque voces, quæ profectò corda *Christiana* non obdurant sed reserant, non seducunt sed compungunt, excitatus, & ad sanctæ compassionis affectum salubriter perductus Serenissimus, &c. Vestræ sanctitatis filius devotissimus, more progenitorum suorum clarissimorum *Franciæ* & *Angliæ* Regum, qui ad subveniendum Ecclesiæ Dei necessitatibus nulli Regum aut Principum terræ fuerunt unquam secundi, per id quod in ipso est, his tantis Ecclesiæ malis efficaciter occurrere, seq; murum opponere pro domo Dei summis affectibus disposuit & festinat; sciens utique, sicut loquitur Apostolus, 1 *Cor.* 9. quòd bonum est homini magis mori quàm ut gloriam suam evacuet. Cum enim desolatis afflictisq; populis proprium sit Regum clementer subvenire, dicente poetâ,

* *Crede mihi, res est succurrere lapsis.* * Deest *Regia*,

Quo pacto suam non evacuabit gloriam Rex qui Ecclesiæ Sanctæ Dei dolores, ut parturientis patienti vel ad horam succurrere distulerit? Sanè rerum omnium opifex Deus, qui solo suo bonitatis intuitu cuncta produxit in esse, res creatas amoris cujusdam vinculo sic conjunxit & univit, sicq; de se invicem voluit esse solicitas, ut unaquæq; res non propter seipsam, sed ut alteri serviat & ministret, esse creata videatur; & quanto res aliqua nobilior est atq; perfectior, tanto de sibi subjectis & inferioribus creatis curam atq; solicitudinem gerat ampliorem, quemadmodum, *Luc.* 22. scriptum est, *Qui major est in vobis fiat sicut junior, & qui præest, sicut ministrator.* Et hæc omnia videre perfacilè est considerantibus regulares continuosq; motus & influxus planetarum cæterorumq; corporum cœlestium, quibus hæc inferiora corpora in suis operationibus dirigunt & adjuvant: Considerantibus insuper actus hierarchicos, qui sunt purgare, perficere & illuminare, quos angeli superiores respectu inferiorum, inferiores respectu hominum regulariter exercendo, ipsis ministrare & quodammodo servire noscuntur; quemadmodum divinus *Dionysius* in lib. *De Cœlesti Hierarchiâ* plenius diffusiusq; commemorat: Et hoc amoris vinculum æquo pensans libramine disertissimus atq; eloquentissimus *Cicero* in primo *De Officiis* eleganter fuisse dictum de *Platone* recitat, quod *non nobis solùm nati sumus, sed ortûs nostri partem patria vendicat, partem amici; &, ut placet Stoicis,* inquit, *Quæ in terris gignuntur, omnia ad usum hominum creata sunt; homines autem hominum causa geniti fuerunt ut ipsi inter se alius alteri prodesse possit.* Cum igitur, beatissime pater, serenissimus, &c. V. S. filius devotissimus tantum sit & * ejusdem nobilissimum membrum, ut inter omnes Reges & Principes orbis *Christianissimo* nomine mereatur insigniri, quomodo cæteris sibi subjectis & inferioribus Ecclesiæ Dei membris per omne quod in ipso est, Sanctam eis celeremque reformationem procurando non tenebitur subvenire? Imò quanto constat ipsum esse nobiliorem atq; sublimiorem præ cæteris, tanto sibi incumbit necessitas providendi ut diebus suis in Ecclesia Dei nil monstruosum vel scandalosum seu deformatum vel maneat vel appareat: quod utiq; pro viribus adimplere in præcordiis quoq; suis super omnia videre desiderans, V. S. clementiam, beatissime pater, sine qua profectò collapsi deformatiq; muri Hierusalem reædificari non possunt, ut suis dignetur favere votis, suaq; sancta perficere velit desideria, miseriis quoq; celeriter subveniat, quibus per defectum Reformationis, per universum orbem populus Christianus paulo minus ad mortem opprimitur: Per hæc verba Regia clementer satagit inclinare, *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, &c* Est enim misericordia, secundum Augustinum, alienæ miseriæ compassio, qua utiq; si possumus, subvenire compellimur; & hæc virtus eo ipso grata est & placens Altissimo, ut etiam quibusdam sacrificiis ipsam præferens, dicere voluit per Prophetam, *Misericordiam volo & non sacrificium:* Imo pater misericordiarum & Deus totius consolationis misereri semper & parcere ut proprium sibi vult attribui; per hoc patenter innuendo, nihil esse quod æquè sicut misericordia hominem Deo propinquum & similem reddat & efficiat. Hinc *Tullius* loquutor egregius (quemadmodum in 9° de civitate Dei beatus *Augustinus* pulchrè pertractat) cum in oratione populari de laudibus *Cæsaris* loquitur, Misericordiam similiter cunctis anteponens virtutibus, *Nulla,* inquit, *de virtutibus neque desiderabilior neque gratior misericordiâ est.* Licet ergo, beatissime pater, multæ sint hominum modernorum deformitatibus & miseriis multas habeant iniquitates & peccata (& si dixerint peccatum non habemus, veritas in ipsis non est) quia tamen hanc præclarissimam misericordiæ virtutem in Vobis esse summam opera vestra piissima quotidie loquuntur,

tur, si his tantis hominum deformitatibus & miseriis Rex noster Christianissimus misericordias vestras applicari meruerit, quis de suscitatione jacentium egenorum in pulvere; quis de morbidorum oviumq; Christi Vestro Apostolatui sacratissimo commissarum perfectissima citissimaq; curatione cunctabitur? Vincant igitur misericordiæ vestræ misericordias nostras, beatissime pater, ut & misericordias domini nostri, beatissimi *papæ Martini*, mundus in æternum decantet. *Fiat*, inquit Rex, *misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.* Sed inter misericordias vestras quæ tantæ sunt, * & eas supra mundum multiplicari necesse est, quænam esse putabitur illa misericordia, beatissime pater, quam fieri supra nos Rex noster *Christianissimus* tam instanter efflagitat, nisi festina sacri generalis Concilii celebratio, & in eodem fienda *Universalis Ecclesiæ Dei tam in Capite quàm in membris conveniens salubrisq; reformatio?* Cum enim, quasi tempora venerint novissima in quibus *filius perditionis qui dicitur antichristus revelabitur*, jam proh dolor! per universam fere *Christianitatem* non audiantur nisi prælia & seditiones, altaria Dei lamentabiliter destruantur, Ecclesiæ ministri in servitutem *Pharaonicâ* miserabiliorem sint reducti, loca sancta ruant, Ecclesiastica sacramenta cæteraq; ministeria regni Dei perperam conculcentur, insurgant sectæ novæ, prævaleant hæretici, superstitiones vigeant, abominandi formidandique schismatis idolum multi reædificare moliantur, vocatione quoq; qua vocati sunt, jam amplius ambulare dignè nolentes *Christiani* suis nefandis sceleribus, violentiis, injustitiis, exactionibus indebitis, simoniis publicis, fornicationibus notoriis, cæterisq; pessimis abominationibus, ad quas videndas *Ezechieli* fodere parietem opus non est, *Christianitatis* nomen etiam apud infideles fœtere faciant contemptibilemque reddant; quid Rex, quid clerus, quid populus, quid sacerdos, quid denique juvenes aut senes ex omnibus misericordiis vestris, beatissime pater, aliud habent implorare, nisi festinam Sacri Concilii generalis celebrationem, in quo tantæ deformitates celeriter reformentur, per hocque, sicut loquitur Apostolus, *Omne os obstruatur, & fiat omnis mundus subditus Deo?* Post hanc quippe misericordiam spirat & suspirat Rex noster *Christianissimus*, & eam cum ipso summè desiderant omnium regnorum suorum ac dominiorum suorum fideles & subditi, simul in unum dives & pauper; & in spe quod hanc in Concilio *Senensi* novissimè lapso mundus deberet misericordiam fœliciter recipere, quam sacrum *Constantiense* Concilium circa Vestræ Sanctitatis sublimationem occupatum, perficere non valens, ad tunc proximè secuturum generale Concilium remiserat, suos ad dictum *Senense* Concilium Rex noster *Christianissimus* solennes Ambasiatores destinavit, plures utiq; sicut & cæteri Principes orbis, mittere paratus, si *Altitudo divinarum Scientiæ & sapientiæ Dei, cujus incomprehensibilia sunt judicia*, Vestram Sanctitatem ab impedimentis quæ tunc supervenerunt sibi misericorditer præservans, ipsam, ad dictum *Senense* Concilium, quod suis celebrabatur pro foribus, permisisset descendere, bona profectò facturam quæ vix hominum quisquam æstimare sufficeret; corruptos videlicet mores ab Ecclesiâ Dei expellendo, hæreticos confutando, *Græcos* cum *Latinis* uniendo, *Convertendoq; corda patrum in filios & in incredulos ad prudentiam justorum:* ad quæ bona vix utique redditus creditur esse possibilis, nisi, quemadmodum postulat Rex, celeriter *Fiat misericordia tua, Domine, &c.* Hanc verò misericordiam propterea Rex *Christianissimus* etiam ferventius prosequitur & optat, quoniam ad ponendam conservandamq; pacem in populo *Christiano*, sancti patres olim ipsam eousque necessariam atq; fructuosam esse docuerunt, ut vix in Ecclesia Dei vel hæreses vel schisma aliusve qualiscunq; morbus *Christianitatem* inficiens fuisse legatur exortus; ad cujus perfectam curationem sacrum generale Concilium velut antidotum ad hoc summè necessarium maximeq; conveniens sapienter non adhibuerunt. Quid enim *Arium*, quid *Sabellium*, quid *Manichæum* cæterosq; devicit hæreticos aut etiam Schismaticos, & de *papatu* contendentes, vel in *papatus* regimine notoriè delinquentes, quid præter sacrum Concilium generale ad semitas rationis vel reduxit vel potuisset reducere? Siquidem & in primitivâ Ecclesiâ, cum inter fideles quæstio fuisset exorta super sanguine suffocato cæterisq; cæremoniis Legis, beati Apostoli, quos tamen spiritus sanctus replebat, nullius ipsorum, sed neq; *Petri* judicium sententiæ Concilii generalis præferentes, ut omnis de medio *Christianorum* tolleretur divisionis occasio, mox sacrum generale Concilium celebrare voluerunt; cujus Concilii sententiam (ut habetur *Act.* 15.) beatus *Jacobus* pronuncians, *Visum est*, inquit, *Spiritui Sancto & nobis*: per hoc utique luculenter insinuando, quàm amplexanda, quàm fovenda, quàmque veneranda fuit à Regibus & Principibus universoq; populo *Christiano* generalium celebratio Conciliorum: quibus ritè celebratis Spiritus Sanctus sic assistit ut in ipsis eandem homines cum Spiritu sancto mereantur proferre sententiam; nec jam ibi sunt

homines

homines qui loquuntur, sed Spiritus sanctus qui loquitur in ipsis. Et ex causa fortassis potest contingere quòd licet plenitudo potestatis Ecclesiasticæ in summo Pontifice planè resideat; nullaq; sit viatrix creatura, quam * vicarius *Jesu Christi* sufficienter reformare deducereq; non valeat de virtute in virtutem, &c. Propterea in his quæ generalem populi *Christiani* in fide & moribus deformati concernunt *reformationem*, ad generale Concilium recurritur, quoniam cum Spiritum sanctum Conciliis generalibus ritè celebratis regulariter & infallibiliter assistere nemo fidelis ambigat, hoc ipsum Spiritu sancto per Salvatorem promittente, cum dixit, *Ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi:* &, *Ubi duo vel tres in nomine meo fuerint congregati, in medio eorum sum:* Ipsorum providè Conciliorum generalium definitiones, declarationes, condemnationes cæterasq; quascunq; ordinationes vel sententias tanquam regulas prorsus infallibiles, & non quasi ab hominibus, sed à Spiritu Sancto inspiratas & traditas Reges & Principes cunctiq; fideles recipiunt, eisq; longè libentius obsequuntur, quàm si similes aut fortè clariores ab homine peccabili, quanquam summo fungente sacerdotio, traderentur eis. Quia etiam in statutis per Concilia generalia editis Reges & Principes cunctiq; fideles *Christiani* præsentes virtualiter existunt & in eis consentiunt (nimirum cum legem quam homo tulerit, ipse pati debeat) ad obediendum statutis Conciliorum generalium Reges & Principes cæteriq; fideles faciliter inclinantur, nec eorum cujusquam ulla potest obrepere excusationis occasio, quominus fideliter & inviolabiliter ea teneantur adimplere. Et huic fundamento Catholico dudum forsan innitentes viri sancti tantam Conciliis generalibus reverentiam impendisse leguntur, ut etiam magnus ille *Augustinus* dicere non erubuerit, *Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ compelleret auctoritas:* Quo motivo fortassis etiam moti pariter & inducti nedum Græci sed pariter Hussistæ à suis erroribus & viis pessimis converti fortè recusant, donec sacrum generale Concilium celebretur, in quo Spiritus sanctus doceat eos omnem veritatem, & non quasi per homines, sed per Spiritum sanctum convicti, recognoscentesq; quàm turpiter deficiunt scrutantes scrutinio resipiscere compellantur, in laudemq; Concilii generalis perpetuò clamare non desinant, *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio Templi tui.* Quando ergo, beatissime pater, sacrum generale Concilium tantæ sit auctoritatis & efficaciæ, in tantamq; venerit apud omnes *Christicolas* venerationem, ut sine ipso vix credatur esse possibile illos qui sunt in sordibus errorum corruptorumq; morum non sordescere semper, per ipsum autem & in ipso sit fideles omnes confertim & efficaciter posse recipere pacem cum Deo, inter se reconciliationem, vitiorum & hæresum extirpationem fructiferam, desiderandam *Græcorum* cum *Latinis* unionem, nonne Rex noster *Christianissimus*, qui præcipuus inter omnes coætaneos suos Sacræ fidei sanctæq; matris Ecclesiæ pugil & defensor est constitutus, cuiq; (sicut loquitur Scriptura) *gladius in vindictam malorum, laudem verò bonorum, à Deo traditus* esse dinoscitur, ut has tantas divinæ dulcedinis benedictiones languidus *Christi* grex suscipiat, ut *unguentum istud pretiosum quod est in capite nedum in barbam Aaron, sed etiam in oram vestimenti* ejus celeriter descendat, festinam hujus sacri Concilii generalis celebrationem incessanter atq; viriliter procurare prosequiq; compellit, imò planè compellitur, & ad hoc ipsum habere manifestum interesse? Ipsumq; ad hoc ligatum esse prorsus & astrictum etiam per *motiva* quæ sequuntur, si ad plenum ea deducere fastidium non afferret, plenè demonstrabile est: quorum *motivorum primum* fundatur in fidelitate qua Rex ipse *Christianissimus* Ecclesiam Dei astringitur defensare; illis videlicet qui per errores & hæreses aliisve modis ipsam impugnant & lacerant, viriliter resistendo.

* Actum esset de Christianis, si non habuissent meliorem reformatorem Papâ.

Secundum motivum fundatur in honore seu reverentiâ, quem suis debet progenitoribus exhibere, per magnificum videlicet opus *Reformationis Ecclesiæ*; quod ipsi progenitores (prout toti mundo constat) cum indefessis laboribus & expensis ædificare cœperunt, ad perfectam consummationem deducendo.

Tertium fundatur in fideli custodiâ quam populis sibi commissis & subjectis tenetur ministrare; ipsos videlicet à schismaticis & hæreticis cæterisque lupis rapacibus solicitè defendendo.

Quartum fundatur in charitate seu benevolentiâ quam *Græcis* ac *Barbaris*, *Sapientibus* & *Insipientibus*, quibus *debitor est*, debet compendere; ipsas videlicet ad pacem & concordiam, piissimumq; sanctæ matris gremium diligenter reducendo.

Quintum fundatur in famæ propriæ custodiâ, quam obligatur pro viribus illæsam conservare; ipsam videlicet ab omni suspicionis sinistræ notâ sapienter præservando Et ut ex omnibus saltem ultima vel in parte declaratio dicta nostra verificet, Cum Rex noster *Christianissimus* à prosequutione celebrationis Concilii generalis, & in ipso

fiendæ

fiendæ reformationis desistendo, illam possit damnabilem omniumque punitione dignam incurrere notam fautoris deformationis Ecclesiæ, quia, secundum *Gregorium*; *Error cui non resistitur, approbatur* : Et, *Consentire est*, inquit *Bernardus*, *tacere, cum possis arguere*. Nonne ut suam famam gloriosam, illamq; *Galliam* inclytam, quæ, dicente *Hieronymo*, monstris semper caruit, ab hac execrabili favoris deformationis Ecclesiæ notâ, illæsam prorsus servet & immunem, ad prosequendam hanc festinam Concilii generalis celebrationem omni jure, divino & humano, ligatus esse censebitur & astrictus? Et vehementer quidem astrictus est, & si sic non faciat, vix à delicto maximo mundabitur; quoniam non solùm qui faciunt mala, sed qui facientibus consentiunt, ab Apostolo digni morte judicantur: Nec consequentia vel apparentia quicquam habet, si singuli Reges aut etiam congregati cum Deo *Abraham* principes populorum hanc Concilii generalis celebrationem fortè non quærerent, quòd propterea Rex noster non desistere debeat ab incœptis; quoniam nullum forsan in tota *Christianitate* regnum invenitur quod in vacantiarum solutione, in beneficiorum Ecclesiasticorum adeptione, in causarum beneficialium deductione tam enormiter & notoriè sicut Christianissimum obedientissimumq. *Franciæ* regnum deformetur lædaturque. Sed esto, his morbis particularibus absq; generali Concilio medela sufficiens valeat adhiberi. Si tamen (quod absit) adhuc omnes declinarent, & * deformando defectus notorios, quos circa fidem & mores patitur Ecclesia, nemo curaret, nonne propterea contra divinæ legis præceptum à Rege nostro turba est ad faciendum malum sequenda? Imò cordatus atq; magnanimus ille *Mattathias* & virorum illustrium catalogo justius inscribitur qui zelo divinæ legis succensus, 1 *Maccab.* 2. solus invenitur fidelius liberiusq; protulisse, *Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt ut discedat unusquisq; a servitute legis patrum suorum, ego & filii mei obediemus legi patrum nostrorum : propitius sit nobis Deus* : Si enim in Ecclesiæ Dei necessitatibus *Christianissimus Franciæ* & *Angliæ* Rex taceat atque dissimulet, in quem amodo suæ salutis anchoram figere poterit Ecclesia? Si statuta (haud dubium prorsus inviolabilia) sacri *Constantiensis* Concilii super Ecclesiæ Dei reformatione, *Græcorum* cum *Latinis* unione salubriter edita Rex noster, tanquam primogenitus sanctæ matris Ecclesiæ Rex, efficaciter observari primus & ante omnes fideliter non procuret, quis ex omnibus Christi fidelibus in hoc opere tam arduo justæ dissimulationis causas ad exemplar, ac per hoc, ad ignominiam Regis nostri, prætendere non poterit? Sed & Rege ipso dissimulante & usq; ad terminum in *Senensi* præfixum, Concilii generalis celebrationem expectante, postquam statutis Concilii *Constantiensis* super *Ecclesiæ Dei reformatione* salubriter editis, satisfactum esse non videt, magis autem ipsam Dei Ecclesiam continuè videt exponi periculis hæreticorum, periculis schismaticorum, periculis simoniacorum, periculis undiq; nunc insurgentium sectarum & hæresum, &, quod lamentabilius est periculis, pseudo-Christianorum per suos detestabiles corruptosq; mores ipsam Ecclesiam enormiter notoriè scandalizantium; nunquid * sanguinem & animas omnium Christianorum (præsertim sibi subditorum qui pendente tali expectatione prædictorum serpentium veneno pestifero læthaliter toxicabuntur) *de manu sua*, quemadmodum in *Ezechiele* scriptum est, exactissimè *requiret Omnipotens*? Sanè adversus Reges cæterosq; pastores & rectores populi Dei, qui pascunt semetipsos, gregem autem Dei commissum eis pascere non curant, horribiles formidandæque maledictiones per *Ezechielem* cæterosq; prophetas imprecantur promulganturque. Admirari providè nemo potest aut debet si Rex noster sic ligatus & astrictus hanc misericordiam festinam, videlicet sacri generalis Concilii celebrationem ferventissimè prosequatur & optet. Et profectò, beatissime pater, ni fallitur ipse Rex, ni fallantur cum ipso viri doctissimi multumq; per V. Sanctit. devotissimi, hâc misericordiâ nullum V. S. offerre potest Deo sacrificium acceptabilius; nullam populo Christiano vobis commisso gratiam conferre potestis ampliorem : sed & nulla laus durabilior, nullumq; magis perenne decus vestris operibus virtuosis potest retribui, quàm si diebus vestris Sanctam hanc Ecclesiæ Dei reformationem, Concilio *Constantiensis* solenniter promissam, concorditerq; per omnes nationes * in Concilio ad *Christum tunc quinquennium celebrando necessario fieri debere conclusam, adimplere mereritis in populo Dei. Si enim, ut ait Scriptura, homo alteri dare gloriam suam non debeat, quis vestram fideliter diligens sanctitatem, hanc Sanctam Ecclesiæ Dei reformationem, ex qua totius gloriæ vestræ summa dependet, quasi alteri reservandam ultrà, vel ad momentum differendam esse consuleret? Præsertim consideratâ hac Solomonis sententia durissimâ, *Eccles.* 9. quemlibet ex cultoribus vineæ Domini *Sabaoth* ad jugiter laborandum terribiliter incitantis, *Quodcunq;*, inquit, *potest manus tua facere, instanter operare; quia nec opus nec ratio, nec scientia nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.*

* decennium.

An

An cui homini, ut de sanctâ reformatione gloriam reportet, ad septennium vivere spospondit Altissimus? Sed & hominibus quotidie morientibus, & sub deformationis naufragio pereuntibus & perditis, quid proderit ad septennium, quantumlibet salubris, facta reformatio? Cur enim tantum fuit Ecclesiæ Dei unio desiderata? Aut etiam duobus gemellis in utero sacro *Rebeccæ* dudum collidentibus fœliciter expulsis, quid necesse fuit in *Constantiâ* concipere, quidve ibi nasci profuit, nisi ut festinanter redimi reformariq; proficeret? Itaq; tanta fuit à longævis temporibus in Christianitate morum deformitas, ut sacrum *Constantiense* Concilium ad Ecclesiæ Dei reformationem æque sicut ad sedationem nefandi schismatis celeriter congregatum necessarium extiterit. Quoniam autem extunc hominum malitia eousq; crevit continueq; crescit, & valde timendum sit ne in proximo Deum pœniteat hominem fecisse, quid superest, beatissime pater, si populus Christianus sacratissimo regimini vestro commissus paulisper adhuc reformatione caruerit, nisi quod ipso paulatim in vitiis & erroribus inevulsibiliter radicato, ad profundumq; peccatorum deveniente, tandem aliquando *Moysi* tarditas arguatur, & sicut *Exod.* 32. scriptum est, ipse populus adversus *Aaron* congregatus terribiliter vociferet, *Surgens fac nobis Deos qui nos præcedant; Moysi vero huic viro qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Annon, beatissime pater, securis ad radicem arboris status Ecclesiastici, ut omnino succidat & amputet, jam esse posita dinoscitur, ipsaq; arbor licèt grandis & ad cœlum usque pertingens, nedum in *Bohemiâ*, sed etiam in omni ferè Christianorum gente juxta parabolam, *Luc.* 14. script. tanquam *ficulnea prorsus inutilis frustraq; terram occupans, ad succidendum ejiciendumq; foras* publicè damnatur, nisi celeriter hunc tamdiu expectatum pariterq; * generalia Concilia promissum, sanctæ reformationis fructum salutiferum languescenti populo Dei efficaciter attulerit? *Lignum habet spem*, ait *Job*, *& si præcisum fuerit, rursum virescit & rami ejus pullulant:* Sed heu! præcisam (quod absit) subtractamve semel ab Ecclesiâ, eò quod seipsos & alios non reformant, temporalium viriditatem, quis eam ultrà pusillus aut magnus vel germinare vel fructificare conspiceret? O igitur fœlix fortunata progenies inclyta de *Columna*, cui certè similem in gloria *Roma* non habuit, si ex te natus beatissimus *papa Martinus*, sicut inveteratum schisma, quo nullum durius Ecclesiam attriverat, fœliciter terminando, ex omnibus Christi ovibus longè lateq; dispersis unum ovile facere & earum fieri meruerit unus pastor; ita per sanctam atq; *desideratam cunctis gentibus, Ecclesiæ Dei reformationem, quæ sunt in cœlis & in terra*, sicut loquitur Apostolus pacificus, omnia scandala tollere de regno Dei, *Hierusalem* quoq; matrem nostram rursus reponere, mereatur laudem primam in terra, quod utiq; si fiat & hæc misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te, celeriter impleatur, profectò neq; schismatici de *Pannicola* neq; *fratricelli* longævis temporibus se *papam* habere mentientes, sed neq; *Hussistæ* aliive forsan latentes, & his pejores hæretici, adversus Ecclesiam Dei prævalebunt; quæ per sanctam reformationem in fide & charitate firmiter radicata crescet amodo in templum sanctum in Domino, & erit semper habitaculum Dei. Hanc igitur misericordiam vestram, beatissime pater, festinam videlicet sacri Concilii celebrationem, & in ipso fiendam *Universalis Ecclesiæ Dei tam in capite quàm in membris reformationem*, propter prætactas ac alias multiplices rationabilesq; causas, opportuno tempore, si res id expostulaverit, propensius declarandas, Serenissimus ac Christianissimus, &c. Vestræ sanctitatis filius, per omnia devotissimus, supra nos, i. supra omnem populum Christianum, eum autem maximè qui suæ Regali custodiæ commissus est, summis affectibus fieri desiderans, per nos hic astantes suæ Regiæ celsitudinis Ambasiatores & nuncios ad beatos V. S. pedes provolutus, in spiritu humilitatis & in omni qua potest devotione & reverentiâ, per viscera misericordiæ *Jesu Christi*, qui vobis cæterisq; successoribus suis exemplum ut ita faciatis relinquens, non solùm per legatos & nuncios, sed etiam improperia laboresq; durissimos in proprio corpore subeundo, cunctaq; temporalia bona propter hoc postponendo, Ecclesiam suam sanctam, sponsam vestram, reformare dignatus est, benignissimæ sanctitati vestræ supplicat, ipsamq; suppliciter rogat & hortatur, ab eadem quoq; nihilominus instanter petit & requirit, quatenus sacrum generale Concilium, quod à fine Concilii *Senensis* novissimè celebrati venit ad septennium, in civitate *Basileâ* celebrandum, hinc ad annum vel citius, si V. sanctitatis citius id fieri videretur expedire, prædicti septennii terminum breviando, in dictâ civitate *Basilea* misericorditer celebrare dignemini: tunc quoq; ad dictam Civitatem *Basileensem* personaliter & in propria descendentes, vocatis sufficienter & tempore debito, vobiscumq; personaliter in dicta civitate *Basileensi* congregatis omnibus & singulis reverendissimis in Christo patribus & dominis, dominis sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalibus cæterisq; prælatis

prælatis & perſonis qui de jure vel conſuetudine Conciliis tenentur intereſſe generalibus, in eodem *Baſileenſi* Concilio univerſalem Eccleſiam Dei *tam in capite quam in membris* ſufficienter & efficaciter *reformare* ſimiliter dignemini, plebis veſtræ *Chriſtianæ* piis deſideriis atq; precibus devotiſſimis per hoc ſatisfacientes citius. Deformitates nimias & ob *defectum Reformationis* continuas lamentationes Rex noſter Chriſtianiſſimus ultrà ſuſtinere non valens, malenſque ſi fieri poſſit, ut in hoc exaudiri mereatur ſuos reformari ſubditos cum gladio ſpirituali, & per viros ſpirituales, quàm quòd propter hoc oporteat gladium in vaginâ repoſitum extrahi, ad veſtræ ſanctitatis clementiam, quæ ſupremum & fidele Chriſtianorum refugium eſt, in qua * totius humanæ ſalutis ſpes reponitur, cum his verbis clementibus & regiis feſtinanter atque ſapienter elegit occurrere, *Fiat ſuper nos, &c.* Eja igitur, beatiſſime pater, hujus tanti tamq; *Chriſtianiſſimi* in hac humili ſuâ petitione, propter Dei gloriam, veſtri nominis exaltationem, populi quoq; *Chriſtiani* ab omnibus quas patitur deformitatibus liberationem, nihil aliq; quæritantis, veſtra benignitas, pie ſupplicamus, orationes exaudiat, nec nos deſerat in tempore malo: miſerere domine plebi tuæ quæ te per annos ultra 40. patienter expectavit; à Deo ſiquidem prædeſtinatum & electum, ut ſedato diro ſchiſmate * perfectam reformationem, eſſes brachium noſtrum in mane & * ſalus in tempore tribulationis. Aperiant viſcera miſericordiæ veſtræ, beatiſſime pater, preces parvulorum, ad pedes Sanctitatis veſtræ ſanctæ Reformationis panem erogari ſibi flagitantium; & ne fortè (quod abſit) nobis etiam videntibus & lugentibus, veniant *gentes* in hæreditatem tuam, polluant templum ſanctum tuum, ponant *Hieruſalem* in pomorum cuſtodiam, ne rurſus nos apprehendant illa grandia ſcandala, gravia pericula pariter & mala quæ Regi noſtro *Chriſtianiſſimo* verſimiliter & valdè breviter in Eccleſiam Dei videntur eſſe ventura, ſi quo minus totiens petitum totienſq; promiſſum ſacrum generale Concilium in quo Eccleſiæ Dei Reformatio ſufficienter & plenè fiat, celeriter celebretur. Sed & ad ſalvandum populum veſtrum & benedicendum hæreditati veſtræ, veſtram, beatiſſime pater, rurſus devotiſſimè ſupplicamus, moveant pietatem.

* Bone Deus, quantum cæcutiit iſta ætas!

Modus petendi dulcis & conveniens quo ipſe Rex ſanctitatem veſtram alloquitur; *Fiat*, inquit, *Res ipſa deſiderabilis multum*, quia Deo placens, quæ à vobis exigitur, *miſericordia.*

Anxietas vehementer urgens, qua tota Chriſtianitas opprimitur. *Nos.*

Poteſtas, ad omnia ſufficiens vobis à Deo collata, cui totus mundus innititur; *ideo ſperavimus in te. In te, inquit: Speravimus,* ait Rex; Beatiſſime pater, quia te credimus & veraciter confitemur eſſe verum Salvatoris noſtri *vicarium*, qui ſperantes in ſe ſemper conſolatur & ſalvat, & confugientes ad ipſum, vacuas nunquam remiſit nec amovit manum ſuam à genere ſuo; qui tantam in hominum reformatione capit complacentiam, ut populi Dei ſalutem & reformationem procurans, quod diu cum hominibus fuerit converſatus, docere, orare, prædicare, diſcurrendoq; per regiones & caſtella, pœnas amariſſimas ſubire nunquam ceſſavit; etiam patenter aſſeverans ſe non eſſe miſſum niſi ad reformandum & ſalvandum oves, quæ perierant domûs *Iſrael*: tandem quoq; venturus ut reformet *Corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, reformatoſque abſque ulla corporis & animæ deformitate in illa cœleſti *Hieruſalem*, quæ non habet maculam neque rugam, cum ipſo regnare nos faciat in ſecula ſeculorum. *Amen.*

Hæc autem omnia, beatiſſime pater, quæ à meipſo non ſum loquutus, ſed de mandato & ordinatione ſæpedicti Chriſtianiſſimi Principis, Domini noſtri *Franciæ & Angliæ* Regis per me dicta ſunt & prolata, omnimodæ correctioni atque benigniſſimæ ſupportationi Veſtræ Sanctitatis humiliter ſubmitto; ſupplicans dominis Collegis & *coambaſiatoribus* meis, ut ſi plus minuſve protulerim quàm *Inſtructiones* meæ contineant, quatenus imperfectum meum feſtinanter corrigere & benigniter emendare velint.

Et quia, beatiſſime pater, ſæpedictus *Chriſtianiſſimus*, &c. ad ſingula quæ proſperum & fœlicem Sanctæ matris Eccleſiæ ſtatum, veſtræ quoque Sanct. ſalvum concernunt & honorem, animum affectione ſinceriſſimâ plenum..... gerit & habet, & pro reducendo ſanctam Eccleſiam ad ſtatum honoris & honeſtatis, laboribus & expenſis omnino parcere non volens, conſtanter diſpoſuerit & intendat, mox motivo ſuper his accepto, à V. Sanctitate reſponſo, in agendis ſuis taliter diſponere, quòd, ſibi dextra Dei propitiante ſemper in Sacro generali Concilio quod ſua Serenitas hinc ad annum vel citius ſi vobis videbitur expedire, in civitate *Baſileenſi* petit celebrari, per ſuos ſolennes oratores & nuncios comparere non omittet; facietque ut ſubditi ſui, quemadmodum ad hoc tenentur, ſufficienter vadant & mittant. Veſtræ proinde Sanctitati

ctitati beatissimæ rursus humiliter supplicat, quatenus per nos hic astantes, suæ Regiæ celsitudinis Ambasiatores, eadem sanctitas vestra sibi celeriter super dicti celebratione Concilii & in ipso fienda Ecclesiæ Dei reformatione, suam dignetur remandare sanctissimam intentionem; pro qua verisimiliter & nos, prædicti Domini nostri Regis vice ac nomine, humiliter & devotè supplicamus.

Explicit Propositio super acceleratione generalis Concilii pro reformatione Ecclesiæ, &c. pro parte Christianissimi Principis, Franciæ *&* Angliæ *Regis, coram beatissimo papâ* Martino *quinto, per Abbatem* Ursicampi *facta A. D.* M. CCCC. XXV. *die 27. mensis Novembris.*

¶ Deinde folio 84. ejusdem MS[i]. b. sequitur

Collatio ejusdem Abbatis habita ad Collegium Cardinalium.

REverendissimi in *Christo* patres & Domini, Sermones & credentiam vestram expressurus quas Serenissimus atque Christianissimus Princeps Dominus *Henricus* Dei gratiâ, &c. per nos hic astantes, &c. nuncios & vestras Reverendissimas paternitates destinat & dirigit verbum illud scriptum ad *Ephes.* 3. arbitratus sum esse præmittendum; per quod olim beatus Apostolus ad Ecclesiæ Dei multiplicationem & exaltationem fideliter laborans ipsos *Ephesios* in auxilium sibi convenienter advocavit, *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.* Itaque Reverendissimi patres, ineffabilis Dei providentia, per quam in fines sibi debitos & convenientes, creaturæ singulæ sapienter diriguntur, in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, membra diversa diversis actibus & officiis insignita constituit, ipsaque de se invicem sic voluit esse solicita, ut indigentia cujuslibet membri per opus alterius membri sublevetur, nullumq; reperiatur in Ecclesiâ Dei membrum indigens, cui per aliorum superabundantiam non valeat subveniri. Unde sicut anima una vegetat atq; vivificat unum corpus hominis cuilibet membro vim & inclinationem alteri membro subveniendi tribuens, atq; communicans; ita Spiritus Sanctus omnia membra corporis, quod est Ecclesia, continens & vegetans quodlibet Ecclesiæ Dei membrum incitat & pulsat ut alteri membro serviat & ministret; inutilia videlicet ab ipso repellendo & proficua sibi conferendo; quemadmodum *Galatas* sibi fecisse testatur Apostolus ad *Gal.* 4. cum dicit, *Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi.* Et sicut in corporali oculus non solum videt pro se, sed pro toto corpore singulisq; membris videt, actumque videndi qui est in eo, formaliter toti corpori cuilibetq; membro utiliter communicat; ita in corpore mystico, quod est Ecclesia, quodlibet membrum omne donum quod à *Patre luminum* formaliter accepit, toti corpori singulisq; membris Ecclesiæ illa lege divinâ communicare compellitur, qua cuilibet fideli præceptum est, *ut solicitus sit servare unitatem spiritus in vinculo pacis:* Et hæc omnia pulchrè profundéque deducens Apostolus ad *Ephes.* 4. & 1 *Cor.* 12. postquam officia diversa distinxit, quæ diversis Ecclesiæ membris donavit Omnipotens, *Nominando quosdam Apostolos, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, tandem concludens qualem inter se Ecclesiæ Dei membra, *Si gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra.* Quia igitur, Reverendissimi patres & domini, Deus Omnipotens, cujus providentia in rerum dispositione non fallitur, vos in Ecclesiæ suæ columnas firmissimas, membraque eousque nobilissima dignatus est erigere, ut nedum in partem solicitudinis, sed etiam in sponsæ *Christi* paranymphos atq; peculiares custodes assumptos esse; propterea quòd & vocamini cardines orbis, mundi lumina, jubar Ecclesiæ, spes fidelium, sal terræ, sapientiæ thesauri, perfectionis apices, supereminentes omnium virtutum apothecæ; nimirum quodlibet Ecclesiæ Dei membrum pro succursu, pro remedio, pro juvamine, sufficientique suffragio in suis tribulationibus mox obtinendo, ad hunc vestrum sacrum celeberrimumque cœtum festinanter confidenterq; recurrens, vestræ pietatis viscera his Apostolicis satagit aperire clamoribus, *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis*

meis pro vobis, quæ est gloria vestra: Et cum illius esse veri successores arbitremini qui nequaquam mentiebatur cum dicebat, instantia mea, *Quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum*, tanto confidentius ad vos recurritur, quanto plenius agitur de materiâ quæ necessitates & salutem omnium Ecclesiarum; imò totius sanctæ matris Ecclesiæ concernit & aperit. Et hanc utique Catholicam & Apostolicam sequi desiderans & volens regulam atque doctrinam Serenissimus, &c. cum tribulationibus & angustiis internaque cordis amaritudine, propterea non ad mensuram sic repletus, quia continuè videt & audit statum miserabilem, ad quem ob defectum Reformationis Ecclesiæ, tota *Christianitas* nedum in *Bohemiâ* sed etiam in omni ferè Christianorum gente lamentabiliter est reducta, ut vos tanquam Ecclesiæ Dei membra verissima sibi suisque populis & subditis efficaciter compatiamini; sanctam videlicet atque desideratam cunctis gentibus Ecclesiæ Dei Reformationem ipsis celeriter procurando, per hæc Apostolica verba Vestras Reverendissimas Paternitates salubriter elegit & optat misericorditer excitari, *Peto ne deficiatis, &c.* Nec grandi recolendoque jugiter vacat mysterio quod dicitur [*pro vobis, quæ est gloria vestra*] quia si per Sanctam reformationem vestra mater Ecclesia ad statum honoris & honestatis, prout omnino necesse est, celeriter deducatur, id maximè pro vobis esse, in vestram quoque longè magis quàm in hominum quorumcumque gloriam patenter cedere Rex ipse Christianissimus non diffidit; quemadmodum vestrum honorem, vestram bonam famam, vestras operationes virtuosas secundum ipsum nil amplius labefactat & deprimit, nilque statum Ecclesiasticum, in quo præestis emeriti, periculis desolationis irreparabilisque jacturæ tantum videtur exponere, sicut Ecclesiæ Dei deformatio, si paulisper adhuc continuetur & invalescat. Si enim, ut ait Scriptura, cui plus [datur] plus ab eo exigitur, cum in Ecclesiâ Dei tantas tamq; singulares obtineatis prærogativas, ut in signum quod totius Ecclesiæ regiminis sive bona sive mala dispositio ex vobis maximè dependet, summo Pontifici semper assistatis, summum Pontificem eligatis, Christianos omnes præter admodum paucos, in sedibus & honoribus præcedatis, quid superest, si paulisper adhuc talentum vobis commissum nummulariis supererogare protelantes, Christianissimo Regi nostro ad hoc sanctissimum opus Reformationis Ecclesiæ collaborare defeceritis, nisi quòd summus Paterfamilias talentum ab eo commissum regulariter cum usurâ repetens & exigens, si talentum circa regimen Universalis Ecclesiæ vobis commissum, multiplicatum ad usuram non invenerit, magis autem invenerit pauperes Christi oviculas sub virgâ vestrâ periisse; quid, inquam, superest nisi quòd furore suo corripiens & arguens, talentum vobis istud commissum quod in sudario tenueritis repositum, etiam & illud quod non habetis, crudeliter à vobis reposcat & auferat eique tradat qui circa sanctam reformationem viriliter laborando, vel duo vel quinque talenta super lucro meruerit. Et hæc grandia scandala aliaq; plurima pericula pariter & mala, quæ nedum Regi nostro, sed etiam ferè toti mundo versimiliter & valdè breviter in Ecclesiam Dei videntur esse ventura, nisi generale Concilium, in quo ipsius *Ecclesiæ Reformatio tam in capite quàm in membris* sufficienter & plenè fiat, celeriter celebretur. Mente Compassivâ Rex noster, &c. Considerans prædecessorum suorum clarissimorum *Franciæ* & *Angliæ* Regum, qui Ecclesiæ Dei necessitatibus nunquam defuerunt, vestigia salubriter imitando, his tantis Ecclesiæ malis efficaciter occurrere, seque & omnia quæ possidet & habet exponere pro domo Dei, quæ est gloria vestra, summis affectibus disposuit & festinat. Et jam sicut nuper vidistis & audistis, ob hanc causam ad sanctissimum dominum nostrum, summum Pontificem sua Regia Majestas specialiter nos transmisit, ejusdem sanctissimi domini nostri Sanctitatem per * vos humiliter exhortans & requirens quantocyus sacrum generale Concilium quod à fine Concilii *Senensis* novissimè celebrati venit ad septennium in civitate *Basileensi* celebrandum, hinc ad annum vel citius, si suæ sanctitati id citius fieri videretur expedire, prædicti septennii terminum breviando, in dicta civitate *Basileensi* personaliter celebrare, in eodemq; *Basileensi* Concilio Universalem Ecclesiam Dei tam in capite quàm in membris, sufficienter & efficaciter reformare dignetur & velit. Et Reverendissimi patres & domini, iste conscriptus, iste venerandus & per omnia Deo amabilis tantorum patrum cœtus vester omnia præter in eo qui semper confortat, *Christo*. Sed & nulli dubium est si *habueritis fidem ut granum sinapis*, & sicut scriptum, *Matt.* 17. *Si dixeritis huic monti*, i. deformationi Ecclesiæ, *transi hinc*, quin confestim evanescat & transeat. & nihil vobis erit impossibile. Ad vestras proinde Reverendiss. paternitates, ut per medium ipsarum hanc benedictam Reformationem, quæ (haud dubium) est gloria vestra, mundus, prout semper optavit & clamavit, festinanter suscipiet, Rex ipse Christianissimus nos hic astantes suæ Regiæ celsitudinis oratores & nuncios festinanter confidenterque transmisit; easdem paterni-

paternitates Reverendissimas affectu sincero & exhortans ac instanter requirens, quatenus per id quod in Vobis est, & quemadmodum ad hoc obligamini, diligentiam & operam velitis efficacem adhibere, quòd hinc ad annum vel citius, si id fieri citius Sanctitati Domini nostri videretur expedire, in dicta civitate *Basileensi* Concilium generale, in quo *Ecclesiæ Dei Reformatio tam in capite quàm in membris* efficaciter & plenè fiat, celebretur: Tunc etiam propter hoc specialiter ad dictam civitatem *Basileensem* cum sanctissimo domino nostro omnes & singuli personaliter descendentes; sed ad hæc fœliciter modisque prædictis peragenda, Sanctitatem domini nostri Summi Pontificis viis omnibus vobis possibilibus ac accommodis & honestis inducere dignemini, gloriam perennem laudesque prorsus indelebiles, gratiam quoq; permaximam apud hunc tantum tamque *Christianissimum* Regem, qui pro vobis & ad gloriam vestram in hac re tam fideliter atque solicitè laborat, inde reportaturi; ab Omnipotenti quoq; Deo laborum vestrorum illos fructus gloriosos tandem recepturi; quorum fœlix adoptio, ut ait *Augustinus*, est omnium fidelium vera merces; Deum videlicet semper videre facialiter, ipsoque perenniter beatificè perfrui in secula seculorum.

Explicit Collatio ejus cujus suprà habita ad Collegium Cardinalium.

Propositio M. Willielmi Sulbury *Abbatis* Belli-loci *ad Papam* Martinum 5. *pro acceleratione futuri Concilii.*

BEatissime pater, consideranti in tenebris deformationis deterrimæ, quibus diu involuta jacuit sancta mater Ecclesia, advertentique quomodo Sanctitas Vestra lucerna est ardens & lucens, posita supra Candelabrum Apostolicæ præeminentiæ, ut luceat omnibus qui in domo sunt, *Jo.* 5. & tandem cupienti ex animo ut ipsa sacrosancta mater Ecclesia, vitiorum tenebris effugatis, in lucem respiceret gratiæ & pristinæ honestatis, occurrunt verba supplicatoria, dicta per prophetam, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, Ps.* 42. Lux enim, juxta *Dionysium*, tres habet actus hierarchicos: Nam purgat, perficit & illuminat: Purgat fœtida, illuminat media disposita, & perficit diaphana sive clara! Pariformiter Sanctitati vestræ convenit, beatissime pater, purgare vitiosos per morum reformationem, & virtuosos perficere, ut in* lumine vestro videntes lumen, de virtute gradiantur in virtutem ad videndum Deum deorum, in Sion. Ad hunc, beatissime pater, triplicem lucis actum, *Emitte nunc lucem tuam & veritatem tuam:* Trifario namque tenebrarum incommodo jamdudum subjacuit Ecclesia sancrosancta; *tenebris* videlicet *Schismaticæ dissensionis, tenebris hæreticæ dogmatizationis* & *tenebris perversæ conversationis.* Verùm primas tenebras fœliciter tulit è medio sacrosancta Synodus *Constantiensis*, quando per electionem unanimam triplicis obedientiæ vestram dedit sanctitatem Deus in * lucem gentium, *Isa.* 49. ut pro cantico tripudii decantare possit Ecclesia, Tenebræ jam transierunt schismatis & desolationis, & verum lumen jam lucet in unitate Pastoris: Nam Pontifex factus in æternum, Altissimi Patris Filius pacificus, Rex & Præsul triumphantis Ecclesiæ, militantisq; salus indeficiens hierarchiæ, licèt ex occulta sui profunditate judicii variis ad tempus schismatum flagellis, maxillas militantis Ecclesiæ ubertate fletuum, permiserat irrorari: veluti tamen pia mater diu deflentem filium ad ubera maternalis revocans solatii, tempore filium placat, dum in electione concordi, schismatis viæ divisionem terminavit, ad pacis visum Ecclesiam provocavit, post irriguos, quos effudit, rivulos lachrymarum. Sic populus *Christianus* qui ambulabat in tenebris Schismatis, lucem magnam vidit unitatis: sic habitantibus in regione umbræ mortis feræ dissensionis, lux unitatis orta est eis, *Isai.* 9. Secundas tenebras, hæreticæ sc. dogmatizationis, quamvis partim fugaverat eadem sancta Synodus, dum contra hæreticos, *Johannem* viz. *Huss* & *Hieronymum* de *Pragâ*, quos meritò absumpsit ignis, egrediebantur quasi lux judicia ejus, *Oseæ* 6. propter tamen reformationis debitæ diutinam dilationem, in diversis mundi partibus errorum succrescunt nubeculæ, dum *iste* prædicat *quòd oratio peccatorum non plus valet quàm mugitus boum*; ille, *quòd decima sint puræ eleemosynæ*; iste, *quòd decimæ personales de lege Divinâ non debentur ex præcepto*; ille, *quòd licet Christianis hujusmodi decimas suas conferre cuicunque pro suæ libitu voluntatis.* Sic tenebræ opprimunt terram Ecclesiæ, & caligo falsæ doctrinæ populos, *Isai.* 60. Sic à fide deviantes ambulant in tenebris; & nedum movere, imò

ſubruere moliuntur omnia ſundamenta terræ, Eccleſiæ ſc. Sacroſanctæ. Tales itaque errorum turbines caliginoſi per miniſtros principis tenebrarum hodie in populo, niſi celeriter occurratur remedio, nubem facient magnam, ac tenebroſam, & obtenebrata erit lux fidei à caligine ejus. *Iſai.* 9. Emitte igitur, pater beatiſſime, ſagittas tuas, & diſſipabis eos in Spiritu, ut in luce Sagittarum tuarum & in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ penitus extirpentur. *Abacuc.* 3. Nec unius tertiæ tenebræ, perverſæ ſc. converſationis, obfuſcant hodie faciem Eccleſiæ, quæ radiis Reformationis debitæ hucuſque remanent effugandæ. *Aſpexi*, inquit propheta, *Cælos, & non erat lux in eis*, quia dum in clericis & prælatis, qui *Cæli* nomine deſignantur, lux deficit exemplaris Sanctitatis, quid remanet in terrenis poteſtatibus niſi vacuitas boni operis? *Triplici* namq; *tenebrâ* tota confunditur Eccleſia; *Faſtu ſuperbiæ & elationis*; *malo ſimoniacæ ambitionis*, & *luxu fornicariæ converſationis*. Ob elationis faſtum peſſimum timendum eſt, quod *computreſcere faciet Dominus ſuperbiam Hieruſalem multam*, Jerem. 13. Propter Simoniacæ ambitionis malum de Eccleſia conqueritur propheta; *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt ſanctum Templum tuum.* Et propter fornicariæ converſationis luxum, fortem, validum & omne robur, conſiliarium & ſapientem [auferet Dominus] & quòd *Fœminati dominantur in eâ.* Iſai. 3. Propter hoc enim peccata noſtra exitium; & populus tuus, Domine, fuit in opprobrium cunctis gentibus; quum harum tenebrarum caligine facies *Chriſti* ſponſæ, quam olim ſine ruga vel macula ſibi deſponſaverat, adeo denigratur, quòd ab ejus reverentiâ & amore ſeculi Principes & potentes meritò retrahuntur. Sperabant enim Principes *Chriſtiani*, quòd redintegrata Eccleſiâ per *Capitis* unionem, ſequeretur *perfecta Reformatio* & *Capitis* & *membrorum*, juxta quod promiſſum fuerat, imò decretum in Concilio *Conſtantienſi*. Unde non tam *pro unione* quàm *Eccleſiæ Reformatione* gravibus ſumptibus & expenſis ſuos ſolennes *Ambaſiatores* ad idem Concilium direxerunt. Sed dum nec in ſæpedicto Concilio *Conſtantienſi* nec in ſequenti *Papiæ* inceperit, & ſecus terminato citra reformationem hujuſmodi quicquid exiſtit demandatum de & ſuper reformatione fienda in poſterum, pene coguntur in deſperationis abyſſum: quamobrém & conquerendo lamentabiliter, dicunt cum prophetâ, *Expectamus lucem, & Ecce tenebræ*; *ſplendorem, & in tenebris ambulamus.* Iſai. 7. Et eo magis ſpes eorum dilata affligit animum, quò Reformationem neglectam per *quinquennium*, jam audiunt ulterius prorogatam in *ſeptennium.* Revera, *pater beatiſſime, niſi ſalubri & celeri occurratur remedio, timendum quod in brevi Reformationem, quam negligit Eccleſia, in ejus defectu perficiet* * *ſecularis potentia, & morum correctionem, quam diſſimulat Eccleſia facere per ſe, & voluntariè, à brachio ſeculari patiatur invitè.*

* Næ hic erat homo prudens & honeſtus: plus vidit quam totus Papatus.

Iſta conſiderans, beatiſſime Pater, veſtræ ſanctitatis devotiſſimus filius, ſereniſſimus Princeps, &c. qui ab innata ſibi progenitorum ſuorum hoc traxit nobilitate, ut apoſtolatûs veſtri culmen ſanctiſſimum ſummo ſemper coleret cum honore, & ſanctam Romanam Eccleſiam ſumma cum devotione veneraretur ut matrem, ex adviſamento & deliberatione ſui Conſilii præmaturâ hunc magnificum militem & me utique tali legatione immeritum. ſuæ ſerenitatis Ambaſiatores veſtræ ſanctitatis conſpectui præſentari, ad eandem ſanctitatem V. exhortandam, & quatenus opus eſſet humiliter requirendam, ſicuti pro parte ipſius ſereniſſimi Principis & metuendiſſimi domini noſtri: ac de ejus mandato eandem ſanctitatem veſtram hortamur in Domino, humiliter requirentes, quatenus ad evitandum univerſalis Eccleſiæ commune diſpendium, & ad obſtruenda ora loquentium iniqua. dignetur eadem ſanctitas V. ſervando locum pro proximè futuro celebrando Concilio præfixum, abbreviare terminum ad annum vel infra ab hujuſmodi noſtrâ exhortatione & requiſitione ſanctitati veſtræ, ut præmittitur, factis, & ad illud unà cum Collegio venerabilium dominorum, Cardinalium *Romanæ* Eccleſiæ, qui circa Sanctitatem veſtram ambulant ut filii lucis, etiam in perſonis deſcendere, & effectualiter Reformationi Eccleſiæ Dei intendere dignetur veſtra Apoſtolica celſitudo; ut ſic ſancta mater Eccleſia malis & anguſtiis quibus òbſita noſcitur, reddatur Deo magis placabilis & accepta. Et quanquam hæc noſtra legatio *aliquibus* forſan videatur *minus grata*; conſideratâ tamen piâ intentione ex qua procedit, meritò debet acceptari: procedit enim ex devotione, ex affectione, ex bono zelo quem ex deliberatione Conſilii ſui præmaturâ habet idem metuendiſſimus Dominus noſter ad ſanctitatem veſtram & *Romanam* Eccleſiam. Eſtne juſtum, eſtne ſanctum, eſtne juri Divino & humano conſonum, quòd Eccleſia reformetur? Eſtne convenientius, & authoritati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ magis accommodum quòd ſanctitas veſtra, quæ caput dinoſcitur omnium Eccleſiarum & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt omnium Eccleſiarum Domina & magiſtra, cum aliis prælatis in Concilio generali congregandis, hujuſmodi faciat Reformationem, quàm quòd in ejus defectu, eam uſurpet poteſtas

poteſtas ſecularis? Quæ cauſa, ſi placet, ſubverſionis Eccleſiæ in partibus *Bohemiæ* (quæ modò receſſit ab obedientiâ; &, ut aſſeritur, pro ſui magnâ parte paganizat) nonne Reformationis dilatio pro tempore opportuno? Revera, beatiſſime pater, conſimilis Eccleſiæ ſubverſio in aliis mundi partibus à veriſimili formidatur, ſi non ſalubri & celeri occurratur remedio. Et quibus imputabitur, ſi ab allophylis Arca Dei capiatur, ſi à laicis Eccleſia Dei conculcetur? ſi igitur vileſcant ſacramenta, ſi *Malchus* in *Chriſtum*, ſi *Phaſſur* in *Jeremiam*, ſi *Balthaſar* in vaſa Dei, manus extendat ſacrilegas; nonne propter Reformationis deflendam dilationem ſanctitatis veſtræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ? Igitur, beatiſſime pater, ſi his noſtris *exhortationi* & *requiſitioni* pro parte ipſius Chriſtianiſſimi Principis & sereniſſimi Domini noſtri ſanctitati veſtræ ſic humiliter factis, dignetur eadem ſanctitas pium & benevolum accommodare aſſenſum; de quo petimus in ſcriptis certiorari. Idem beatitudinis veſtræ filii ſereniſſimus Princeps, metuendiſſimus dominus noſter, ad eoſdem locum & terminum, ſuos ſolennes mittere curabit Ambaſiatores; qui bene cum aliis *Chriſtianorum* Regum & Principum Ambaſiatoribus in Reformationem Eccleſiæ, veſtræ ſinceriter cooperabuntur ſanctitati, ad Eccleſiæ univerſalis communem utilitatem veſtri nominis gloriam, ac ipſius laudem & honorem, qui juxta Apoſtoli teſtimonium, lux eſt per eſſentiam, & *lucem inhabitat inacceſſibilem*; cui ſit honor & imperium per infinita ſecula ſeculorum.

Explicit Propoſitio Magiſtri Willielmi Sulbury, Abbatis Belli-loci, propoſita Romæ beatiſſimo patri noſtro Martino V. ſuper acceleratione futuri generalis Concilii, A. D. M. CCCC. XXV. 27. die Novembris.

His lectis, nullus dubito, Lector, tibi abunde ſatisfactum eſſe de neceſſitate Reformationis Eccleſiæ *ante 264 annos, & de magno deſiderio Regis noſtri per oratores ſuos* Gallicos *ſignificato, ut quàm citiſſimè ea fieret per Concilium Baſileenſe. Non ſolùm ſtatus Eccleſiæ Anglicanæ ſed & Gallicanæ ex hiſce ſcriptis innoteſcit: de utriuſque enim vitiis apertiſſimè per Legatos Rex noſter queritur & remedium à Pontifice, Regio more, poſtulat. Accipe quæ tibi nunc damus hilari fronte; acuent tibi, ſpero, appetitum videndi quid porrò actum fuerit in hoc, quod tantum deſideratum eſt, Concilio, & optandi ſimul ut quod ab iſto tempore neglectum fuit, aut imperfectius præſtitum, tandem aliquando omnium* Chriſtianorum *bono abſolutiſſimè fiat.*

Priuſquam autem te accingas ad Concilii Baſileenſis *hiſtoriam legendam, liceat mihi cum pace tuâ te etiam alia aliqua monere de cæteris* Faſciculi & Appendicis *partibus, quæ tuâ refert ſcire, niſi jamjam ea ſciveris.*

De binis literis Juliani *Cardinalis, quæ proximè ſequuntur* Sylvii ſcripta, *omnino tibi conſulendus eſt* Edmundus Richerius, pag. 54. libri tertii Hiſt. Concilior. general. Editionis memoratæ: *ubi poſtquam eas verbatim deſcripſerat, ſicut hic extant, ſuper eis ſolidè & doctè commentatur, eaque prodit quæ neminem latere debent.*

Deinde Appellatio *iſta (quæ eas ſequitur)* Pariſienſis *apud eundem* Richerium *extat, lib. 4. part. 2. ejuſdem Hiſtoriæ pag. 44. multò (ut ait ille) correctior quàm hic: (quod ſerò novi) apud quem extant etiam alia hujuſmodi inſtrumenta Eccleſiæ* Gallicanæ *libertatem aſtruentia, & Academiæ* Pariſienſis *παρρησίαν laudandam teſtantia.*

Orationes *iſtæ duæ quæ hanc ſequuntur, extant etiam* in tomo ſecundo Scriptorum Germanicorum à Marquardo Frehero editorum Francof. 1600. pag. 391. &c.

Eas autem debuiſſet præcedere, Reſponſio Principum Germaniæ data Reverendiſſimis dominis, legatis Leonis X. Papæ & cæteris oratoribus in Auguſtâ Vindelicorum, A. D. 1518. *per eruditiſſimum virum dominum* Richardum Bartholinum Peruſinum, *capellanum Cardinalis* Gurcenſis; *cujus multa ſunt opuſcula in illa collectione Scriptorum Germ. quæ edidit* Freherus; *ſed de hac* reſponſo *ne gru quidem; neque in* Sleidano *vel minima ejus mentio, nec in quolibet quidem alio iſtius temporis hiſtorico, quod hactenus videre potui: & cum tota res non multum occupabit ſpatii, & ſcitu non minus digna eſt quàm rara, hîc capeſſat locum; ne nunquam poſthac antiqua hæc & lacera ſcheda* [impreſſa] *conſpiciatur.*

Reſponſio

Responsio quam in Romani *Imperii Comitiis*, Augustæ Vindelicorum *habitis*, *Principes* Germaniæ *dederunt Reverendissimo domino* Thomæ *de* Vio Cajetano,* *ordinis* Prædicatorum, *Cardinali. TT.* S. Sixti, *Legato apostolico, & cæteris Oratoribus*, decimas *à sacerdotibus*, *à laicis* vigesimas *ac* quinquagesimas *pro bello contra* Turcas *suscipiendo*, *petentibus aut exigendas suadentibus*, *Anno* M. D. XVIII. *Ex libello domini* Richardi Bartholini Perusini.

INgressus est *Augustam* Cardinalis *S. Sixti*, *Persica*, ut Legatum decebat, pompâ: quippe qui vel Romam reverti, vel Cæsare ac cæteris principibus obviam euntibus, ingredi *Augustam* volebat.

Ut Pontificii tandem audirentur in senatu Principum, conventus habitus est. Legati deinde illuc profecti sunt, excepti in altera porta curiæ à *Marquardo von Stain* Præposito *Bambergensi*, viro gravi & cordato, qui Cæsaris locum tenebat, à Cardinali *Maguntino* ac cæteris principibus. Et primo literæ & diplomata apostolica recitata, quibus Pont. Max. Principibus *Germanis* significabat; quo in periculo Resp. *Christiana* posita erat, & propterea opus esse tantorum Principum auxilio. Hortabatur præterea ipsos, ut cùm sint potentissimi, & magna de eorum potentia spes ab omnibus concepta sit, velint suam ipsorum gloriam, ac utilitatem Reip. *Christianæ* respicere. Multaque cum in hanc sententiam recitata fuissent, Cardinalis *S. Sixti* orationem habuit ad Principes satis cultam, & rei accommodatam: qua quidem, captatâ prius ab eis benevolentiâ, cum se * bonos nuncios fore diceret, causam exposuit, quamobrem venerint: scilicet, quòd periculum immineret nomini *Christiano*. Probavit autem à victoriis, nuper à sævissima *Turcarum* gente habitis. Argumenta etiam sumpsit à discordiis nostris, hortatusque est, ut expeditionem contra fidei hostes sumerent, cum multo potior inferentis, quàm propulsantis bellum, ratio sit. Quod quidem & velle debere, & posse, probavit ab honesto, ab utilitate, à religione: item à potentia, à fortitudine, à disciplinâ militari. Addiditque non sine infamiâ eos posse huic rei deficere, cum tota *Christianitas* ex præsenti pendeat conventu. Item usus est & paradigmatis Imperatorum *Henrici* & *Othonis*, qui *Christianum* nomen sæpissime oppressum, liberarunt: & quo *Germania Turcis* quàm *Italia* propinquior est, eo majorem dandam operam esse, & acrius invigilandum, ut non solùm sibi, sed etiam communi commodo & utilitati consulerent. In fine, ad concordiam, Pontificis Max. nomine, bonis & efficacibus verbis hortatus est.

Literæ Pontificis.

Oratio Cardinalis S. Sixti.

* Vid initium Orationis Legator.

Principes.

Principes cum paululum consultavissent, responderunt se voluntatem sanctissimi domini nostri, & per diploma jam lectum, & per orationem Reverendiss. Legati concinnam & ornatam intellexisse: quodque super hujusmodi negotio secretius & maturius consilium essent habituri. Tamen quod Reverendiss. Legati Pontifici Max. illud de Principibus *Germaniæ* polliceri possent, quod sanctitati suæ ad defensionem, & incrementum *Christiani* nominis videretur. Nam quantum ad hanc provinciam attineret, nunquam essent defuturi. Brevique sese responsum de omnibus daturos.

Leodiensium sacerdotum Orator.

Nonnullis ergo elapsis diebus, cum Principes quid Legatis respondendum esset (tamdiu enim consultando distulerunt) conclusissent. Orator ex collegio sacerdotum *Leodiensium* curiam ingressus est, oraturus mox, nisi Principes præ rerum magnarum tædio, quo affecti erant, vetuissent. In schedula tamen, quæ dicturus erat, uti describeret, jusserunt. Is cum in sinu haberet, porrexit: quæ quidem nihil aliud continebat, nisi ☞ maledicta & convicia in *Romanensem curiam*. Numerabat fraudes omnes, vitia, scelera, sycophantias, deceptiones, imposturas, in quibus *CURIALES* nostri temporis versantur. Omnia corrupta esse, nihil boni, nihil pii àmplius cognosci, nihil justi, nihil sancti foveri. Et pleraque alia hujusmodi nulla alia de causa recitabantur, nisi quod jura omnium beneficiorum essent abolita. Illud tantum de omnibus & ubique agi, quod sycophantæ illi ac impostores Romæ volunt: tantumque abesse, ut aliquid certi in sacerdotiis habere possis propter regressus, accessus, reservationes: &, ut perinde valeat, expectativas, revocationes, & mille id genus, ut pedales quoque ac tibiales reservationes paulò pòst sint prodituræ. Et quod gravissimè ferendum est, ignari ac infimæ conditionis homines, non virtute ullâ, non literis præditi, in stabulis tantùm ac popinis victitare soliti, ingenio malo

CURTESANI.

Pedales ac tibiales reservationes.

malo pravoque, ad magnas plerunque efferuntur dignitates: quod quidem cum ubique hoc patrari, sed potissimum in *Leodienses* consuetum sit, rogare Principes, obsecrareque, ut *effrænata Curialium libido* aliquando coërceatur: quando hæc ignorante Pontifice Max. omnium optimo & sanctissimo committuntur, non vereri si de his omnibus, ac omnium ferè collegiorum querela à principibus *Germaniæ* certior fiat, quin pessimi quique, qui *Romanam* curiam labefactant, pœnas daturi sint. Leodienses. Leonis X. laus.

Cum hæc & pleraque alia in hanc sententiam lecta fuissent, dilata ad pomeridianam consultationem fuerunt.

Interim Pont. Max. diplomata recitata sunt. Nam cum plerique nunc avaritiâ, nunc ambitione eum accusarent, diluit in iis objecta, suadetque principibus, tantum abesse, ut pro ambitione quicquam ipse aggredi meditetur, ut etiam omnem defensæ *Christianitatis* gloriam in eos, mòdò eam tueri velint, rejecturus sit. Quod autem avaritiæ damnaretur, falsò eo vitio accusari, cum ipse id tamen se velle, quod principibus *Germanis*, ad bellum *Turcis* inferendum, proficuum magis videretur, semper asseruisset. Excusat se Pontifex.

Quæ cum Principes intellexissent, iniquo (ut accepi) tulerunt animo: damnatis etiam summopere iis, qui hujusmodi discordiarum nutrimenta disseminarent, cum publica potius negotia, quàm quid unus vel alter seorsim à bonorum opinione senserint, respicere deberent.

Sed illud longè dissimillimum *Germanorum* Principum dignitati visum est, cum etiam scriptum esset, si trahi aut rationibus aut persuasionibus in sententiam non possent, impellerentur quoque. Principes Germaniæ nolunt impelli.

RESPONSIO.

PRincipes igitur cum responsum, quod *Germanicâ Latinaque* linguâ scribi jusserant, Legatis tandem reddituri essent, Cæsaris priùs trutinæ ac censuræ, quàm in vulgum prodiret, subjici voluerunt. Cæterum quantum conjecturâ assequi possum, ut non receptum, ita ne rejectum quidem, in posterum diem ita redditum est.

Legati Oratoresque & Pontificis & regis *Galliæ*: Cæsariani verò Episcopus *Tergestinus*, & Præpositus in *Vualtkirchen*, cum simul convenissent, disceptassentque de futuro Principum responso, ad Cæsarem profecti sunt. Convenerunt & Oratores *Poloniæ*. Cæsare igitur ac reliquis sessitantibus, Episcopus *Tergestinus* in hanc sententiam verba fecit.

Sacratissime Cæsar, Cum serenissimi Principes diu multumque super iis, quæ à Reverendissimis Legatis ac cæteris Oratoribus proposita fuerant, cogitavissent, animadvertèrunt rem arduam esse, atque perdifficilem, in qua de expeditione contra *Turcas* suscipienda ageretur. Et idcirco molem rei ac magnitudinem complectentes animo, conducibiliusque fore, si negotium maturius tractaretur, rati in præsentiarum responsum dare liquidè se haud posse: sed cum primum in provincias rediissent, populos quemque suos consulturum esse, & quid inde hauserint, in proximo conventu, quem ante discessum nominabunt, relaturos.

Hæc *Tergestinus* breviter & ornatè, ac fortasse prudentius quàm vel nostra, vel temporum culpa mereretur, factum. Non enim omnia quæ in schedis scripta fuerant, vulgoque jactabantur, retulit: cæterum non erit ab re, si etiam in hoc albo breviter & concisè descripsero.

RESPONSIO IN SCRIPTIS.

PRincipibus cum multa in consultationem occurrerent, quæ ob rei difficultatem, à celeritate procul esse videbantur, tria tamen obstare, quæ haud dubie impediendi, vel omnino retardandi expeditionem, vim essent habitura. ¶ Primum erat, quoniam vires hostium validissimæ sunt; ut non minus quàm quinquaginta armatorum millia è *Germanis* essent ad bellum datura nomina: & propterea de annuo stipendio, ac de incredibili commeatuum copia ratio habenda, cum per loca *Thraciæ Mysiæque*, ubi nulla frumentationis, prædæve occasio datur, ituræ copiæ sint: *Germanos* siquidem suis viribus, non alienis, confisuros. Cum multa in hanc sententiam, quæ rei difficultatem ac magnitudinem arguerent, satis graviter & copiosè descripta fuissent; secundo loco illud quoque, quod in ore omnium erat, cæterum satis ornatè & prudenter tangebatur, nos tamen vulgi opinionem sequemur, Obstare scilicet maxima, Quòd omnia sacerdotum collegia A difficultate. A querelis sacerdotum.

collegia ad decimam persolvendam haud facile induci posse, suspicabantur: cum nullus in *Germania* locus sit, qui propter ea quæ indies perperam committuntur querelis vacet: quandoquidem omnia sacerdotia ita passim & sine discrimine conferuntur, ut neque *compactata* (ut dicitur) *Germanicæ* nationis, neque *jura gentilitia* intacta remanserint,

Concordata Principum.

Cæteras nationes, *Gallos*, *Pannones*, *Sarmatas*, *Dacos*, *Britannos*, inviolatis vivere juribus. Pontificis Max. cum iis fœdera jamdiu inita, servari: solos *Germanos* in præda esse

O miseros Germanos.

vel externarum gentium: tantumque abesse, ut principum, municipiorum, liberarum civitatum, ac collegiorum sacerdotia, à *dolis Curialibus* immunia sint, ut omnia eorum

Doli Curiales.

jura suspendantur, debilitentur, frangantur, irritentur, ac ne Episcopatibus quidem parcatur: unde illæ *patronorum* ac *rabularum* conflatæ *Romæ* divitiæ. Nam priusquam certi quicquam habeatur, vel pro tantulo beneficio, per tam longam officiorum seriem, quæ

Officia.

ad extorquendas pecunias tantùm excogitata sunt, tibi circumeundum est, ut propter dispendium maximum, jacturamque incredibilem, tempi supellectilem, ac parnificia omnia licitari necesse sit. Sed utinam & illud quoque prodesset: nam ubilibet Romæ nova & inexcogitata jura reperiuntur: & cum omnia desunt, silentia non desunt, rupto

Nova jura.

violatoque omni jure atque æquitate mortalium. Et propterea omnibus jam sacerdotiis, vel altercationibus, vel gravibus pensionibus, sine quibus quippiam in præsentiarum non consequimur, exhaustis, nec non & clam & in propatulo, mentibus erga Pontifices male affectis. Conjuncta tertio loco profanorum etiam querela erat, quæ mirum in

A querelis laicorum.

modum invidiam exaggerabat: ii nullatenus se *Vigesimas*, *Quinquagesimas*ve daturos affirmare. Et si Principes cogerent, pessimè factum vociferari, qui toties populis suis ob hanc causam expilatis, se toties pueriliter decipi sinerent: Numerare quoties datæ pecuniæ sunt tum demum in pecunias diripiendas, non in *Turcas*, bellum gestum esse. Repetere & *Annatarum* originem, quas à principio institutas esse asserebant, ut contra *Turcas*, *Sar-*

Annatæ.

racenosque exponerentur. Interrogare identidem, tantus pecuniarum acervus quorsum periit, & in quem usum Ecclesiasticæ prædæ tandem conversæ fuerint. Quamobrem ne illud quoque de *Decimis* ac *Vigesimis* fiat, ut pro consuetudine scilicet, ac potius lege in

Ne ex consuetudine fiat lex

posterum haberetur, quod semel imperaret necessitas: se, quo minus ejusmodi onera imponerentur, pro virili prohibituros. His ergo de causis *Germani* Principes cum provinciam maximè arduam, atque animorum acerbitatem viderent, differre consultius arbitrati sunt, ut interim persuasionibus populi emollirentur, & ad magnitudinem rei, & inchoandam & perficiendam maturè omnia compararentur.

Pergamus jam ad reliqua: sequuntur autem in Fasciculo Vita & gesta Hildebrandi, *&c.* *quæ ut plenè intelligas, legenda tibi est* Hildebrandi *istius* (*diaboli incarnati*) *epistola ad* Herimannum Metensem *episcopum de excommunicatione* Henrici quarti *Imperatoris, quæ requirenda est, pag.* 244. Apologiarum pro Henrico 4. editarum à Melchiore Goldasto Hanoviæ 1611. unà cum ejusdem Goldasti Replicatione pro Cæsareâ Majestate adversus Gretserum Jesuitam: *vel in primo tomo* Scriptorum Germanicorum Marq. Freheri, pag. 126. in Brunonis historiâ de bello Saxonico: *cui excommunicationi respondet* Waltramus Naumbergensis *Episcopus, pag.* 53. Apologiarum Goldasti: *paginâ verò* 155. primi tomi Scriptor. Germ. Freheri. *De authore verò* Vitæ & gestorum Hildebrandi *vide primò quæ effutit Cardinalis* Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 13. *postea verò ut insignem ejus ignorantiam* (*hac in re præsertim*) *derideas, adi* dissertationem de auctoribus & eorum Scriptis, *à* Goldasto *conscriptam, &* Principum Apologiis *præfixam, ubi in ejus fronte occurret tibi plenissima satisfactio de* Bennone, *vero authore Vitæ* Hildebrandi, *&* monitio *item de partitione hujus opusculi in duos libros; quod* (*ut ait* Goldastus) *minimè animadversum est vel ab hoc* Gratio *nostro, vel* Flaccio, *vel* Reineccio, *vel* Wolfio. *Cum pace verò tanti viri dicam, opusculum hoc esse in* Gratio *bipartitum, etiamsi* [liber secundus] *non præfigatur* [venerandis] *sicut esse debuit.*

Ad Vitam *porrò quod spectat &* Epistolas Henrici 4. *Cæsaris, extant etiam illæ inter* Urstitii Scriptores German. pag. 380. *edit. Francof.* 1585. *&* Vita *sola in libro* Goldasti *jam citato, & alibi.* Vita *scripta est ab* Otberto *Episcopo* Leodiensi (*de quo videsis* Goldastum *in* Dissertatione *memoratâ*) *circiter A. D.* M.C.VI.

Ab Henrico quarto (*optimo Imperatore & ab* Hildebrando *nequissimè tractato*) *eamus ad* Carolum quartum, *cujus* Bulla aurea *proximè sequitur. Hujus autem Imperatoris* Vita, *à* seipso *descripta, unà cum* oratione funebri *in ejusdem mortem, ab Archiepiscopo* Pragensi *habitâ, exhibetur tibi, pag.* 86. *Scriptorum rerum* Bohemicarum *à* Frehero *editorum* Hanov. 1602. Oratio *sola reperitur inter* Miscellanea historica Bohemiæ *à quodam* Bohuslao Balbino, *Jesuitâ insolentissimo, nuper conscripta. Ejusdem* Caroli Constitutiones *ad regnum* Bohemiæ *formandum*

formandum, edita sunt à Paulo Geschinio, Hanov. 1617. *Extant aliquot ejusdem Epistola in isto suprà citato* Balbino; *in cujus* Miscel. *decad.* 1. *lib.* 4. *pag.* 65. *part.* 2. *mentio fit* commentariorum in Evangelia Manuscriptorum *ab hoc ipso Imperatore compositorum: quod autem narrat Jesuita ille* Bohemicus, *pag.* 67. *de corpore ejus reperto incorrupto & vivido, intelligendum est quasi dictum* more Jesuitico. Aurea *hac Bulla firmamentum est* Imperii *& uniuscujusque Principis* robur; *quam nulla* bullæ plumbeæ è Româ *profectæ unquam valebunt rescindere: depravatissima autem erat hac* bulla *in* Gratio; *eam ego correxi secundum authenticum exemplar Elect. Palatini* Spiræ *edit. M. DC. XI. in indiculo Erratorum.*

Et jam devenimus ad Constantini (*scilicet*) Donationem *celeberrimam, i. e.* Johannis Diaconi *somnium & deliramentum, quod egregiè confinxit in gratiam* Hadriani 2. *& jussu* Johannis 8. *Pont. quod annotavit in margine* Goldastus, *pag.* 167. Replicationis suæ pro Imperio contra Gretserum. Petrus Josephus Cantelius, *Jesuita doctus*, in historia suâ Metropolitanarum urbium, *part.* 2. *differt.* 2. *cap.* 2. *causam huc illuc movet* (Donationis *mendacio apertissimo victus*) *nec scit cuinam authori fabulam istam affigat; rem verò esse confictam libentissimè fatetur, cum potiori parte hominum sua religionis, quos puduit tandem eam defendere: & tamen quàm solenniter ponitur in* Gratiani Decreto, *& quoties allegata fuit contra jura* Regum, *pro prærogativâ* Paparum? *lepidum hoc mendacium elegantissimè & solidissimè convellitur à* Laurentio Valla, *quem cum magno fructu nec minore delectatione hic leges, cum præfatione liberâ* Ulrici Hutteni *ad* Leonem *X. quorum utriusque sententiam cumulatissimis testimoniis confirmat* Gratius.

Quæ deinde sequuntur de Waldensibus, *extant etiam in* Freheri *collectione Scriptorum* Bohemicorum, *indicantque quàm integrè sentiebant populi illi iniquissimè oppressi. Multi porrò ex* articulis Johanni Wiclefo *impactis, meræ sunt calumniæ, ut probavit* Thomas Jamesius in Apologia sua pro Wiclefo; *cui notiora fuerunt illius* boni viri *dogmata ex ejus scriptis genuinis, hodieque extantibus, quàm mille parasiticis & impotentibus* Wodfordis. Casimirus Oudin *in* supplemento de Scriptoribus à Bellarmino omissis, Wodfordi *opera enumerat, eumque elogio* viri pietate & doctrinâ celebris *dignatur: legerat proculdubio hanc ipsam disputationem adversus* Wiclefum: *si verò abinde laudes istas homini accumulat, profectò prodigus est laudum, & nullas sibi ipsi reliquit. Quod posui de* Wodfordo *in margine* disputationis *aridæ, plura de tantillo scriptore loqui prohibet: De eo autem & articulis hisce* Wiclefi *&* Hussi, *vide lib.* 1. commentar. Joh. Foxii, *edit.* Basil. 1559.

Multi ex articulis Johannis Wiclefi *qui damnati sunt in Concilio* Constantiensi, *injustissimè damnati sunt: nihil enim quod ab eodem definitum est, eorum aliquibus verius est: maxima tunc temporis homini pio conflata est invidia à monachis insulsis, qui ne decimam quidem partem illius literaturæ & probitatis unquam habuerunt: inter illos* articulos *aliqui quidem sunt quos nemo* Christianorum *tueri audebit: illorum verò malitiam abstersit bene à memoriâ* viri meritissimi *& ab* Academia Oxoniensi *vel tunc temporis celebrati,* Tho. Jamesius, *ut modò dixi, in* Apologiâ *linguâ nostrâ conscripta ad liberandam à calumniis* tanti viri famam.

Quod scripsit Sylvius *de* Wiclefi *doctrinâ & de* Johanne Huss *&* Hieronymo Pragensi *non multum curandum est: retractavit is* non retractanda, *& probavit sua* non probanda: *nec nobis laborandum est de Concilii* Constantiensis *sententiâ in* Wiclefum *mortuum, &* Hussum Pragensemque *vivos lata; infanda autem est sævitia & inhumana, in cadavera ferocire, & homines* vivicomburio *damnare ob assertam veritatem; præterquam quod res est stultissima in homines sic sævire, qui post mortem plus adferunt incommodi causæ* Romanæ, *quàm unquam potuerunt vivi: nemo enim est ferè qui non in bonam opinionem trahatur eorum, qui crudelissimè tractantur, cum constanti animo martyrium ob religionem patiuntur; exceptis iis qui omnem exuunt misericordiam, quò fortiores videantur* Catholici. *Sed cum ipse* Æneas Sylvius Poggii Florentini *epistolam inter suas servavit, de supplicio* Hieronymi Pragensis, *plus ejus causæ consuluit, quàm hominem stomachando læsit*: turdus semper sibi cacat malum.

Leonardi Aretini libellus adversum hypocritas, *monachos quidem pungit & deridendos propinat; sed eos pro meritis castigat, & authorem meliori seculo dignum demonstrat, etiamsi* Poggii *libertatem in describendâ* Hieronymi *constantia non probat epist.* 7. *lib.* 4.

De vocatione Bohemorum ad Concil. Basileense *historiola sine authoris nomine ponitur: eam hinc in Scriptores suos* Bohemicos *traduxit* Freherus, *conjicitque ab* Æn. Sylvio *profectam esse, licèt nusquam reperiatur in operibus suis impressis.* Freher. Bohemicar. rerum Scriptores, *pag.* 158. *Videtur verò diarium alicujus in comitatu Oratorum* Concil. Basil. *ad* Pragam *euntis.*

Friderici *Imperatoris Epistola ad* Carolum Francorum *Regem extat etiam in* historiâ Conciliorum Richerii; *quam ut plenè capias, adeunda tibi est pag.* 159. *lib.* 3. *ejusdem* Historiæ.

Quæ sequuntur usq; ad Gravamina Germanica, *sese satis explicant & nullâ indigent admonitione.*

Illa autem Gravamina *reperies etiam tum alibi, tum maximè in* tomo secundo Germanicarum rerum Scriptorum Freheri *pag. 373. unà cum* Jacobi Wimphelingii literis ad Maximilianum Imperatorem *A. D. MDX. & ejusdem* gravaminibus *aliis, hic in* Fasciculo Gratii *de industriâ ut suspicor) omissis. Ea omnino tibi videnda sunt, lector, à paginâ 379. (editionis* Francof. 1600.) *ad 391. i. e. ad usque* Orationes *istas* duas *quas habes hic in* Fasciculo *pag. 72. De* centum *autem* gravaminibus *crassè errat* Bellarminus *de* Transl. Imper. lib. 1. cap. 2. sect. 13. *vide* Cochlæum, *fol. 108. de Vita* Lutheri.

Opportunissimè autem inseruit Gratius Adriani *sexti literas ad Principes* Germ. *& ejusdem* Instructionem Cheregato *datam (quam etiam vides pag. 65. part. 2. lib. 4.* Historiæ Concilior. Richerii, *cum ejus in eandem observationibus) cujus aliqua verba strictissimè notat* Petrus Paulus * Vergerius (*fœlicissimè conversus ex Episcopo* Justinopolitano *papistico in Professorem Theologiæ verè* Christianæ *in Academia* Tubingensi) Responsionem *item* Principum, *&c. usq; ad finem* Centum Gravaminum: *Omnia enim ista sunt magni facienda; cum editio illa unde ea habuit* Gratius, *vix per seculum conspicitur, nisi in magnis Bibliothecis: de qua quid subduxit* Orthuinus *improbè & fraudulenter, tibi ipse confitetur pag. 376. hujus editionis.*

* [illegible] Archiepiscopi *Beneventani* (qui scripsit poema *Italicum* in laudem sceleris non nominandi) *fol.* 250. primi tomi operum edit. *Tubing.* 1563

De apostolis istis & responsionibus nationis Gallicanæ *consulendus iterum est tibi* Edm. Richerius lib. 2. Hist. Concil. *pag. 107. & deinceps; ubi hanc editionem (quod post impressionem novi) valdè culpat: restituit ille omnia ad fidem exemplarium antiquorum: quicquid igitur hic peccatur, ex illo repetas magis integrum; & ab eo discas male hæc ascribi* Nicolao *de* Clamengiis *ab* Orthuino Gratio.

Cætera Fasciculi *membra tuopte marte, Lector, facilè intelliges, vel lucem tibi dabunt annotatiunculæ meæ in margine appositæ: sic itaque percurri plerosque hujus Libri tractatus, de quibus, quod potui, admonui: Quantillum verò id est, ipse novi & bene conscius sum: in tuam, Lector, utilitatem volui aliquid agere; quod si minus præstiti*—— in magnis voluisse sat est.

Ad Appendicem *verò quod attinet, quicquid in eâ novum est & meo ipsius labore è Manuscriptis vetustis prolatum, nonnihil præfatiunculæ ferè habet præfixum, quod tibi indicabit unde tractatus hausi, & quo fine in lucem dedi. Non multum apud te queror de operis hujus diuturnâ molestiâ & sudore, nec multum mihi tribuo ab operis editione: Sed hoc à te obnixè peto, Lector, ut experiaris tute ipse quàm ardua res est, Scripta alicujus molis ex antiquis codicibus eruere & typographorum inscitiam sequi & corrigere (quod ego solus feci ferè per 300 schedas) ut tandem discas aliorum operam publicæ utilitatis gratiâ susceptam æqui bonique consulere, quia id ipse expectabis. Si hoc opus in regiones transmarinas &* papales *forsan evolaverit, non expecto ut candidè excipiatur; licèt neminem vellico nisi qui omni jure à* Protestantibus *culpandus est: Liberè quidem scripsi pro libertate qua fruor; & si* Examina *monachorum fortè offendero, offensa erit* pusillorum, *quæ non potuit vitari: Ut prodessem Ecclesiæ* Anglicanæ *filiis & amicis, & omnibus aliis* Christianis, *qui dociles sunt &* inquirendis semitis antiquis *vacant, nec* Romanæ *infallibilitatis fraudi mancipantur, unicè studui; & faxit Deus Omnipotens, Adjutor meus, ut par sit votis meis eventus & successus.*

Quæ autem in hac operis parte adhuc amplius te moneam, sunt ista.

Adductus sum in fronte Appendicis *opuscula aliqua* Hildeberti *ponere, ex collectione quadam eorundem* Guil. Crashavii *(de quo plura infrà videbis) Vidi autem postea duo vetusta exemplaria illius* Cenomanensis *Episcopi Epistolarum, quæ aliqua habent non edita in illâ* Bibliotheca Patrum Parisiensi prohibitâ, *unde* Crashavius *hæc excerpsit: unum, Collegii Trin.* Cantabr. Norfolciensis *Bibliothecæ in Collegio* Greshamiensi *alterum: in quorum posteriori vidi* Descriptionem Curiæ Romanæ, *quæ habetur pag. 7. hujus* Appendicis, *eidem* Hildeberto *ascriptam sicut hic & in* Catalogo testium veritatis *(Col. 1416. edit.* Gen. 1608) *sed (sicut monitus à D.* Johanne Batteley *Archidiacono* Cantuariensi *reperi) ista* descriptio *habetur in quadam Epistolâ* Sydonii Apollinaris; *& certè* Petrus *de* Alliaco *(ut vides pag. 516. hujus* Appendicis) *portiunculam quandam istius* Descriptionis *citat sub expresso nomine* Sidonii. *Duo utrinq; testimonia;* Flacius Illyricus *& ego, qui uterq; vidimus in antiquissimis exemplaribus* Hildeberto *ascriptam;* Petrus *de* Alliaco *&* Jacobus Sirmondus, *ultimus editor* Sidonii, *qui rem adjudicant* Sidonio. *Profectò* Flacio *& mihi cedendum esset* Alliaceno *Cardinali & doctissimo* Sirmondo; *leviores enim sumus illo literatorum pari: Sed age, rem relinquamus pro fide antiquiorum exemplarium cuilibet determinandam: ista autem* descriptio,

ſcriptio, *utrius demum ſit, optima eſt, & eò pluris facienda quò vetuſtior eſt.*

Evanuerat penè è conſpectu Antilogia Papæ, *ex eorum aſtutiis qui violentas bonis libris injiciunt manus: Sed eam ego revocavi omnibus conſpiciendam, ab exemplari quodam ex bibliothecâ inſtructiſſimâ D.* Johannis Moor, *Collegæ mei olim* Clarenſis, *qui paratiſſimus eſt ſua in commune bonum conferre. Laudatiſſimè fecerunt* Flacius Illyricus & Wolfgangus Wiſſenburgius, *qui junctis operis librum curarunt olim* Baſileæ *excudendum: multa enim habet quæ fruſtra alibi quæſiiſſes, niſi* Goldaſtus *ejus aliquot tractatus recuderat inter Collectanea ſua, vel* Freherus *inter ſua, vel deniq; ego hic omnia ſimul inter mea. Id agunt* Romaniſtæ *ut omnia hujuſmodi Scripta ſempiternæ oblivioni tradantur, quia ſuorum facinora palàm produnt: Sed eapropter (ſine eorum veniâ) retinenda ſunt, ut mundus nunquam neſciat quàm ſuperbè magnates ſeculares antiquitùs tractaverint* Papæ Romani; *quàm impiè defenderint; quantum omnibus* Reformationis *conatibus reſtiterunt; & quàm ad veritatem obſurduerint: Quæ omnia videbis in hac* Antilogia *evidentiſſimè demonſtrata. Hiſtoria controverſiæ (ut ab initio ejus libri ordiar) inter* Theologos Pariſienſes & fratres minores *petenda imprimis eſt è Scriptoribus* Gallicis, *qui tunc temporis floruerunt: at quædam ejus ſpecimina habenda ſunt in* Actis & Monumentis Johannis Foxii *noſtratis, tom.* 1°. *De* Evangelio *iſto* æterno *(libro diabolico) legendi ſunt Reverendiſſimus D.* Uſſerius, *pag.* 138. *(edit* Lond. 1687.) De Chriſtianarum Eccleſiarum Succeſſione & ſtatu, *& qui ab incomparabili illo Antiquitatum* Chriſtianarum *inveſtigatore ibi citantur;* Balæus *in* Appendicibus ad Acta Pontificum, *mox ab initio; multiq; alii præter optimum illum virum (cui* à libris *non meretur* Schelſtratius *eſſe, qui nuper contra eum ſcripſit) D.* Edwardum Stillingfleet; *non autem prætereunda ſunt quæ* Henricus Stephanus *de hoc* libro gehennali (Evangelio æterno) & Guil. de S. Amore *noſtro prodidit, in cap.* 39. mundi *ſui* miraculorum; *qui ingenioſè dicit ſubſtantiam* iſtius libri *manere, etiamſi ipſe liber jamdiu extinctus ſit; in quantum magna pars doctrinæ & praxis Eccleſiæ* Romanæ *non reguletur juxta doctrinam* Chriſti & *Apoſtolorum, ſed eis ſit maximè contraria, &* Legendis, Decretalibus & *neſcio quibus* nugis & inventionibus humanis *craſſiſſimis obruta ſit & directa.*

Aureum Speculum Papæ, *quod pars eſt inſignis hujus* Antilogiæ, *ſcriptum eſt à* Paulo *quodam conterraneo noſtro: Extat in* Monarchia Goldaſti, *qui aliquid habet de authore in* Diſſertatione de auctoribus. *Vide etiam de hoc homine* Hen. Wharton *(virum ſupra ſuam ætatem doctum) in* Appendice *ad Doctoris Cave* Hiſtoriam literariam Scriptorum Eccleſiaſticorum, *pag.* 78.

Gregorii Heymbergenſis Appellationes *extant etiam* tom. 2. Script. Germ. Freheri, *pag.* 118. *& deinceps, cum aliis rebus eò ſpectantibus; quas per otium legas.* Appellatio ſecunda *extat in* Paraleipomenis *Abbati* Urſpergenſi *annexis, pag.* 107. *edit.* Argentor. 1538. *utraq; alibi: mirum eſt* Pium ſecundum *adeo fuiſſe exaſperatum in* Heymburgenſem, *quem tantum laudarat (pag.* 436. *operum* Æn. Sylvii *edit.* 1571.) *ſed facundia & admiranda juris peritia nihili æſtimantur, cum* Papæ faſtus *læditur. Profectò fuiſſet illi* Papæ *conſultius, tantum juriſperitum & oratorem nunquam provocaſſe; cum ex iſta controverſiâ nata ſit* Confutatio primatûs Papæ *quæ argumentis validis* tiaram *concutit* Pontificiam. *De magnâ parte hujus* Antilogiæ *vide quæ dicit* Goldaſtus *in primo tomo* Monarchiæ, *in* Diſſertatione de auctoribus, *in* Occamo.

De Scriptis Jacobi *iſtius de* Paradiſo, Hermanni Ryd *de* Reen & Volquini *Abbatis, nihil dicendum habeo niſi quod de primo authore quærendum eſt ſub nomine* Jacobi *de* Gruytrode *(ut videre licet* col. 1905. Catalogi teſtium Veritatis) & *curaſſe* Flacium *ut duorum poſteriorum Scripta* Antilogiæ *infererentur, ſicut ipſe teſtatur* Columnis 1840. & 1843. *ejuſdem* Catalogi teſtium, *& horum omnium Scripta veram pietatem ſapere, eoq; veriorem, quò per turpitudines* Cleri *iſtius ætatis, ejus exempla rarius conſpiciebantur: ab ævo etenim in ævum fluxerant vitia in clericorum mores; & valedicebatur caſtitati Virgineæ & intemeratæ, cum ſemel per* decreta Pontificum *non licuit ſacerdotibus* conjugium inire *nec fieri* Eunuchos; *quod evidentiſſimè probat* Hulderici *Epiſtola, quâ clauditur* Antilogia; *& probabit* praxis *iſtius Eccleſiæ, donec mundus tam plenus erit monachis & monialibus, ſacerdotibus laſcivis & confeſſatricibus puellis & fœminis, quæ non quotidie legant* Lavacrum iſtud conſcientiæ omnibus presbyteris ac devotis religioſis valdè perutile, *quod impreſſum eſt Pariſiis A. D.* 1526 *ſed jam quaſi ſtultus & inutilis liber (cum centum ejuſmodi aliis) foliatim in latrinam deſcendit, vel monaſteriorum coquinis inſervit; magno priſtinæ virtutis detrimento.*

Quinam fuerit Rotomagenſis *ille, qui* Antilogiam *proximè excipit, nondum aſſequor: Comperi autem ex MS illius* Cantabrigienſis *conſpectu, non fuiſſe noſtrum,* P. *illum* Rotomagenſem: *is enim fuit Cardinalis Eccleſ.* Rom. *à quo nemo expectabit tractatum pro* Conjugio Sacerdotali; *cum illius dignitatis & ſortis hominibus niſi egregiè repugnent carni, nunquam deſint opportunitates peſſimæ ſeſe ex illius ſtatûs neceſſitate eximendi: Qualis autem* P.

hic Cardinalis extiterit, liquidò constat ex ejus sermone quodam coram Rege Galliæ habito contra Petrum de Cugneriis asserentem jus Regum contra usurpationes Papales, hîc extante; tempus tibi indicabit Petrus de Cugneriis in Goldasti Monarchiâ. Plures tibi possent indicari Rotomagenses, ex Matth. Paris, Scriptoribus post Bedam, & maximè ex historicis Gallicis: non multum refert quis ex illis fuerit: Vir fuit pius & probus, quia sese opposuit innovationi Romanæ.

Tria illa opuscula, quæ sequuntur Epistolam Crashavii, habes hic juxta eorundem editionem in Conciliorum collectione Crabbianâ. Epistola autem illa præclara, quæ dicitur Leodiensis Cleri, scripta est à Sigeberto Abbate Gemblacensi (ut vides in memoratâ Dissertatione de Auctoribus Goldasti, Apologiis Principum præfixâ, pag. 33. inter quas etiam extat) Vixit hic Sigebertus ante DLX. annos & quod excurrit; & in Chronico suo scriptum reliquit (edito Parisiis in officinâ Henr. Stephani, 1513. & Francof. 1566. inter 4. Scriptores rerum Germ.) famam fuisse Johannem papam Anglicum fuisse fœminam (dictu mirum! hominem non fuisse hominem; de quo vide pag. 236. & 237. Appendicis nostræ) & uni soli familiari tantùm cognitam, qui eam complexus est, & gravis facta peperit, papa existens: quare eam inter Pontifices non numerant quidam (quod fecit Labbæus igitur contrà, nihil est) ideo nomini numerum non facit. De opusculo isto tripartito aliqua habet Johannes Foxius nostras in Actis & Monum. pag. 225. editionis ult. Londin. tom. 1.

Cum legeris Epistolas Adriani quarti & Imperatoris, lege etiam par illud Epistolarum simile, quæ inter Bonifacium VIII, & Philippum pulchrum Franciæ Regem intercesserunt, in initio lib. 2. Vindiciarum doctrinæ Scholæ Paris. Richerii: vel in Catalogo testium Veritatis, Col. 1687. vel ubilibet; extant enim in quamplurimis locis, sicut hæ ipsa Adriani & Imp. Si autem velis aliquid amplius de hoc Adriano rescire, & de statu Ecclesiæ tunc temporis, diligenter lege quæ scripsit Johannes Sarisburiensis in lib. De nugis Curialium, lib. 6. cap. 24. in calce Appendicis extantia.

De Gravaminibus Ecclesiæ Gallicanæ præfatus sum in suo loco: sicut & de Opusculis Roberti Grosseteste Episcopi Lincolniensis: de quo sparsim plura habentur apud virum doctissimum Antonium Wood in Historia sua Antiquitatum Academiæ Oxoniensis; apud quem extant (lib. 1. pag. 105.) literæ Edwardi Regis, &c. ad Clementem V. Pont. ut Robertum hunc inter Divos referret: Sed ad id nulla ratione Pontifex adduci voluit; & nisi Scriptores istius temporis, Episcopi sanctitate moti, id suo marte fecissent (quod tantundem valet) quod denegavit Papa, Robertus Grosseteste ad hunc usq; diem mansisset planè Robertus: prohibeat Deus ut nemo Sanctus sit, nisi annuente Pontifice: tunc enim rarissimi forent cœlites: sed incolæ istius regionis beatificæ minimè metiendi sunt ex Calendario Romano; ne fortè pro sanctis & divis invocatis inveniamus (quod & Augustinus dixit) aliquos inferno damnatos. Risisset autem Robertus eorum superstitionem, si rem nosset, qui tam vehementer quærebant illius Canonizationem; eam insuper culpasset gravissimè, si eo id fine quæsierint, ut ad illum preces dirigerent: Sed nullum tunc temporis superstitioni frænum; & quod obnixè petiit Edwardus Rex, obnixè etiam petebant Decanus & Capitulum Ecclesiæ Paulinæ Londin. ante 382 annos; quod tibi constabit ex hoc instrumento eorundem, mecum communicato ab Henr. Wharton, qui id repererat forte fortuna inter neglectas & laceras chartas, & ab interitu vindicavit: tale autem est,

Sanctissimo in Christo Patri & domino nostro, domino divina Providentia Clementi sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, suum subjectum & minimum Ecclesiæ London. capitulum salutationem verbali humilitate tacita non mentali, devota pedum oscula beatorum.

SCribitur in Job, quòd filii ejus faciebant convivium per domos; in distinctis verò domibus tunc fit quasi gaudium conviviale, dum virtutes singulæ alios quasi propriæ recreant atque pascunt: hoc Augustini testante eloquio, ubi dicit, Gaudium est alienæ virtutis velut fons gaudii in propria domo nascens. Sanè à vestra Lincoln. Ecclesia quidam recolendæ memoriæ, Robertus Grosseteste nomine vir memorabilis & præclarus, tanquam lucerna non sub modio posita, sed super candelabrum, prodiit, atque lampas; cujus

cujus oleum ad illuminandum, immittente Altissimo, nunquam deest quem primitus filium, & pòst patrem ipsius Ecclesiæ patrona edidit Virgo mater; qui in hujus mundi ergastulo à vitæ suæ primævo, certamine acri & seculo carnis domuit incentiva, & quanto super cunctos ejus temporis eminebat Philosophos, & in Dei scientia & doctrinâ anteibat Theologos (quod testantibus suorum scriptorum famosissimorum opusculis, modernos non latet Scholasticos, adeo ejus aucto ex gratiâ divina ingenio quod unicus dixisse potuit cum Psalmistâ, *Super omnes docentes me intellexi*) tanto humilior, simplicior & sanctior, ut innocens atque mundus in vitæ deguit puritate: Cujus sanctitatis opinio longè lateque percrebrescebat & fama; qui funditus terrena despiciens, toto nisu mentis ad sola aspirabat cœlestia & flagrabat; quem demum, pastorali ut dignum fastigio, Creator omnium Deus ad prælulatûs officium in dictâ Ecclesia censuit evocandum; eumque quasi alterum *Joseph* constituit Dominum domûs suæ; ubi in spectaculum positus & exemplum, verbo ædificationis insistens, quod verbis docebat, operibus exhibebat. Cujus nondum fui oblitus famuli Auctor ille, nedum post mortem veraciter, sed in vitâ est in eo virtutes & miracula operatus innumera; quasi sub quâdam vicissitudinis sui meriti repensiva: quæ signa, miracula & virtutes apud nos per usum sunt vetera, & per augmentum quotidie recentia atq; nova. Quorum signorum intuitu & virtutum in gaudio cum *Lincoln.* nostra communicat Ecclesia S. *Pauli*, & paulò minus lætatur cum eâ, quàm si pignus illud tam honorabile esset sacrarium domûs nostræ: cum in ipsius virtutum eminentia & signorum frequentia, dictæque Ecclesiæ ob id laude & gloriâ, non solùm nostra sed tota Ecclesia fulgeat *Anglicana*. De quo dici potest, quod scribitur ad *Timotheum*; quod *manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu.* Qualis autem erat in *carne*, & est modò in *spiritu*: Quia *sanctus* per virtutes & miracula limpidè est ostensus. Decet igitur hunc tam venerandum patrem in Ecclesia militante *Sanctorum* aggregari collegio; ac in eorum venerationem & laudibus numerari; cùm in Ecclesiâ triumphante, ut in cœlesti solio, inter *Sanctos* indubitanter sedeat & locetur, tanquam eis non absimilis in merito, sive dispar. Quapropter vestram paternitatem sanctissimam flexis genibus exoramus; quatenus vestra (memor ejus, quod scribitur ad *Hebræos*, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci*) dignetur clementia præfatum virum, ejus attentis meritis, signis & miraculis, quæ ex Deo procedere probabuntur dilucidè, *Sanctorum* ascribere catalogo confessorum; *Christum* in hoc munere tam placabili imitantes, eum in humanis laudibus extollendo in terris, quem divina providentia cum cæteris *Sanctis*, qui æqualis sunt meriti, jam sublimari voluit in excelsis; ut sic ratio, quæ movet delegantem, *i. e.* omnium conditorem, moveat delegatum, utpote vos hîc vicarium *Jesu Christi.* In regimine universalis Ecclesiæ Domini & prosperè vos dirigat Altissimus & conservet.

Datum in nostro capitulo antedicto, nonis *Julii*, Anno Domini *Millesimo trecentesimo septimo.*

Ad Defensorium *porrò quod spectat* Guillermi Ockham, *nihil amplius de eo habeo admonendum, nisi quòd nondum aliud ejus exemplar videre licuit: istius autem* Defensorii *occasio orta est ex inimicitia qua adversus eum arsit* Johannes XXII. *defendentem jura* Ludovici *Imperatoris; cujus Imperatoris processus adversus* Papam *quærendus est apud* Nauclerum, generatione 45. volum. 2. pag. 1001. *edition.* Colon. 1579. Papæ *verò processus adversus* illum *habetur pag.* 67. Scriptorum rerum Bohemicarum Freheri, *in* Chronicâ Aulæ Regiæ: *quorum nihil nescire debent harum rerum studiosi. De* primo *isto* errore Johannis Papæ, *qui notatur* pag. 454. *hujus* Appendicis, *videnda omnino est* Determinatio facultatis Theologicæ Parisiensis, *tomo primo* Academiæ Parisiensis illustratæ *à* Launoio *inserta*, pag. 61.

De Johanne *de* Rupescissâ, Liber mirabilis (*impressus circa* 1520. *&* *in* Indice expurgatorio *prohibitus*) *hæc habet ex* Fortalitio fidei (*fol.* 108.) Johannes de Rupescissa, de ordine minorum, multa prædixit mox futura de duobus Antichristis, & desolatione terrarum, & generali conculcatione cleri, & reductione totius orbis ad fidem Christi; pluraque alia, quæ dixit sibi revelata à Domino Jesu; & diu vinculis tentus, grandia scripsit de futuris.

Quæstio illa Petri *de* Alliaco [Utrum Petri Ecclesia lege reguletur?] *exhibetur etiam in lib.* 3. Vindiciarum Scholæ Par. Richerii; *sicut &* quæstio de Resumpta, *cui rectè intelligendæ admonitiunculam quandam præfixit* Richerius: *quæ ut proposito suo serviunt, sic tuo non minus servient* [Recommendatio Sacræ Scripturæ] *&* [Principium in cursum Bibliæ] *in* Richerio *non extantia, nec apud ullum alium (quantum novi) nisi hîc & in veteri*

teri editione, quam mutuatus sum è Bibliothecâ publicâ Academiæ nostræ Illustrissimæ.

Omnium autem maxime miror Determinationem *istam* Universitatis Parisiensis *fuisse* Richerio *incognitam, aut saltem præteritam, à* Launoio *quoque minimè animadversam: Sed* Galli *fortasse pariter habent de rebus* Anglicis *quæ nobis volupe esset videre. De negotio autem hujus* Cessionis *quam* utrique Papæ *suaserat Academia* Parisiensis *celeberrima, aliqua quidem habet* Richerius, *pag.* 8. *lib.* 2. Hist. Conciliorum; *necnon & occasionem* Arrestorum (*uti appellantur*) *Regiorum, contra intolerabiles* Curiæ Romanæ *exactiones: Quorum primum* Fasciculo Gratii *debuisset esse insertum, æque ac secundum* (Fasciculi *pag.* 389.) *sicut utrumque extat in loco citato* Richerii, *& exinde intelligenda sunt. Hiulcat hic illic hæc* Determinatio, *sed sensus per se ubique constat.*

Epistola *illa* Alexandri Papæ ad Theobaldum Archiep. Cantuar. & Epistola Patriarcharum, &c. *hic præter institutum meum, & bibliopolæ propositionem, ponuntur: Sed non erunt tibi supervacanea: cum istam operis partem curavi corrigendam, incidi fortefortuna in utrasque, scriptas ante* 500. *annos, ut mihi ex scripturâ videtur; cumque in eis aliquid minimè contemnendum (sicut in præfatione illis præfixâ monui) deprehenderim, nolui committere quin tui sicut mei usûs essent. Ex* Epistolâ *illâ* Patriarcharum *videbis quàm notoriè mentitus est vanus iste Scriptitator,* Thomas Bozius Eugubinus, *qui* (*lib.* 24. De signis Ecclesiæ Dei, pag. 1449. *edition.* Colon. 1593. *asserit hunc* Victorem *fuisse declaratum Papam à* quinque *solummodo Cardinalibus*, Rolandum *verò* (*i. e.* Alexandrum 3) *à* viginti tribus. *Vultis vos* Catholici *de hac re certiores fieri? Huc accedite; ego vos fateri cogam verum esse quod scribo, ex conspectu Manuscripti, longè ante proavorum vestrorum memoriam exarati, & ab homine quidem vestræ religionis, & factionis* Alexandri, *ut hinc apparet, quòd* Patriarchas *hosce appellet* Schismaticos: *liber hic Manuscriptus omni jure pertinet ad Bibliothecam celeberrimam* D. Johannis Cottoni, *viri nobilissimi; sed inde mutuatus est eum* Johannes Williams, *Archiepiscopus Eboracensis & Decanus* Westmonasteriensis, *nec unquam restituendum curavit; quin quasi proprius Bibliothecæ* Westmonasteriensis, *ibidem asservatur.*

De Nicolao *de* Clamengiis *non opus est ut monearis plura quàm primo intuitu reperies in* Launoio, Richerio *& (qui ejus opera edidit, sed corruptissimè)* Lydio. Poggii dialogus contra hypocrisim *idem, opinor, est cum manuscripto* MCLX *bibliothecæ Regiæ* Parisiensis, *sicut nobis numeratur à* Labbæo *in ejus* Nova bibliotheca libr. MSS. *pag.* 327. *extat etiam MS. in Bibliotheca* Norfolciana. *Sit verò autor qualiscunque fuerit, vel improbus vel impudicus; at multis Pontificibus* Romanis *fuit à secretis: Pontificesne ergo illi sibi ad Secreta adsciscunt tales? In hoc* dialogo *condendo egit certè probissimè: nemini parcunt monachi qui eos ad vivum audet pingere; ne* Laurentio *quidem* Vallæ, *homini illæsa famæ; cui (quoniam invectus est in stultam* Donationem, *& ex barbarâ ejus phrasi eam prodidit esse fictitiam) vel mortuo hoc epigramma inustum est,*

* Nunc postquam manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba Latina loqui:
Juppiter hunc cœli dignatus honore fuisset;
Censorem linguæ sed timet esse suæ.

* Tritem. de Scriptoribus Ecclesiast. in *Valla.*

Sed crabronum *non sunt metuendi morsus, cui certum est rectà virtutis & veritatis viam inire.*

Matthæus *ille de* Cracovia *gratis etiam & præter bibliopolæ pactum tibi exhibetur: cum mihi diu quæsitum, in manus tradidit vir doctissimus* Johannes Battely; *& eum ego tibi: operam meam lubentissimus colloco in commodum tuum; quòd si quereretur bibliopola me egressum esse limites & sumptus typographicos augere, satius est ut ille queratur, quam ut tu bono libro priveris, præter id quod alia ratione possem, si vellem, memet defendere: idem quoque dici potest de* bullis *istis* papalibus: *sed homo est ingenuus, & nonnihil mihi libertatis concedet, modo in rem tuam sit, & ne liber exeat imperfectus. Profectò cum negotium istud* cruciatæ *apud me perpendo, & ea, quod scripsit* Bohuslaus Balbinus *in Miscellaneis Bohemicis adjungo, vix me continere possum quin improbissimam partialitatem isti Jesuitæ in os objiciam; multus enim est in recitandis cladibus, excidiis monasteriorum, cæde sacerdotum,* &c. *à* Taboritis *&* Orphanis *perpetratis; sed de provocatione horrendâ, quâ pars* Bohemorum Papistica *eos irritavit & infestavit, illos ubique inquietando & omnibus modis truculentis divexando, ne gru quidem hujus rei est: tacetur hic à Jesuitâ quòd* A. D. 1420. plures tribus millibus fratrum Bohemorum (*qui mille vicibus præstant* fratribus Polonis) in puteos Cutnenses, ubi sunt argenti fodinæ, vivi præcipitati sunt: quod captus Calixtinorum sacerdos, quinque florenis, uno laicus vendebatur, quorum ora

jussu

jussu Justi Episcopi Wratislaviensis & Baronis Sesbizofii, pulvere nitrato impleta incendebantur, *ut nobis narrat* Johannes Lasitius *in* Theologia Muscovitica, *pag.* 93. *edit.* Spir. 1582. *cujus generis sævitiam in populos* Christianos *exercitam plorabunt, quotquot cor & viscera habent. De* Matthæo de Cracovia, *cujus in initio hujus paragraphi mentio, hoc solum moneo, extare illius tractatum alium de eo,* [utrum expediat & deceat sacerdotes continuare missas, vel laicos frequenter communicare ?] Memmingæ *editum A. D.* 1491. (*vide Indicem Manuscriptorum bibliothecæ* Augustanæ Antonii Reiseri *pag.* 103.) *qui quidem liber* Matthæi *idem videtur esse ac ille à* Tho. Jamesio *in* Ecloga Oxonio-Cantabrigiensi *recensitus* (*in Archivis Collegii* Caii Cantabr. *pag.* 28. *part.* 2. Eclogæ) *sub nomine & titulo* conflictus rationis & conscientiæ de sumendo vel abstinendo à corpore Jesu Christi.

Post non indiligentem investigationem, nondum inveni aliud exemplar Epistolæ istius Procopii & Conradi, *celeberrimorum* Bohemiæ *Capitaneorum : eos stigmate inurunt* Sylvius & *quotquot Pontificii res istius temporis narrant in* Bohemia *gestas: sed illud unicum, unde eam descripsi, satis est ; & hostium teterrimorum livor (quibus vel illorum umbra, si in vivis essent, terrorem incuteret) nihil officit* Ducum strenuorum *famæ ; eorum autem Epistolæ illam adjungas à* Bohemis *scriptam ad Christi fideles* 1431. *apud* Freherum, *p.* 233.

Consilium trium Episcoporum Bononiæ congregatorum *ob insignem ejus stultitiam & nugacitatem, aliquibus Protestantibus, eisque doctis & integerrimis viris, visum est res ludicra & à* Vergerio *conficta in opprobrium trium* Episcoporum ; *i. e. vix induci possunt ut aliqui essent tam excordes et effrontes, ut talia suadeant Pontifici, tam ridicula & ab omni ratione aliena : sed hæc est nostratium ingenuitas, quæ non assuescit istiusmodi tricis & offuciis. Res est procul dubio seria, qualem eam emisit Crashavius, cujus ipsius liber et notæ penes me sunt ; et nemo* papistarum, *quod novi, unquam sic sentiit de* Consilio ; *quin omnes admisere rem actu gestam ; cui etiam fidem facit præfatio* Vergerii *in primum ejus operum* tomum.

Gentiani Herveti oratio *impressa est (ut alicubi jam notavi)* Parisiis, *tum aliàs, tum* 1671. *cui per otium adjungas ejusdem* Herveti *Epistolam prolixam* Alphonso Salmeroni *datam* (in fine partis secundæ libri quarti Historiæ Conciliorum Richerii) *quæ multa tibi* Arcana Tridentini *Concilii & necessitatem Ecclesiæ reformandæ, necnon Curiæ* Romanæ *abusus & factiones clarissimè detegit, ut ait* Richerius *in ejus calce ; qui ibidem etiam innuit quàm affinis est ista Epistola huic* Orationi.

Lindani epistola *exuditur ex schedis* Crashavii, *quas typographo præparavi : fortasse præfatio est* concordiæ discordis, seu Querimoniæ ad Imperii Principes, &c. *quæ prodiit* Colon. 1583. *vel alicujus ejusmodi tractatûs, quorum numerum satis magnum emisit homo purus putus* Papista, *sed vitiorum cleri insectator acerrimus.*

In sequentes tractatus *præfatur ipse, è quo desumpti sunt,* Conringius, *vel* Jamesius, & *de eisdem ii optimam tibi reddunt rationem.* Wicelii, *quantumvis acerrimi* Lutheranæ *Scholæ hostis, opuscula lectu & relectu dignissima reperies : Ille &* Barnesius *in hac* Appendice, & *Cardinalis* Alliacensis & Erasmus *in* Fasciculo (*stomachentur quicunque volent) moderatorum partes agunt inter dissentientes, & quid utrinque concedendum, sobriè & prudenter disceptant : unde amplius sibi nomen & illæsæ integritatis famam magis sibi conciliarunt, quàm* infallibilitatis stultæ *defensores unquam adipiscentur apud viros rerum theologicarum gnaros, si causam istam vapidam & putridam ad finem usque mundi sustinebunt. Aliquid autem vidit* Erasmus, *quod non advertit Cardinalis ; aliquid item viderunt* Wicelius & Barnesius *quod eorum neuter viderat emendandum ; & ut indies clarescit Evangelicæ doctrinæ lux, aliqua vident hodierni* Protestantes *quæ à nullo* quaternionis *illius doctissimi & perspicacissimi socio sunt animadversa.*

Epistolæ *illæ memorabiles* Caroli V. & Clementis VII. *dicebantur in* Crashavii *Fasciculo (unde eas & aliqua alia hausi) si bene memini, è* libro Epistolarum Turcicarum *excerptæ : quæcunque verò habes ex Fasciculo isto* Crashaviano, *benignitati Reverendi viri, Doct.* Guil. Asheton, *qui Manuscripti dominus est, accepta referenda sunt.*

Boneri præfatio in Stephani Gardineri *librum* de verâ obedientia Oxonio *mihi missa est à viro doctissimo* Georgio Hicks *Ecclesiæ* Vigorniensis *Decano, qui illam meis precibus diutius in omnibus Academiæ bibliothecis quæsiverat, in* Baliolensi *verò solùm invenit : ipse autem* Gardineri *liber exuditur juxta veterem editionem* Londinensem, *cui deest ista præfatio (calliidè enim eam editioni illi subtraxerat hypocrita crassus, quasi rei pudefactus) quam nobis suppeditavit perhumaniter vir de ecclesia nostrâ & omnigenâ literaturâ bonâ præclarè meritus* Thomas Tennisonus *S. T. P. & S.* Martini in Campis *Vicarius.*

Sampsoni *libellus* de obedientia Regi præstandâ, *contra itidem obtentus papales, nobis est mutuò datus à D. Decano* Vigorniensi & *illius Ecclesiæ Canonico erudito* Guil. Hopkins. *Qualem postea palinodiam cecinerunt* Gardinerus, Bonerus & *hic* Sampsonus, *neminem fugit in rebus* Anglicanis *versatum : ut integer sit hypocritarum* infulatorum quaternio, *iique in triumphali* Inconstantiæ *quadrigâ jocunditer simul vehantur, eis adde* Pium *secundum cum* bulla retractationum

retractationum *curiosè à tergo quadrigæ depictâ, &* Virgilii *verbis aliquantum mutatis,* Non sum pius Æneas.

De Johanne *illo* Barnesio, Catholico-Romani pacifici *authore, præfatus est aliqua vir doctissimus qui opusculum illud* Oxoniæ *edidit: qui autem vellet hominem penitius rescire, quærat librum quendam excusum* Lugduni *A. D.* 1627. *cui titulus* [splendor veritatis moralis collatus cum tenebris mendacii & nubilo æquivocationis ac mentalis restrictionis, &c.] *ab* Emonerio *quodam monacho* min. *& ejusdem Ord.* Commissario, *scriptum, contra hunc* virum bonum *&* pacificum; *ubi ab invido & stultissimo monacho corraduntur omnia quæ famam & doctrinam hominis sibi videbantur denigrare, hac solùm causâ quòd* Lessii *doctrinam de minuendo* mendacii *peccato sub pigmento & fuco* æquivocationis licitæ *egregiè vellicaverit & confoderit. Æstimandi sunt semper boni viri ex calumniis detrectatorum, & patronorum* mendacii: *quos isti homunciones invido dente arrodunt, ii certo certius sunt probi homines: si mihi æquissimus de hoc homine calculus ducendus esset, eum non aliunde sumerem quàm ex istâ descriptione & charactere quem malevolentissimus (nescio quis)* monachus *vel* Jesuita Anglicus Emonerio *suggesserat & transmiserat, quemque hic* Commissarius pragmaticus *publici juris fecit, ut* Invidiæ *litaret, in isto* Splendore (*scilicet*) Veritatis, *in* Aditu ad Disputationem *pag.* 10. *Inde mihi liquidissimò constat hominem fuisse sincerum & probum, & nullâ aliâ ratione* crabrones cucullatos *irritasse nisi quòd nollet esse tantus* nebulo *quanti fuerunt isti.* Richerius Sorbonensis (*qui paria cum hoc viro passus est, & ob eandem rationem; cuiq; hic* Barnesius *fuit charissimus*) *eum non fuisset tam tenere amplexus nisi eximias ejus dotes adamasset: & in* pistrinum *ii profectò ablegandi sunt omnes Pontificii doctores, tanquam alienæ famæ prædones &* fures, *qui hoc scriptum* Romano-Catholici Pacifici *ab* emotæ mentis *homine profectum blaterant: Sed quis non* demens *apud stultos & nebulones?* Christus *ipse, Salvator noster, Deus in secula benedictus, & ejus Apostolus S.* Paulus *eodem stigmate inusti sunt.*

De duobus insequentibus *non opus est pluribus quàm in suis cuiq; locis dicta sunt; nisi quòd* Modum *istum* solennem Sylvestri Prieratis, *fere deperditum, & inter istius opera ob eximiam ejus stultitiam non recensitum, habes tibi è bibliothecâ collegæ mei* Johannis Moore *S. T. P. qui noluit solus ridere antiquam* Inquisitorum *fatuitatem.* Excerpta illa è Bernardo, *&c. pars sunt* Speculi Pontificii *ab* Ed. Bulkleio *fabrefacti, editique circa seculi præsentis initium* Londini: *librum publicæ utilitati dicavit* Tho. Linfordus S. Edmundi *Regis* Lond. *parochus.*

Officium Ordalii *descripsi è codice antiquo MS°. penes dignissimum Decanum & capitulum Ecclesiæ* Roffensis, *qui appellatur* Textus Roffensis: *Magni æstimatur, idque meritissimò, hic codex membraneus, ob monumenta quædam antiquitatis quæ vix alibi reperirentur, nisi Decanus* Vigorniensis *leges quasdam* Saxonicas, *in* Lambardi Ἀρχαιονομίᾳ *non extantes, inde curasset transcribendas jurisque publici faciendas; vel amicus meus doctissimus* Tho. Gale *S. T. P. easdem aliunde quæsitas, ex illius diligentia laudatissima cum quamplurimis aliis eò spectantibus collegisset.* Textum *hunc diu cognovi, in ea urbe natus, eiq; in ædibus* D. Johannis Lorkini, *Ecclesiæ* Roffensis *Canonici (cujus memoriæ ob eximiam erga me munificentiam & bonitatem, plurimum debeo) jam olim familiaris factus sum. Varia continet hic MS veluti leges antiquas, pacta, chartularia, bullas, privilegia, donaria, &c. præter huncce* Exorcismum: *Eorum partem magnam collegerat* Ernulphus *hujus sedis antiquissimæ Episcopus, qui mortuus*
* pag. 70. *est, teste* * Matt. Paris A. D. 1124. *D.* Henr. Spelmannus, *clarissimus Vir, rubro suo penicillo notarat in hoc codice, inter alia, donaria quædam* Presbyterorum *talis & talis Parochiæ &* uxorum *eorum, Ecclesiæ* S. Andreæ Roffensi *consecrata, ut eorum* Filii *in monachorum ejus Ecclesiæ cœtum cooptarentur: tunc temporis igitur licuit sacerdotibus esse* maritos; *sicut multis ante seculis, donec clerus dissolutæ vitæ quàm vinculis conjugalibus addictior,* focarias *uxorum vice in deliciis habebat, & morum probitas ab Ecclesiasticis valere jussa, luxui & sceleri cedere coacta est: Nec sacerdotes conjugati audiebant* Concubinarii (*sicut postea, cum vitium virtutis locum occupabat & nomen*) *donec sacerdotes* meretricii *ætatis sequioris* dicere rem sibi præstantiorem fornicari quàm uxorem ducere, *ausi sunt impudentissimè: tantum interest inter sacerdotem Pontificium obscœnum, & presbyterum* Christianum *castum. Quod autem notavi ego in Codice illo* Roffensi, *est quod tuâ etiam observatione dignissimum duces. In folio nimirum* 107. Matthæus Parker, *Reverendissimus & literatissimus Archiepiscopus* Cantuariensis *scribi jussit hæc verba manu* Guilielmi Lambardi, *antiquarii nostri* Cantiani *A. D.* 1573. [Quando Willielmus Rex gloriosus morabatur in Normannia, Lanfrancus erat Princeps & custos Angliæ, subjectis sibi omnibus Principibus, & juvantibus in his quæ ad defensionem vel pacem pertinebant Regni, secundum Leges patriæ; lectioni assiduus & ante Episcopatum & in Episcopatu quantum poterat; & quia Scripturæ scriptorum vitio erant nimium corruptæ, omnes tam Veteris quàm Novi Testa-

Testamenti libros, necnon etiam Scripta sanctorum Patrum, secundum orthodoxam fidem studuit corrigere, *&c. Hæc proculdubio habuit Reverendissimus Primas, & antiquarius idem eruditissimus, è probo aliquo & authentico testimonio. Quid autem audimus, Lector?* Biblia sacra *&* Patrum *scripta correcta à* Lanfranco? *Deus bone! quàm antiqua est ars* Inquisitoria! *Quis unquam somniasset* Expurgatorios Indices *sexcentis annis fuisse vetustiores?* Omnes Veteris & Novi Testamenti libri, *& pristinorum* patrum Scripta ad Lanfranci *limam revocantur, quia* Scriptorum vitio corrumpebantur *scilicet. At quinam erant illi* Scriptores, *sacrarum literarum & patrum* vitiatores? *Quid agunt Correctores? Delendumne est litera* c *ex* michi (*quod tamen ægre tulisset* * Leon. Aretinus) *vel* p *ex* sompnus *vel* solempnis, *vel aliquid hujusmodi, quod Scriptores incauti vel indocti (qui plerumque fuerunt* Ecclesiastici) *pinxerant perperam? Apage!* aquilæ non capiunt muscas: Lanfranci *opera non in rectè formandis literis vel syllabis locatur, sed in mutando sententiarum sensu, & scriptis illis cœlestibus & piis ad* Romanæ *fidei amussim exigendis. Habemus hic in* Anglia *catalogos aliquos librorum vetustissimos, qui authorum nomina in hujus & illius Ecclesiæ Cathedralis bibliothecis extantium commonstrant: Quorum aliquos vidi; imò in hoc ipso* Textu Roffensi *fuerat olim talis elenchus, licet nunc dierum vix quatuor ejus supersint folia, excisis cæteris à nescio quo nec quamobrem.*

* Epist. l. 8.

Ex illis catalogis constat fuisse Angliam *à multis seculis librorum divitem, eorum maximè qui res Ecclesiasticas & historicas tractarunt: Maxima autem* Patrum *pars, quorum scripta hodie innotescunt, olim quoq; cognita est vel propriâ, qua scripta sunt, linguâ, vel mutuatâ: si hæc omnia volumina* Lanfranci fidem orthodoxam *sapere didicerunt, profectò habituri sumus bellos patres; ad* Scripturas sacras *quod attinet, supra illius facultates fuit illas adeo corrumpere, quin linguarum Originalium (quas ille non magis calluit quàm* Papa Romanus) *ope, à viris doctis fraus jamdiu detecta est; sicut & patrum antiquorum Scripta non adeo depravata sunt, quin collatis invicem variarum gentium exemplaribus, quæ* Lanfranci *censuras effugerunt, facilè quid genuinum quidve adulterinum discerni queat. Bene autem habet quòd Archiepiscopum hunc pium,* Matt. Parkerum, *monitorem habuimus quid à quodam prædecessore suo in mutandis* S. Scripturæ *&* Patrum *locis tentatum olim fuerit.* Fides ista orthodoxa (*scilicet*) secundum quam Lanfrancus hæc studuit corrigere, *fides erat* Romana; *hoc concedent omnes nostri adversarii; sed ea* fides Romana, *in rebus maximi momenti fuit corruptissima; & annon bella correctio est Scriptorum, ubi doctrina sana emendatur in insanam? Hoc est* in pejus proficere (*ut Vulgata editio non invenustè* * *Apostolum explicat*) *& quod erat antea bonum, in malum convertere. Hic ipse* Lanfrancus *fuit qui* transubstantiationem, sacerdotum cœlibatum *aliasq;* doctrinas Romanas *huc ex* Italia, *patriâ suâ, secum attulit: quem siquis rectè metiri velit,* Hildebrandi *fuisse eum contemporaneum & amicum meminerit oportet. Ejus autem* correctio Bibliorum *&* Patrum *clarè indicat, subfuisse aliquam rationem magnam, quare prioribus eorum exemplaribus non fuerit contentus; & aliqua Ecclesiæ dogmata fuisse suis temporibus mutata; quod sole meridiano clarius est in causâ* transubstantiationis; *quam Ecclesia nostra* Saxonica *penitus nescivit; imò & tam nova & peregrina fuit doctrina, ut* Gregorius Septimus *nesciit planè utrum* Berengarius *an* Ecclesia Romana *super ea re rectius sentiret, ut habetur in ejus vitâ à* Bennone *Cardinale conscriptâ. Serò jam querimur Ecclesiam miserè fuisse corruptam; sed profectò in rem nostram cedit, nosse fuisse corruptam. O quàm grata mihi res esset, & tibi, Lector, si* Bibliorum *vel* Patrum *exemplaria videre liceret, quæ* Lanfranci *manus correctrices evaserunt, cum ejus* castigatis libris *conferenda! Correcta proculdubio reperiremus plurima eo modo, quo* Romanistæ *hodierni libros corrigunt.* i. e. *adulterata, vel abrasa: pulcherrimam emendandi libros rationem! Sed quid fiet de aliquammultis Ecclesiæ* Romanæ *doctrinis, nisi talia subornentur testimonia, & falsarii, priscorum patrum personis indutis, ea pro præscriptis venditent, à quibus si viverent veri authores abhorrerent? Sed hæc obiter, occasione arreptâ ex eis quæ in hoc MS°. reperi annotata.*

* 2 Tim. 3. 13.

De origine vocis Ordalii, *de quo agimus, consulenda sunt glossaria; illud præsertim quod* Abrahamus Wheelocus, *Professor aliquando* Arabicus *Academiæ nostræ* Aulæque Clarensis *Socius,* Ἀρχαιονομίᾳ Guil. Lambardi, Cantabrigiæ 1644. *edita, adjecit. Extat hoc* Officium *in* D. Henr. Spelmanni *glossario, ex eodem MS°,* Roffensi *excerptum; & in* Capitularibus Regum Francorum, *à* Steph. Baluzio *editis* Parisi. 1677. tomo secundo, *pag.* 647. *ubi appellatur* Exorcismus ex ordine Dunstani; *illius nimirum* Dunstani *sancti qui fortissimè dæmonem naso prehendebat forcipe; & (ut verum dicam) vix quilibet alius quam qui cum dæmone congredi non veritus est, tot & tantas* conjurationes *auderet condere, quales hic in* Ordalio *adhibentur. Sed respondent ista ritibus illorum temporum tenebricosis & superstitiosissimis, quæ religionem* Christianam *mirificis ineptiis contaminarunt.*

De Ordalio (*si judicii & examinis istiusmodi cæremonias penitus velles perspectas*) *multi*

tibi

tibi consulendi sunt authores qui aliquid de eo literis tradiderunt : viz. Seldenus *in* Jano Anglorum, *ejusq; nota in* Edmerum *ad calcem* S. Anselmi *editi* Parisiis 1675. *pag.* 129. Lindenbrogius *in* Glossario ad Codicem legum antiquarum, *in voce* [Judicium aquæ] Antiquitates Britannicæ, *edit.* Francof. *pag.* 104. *ubi magna pars hujusce* Officii *recitatur; sicut & ejusdem superstitionis peragendæ modus, paginis ejusdem libri* 97. *&* 100. Primus tomus Analectorum veterum Mabillonii, *pag.* 47. *&c.* Theodori Pœnitentiale *edit.* Parisiis 1679. *pag.* 665. Tomus secundus Antiquitatum Alamannicarum Goldasti, *part.* 2. *pag.* 139. *edit.* Francof. 1661. Nauclerus (*pag.* 1118. *editionis* Colon. 1579.) *aliquid habet de hujusmodi* experimento *ignis in causâ boni illius viri,* Hieronymi Savonarolæ; *& non ita pridem* Sacerdos *quidam* papisticus, *in capitis periculum adductus ob conjurationem in* Carolum *Secundum* Angliæ *Regem, testandæ innocentiæ suæ causâ fidenter sese obtulit hujusmodi* Judicio. *Siquis unquam posthac sacerdos Pontificius, læsæ majestatis reus peragetur & ad hoc* Examen *provocabit, en* missam ignitam *&* aqueam *illi purgando vel damnando paratam! quæ sacerdoti isti accusato non tam obvia fuerat : sed quis hanc missam in* Anglia *legerit ista occasione, viderit ille qui ad tale* Judicium *provocaturus est; ne forte* missator *in par periculum cum* missato *incidat : satis est enim mihi & tibi, Lector, cæremonias hasce obsoletas & nescio quid, præter horrendam Divini nominis profanationem, olentes, nosse, & in crassissima superstitionis vituperium palam proferre. Siqui verò sint qui in hac religionis & literarum bonarum luce & fulgore, hujusmodi* exorcismis *virtutem aliquam inesse existiment, eisve ob antiquitatem aliquid deferant, ne eis hæc ultima* Appendicis *meæ pars magno possit esse juvamini : sed, si à me suaderi velint, ex cæterarum ejus partium lectione, nisi ipsi in culpâ sint, sapientiores evasuri sunt. Si tu autem, bone Lector, vis videre quantum olim invaluit hæc consuetudo* adjuratoria, *unde originem sumpsit, & quo pacto paulatim in desuetudinem & contemptum ne dicam horrorem, abiit, & evanuit à judicandorum facinorum legibus, vide* Friderici Heinii Rostochiensis Dissertationem de probatione quæ fieri olim solebat per ignem & aquam, cum ferventem tum frigidam, Tubingæ *excusam A. D.* 1620. *&* Christophori Besoldi πάντοῦ dissertationum philologicarum *annexam; in qua uno intuitu, omnia ferè quæ hac de re scitu digna sunt, ingeniosè exhibentur.*

Sic tandem percurri etiam Tractatus *in* Appendice *ad* Fasciculum, &c. *editos; suum, ni fallor, cuiq; reddidi, & quæ vix ac ne vix quidem alibi reperies impressa, in hoc volumine candide, probè ac fideliter, & amicè omnibus proposita habes. Siquid autem sit nævorum in hac editione, amplius quam in mendorum indiculo significavi, tuo id candori & dexteritati corrigendum relinquitur.*

Non habemus in Anglia Stephanos *aut* Aldos, Crispinos *aut* Plantinos : *Qui cum typographis nostris rem habent, laboris patientes esse oportet, & ad operariorum prali ἀβλεψίας, velint nolint, aliquando connivere, nisi* labore improbo *toti esse velint in falsis punctis & literulis eradicandis. Cavi certè ne* millena errata, *quæ in* Gratii *editione,* &c. *scaturiebant, in hac nostrâ committerentur; quòd si adverbia tibi occurrant sine virgulis, & vocales simplices pro diphthongis, & literæ* m *&* n *per lineolam superimpositam æquo sæpius exprimantur, levia sunt hæc nec eis prævenienda qui nesciunt aliud nisi exemplar ob oculos positum sequi. Quod potui, feci per totum opus : Et* prodesse *volui &* delectare : *Siquid meis studiis adjuvaris in veritate & virtute* Christianâ *colendâ, quod unicè exopto, Deo gratias agas.*

Non is sum qui quod meâ operâ & lucubratione præstitum est, magnum quid vel egregium existimem : tenuitatis etenim meæ magis conscius sum quàm ut mihi arrogem plus quàm hominem imperitum, at boni publici amantem, deceat. Toti mundo fateor, habere me Ecclesiam Romanam *hodiernam, ne σκιαδίον quidem Ecclesiæ pristinæ; utpote quæ non* carne *solùm &* spiritu, *sed &* ossibus *aliquot principalibus, quæ in* Ecclesiæ corpore *integro requiruntur, vacua est & manca;* cadaver Ecclesiæ *potius quàm* Ecclesia *dicenda; donec* Ille qui mortuos resuscitat, *novam ei vitam & omnia membra reddiderit, omnesq; putredines & corruptiones, qui solus potest, sanaverit. Ex his ipsis* virorum clarissimorum *Scriptis didici quàm multa desunt istius Ecclesiæ* doctrinæ *&* disciplinæ *resarciendæ; deesse autem plura & majora, ex viris in hujusmodi rebus versatioribus, qui controversias penitius excutiunt, longè liquidius patebit. Eorum me judicio & admonitioni lubentissimus subjicio; maximas viris* doctis, bonis *&* ingenuis *gratias relaturus qui sicubi in hoc opere lapsus fuerim, me consilio suo & adjumento erigant. De isto autem* homuncionum maleferiatorum *genere, qui toti sunt in alienis operibus allatrandis & arrodendis, ipsi cum sint tenebriones otiosissimi & inertes, hoc solum dicam, Qui huc accedunt,* asini, *vix hinc dedíscent* rudere, *nec facilè evadent* equi.

Ut

Ut nihil autem, ad majorem fructum ex horum opusculorum *lectione capessendum, desideretur,* Indicem quoque rerum præcipuarum *adjeci, non sine aliquanto labore & molestiâ, nec sine conceptâ tui commodi fiduciâ;* alius Ecclesiæ *hominibus,*Inquisitoribus, *nuncupatum; quibus, si paucula quædam inibi eis fortè minus placentia repererint, hanc lubens offero conditionem, ut librum totum revisant (hoc enim cum superiorum* licentia *&* indulto *possunt) &* indicem *alium, si velint, suopte ingenio & modo, ex illo colligant contra* Ecclesias Reformatas; *sed eis spondeo, & hoc probe meminerint, fore illis longè satius hoc ipso* Indice *contentos esse, qui ne* decimam *quidem eorum* partem *exhibet, ad quæ frontes illi* magistrales *corrugabunt & mirè oggrunnient. Magnum librum,* magnum *fortasse* malum *(ut solent alii nonnunquam, non nimis sapienter) appellabunt; & editorem,* hæreticum *& nescio quid; & suos de* Fasciculo *quodam* exitiali *&* Appendice dampnabili *cavendis vociferatissimè monebunt: ehem! agant quicquid velint in aliis regionibus, & pro libitu bufonibus magis intumescant; at, ita nos Deus amet, in* Angliâ *ne unquam* cucullati judiculi, *eorumve* curia Rhadamanthina *efferatè dominentur, cavebimus omnes; & nisi valdè fallor, hic ipse liber, ad cujus conspectum præ rabie se non poterint continere, eorum ungues, ne in bonos authores sæviant, ad vivum præcidit. Qui* Indices *librorum contexunt, res in eis contentas* expiscari *videntur, haud aliter quàm qui rete seu tragulam per fluvium ducunt: videbunt* inquisitores *quale eis* piscium ferculum *offero in hoc* flumine *captatorum; quos, ut munus magis gratum adsit,* sale *condiendos curavi, ne putrescerent: vinum autem, cum hujusmodi piscibus potandum, cum vix satis eis digerendis in* Anglia *nascatur, & illo domi abundent, eismet ipsis curandum relinquo. Tu autem, probe Lector, quicunque es qui non fueris ex ista* sacerdotum Phaetontæorum *turba, hujus* Indicis *usumfructum habes, licèt* illis *ejus jus proprium donaverim:* jus *dixi? rectius id quàm essem opinatus:* Index *enim libri nihil aliud est quàm merum* jus, *cui cibi quidem simul cocti succus aliquis insit; sed* cibus *ipse* liber *est, è quo exprimitur: tu igitur* solido libri cibo *vescere, &* Inquisitores Indicis jus *sorbeant; & multum illis prosit.*

Finito opere molesto & difficili jocantur omnes & hilarescunt, de laboribus superatis triumphantes: idem mihi, Lector bone, permitte, & siqua tibi vox vel phrasis ludicra currente calamo exciderit, quæ linguæ nostræ quàm purè Latinæ propior videbitur, facilis præterito & ignosce, uti eis soles qui sibi nonnunquam in usu verborum & dictorum ad amussim Tullianam minime exigendorum, genialiter indulgent. Vale.

Sundrigiæ, Sept. 9. *S. V.*
M DC LXXXIX.

ORTHUINUS GRATIUS

Daventr. Johanni Helmanno legum Imperialium Licentiato, & bonarum artium Professori dignissimo, inclytæ Civitatis Colonien. patritio ac civi integerrimo S. P. D.

CUPIENTI mihi aliquid ad te scribere, & tuæ dignitatis memoriam posteris celebriorem magisq; memorabilem reddere, tum propter nativam majorum tuorum tibi ab ephebia innatam probitatem, tum propter singularem tuum erga me & bonos omnes amorem, tu primus omnium occurristi, cui hunc rerum expetendarum ac fugiendarum Fasciculum dedicarem: Nec immeritò: Agitur enim hic de gestis & actis Concilii Basileensis: Cui avus tuus Johannes Helman, vir præstantissimus & quem novi optimus, præsens interfuit, ab inclytæ civitatis nostræ Colonien. Consulibus ac Senatoribus, è numero penè civium omnium, ad tam insignem provinciam munusque præclarum ac nobile obeundum, delectus. Doctus profectò & mira pietate conspicuus, à monetis, secretis ac scriniis (ut sic dicam) censor & scriba, quum laudatissimus, tum integerrimus. Taceo largam ipsius in pauperes pietatem, taceo præclara ejusdem erga rempublicam patrocinia. Quæ si omnia vel enarrare hic vel describere contendero, me sit dies defecturus. Hoc solùm addam, ita justum tamq; in omnibus sibi commissis integrum fuisse, ut in principum atque aliorum sacri Rom. Imperii statuum consessu, sese ac cives suos & tueri potuerit & conservare. Ex cujus etiam filia, honestissima apud nos matronâ natus est Petrus Quentell, vir egregius & nostræ civitatis senator præclarus. Postremò autem, quum idem ille tuus avus sex & nonaginta annos fœliciter ac perbeatè complevisset, superos, quos ad tempus reliquerat, dicto citius revisit.

Ad patrem nunc venio tuum Johannem etiam Helman vocitatum, qui quanta fuerit virtute præditus, quanta rerum experientia decoratus, cogitare medius fidius poterunt pauci, dicere nemo. Majorum enim suorum vestigiis inhærens, non paucos præclari nominis viros albis præcessit equis, tibique ac posteris tuis (unico potissimum Johanni filio tuo, nobilissimæ indolis adolescenti) omnigeno virtutum ac charismatum genere, velut ardens Astreæ lampas, divinitus præluxit. Cujus animum (modò verum nobis fateri liceat) è cœlo credas ignem fuisse desumptum.

Cæterùm, quid de matre tua dicam, muliere itidem pudicissima? Quæ ex antiqua & insigni Cusinorum, Romanæ olim stirpis origine ac nobili stemmate prognata (quod duo leones aurei satis abundè testantur) castissimam expressit Penelopen, & singulari suæ modestiæ, nemini non & perspectæ hic & cognitæ, præclarum & illustre, diversarum, hem quid dixi diversarum? imò potius omnium virtutum specimen adjecit. Utinam Deus Opt. Max. hoc mihi loco Platonis copiam, Isocratis jucunditatem & Demosthenis vim contulisset, ut majorum tuorum virtutes aliqua ex parte, & id quidem hoc tenui meo orationis filo explicare potuissem. Quod licet mihi, tanquam apud Deum immerito, minimè contigerit (sufficit enim mihi Gratio Dei gratia) propensam tamen hac in re meam (quam nosti) voluntatem facies maximi, tuique etiam Orthuini, suo (ut dici solet) & loco & tempore, amicos inter (quos supra quàm cuiquam credibile est, habes innumeros) sedulò recordabere. Sic enim fiet, ut honesta posthac scribendi occasione data, in parentum tuorum ac totius prosapiæ laudibus enumerandis & locupletior sim magisque (quod velim) disertus.

Verùm his omnibus nunc omissis, ad te venio, Helmanne, virum profectò non bonum minus quàm eruditum. Quem in retrusioribus secretioribusq; reip. negotiis expeditum, omnes confitemur. Novi præterea magnitudinem animi tui, novi constantiam, novi singularem tuam, etiamnum & contestatam in bonos omnes fidem ac humanitatem. Eloquar ergo an sileam? Quin animum erga te meum aperio: Testor profectò Deum & conscientiam (nulli enim fucum facere didici, nihilque est à me alienum magis, quàm assentatoris fungi officio) omnium majorum tuorum virtutes, sive justitiam, sive pietatem, sive munificentiam sive humanitatem intueri voluerimus, in te solo ac unico refulgere. Adde huc, quòd

tu

tu instar Ulyssis, aut rectius Platonis, patria tua nobili ac patre desertis, externas nationes, tum propter jurisprudentiam Patavii ac Bononiæ consequendam, tum propter varios hominum mores dinoscendos, longè lateque pervagatus, Romanam urbem, Venetos quoque & Italiam totam perlustrasti. Non mirum igitur, si te omnes apud nos & colant & venerentur. Hinc non indecenter in tuam laudem hoc heroicum citaverim,

Clarior in cunctis divus splendebat Iason;
Juno etenim lætos illi aspirarat honores.

Postremò, ne vel te virum præstantissimum, vel lectorem studiosum diutius morer, de tuo nomine proprio hoc dictum velim, omnes tui stemmatis progenitores idem nomen habuisse, ut sicuti Johannes Apostolus Christo charissimus fuit, ita quoque & tu, ac posteri tui omnes eidem & grati semper sint & accepti. Hoc igitur in tui nominis laudem Hexastichon ipse tecum frequenter decantabis:

Dicor Johannes Helman cognomine patris,
Sic avus & proavus dictus & est tritavus.
Dumque senes longo fracti consumimur ævo,
Et genus & nomen durat in orbe vetus.
Munere ita superûm patrii mihi nominis hæres
Obtigit & vivo qui periturus eram.

At quid de nomine tantum tuo? Animi potius tui constantiam incredibilemque tuam erga nos omnes humanitatem metiamur. Scio quanti te Consules nostri ac senatores, viri mehercules & prudentissimi & optimi, semper faciant: Itemque non me fugit, quali te honore cives nostri omnes simul prosequantur. Nec de nostratibus duntaxat hoc velim intelligi, quum exteri, qui suas Coloniæ possessiones habent, pari te honore ac laudibus colant. Verùm hac de re satis, & ad ea quæ in hoc libro continentur, & in priori præfatione, dicta summatim fuere, nunc tandem properemus.

Commentarii Æneæ Sylvii de Concilio Basileensi.

* [Commentarios excusum & divulgatum] sic voluit O. G. is igitur de verborum congruentiâ tibi, Lector, respondeat.

Commentarios Æneæ Sylvii in Basileensi Synodo, quos ille privatus adhuc agens mirâ fide & diligentia conscripsit, jamdudum publicè ab aliis excusum * & longè lateque divulgatum nacti, in publicum iterum emisimus. Nam hi non solùm rari in Bibliothecis extant, verùm ab ipso etiam authore suppressi videntur, posteaquam ad pontificium fastigium emersit. Fortè quòd acta Basileensis Synodi, quæ pro reformatione ecclesiæ convenerat, paulò candidius ac simplicius explicent. Nec mirum est, si hoc opus fuit neglectum, quando Synodus ipsa reprobata fuit, quòd in ea visum sit patribus mundum melius habiturum si potestas Romani Pontificis aliquatenus astringatur, videlicet ut cum omnibus ipse præsit, subsit tamen ecclesiæ. Hoc sanè constat, Pium damnasse quod Æneas probaverat, ut non tam verum sit, juxta Proverbium, cum vita diætam mutari, quàm animus ipse mutatur & judicium. Describere autem Basileensem Synodum exactè potuit, quòd tum Clericus esset cæremoniarum (ut vocant) & singulis conventibus interesset. Venerat is Basileam, fortunam quæsiturus, cum esset supra modum tenuis. Dexteritas primùm commendavit hominem Cardinalibus, deinde in aulam Friderici Cæsaris ascitus, mirabilem fortunæ benignitatem sensit. Sed hæc vulgo nota sunt. Ex his commentariis disces quid sit Basileæ actum, & quemadmodum soleant celebrari Concilia. Cujus operis raritatem vel ex hoc collige, quòd aiunt illud apud Basileam non extare. Nam primus liber tantùm illic habetur, miserè tamen & mendosissimè scriptus, cum tantus numerus librorum illic sit, quibus acta ejus Synodi continentur. Porrò codex Commentariorum Æneæ, veluti farrago quædam erat variorum tractatuum, quos visum est omnes imprimere, partim quòd historias continerent, vel hactenus incognitas, vel secus proditas quàm res habet: partim quòd veterum quorundam Paradoxa inerant, quæ hodie circumferuntur ut nova, cum tamen jam olim inventa sint, & in sacris Conciliis damnata. Primum obtinebat locum Vita Hildebrandi, qui Gregorius septimus dictus est; quam cum legeremus, in mentem veniebat decreti illius, quod apud Brixiam Noricam in celebri episcoporum & aliorum procerum Synodo emissum est, ut Abbas Urspergensis in Chronicis suis prodidit, & est hujusmodi.

Chronica Abbatis Urspergensis.

'Quia (inquiunt) illum constat non à Deo electum, sed à seipso in fraude ac pecunia 'objectum, qui ecclesiasticum subvertit ordinem, qui Christiani Imperii perturbavit reg'num, qui Regi Catholico ac pacifico, corporis & animæ intentat mortem, qui perjurum 'defendit regem, qui inter concordes seminavit discordiam, inter pacificos lites, inter 'fratres scandala, inter conjuges divortia, & quicquid quietè inter piè viventes stare videbatur,

‘batur, concuſſit. Nos authore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti decem & ‘novem epiſcoporum die ſancto Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum, contra eundem ‘Hildebrandum procaciſſimum, ſacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia ‘defendentem, Catholicam & Apoſtolicam fidem de corpore & ſanguine Domini in quæ‘ſtione ponentem, hæretici Berengarii antiquum diſcipulum, divinationum ac ſomniorum ‘cultorem, manifeſtum necromanticum, Pythonico ſpiritu laborantem & idcirco à vera ‘fide exorbitantem, judicamus canonicè deponendum & expellendum, & niſi ab ipſa ſede ‘his auditis deſcenderit, in perpetuum condemnandum. Facta ſunt autem hæc ſeptimo ‘Calendas Julii, feria quinta, Indictione tertia. Hactenus Urſpergenſis.

Videat hic Platina quid ſcripſerit.

Ut verè & rectè poſſint lectores de hoc pſeudo-papâ impio judicare, & antidoto muniantur contra Bellarmini & Gretſeri, illum ad Sydera uſque evehentium, venenum, conſulenda eſt omnino [Replicatio pro S. Cæſarea & Regia Francorum Majeſtate, illuſtriſſimiſque Imperii Ordinibus, adverſus Gretſerum Jeſuitam] à Melch. Goldaſto Haiminsfeldio conſcripta: necnon [Reverendiſſimorum & Illuſtriſſimorum quorundam S. Rom. Imperii Principum Apologiæ pro D. Henrico iv. Imperatore, adverſus Gregorii vii papæ, cognomento Hildebrandi, & aliorum patriæ hoſtium, impias ac malignas criminationes] ab eodem præſtantiſſimo viro M. Goldaſto collectæ; editæ in 4°. Hanoviæ; A. D. 1611.

Hanc ſententiam in Hildebrandum non eſſe vanam, aut ſine cauſa decretam, ſtatim intelliget quiſquis vitam ejus legerit. Geſtis Hildebrandi conjuncta erat Vita Henrici Cæſaris, qui multa paſſus eſt ab illo. Huic cohærebat profeſſio fratrum Waldenſium ad Regem Hungariæ, quæ non multum alicubi diſſentit ab iis quæ nunc vulgo traduntur à quibuſdam ut ab illis accepiſſe videri poſſint. Atque hinc melius cognoſci poſſunt quales ſint, quàm ex Catalogo hæreticorum, quem venerabilis pater F. Bernardus de Lutzenburgo, ordinis Prædicatorum, edidit. Pòſt adnexi erant articuli quidam Johannis Wiclefi impugnati ſedulò à Wilhelmo Wodfordo. Mox aliæ propoſitiones ejuſdem ex illius libris excerptæ damnatæq; non ſolùm Oxoniæ Londinique, verum etiam in Conſtantienſi Concilio. Item rationes propter quas damnari meruerunt, ut illa tanquam nobis peſtifera fugiamus. Erant & hi libelli poſtremo loco, quomodo Wiclefica doctrina venerit in Bohemiam ex Anglia. Fragmentum Æneæ Sylvii, Leonardi Aretini libellus adverſus hypocritas. De vocatione Bohemorum ad ſanctam ſynodum Baſileenſem, Petitiones eorundem, Examen Johannis de Weſalia Theologi, & Condemnatio Johannis Wiclefi, Johannis Hus & Hieronymi Pragenſis per Concilium lata Conſtantien. Quæ omnia & multa etiam alia, prædictis libris, opuſculis atque tractatibus, ſive intermiſta, ſive ad calcem adjecta, lectuque jucundiſſima * & neceſſaria cognitu, ſimul in hoc volumine impreſſa, cum judicio lege ac vale. Nec illud ſilentio prætererim, hunc librum ab omnibus ſine ulla planè offenſione legi poſſe, modò noſtras præfatiunculas ſive epiſtolas hic paſſim varias, ac dignitati tuæ dedicatas diligenter ac piè perluſtraverint, eamque potiſſimum, quæ in ultimis hujus libri foliis reperies. Iterum fœliciter vale, mi chariſſime Helmanne, omnium ſtudioſorum decus ac columen.

F. Bernardus de Lutzenburgo author catalogi hæreticorum.

* Aliter autem ſentiunt Inquiſitores Eccleſiæ Romanæ, qui Faſciculum hunc in Indice expurgatorio penitus prohibent.

Coloniæ ex ædibus noſtris, Anno à Chriſto nato, milleſimo quingenteſimo triceſimo-quinto pridie Nonas Martias.

ELEN-

ELENCHUS TRACTATUUM QUI in hoc Fasciculo continentur.

Index Tractatuum qui in Fasciculo continentur.

* i. e. Si historicos melio es simul adhibeas.

* Talis qualis

Omnia fermè hæc cum suis præfatiunculis, seu epistolaribus, numero (ut opinor) 29. perorationibus, ab eodem sunt edita.

Index Erratorum in Fasciculo.

Pag	lin	Errata.	Correcta.
4	ult	*disputationi*	dispositioni
5	15	*relapsum*	[relapsum]
	17	*prolapsum*	[prolapsum]
9	12	post [*præcipiamur*]	collatur punctum .
	17	post [*culpæ*]	comma
12	43	*non obstantiæ*	non-obstantiæ
13	21	*& in pertinentiibus ad ea*	[& in pertinentibus ad ea]
14	11	*tabulorum*	rabularum
15	29	*judicium*	judicum
	30	*variare*	variari
	43	*res*	rei
17	6	*Synodus*	Synodis
	57	*majestas.*	majestas?
19	55	*sentiret*	Sentiret (
	57	*prædicaverat*	prædicaverat)
20	5	*Mediolansis*	Mediolanensis
	47	*querebatur*	querebatur
24	52	*id enim*	idem enim
25	60	*proposui*	proposuit
29	53	*in hunc modum: at*	in hunc modum [At
	36	*judicare,*	judicare]
31	10	*nec persev-*	ne persever-
	34	*pro at se*	pro se
32	9	*disputatio*	deputatio
	14	*Lubicensis*	Lubicensem
37	37	*Decretum*	decretum
41	13	*postem*	pestem
43	40	*Eructuariensis*	Fructuariensis
47	24	*nec illi*	nec ulli
48	47	*pariti*	partiti
53	38	*in curia*	incuriâ
55	50	*deliberaret*	deliberaret.
59	32	*at circum*	ac circum
	55	*se ducunt*	seducunt
60	tit	pag. *Commentariorum Æneæ Sylvii*	Juliani Cardinalis.
62	29	*quodammodo*	quòd amodo
66	45	*prædictia*	prædicta
71	59	*arturo*	Arturo Alouff
74	7	*servandum*	Servandam
83	8	*aliis*	alius
	15	*Transit*	[*Transit ab R. Gerbertus ad R. post papa viget R.*]
84	13	*ut sacril-*	vi sacril-
91	40	*acto situm*	arcto situm
92	59	*anguida*	languida
108	13	*ob obedientiam dimisisses.*	ab obedientiâ divisisses
	43	*fuit*	fuerit
109	5	*professionum*	possessionum
109	8	*præscriptio-*	proscriptio-
	43	*præmissorum aut*	præmissorum autem
	18	*Archimarstallum*	Archimarescallum
110	40	*-beant, constituit*	-beant constituti
	45	*ordinari*	ordinare
111	58	*electum præfuerit*	electum fuerit
112	10	*obtinuerunt, possederunt*	obtinuerunt & possederunt.
	16	*quantum*	quartum
	19	*elegentium*	eligentium
	21	*Moguntinen. Episc.*	Moguntinen. Archiepiscoporum
	27	*præsidentia dextrâ*	præsidio dextra
	32	*animarum*	animorum
	36	*concilio*	consilio
211	42	*actibus imperialibus*	actibus imperialibus,
	43	*Conciliis*	Consiliis
	49	*extunc*	exnunc
	50	*consilio quam in curia*	dele *quam in curiâ*
	55	*primum post cum continuo.*	primum, & post cum continuò
113	3	*terminis*	termino

Pag	lin	Errata.	Correcta.
	12	*versa, ut*	versa requirent ut
	17	*Mariscalcatus*	Mariscallatûs
	24	*quæ tamen Regem*	quæ tamen per Reg
	43	*signanter expresse*	signanter expresso
	48	*Imperii, cum*	Imperii cui
114	2	*obviare.*	obviare,
	12	*masculos, &*	dele &
	26	*regnicularum*	regnicolarum
	34	*præeminentiæ vel dignitatis*	dele *dignitatis*
	39	*ac præsenti*	hac præsenti
	45	*teneatur, & quod*	teneatur. Quòd si
	52	*expresso*	expressè
115	42	*poterunt, temp-*	potuerint temp-
	43	*sive præteritis,*	sicut præteritis
	59	*non justitia*	non fuerit justitia
116	4	*eo ipso, eandem*	eo ipso. Eandem
	23	*& idem tempus*	& ad idem tempus
	25	*celebriter*	celebretur.
	47	*expressatum sit*	expressè cautum sit *ta exempl. Spir.*
117	2	*-pata, ea propter*	-pata. Ea propter
	11	*tullo*	ullo
	14	*fraudulentur*	fraudulenter
	21	*citra hujusmodi*	circa hujusmodi
	27	*legibus*	ligis
	30	*ordinandum personam*	ordinandum. Person
	35	*eo ipso medietatem*	eo ipso; medietate
	38	*Psalburg.*	Pfalburg
	44	*residerent*	residentes
	53	*subeant in*	subeant munera in
118	16	*conversari*	conversati
119	13	*quia jus*	quòd jus
	14	*aliqua jura &*	alia quoque jura ad
	19	*debere, una cum*	debere unitum
	ib.	*indivisibiliter, & conjunctim*	indivisibiliter & c junctum
	20	*jure*	juris
	21	*electus*	Elector
	27	*processum*	processus
	28	*attentare*	attemptari
	45	*servaturum*	servaturis
120	52	*corroborentur justi-*	corroboretur justiti
	53	*--jecti & fideles*	-jecti fideles
121	17	*& regalia*	sive regalia
	32	*vel regis acervus*	vel regia acervus
	42	*Cancellariis*	Cancellario
	46	*hæc fuerit*	hoc fuerit .
	52	*placitos*	beneplacitos
122	3	*mappam*	cuppam
	35	*declaravimus*	declaramus
	37	*Quantumcunque*	Quandocunque
	53	*Romanorum*	Romanis
	58	*sexaginta sex*	deest *sex* in Spirensi aliis scrib. *tres*
123	4	*notarii Principis*	notarii, Principi
	12	*vocem*	vicem
	21	*relevandis*	revelandis
	31	*habuerunt*	habuerint
161	30	*Zozomeni*	Sozomeni
192	45	*Hulsi*	Arnulphi, sic in m gine; in qua eti delenda est ea p conjecturæ quæ spectat de vulgo.
333	45	*CCC. XL.*	CCC XXXIX.
346	5	*R. Hezius*	T. Hezius
417	9	*destinatam*, sic emenda	-ut orationis ejus qu ad Leonem Pont. m & Concil. Lateran. stinaram, te, &c. enim est in l. [Disc sus epistolares pol co-theologici] presso Francof. 16

ÆNEA

ÆNEÆ SYLVII

PICCOLOMINEI SENENSIS IN COMMENTARIOS SUOS DE GESTIS BASILIENSIS CONCILII, PRÆFATIO.

NESCIO quæ mea calamitas eſt, quibuſve urgeor fatis, ne me hiſtoriæ furari ſciam, tempuſq; meum utilius conſumere. Statui ſæpius ab iis me poetarum & oratorum lenociniis ſequeſtrare, & aliquod ſequi exercitium, unde aliquid tandem figerem, quo eſſet mihi tuta ſenectus à tegete & baculo: ne ſicut aves, feræque indies viverem. Nec deerant ſtudia, quibus ſi forte verſari voluiſſem, & opes cogere, & amicos parare potuiſſem. Idque non mea ſolum ſponte mihi ſuadebam, ſed accedebant etiam neceſſarii, quorum illæ aſſiduæ voces erant. Quid agis tandem Ænea? te ne quàm diu vivis poetica poſſidebit? iſtuc ætatis non erubeſcis nihil habere agri, nihil pecuniarum? an neſcis, quia vigeſimo grandem, trigeſimo cautum, quadrageſimoque divitem anno eſſe oportet? qui has metas præterierit, fruſtra conari. Monebant igitur, ut venientis, & jam propediem inſtantis quadrageſimi anni cogitatum haberem, priuſque aliquid tenere curarem, quàm id ætatis ingrederer. Dedi ſæpius manus, facturumque me quod ſuaſum erat ſpopondi: abjeci oratorios codices, abjeci hiſtorias, omneiſque hujuſmodi literas, ut meæ ſalutis inimicas pepuli. At ſicut aviculæ quædam ignem candelæ nequeunt dimittere, in eoque priuſquam fugiant, aduruntur: ſic ego ad meum malum, & ubi mihi pereundum eſt, redeo: nec aliud mihi (ut video) hoc ſtudium, quàm mors adimet. Sed poſtquam ſic fata trahunt, nec quod vellem id poſſum, conjungenda eſt cum poteſtate voluntas. Objicitur paupertas, ſed eſt tam pauperi quàm diviti uſque ad mortem vivendum. Ac miſera in ſenibus paupertas, miſerior quippe illiteratis. Sanum habere corpus, & mentem integram, non minus pauperi datur quàm diviti. Hæc ſi teneam, nil ultra expoſco. Frui paratis, & valido mihi maximus atque optimus Deus donet, & precor integrâ cum mente, nec turpem ſenectam degere, nec cithara carentem. Et quoniam ſic animo ſedet, ad commentarios noſtros revertamur, ac Baſilienſis geſta Concilii ex ordine, inſtitutoque referamus.

Pulchra ſimilitudo.

Nobilis ſententia.

COMMENTARIORUM ÆNEÆ SYLVII PICCOLOMINEI DE GESTIS BASILIENSIS CONCILII, LIBER PRIMUS.

APUD Hetruſcos pleriſque in locis, quoniam flumina ſic tenuia ſunt, ut frumentariam molam nequeant rapere, ingenteis ducunt foveas, quibus fluviorum curſum morantur, biduanaſque aut triduanas colligunt aquas: quæ poſtea impetuoſius exeuntes, & molam trahunt, & frumenti omnem quantitatem facile terunt: haud ſecus mihi videntur patres hujuſmodi facere, qui tanquam nihil habeant adverſus Eugenium faciundum, diutius ſilent, materiam tacite colligentes, exin' una in die, uno quoque impetu rem perficiunt. Sed quorſum hæc forſitan quæritur. Nempe, ne quis me arguat negligentiæ, qui plus ſolito, pluſque debito ſiluerim: nec enim ſcribere potui, cum nihil fieret. Nunc vero cum res actæ ſint, & relatu, & cognitione digniſſimæ, accuſationem (ſi qua paratur) ſcriptis præveniam, nec patiar me argui negligentiæ, quamvis potero nimiæ forſitan audaciæ reprehendi, qui rem arduam & grandem, ſtilo inopi & arido ſim complexus. In qua re nec mihi poſtulabo ignoſci, qui ſponte erro, & venuſtatem ſcio reprehenſionis à M. quondam Catone profectæ in Aulum Albinum, qui cum Lucio Lucullo conſul fuit. Is Albinus res Romanas oratione Græca ſcriptitavit: in ejus hiſtoria primo ſcriptum erat, ad hanc ſententiam: Neminem ſuccenſere ſibi convenire, ſi quid in illis libris parum compoſite, aut minus eleganter ſcriptum foret. Nam ſum (inquit) homo Romanus, natus in Latio, & eloquium Græcum à nobis alieniſſimum eſt:

ideoque veniam gratiamque malæ existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Eaque cum legisset M. Cato: Næ tu (inquit) Aule nimium nugator es, cur maluisti culpam deprecari, quàm culpa carere? Nam petere veniam solemus, aut cum imprudentes erravimus, aut cum noxam imperio compellentis admisimus. Te (inquit) oro, quis perpulit ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur? Quod ne mihi quoque possit accidere sine petitione veniæ, rem aggrediar.

Albertus Romanorum rex.

FRequens atque insigne Franconiæ oppidum Norimberga est, & tam superis quàm inferis Teuthonibus commune, ibique paucis effluxis mensibus, Oratores Alberti Romanorum regis, & aliorum Alemaniæ principum convenerunt: tum propter alias communis patriæ causas, tum maxime, ut eam quæ inter Concilium & papam vigebat, discordiam sopirent. Illuc & oratores sacri Concilii accesserunt: & jussu papæ, vir magna hominum opinione sanctissimus Cardinalis crucifer cum plerisque collegis pervenit. Utque illic perfici res nequivit, conventus ipse Francfordiam ad Calendas Martias tunc proximas translatus est, quod eo in loco Electores Imperii facilius conventuri judicabantur. Interim Oratores Cæsarei, Electorumque Basileam petierunt, & contracta cum Oratoribus aliorum principum, qui Basileæ degebant, intelligentia, ac vocato præstantissimo viro Cardinali sancti Petri, qui per id temporis exitum rerum Constantiæ morabatur, maxime hortati sunt patres Concilii, ut pacem amplecterentur, quam ipsi offerrent. Erat petitio principum, sive (ut verius dicam) Oratorum, ut sacro Concilio videbatur, ardua, utque ipsi putabant, facilis: petebant namque, ut patres in alium se locum reciperent, Conciliumque transferrent. Quod unum semper Eugenius visus est quæsivisse, ut sic, vel patres Concilii dissiparet, vel libertatem eis adimeret. Visum tamen est sanctæ Synodo, nec negandum esse quod principes poscerent, nec quod Eugenius cuperet permittendum: ideoque sic caute mutatio loci promissa est, ut omnibus obviatum periculis videretur. Nequaquam tamen Oratoribus principum accepta responsio fuit, qui sic transferri Concilium postulabant, ut magis dissolutio quàm translatio diceretur, vel crederetur: ob quam causam inter deputatos Concilii & ipsos Oratores, pluribus diebus disceptatum est, plurimumque de concordia practicatum. Interque ipsas rerum difficultates Pataviensis & Augustensis episcopi Oratores Cæsarei, & admodum nobiles ad ipsum regem abierunt, & cum iis collega Johannes Eich jurisconsultus plurimæ lectionis, abscessit: prius tamen multum rogati, multumque stimulati baronem magnanimum & apprime insignem, Conradum Winspergensem ex mandato regio protectorem sacro Concilio, & omnium patrum defensorem dederunt. Qua ex re ut alienatam ab Eugenio adversarii, sic patres sacri Concilii optimam erga se fore mentem Cæsaris cognoverunt: quia nec protectorem misisset, nisi legitimum Concilium reputasset: nec rursus Concilium esse in Basilea putavisset, si Eugenio fidem habuisset. Post illorum ergo recessum, reliqui Oratores Alberti Augusti, qui Basileæ remanserant, episcopus Lubicensis, vir recti consilii, ac Georgius tam literata quàm armata insignis militia, cum aliis principum nuntiis novam concordiæ cedulam concluserunt, juvante admodum & inter sæpiusculas dissensiones arbitrante Cardinali sancti Petri, coram quo omnia peragebant: quam cedulam & sacrum Concilium ut insufficientem & sicuti postmodum relatum est, Eugenius ut erroneam respuit. Nec diu post responsio synodalis conclusa est, ipsisque Oratoribus in generali concione reddita, cum jam propediem instaret conventus Francfordiæ celebrandus, qui tamen propter pestem ibi grassantem, ad urbem metropolim, Moguntiam, haud amplius unius diei via distantem, translatus fuerat. Visum est igitur Oratoribus principum eò pergere, si forsitan pacis illic medium aliquod invenirent, quo papam Concilio reunirent. Ex Oratoribus Cæsaris, Lubicensis, & Georgius miles: ex Gallicis, archiepiscopus Turonensis, & Trecensis episcopus, ac collegæ alii, præter Lugdunensem archiepiscopum: ex Castellanis tantum Concensis episcopus: (nondum enim delitiæ Hispaniarum Burgensis ex legatione ad Cæsarem erat reversus) ex Aragonensibus nemo. Postea tamen relatum est, episcopum Albigaunensem, & Franciscum Barbavariam, qui ex Mediolanensibus ibi fuerunt, regis quoque Aragonum habuisse mandatum. Cardinalis autem sancti Petri paucis ante diebus, sive quod pestem timuit, jam paulatim crescentem, sive quod desperata pace, in Basilea remanere non audebat, in Nidou, quod est Switzerorum oppidum, se receperat. Ut tamen ire Oratores Moguntiam accepit, in spem iterum pacis erectus, ex eo flumine, quod Solodorum in duas dividit partes, in Rhenum venit, eoque Moguntiam vectus est. Fuit conventus ipse admodum celeber. Præsentes namq; Moguntinensis, Coloniensis, Treverensis archiepiscopi, sacriq; Romani imperii Electores,ac Coelectorum omnium nuntii adfuerunt: ultimi vero omnium Pataviensis & Augustensis episcopi,Abbas Scotorum Viennensium,& Johannes de Eich doctor comparuere, qui cum Lubicensi & Georgio Cæsareum locum tenebant: præcipuus tamen

Cardinalis crucifer.

Cardinalis sancti Petri.

Eugenii consilium perfidum.

Johannes Eich.

Protector concilii datus, Conradus à Winsperg.

Oratores principum qui.

Burgensis delitiæ Hispaniarum.

Araris Helvetiorum.

tamen illo in conventu fautor sacri Concilii habitus est Coloniensis archiepiscopus, qui summo studio, summoque nisu rem bene dirigere conatus, se non minus virtute animi, quàm genere atque opibus præstantem ostendit, eumque Moguntinus est imitatus. Rabanus vero Treverensis aliquanto rigidiorem se præbuit. Censuit & sancta synodus, suos quoque ad ipsum conventum Oratores fore mittendos. Missique sunt patriarcha Aquileiensis cum authoritate legati de latere, episcopi Vicensis & Argensis: Theologi, Johannes Segovius, & Thomas de Corsellis: Jurisperiti, Johannes de Bachenstein auditor cameræ, & Hugo Metensis archidiaconus, qui postea processum adversus Eugenium habitum publice retulit: iisque adjuncti sunt Johannes prior Trajectensis, & Nicolaus Aucupis Nortmannus, qui etiam usque in hunc diem non redierunt. Data quoque his est, præter spem adversariorum, facultas omnimoda, ut quicquid hi agerent, promitterentque pro bono universalis ecclesiæ, & honore sacri Concilii, id ratum, firmumque haberetur: qui & recepti Moguntiæ honorifice, & legatione sua libere uti permissi sunt. Nemo illic erat qui Eugenii nuntium se vocitaret. Tarentinus, in quem paulo ante lata erat sententia, cum collegis suis in remotis agebat, nec venire Moguntiam audebat, sive quia congredi cum legatis consiliaribus verebatur, sive quia mandatum illuc eundi nondum susceperat. Confluxerant tamen illuc plurimi fautores Eugenii, tam ex Concilio, quàm ex Florentia, locisque aliis. Fuerunt in sancta synodo quamplures alii viri incorporati, juratique, quorum semper animus à rebus quæ Basileæ gerebantur visus est alienus: quique licet laboraturos pro honore & statu sacri Concilii jurejurando se astrinxissent, hi nihilominus in omni negotio Eugenio magis quàm sacro Concilio favebant, quorum postea sectam Wilhelmus Constantiensis jurisconsultus Griseam appellavit. Ex his quamplures Moguntiam perrexerunt, Eugenium si qua in parte quirent defensuri. Hercules tamen omnium Eugenianorum Nicolaus Cusanus existimatus est, homo & priscarum literarum eruditissimus, & multarum rerum usu perdoctus: cujusque dolendum sit tam nobile ingenium ad illa schismatis studia divertisse, ut legatione ad Græcos vigore falsi decreti, fungeretur: hic omne studium suum, omnemque conatum in defensione Eugenii collocaverat, atque (ut est versuti & callidi consilii) nunc una nunc alia impedimenta texebat. Post varios tamen, multiplicesque tractatus, visum est Electoribus Imperii, aliisque Germanorum principum Oratoribus, decreta sacri Basiliensis Concilii in sua natione recipere, atque observari mandare. Super decreto vero suspensionis deliberationem suspendentes: ne illo suscepto, desperata pax cum Eugenio videretur. Interim tamen duo missi ab Oratoribus papæ Moguntiam pervenerunt, junctique hominibus suæ factionis, turbare omnia satagebant: illud quoque sperare ausi, ut suscepta semel decreta, refutarentur. Quod ubi non successit, ad ultimum desperationis refugium declinantes, inaudito papa non esse talia peragenda, protestati sunt. Sed frustra omnes eorum conatus fuere. Receptis namque decretis, Oratores Conciliares ex licentia conventus, Basileam reverterunt, solusque ibi sine mandato, Vicensis episcopus ad paucos dies rogatu Oratorum principum, mansit. Recesserunt quoque Moguntinus, Coloniensis, & Treverensis archiepiscopi, dimissis ibi Consiliariis, qui cum aliis principum Oratoribus de pace transfigerent.

Theodoricus de Morsa archiepiscopus Coloniensis acerrimus defensor concilii. Rabanus archiepiscopus Trev. Oratores concilii ad conventum principum.

Eugenii fautores perjuri.

Nicolaus de Cusa Eugenii defensor.

Electores imperiales & principes Germaniæ decreta concilii observari mandant.

Eugenianorum conatus frustra.

DUM hæc Moguntiæ fiunt, inter Theologos, qui Basileæ remanserant, haud parva hæsitatio suborta est, dicine posset hæreticus Eugenius, qui tam rebelliter ecclesiæ mandata contemneret, eamque ob causam congregati ad invicem, diutius inter se disputarunt: aliis negativam, aliis affirmativam sententiam defendentibus, scientes hanc fuisse veterem & Socraticam rationem contra alterius opinionem differendi. Nam ita facillime quid verisimillimum esset, inveniri posse Socrates arbitrabatur.

Disputatio, an Eugenius hæreticus censeri deberet.

¶ Inter disputandum autem triplex emersit opinio: alii namque hæreticum Eugenium affirmabant, alii non solum hæreticum, verum etiam relapsum: tertii vero nec relapsum eum, nec hæreticum fateri volebant. Erat inter ipsos Theologos, & authoritate & scientiæ copia præcipuus Ebrunensis episcopus, serenissimi & potentissimi regis Castellæ Orator: erat & Abbas quidam Scotus: qui tanquam acerrimi pugiles, & in theatro pugnantes, adversarios quoslibet prosternebant: quorum argumentationibus aut acquiescebant alii, aut cedebant, eorumque studio gravior tandem sententia vicit, ut hæreticus atq; relapsus Eugenius diceretur. Octo inter ipsos Theologos conclusiunculis approbatis, quas veritates appellitarunt, earum copiam in orbem divulgantes: quæ res circa medium mensis Aprilis initium suscepit: industria quidem ac solertia Nicolai cujusdam Burgundionis ex ordine prædicatorum, viri acuti & longe majoris animi quàm corporis, qui nec deputationum, nec congregationum aures unquam personare omisit, donec res capta & consummata est. Ne illud asserere dubitarim, rem hanc intactam remansisse, nisi istius homuncionis diligentia patres excitasset, quem si quis videat, nunquam tanti existimet. Sed non sunt homines ex aspectu dijudicandi. Reversis vero Oratoribus ex Moguntia, habitaque certitudine de receptione

Triplex theologorum opinio de Eugenio.

Ebrunensis episcopus.

Nicolaus Burgundio prædicator.

ceptione decretorum, visum patribus est, conclusiunculas magistrorum diligentius, maturiusque discutere, vocatique sunt ex jussu deputationum, magistri omnes ac doctores humani & divini juris, in Capitulum majoris ecclesiæ, cum prælatis, Eugenianam hæresim publice discussuri. Quæ res Mediolanensi antistiti magnæ molestiæ fuit: timenti ne disputatio hæc privationem Eugenii secum traheret, quam ipse (ut dicebat) timore schismatis semper impedierat. Ea propter vocare alios, excitare torpentes, currere animatos omnique studio niti, ut res ipsa turbaretur: & quamvis ex Oratoribus ducalibus unicus ipse Basileæ superesset, egregie tamen vices aliorum implebat. Ex animo namque laboranti, nihil videtur esse difficile: itaque nec plus quicquam tres simul egissent, quàm solus ipse peregit: absentes namque suarum partium, ut potuit, literis, præsentes autem verbis in defensionem Eugenii animavit. Ventum est tamen ad locum Capituli, frequens quoque habita congregatio est: venerant enim omnes, aut dicendi, aut audiendi studio illecti. Sexque omnino diebus, & ante prandium, & ante cœnam protracta res disputando est. Medius erat inter omnes, primoque loco ut judex fidei, totiusque disputationis moderator & arbiter Ludovicus Cardinalis, & archiepiscopus Arelatensis, prælatus, cum multis virtutibus insignis, tum præcipue fortis & constans. Nicolaus vero Amici, qui & ipse procurator fidei est, & inter Theologos Parisienses apprime clarus, quod quisque sentiret, interrogabat. Suffragia quoque scriba publicus, Johannes Dienlifist, annotabat, plurimaque illic egregie disputata, & prudenter examinata fuere, de quibus si facere verba voluerim, vereor ne me aliqui vitio mentis tantum opus ingressum judicent: quia res est à mea professione, meoque studio remotissima: famulabor tamen mihi ipsi: nec me intra pomeria sacrorum eloquiorum ingressum, introspexisse in ædem Deæ, à qua mares absterrentur, existimabo. Atque ut de re ipsa dicere incipiam, Conclusiones Theologorum, tanquam disputationis fundamenta, ipso in exordio ponam: nec ego iisdem utar verbis, quibus illi, sententiam retulisse sat erit. Conclusiones hujusmodi fuerunt.

[Margin: Eugeniana hæresis.]

[Margin: Ludovicus cardinalis, & Archiepiscopus Arelatensis, qui post mortem miraculis claruit, ipso Ænea teste.]

I. ¶ Veritas est catholicæ fidei, sacrum generale Concilium supra papam & alium quemvis potestatem habere.

II. ¶ Generale Concilium legitime congregatum, sine ipsius consensu, nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex authoritate sua potest Romanus pontifex, idque veritatis ejusdem est.

III. ¶ Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus.

IV. ¶ His veritatibus Eugenius papa IV. oppugnavit, cum primo ex plenitudine potestatis apostolicæ Basiliense Concilium dissolvere, sive transferre attentavit.

V. ¶ Errores his veritatibus repugnantes, monitus tandem per sacrum Concilium Eugenius revocavit.

[Margin: Eugenius monitus, errores revocavit.]

VI. ¶ Dissolutio, sive translatio per Eugenium secundo attentata, prædictis est obvia veritatibus, inexcusabilemque circa fidem errorem continet.

VII. ¶ Eugenius iterato dissolvere seu transferre Concilium tentans, in revocatos errores prolabitur.

VIII. ¶ Commonitus per synodum Eugenius, ut dissolutionem sive translationem secundo attentatam revocaret, post declaratam contumaciam in rebellione persistens, Ferrariæque Conciliabulum erigens, seipsum pertinacem declarat.

HUjusmodi (sicuti arbitror) fuere Conclusiones, quibus in Capitulo coram patribus iterum atque iterum lectis, rogati sunt omnes viritim sententiam dicere, pedibusque ferè omnes in Conclusiones ibant. Panormitanus tamen Archiepiscopus, vir inter omnes scientia eminens, plurima in adversum disputavit. Plurima etiam prælatorum decus Burgensis episcopus, ac eleemosynarius regis Aragonum, non minus eloquentia quàm doctrina præclarus, non tamen prioribus hi se Conclusionibus opponebant: sed illis tantum quibus Eugenius tangebatur. Arguteque, ut est subtilissimus, adversus posteriores Conclusiones Panormitanus disseruit, ostendereque summo studio nitebatur, Eugenium non esse relapsum, magnaque illi cum tribus viris, Argensi episcopo, Johanni Segovio, ac Francisco de Fuxe Theologis, concertatio fuit. Articulos fidei trifariam dividebat: stricte, ut in symbolo: large, ut in declarationibus per ecclesiam factis: largissime autem, ut in his quæ ex prædictis resultant: Eugeniumque nullo istorum modorum violasse fidem, in prima dissolutione quam fecit, quia nec in symbolo, nec in ecclesiæ determinationibus haberetur, papam non posse Concilia dissolvere: nec id sibi videri ex determinationibus antea factis resultare, sed potius ex decretis Constantiensis Concilii: hunc casum tanquam omissum, disputationi papæ reservari, cum in Capitulo Frequens, locus futuri Concilii per papam

[Margin: Panormitanus Archiepiscopus. Burgensis episcopus.]

[Margin: Articuli fidei trifariam dividuntur.]

papam, approbante Concilio, eligatur, & de hoc nihil omnino sit dictum. Quod si forsitan in prima dissolutione peccasset Eugenius, excusatum tamen haberi debere, qui de Concilio Cardinalium egisset Romanam ecclesiam repræsentantium, cujus tantam esse authoritatem dixit, ut ejus judicium toti orbi præponeretur, idque glossam singularem astruere: nec inveniri unquam sacrum Concilium adversus Eugenium tanquam hæreticum processisse, idque signum esse, quia non putarit eum à fide devium: nec apud se momentum habere, quod diceretur de adhæsione, erroribusque revocatis. Legisse se totum adhæsionis textum, papamque non revocasse dissolutionem, ut fidei contrariam, sed ut scandala parturientem. Ultimam quoque dissolutionem nihil habere hujusmodi, quoniam similiter ex consilio Cardinalium dissolvisset, & propter unionem Græcorum fiendam, ac ne cogeretur in criminali causa per procuratorem respondere, cum personaliter mala valetudine impeditus venire non posset. Sicque cum ex prima dissolutione non fuisset in errorem fidei lapsus, persuaderi sibi non posse, Eugenium nunc dici relapsum, qui nec prima, nec secunda dissolutione fidem violarit.

FUit oratio Panormitani apud omnes magis laudata quàm probata. Id tamen habuit efficaciæ, ut postea verbum relapsum ex Conclusionibus tolleretur, ejusque loco poneretur prolapsum. Nec Panormitanus ipse omnino ab hæresi Eugenium audebat excusare, plusque in prima quàm in secunda dissolutione vim faciebat, non tamen sine responsione recessit. Assurgens namque Johannes Segovius Theologiæ peritissimus, reverenter, submisseque (ut tanto prælato conveniebat) respondit: Fateri se inquit, quod de articulis fidei trifariam divisis, Panormitanus dixisset, idque ad suam causam facere, quia si ea pro articulis fidei tenenda essent, quæ ex determinationibus ecclesiæ resultarent, manifestum foret, Conclusiones, de quibus agitur, ex determinationibus ecclesiæ, hoc est Constantiensis Concilii redundare: quia si ibi Concilio generali papa subjicitur, quis est qui papam habere imperium in Concilium (quod est suum superius) dicat? stareq; Eugenium debuisse, quia Concilium, quod supra se est, eo invito dissolvere non poterat, quem articulum sine dubio violavit. Et si omnino dici quis velit, in prima dissolutione hunc articulum non esse læsum, quia nondum facta esset declaratio, sciat ille qui sic opinatur Romanum pontificem, non solum explicita fidei, sed implicita quoque scire oportere, qui vicarius Christi & caput omnium existens, docere atque instruere cunctos habet. At si omnino hoc effugiat, ex illo capite convincetur, quia diutius in dissolutione sua post declarationem Concilii perstitit, nec determinationi ecclesiæ acquievit, ideoque si dissolvendo forsitan non erravit in fide, utiq; in permanendo erravit, idq; bellissime ex dicto Clementis sæpe per Panormitanum allegati concluditur dicentis, Quia qui rebelliter vivit, & bona agere negligit, potius diaboli quàm Christi membrũ esse ostenditur, & magis infidelis quam fidelis esse monstratur: sicq; non obediens ecclesiæ Eugenius, infidelis dici haud absurde potest. Nec verum id fore, quod papa in fide non fuisset impetitus: Etenim in responsione tam illa, quæ incipit, Cogitanti, quàm alia, quæ, Sperant, Oratoribus papæ deditis aperte illa verba reperiri, hic articulus fidem concernit, malumusque mori, quàm per ignaviam cedere: quo dicto satis admonuisse synodum patere, quia papa contra fidem veniret: ideoque cum postea adhærendo revocasset Eugenius dissolutionem, errorem quoque fidei in ea contemptum revocasse videtur, scandala quoque, de quibus mentio fieret, propter errorem fidei esse suborta: quod aliqui subesse Concilio papam dicerent, negarent aliqui, ipsamque doctrinæ diversitatem scandala secum trahere. Expresse quoque in adhæsione papæ revocari assertiones, nomine papæ factas contra Concilii authoritatem. Et licet in hujusmodi revocationibus non esset servatus stilus & ordo judiciorum: sufficere tamen in rebus talibus quod actum esset, cum Concilium contra papam ageret, quo in casu sola esset veritas observanda: nec esse Concilium juri positivo subjectum: ut servare terminos, & judicialem sequi strepitum debeat. Glossam autem illam singularem, quæ Romanam ecclesiam orbi præponeret, se omnino contemnere: beneque singularem esse, quæ tam fatua diceret, indignumq; fore, ut illam quispiam sequeretur, mirarique se de Panormitano, & aliis nostrorum temporum doctoribus, qui dum se glossarum extollere putant authoritatem, ipsam deprimunt, cum singularitatem adjiciunt: singularis enim est glossa quæ sola est. Sed quis non pluris faciat glossam in omnibus locis idem sentientem, semperq; constanter loquutam, quàm uno tantum in loco aliquid asserentem, quod sine dubio possit per errorem videri assertum? Quantum vero ad veritatem, habere se Hieronymum doctorem gravissimum glossæ illi contrarium, qui orbem etiam, quoad authoritatem, urbe ipsa, id est Roma, majorem esse non ambigit. Nec ista finire Segovius sine interpellatione potuit. Sæpe namq; Panormitanus verba ipsius interrupit: & nunc unum, nunc aliud dictum confutari satagebat. Surrexit Argensis etiam episcopus, vir non solum eloquens, sed etiam animi plenus, acriterq; Panormitani

Panormitanus Eugenium omnino excusare non audet.

Johan. Segovius Panormitano respondet.

Habes hunc textum c. si. 39 dist.

Pulchra, de glossa singulari.

Hieronym. ad Euagrium.

ni dicta & argumenta disturbavit: plus tamen inter eos processum est, quàm disputandi modus exigeret, neq; enim à probris abstinuerunt. Veniam tamen Argensis postea petiit, licet forsitan minus errasset, ut fit, quia semper inferiores oportet succumbere. Dixerat forte Argensis, Romanum pontificem ministrum ecclesiæ fore: idque ferre Panormitanus non poterat, tantumque ea die seipsum & scientiam suam, quæ utique maxima est, deseruit, ut papam ecclesiæ dominum asseverare non vereretur. Cui Segovius: Vide quid ais Panormitane (inquit), honoratior titulus Romani pontificis ille est, quo servum servorum se dei appellat. Id enim ex eo est sumptum, quod Christus discipulis ait, cum quærerent, quis eorum esset major futurus. Scis enim respondisse illum, Quia principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic, & reliqua, ubi dominatum omnino prohibuit: & Petrus, qui & ipse vicarius Christi primus fuit, Pascite (inquit) qui in vobis est, gregem dei providentes, non coacte, sed spontaneè: & paulo post, neq; ut dominantes in clero. Quòd si filius dei Christus, non ministrari, sed ministrare venit, quo pacto ejus vicarius dominabitur, aut dici dominus (sicut vis Panormitane) poterit? cum non sit discipulus supra magistrum, neque servus supra dominum suum: neque vocemini magistri (inquit dominus), quia magister vester unus est, Christus: & qui major est vestrum, erit minister vester.

Panormitanus papam ecclesiæ dominum constituit. Vide quæso adulatoris impudentiam. Nota, papa & sui dominium affectant contra scripturas, Christiani & ecclesia per scripturas, contrarium semper docuerunt.

HAC responsione, inquietato paululum Panormitano, recessum est. Sequenti die generalis congregatio fuit, & post prandium ad Capitulum omnes redierunt. Rogatusque sententiam Lugdunensis Archiepiscopus, Orator regius, vir inter omnes, & probitate vitæ, & scientiæ copia eminentissimus, postquam hæreticum esse Eugenium pluribus rationibus comprobavit, amarè conquestus est, illorum ignaviam plurimum detestatus, qui talem hominem Romano pontificio præfecissent, omnesque astantium animos commovit, ut secum calamitates universalis ecclesiæ deplorarent. At Burgensis episcopus, Orator Hispanus, & inter prælatos apprime doctus, Conclusiones bifariam divisit, aliasque generales, aliasque personales appellans. Egregieque circa tres primas loquutus est: nullatenus se de ipsis dubitare asseverans, nisi quod illa sibi adjectio dubia videretur, quæ fidei faceret mentionem. Plurimumq; illic immorari voluit, ut sacrum Concilium supra papam esse ostenderet. Idque postquam jure divino, humanoque probavit, physica etiam ratione asseruit: adductoque in testem summo omnium philosophorum Aristotele, dicebat in omni regno bene instituto, illud in primis desiderari, ut plus regnum posset, quàm rex: si contra reperiretur, id non regnum, sed tyrannidem dici debere. Sic etiam sibi de ecclesia videri, quod eam plus suo principe, id est papa, posse oporteret, quem sermonem sic ornate, sic suaviter disputavit, sic docte atque verifice, ut omnes ab ejus ore avide dependerent, jam non (ut in aliis fit) orationis finem, sed longam continuationem desiderantes, ipsumque unicum esse scientiæ speculum prædicarent. Ut vero alias ingressus est Conclusiones, opponereque hic se voluit, visus est aliquantisper à seipso discedere, Burgensemque esse desinere. Nec enim ille in verbis lepor, nec illa in oratione gravitas, aut in vultu hilaritas apparebat: ac si se ipse potuisset cernere, admirationem sui forsitan habuisset. Quis enim vim quandam ac potestatem veritatis tunc non viderit, quæ homini pro se loquenti, sententias & verba suggessit? adversus se autem prædicanti, etiam ipsam quæ innata erat, surripuit eloquentiam. Illud tamen Panormitanus ac Burgensis modestiæ ostenderunt, quia etsi veritates fidei esse non faterentur, in eo tamen non suæ sententiæ acquiescendum dicebant, qui sacris literis non essent imbuti, sed Theologorum. Eleemosynarius vero Aragonum regis, ut est consilio callidus, nequaquam directe ad Conclusiones disputabat, sed furtim quædam argumenta collegerat, quibus nunc hic, nunc illic præstaret impedimentum. Adversus quos & Abbas Scotia, vir subtilis ingenii, plurima disputavit, & Thomas de Corsellis inter sacrarum literarum doctores insignis, quo nemo plura ex decretis sacri Concilii dictavit, vir juxta doctrinam mirabilis & amabilis, sed modesta quadam verecundia semper intuens terram, & velut latenti similis, pro Conclusionibus late & clare disseruit.

Lugdunensis archiepiscopus, Orator regis Franciæ.

Burgensis episcopus & ejus laus.

Concilium supra papam.

Veritatis vis. Quæ non minus in Ænea postea conspecta sunt, jam existente sanctissimo.

Abbas Scotia, Thomas de Corsellis.

NImis (ut video) rem protraherem, si quid singuli dixerint explicare pergam, fiamque forsitan lectoribus tædiosus, hoc modo procedens: utilius (sicuti mihi videtur) argumenta exponam, quibus ratæ Conclusiones fuerunt. Nec ego de quinque posterioribus sermonem habebo, quæ solum videntur in facto consistere, dum Eugenii personam respiciunt; solum tres primas mea disputatio complectetur. Subjiciam igitur aliqua probationi accommoda, non quæ ipse cogitarim, aut meo studio ex obscurissimis scripturarum tenebris elucubraverim, sed quæ ego in disputatione patrum audita memoriæ commendavi. Quantum ergo illinc haurire mea parvitas quivit, ejus authoritatis est prima Conclusio, ut ea probata, reliquæ veniant. In prima igitur vis major, eaque primitus dissertanda est, duoque circa ipsam investigatu, examinatuque digna se offerunt.

Disputationis materia.

offerunt. Alterum: Nunquid generale Concilium authoritatem habeat supra Romanum pontificem? Alterum: An id credere fides catholica jubeat? Quæ duo si deduxerim, nihil est quod postmodum dubitare possimus. Quod autem Papa Concilio generali subesse debeat, egregie ratio per Burgensem episcopum deducta superius probat. Est enim Papa in ecclesia tanquàm in regno rex, regem autem plus posse quàm totum regnum, absurdum est: ergo nec papa plus posse debet, quàm ecclesia. Sed sicut nonnunquàm reges male administrantes, & tyrannidem exercentes, à toto regno excluduntur, ejiciunturque. Sic etiam per ecclesiam, hoc est, per generalia Concilia Romanos pontifices posse deponi, non est ambigendum. Neque hic ego illos audio, qui tam latam regibus attribuunt potestatem, ut eos teneri legibus nullatenus velint. Genus est enim adulatorum, qui aliter garriunt quàm ipsi sentiant. Etenim licet dicatur, in sinu principis [illegible] semper fore, id ego intelligo, cum ratio suadet à verbis legis esse recedendum. Rex enim ille dicitur, qui est speculator ac procurator publici commodi, cui est cordi utilitas subditorum, qui quæcunque agit, refert ad eorum quibus præest, commoditatem: quod si secus fecerit, non rex sed tyrannus dicendus est, cujus est proprium vacare proprio emolumento. Hoc enim differt rex à tyranno, quod alter eorum quos regit, commodis invigilat: alter suis intentus est. Quod ut manifestius fiat, subjicienda causa est quæ reges ab initio introduxit. Et quidem, ut Cicero in Officiis ait: Certum est, fuisse aliquod tempus, quo sine regibus vivebatur: At postquam jure Gentium possessiones cœperunt dividi, non alia de causa reges sunt instituti, nisi justitiæ fruendæ. Nam cum premeretur initio multitudo ab his qui majores opes habebant, ad unum aliquem virum confugiebant, virtute præstantem, qui prohiberet injuria tenuiores, æquitatem constituendo, summos cum infimis pari retinebant jure. Cumque adhuc regnantibus regibus debiliores nonnunquàm opprimerentur, leges constitui placuit, quæ ad judicandum non odio, aut gratia ducerentur, sed tales inopi, quales potenti præstarent aures. Quo fit, ut leges non solum populum, sed regem quoque obligare sciamus. At si regem contemnere leges, rapere bona subditorum, violare virgines, stuprare matronas, omniáque suæ libidini, & temeritati committere videamus, nunquid congregatis regni proceribus, illo summoto alius sublimabitur, qui & bene gubernare juret, & legibus obtemperare? Nempe, ut ratio suadet, sic etiam usus edocet. Idemque fieri in ecclesia, hoc est, in Concilio, quod in regno, consentaneum esse videtur. Sicque satis apparet quod diximus, papam subesse Concilio. Illud tamen negari non debet: quia major est papa quolibet alio Christiano. Et sicuti regi quilibet Baro de regno subijcitur, sic Romano pontifici singuli ecclesiæ prælati parere tenentur. Sed his præteritis, cum Burgensi episcopo viro non minus docto quàm eloquenti, ad divina eloquia transeamus.

Conclusio. Papa subest Concilio.

Hoc adulatorum genus regnat nostro tempore in ecclesia dei.

Regum introductio.

Legum institutio.

Papa subesse Concilio debet.

FUndamento autem rei quam petimus, verba sunt redemptoris nostri Jesu Christi, cum in pluribus locis, tùm ibi cum Petrum alloquitur, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. A quibus verbis, ideo placuit exordiri, quod aliqui verba hæc ad extollendam Romani pontificis authoritatem solent adducere, sed (ut statim patebit) alius est verborum Christi sensus, quam aliqui opinentur. Ait ergo: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Magna quippe promissio, magna etiam verba domini. Etenim quid dici grandius potuit, quàm portas inferi adversus ecclesiam prævalere non posse? Portæ utique inferi (ut inquit Hieronymus) peccata significant. At si peccata expugnare ecclesiam nequeunt, certe nec maligni spiritus, qui nullam penitus in humanum genus, nisi per peccata vim habent, aliquid adversus ecclesiam possunt. Eamque ob causam, cum apud Job dicatur: Nulla potestas super terram est, quæ potestati maligni spiritus comparetur, restat potestatem ecclesiæ omnibus potestatibus esse majorem. Possumus etiam ex hoc dicto aliter quoque argumentari: quia si portæ inferi, id est, peccata, adversus ecclesiam nihil queant, ecclesia ipsa impeccabilis esse monstratur: quod quidem de summo pontifice, qui homo & mortalis est, nemo dixerit, cum scriptum sit: quia septies in die cadit justus. At si ecclesia immaculata est, quia nec peccato potest deturpari, quis est qui peccatorem hominem impeccabili ecclesiæ præferat? Nec illis præstemus aures, qui verba illa Christi Jesu dicentis: Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, nolunt ad ecclesiam referri, quoniam sicut Augustinus in expositione psalmorum inquit, quædam dicuntur, quæ si propriè ad Apostolum Petrum pertinere videantur, non tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad ecclesiam, cujus ipse cognoscitur in figura gestasse personam. Unde alibi in quæstionibus novi & veteris testamenti, de his quoque verbis: Rogavi pro te Petre, quid ambigitur? Nunquid pro Petro rogabat, pro Jacobo & Johanne non rogabat, ut de cæteris taceam? Manifestum est, in Petro omnes contineri: quia & alio loco apud Johannem dicit: Ego pro his rogo, quos mihi dedisti: & volo, ut ubi ego sum, & isti sint mecum.

Locus ille, tu es Petrus, &c. interpretatur.

Portæ inferi, peccata.

Contra id, Papam non posse errare.

Interpretatio illius, Oravi pro te Petre.

Quo

Quo fit, ut ecclesiam frequentissime per Petrum intelligamus. Idque hoc fieri in loco non ambigimus, aliter vero stare veritatis verba non possent, cum paulo post Petri fides ad tempus, Christum negando, defecerit. At fides ecclesiæ, cujus personam Petrus gestabat, semper intemerata permansit. De Romanis vero pontificibus liceret exempla admodum multa referre, si tempus fineret: quoniam aut hæretici, aut aliis imbuti vitiis, sunt reperti. Nec nos fugit Marcellinum jussu Cæsareo idolis thurificasse: alium vero quod majus & horribilius est, diabolica fraude Romanum pontificatum ascendisse. Nobis tamen illud Pauli ad Hebræos sufficit testimonium, qui omnem pontificem infirmitate, id est, pravitate peccandi circundatum esse dicit. Ecclesiam autem impeccabilem permanere, etiam alia ipsius Christi testimonia comprobant. Apud Matthæum ait: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Quæ verba non solum Apostolis (ipsi enim usque ad seculi finem non permanserunt) sed etiam successoribus dicta fuerunt, nec tunc voluit Christus significare se deum per omnia fusum, quomodo etiam in peccatoribus deprehenditur, sed speciale quoddam donum gratiæ ostendere per assistentiam suam, qua sanctam ecclesiam in Apostolis, eorumque successoribus consistentem servaret immaculatam. Alibi quoque: Ego rogabo (inquit) & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest capere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem eum cognoscetis, quia apud vos manebit. Quæ verba cum discipulis Jesu dicta sint, ad successores quoque, & sic ecclesiæ dicta intelliguntur, ac si in æternum spiritus veritatis in ecclesia est, nemo negare debet ecclesiam permanere incorruptam. Ex ea quoque authoritate, qua dicitur sponsus ecclesiæ Christus, quis non videt incontaminandam fore ecclesiam? Sponsus namque & sponsa (ut Apostolus inquit) duo sunt in carne una: carnem autem suam, ut idem subjicit, nemo odio habet. Eoque fit, ut Christus ecclesiam odire non possit, quoniam sponsa est, eademque caro cum ipso, ac se odire non potest: ergo non peccat ecclesia. Nam si peccaret, odio haberetur. Peccatores namque, ut alibi dicitur, Deus odio habet. Quæ authoritates, ut invicem connecti queant, fateri cum Apostolo debemus, ecclesiam dei non habere maculam neque rugam. Qui etiam ad Timotheum scribens, ecclesiam ipsam columnam, & firmamentum veritatis fore asseverat. Unde in Canticis sponsus: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Sylvestrum II. notat. Ecclesia impeccabilis. Peccator papa.

Egregia objectionis solutio.

EXterrere aliquos verba hæc possent, dum fore impeccabilem ecclesiam astruo. Nam cum in ecclesia contineantur omnes qui Christiano censentur nomine, quique in communi credentia articulorum fidei, & sacramentorum participatione conveniunt, vereor ne qui me omnes homines impeccabiles dixisse opinentur, quæ sententia tantum à mea abest, ut ejus oppositum verum putem. Existimo enim, quia nullus sit in ecclesia impeccabilis, mortali carne vestitus. Nec ista inter se pugnant: habet enim hoc ecclesia, ut licet singula membra peccare possint, totum tamen corpus non possit. Semper enim in ecclesia viri sunt aliqui boni, qui licet humanæ fragilitati subditi sint, virtutis tamen perfectæ perfecto funguntur munere, domitisque carnalibus desideriis hostiam se deo placentem exhibent. Nec vulgari nonnullorum opinioni consentio, qui tempore dominicæ passionis solam virginem aiunt in fide perstitisse. Unde audent aliqui dicere, sic extenuari fidem posse, ut ad unam solam aniculam revertatur. Quorum sententiam, ne dicam insaniam, aperte mihi videtur Paulus explodere, cum ad Romanos ait: An nescitis in Helia, quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat deum adversus Israel: Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua ante Bahal. Etenim quid aliud ibi responsum divinum indicat quàm fatuam esse illorum opinionem, qui ad tam paucos redigi ecclesiam arbitrantur? Oportet utique nos credere verbis Christi, quæ omnia illis repugnant, qui solam virginem perseverasse in fide prædicant. Ait namque ad patrem Jesus: Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. Et: Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. Ecce quia orat Christus, ne Apostoli cadant: Orans autem Christus, absque dubio auditur. Alibi enim dicit: Scio quia me audis. Sed quo pacto auditur, si omnes pro quibus orat, ut isti fabulæ dictitant, in passionis tempore deviarunt? Exemplum. Quo pacto Jesus matrem suam charissimam, in cruce pendens, Johanni commendasset, si is aut jam erat, aut statim futurus erat alienus à fide? Centurio præterea nunquid è vestigio clamat? Vere filius dei erat iste. Judæi quoque illo in tempore, qui ab Hierosolymis longe aberant, & dici fideles poterant, & in sua fide salvari, cum (sicut Apostolus ait) ad Evangelium homines obligentur, post quàm eis innotuit. Relinquamus igitur istos, & quod est vero similius, teneamus fuisse, esseque semper in ecclesia non parvum bonorum homi-

Error qui solam Mariam constantem adhæsisse Christo in morte aiunt.

hominum numerum judicemus: ab illisque, ut à parte digniori sanctam & immaculatam denominemus ecclesiam, quæ tam malos quàm bonos complectitur. Ecclesia namque sagenæ missæ in mari comparatur, ex omni genere piscium congreganti. Et rursus: Homini regi qui fecit nuptias filio suo, & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias. Et subditur: Et congregaverunt bonos & malos, quotquot invenerunt. Erronea enim est illorum opinio, qui solos bonos contineri intra ecclesiã dicunt: quæ si vera esset, omnia confunderet, nec ubi ecclesia foret, scire possemus. Cum autem (sicut scriptura dicit) nemo sciat, utrum sit dignus odio vel amore, approbatior veriorque illorum sententia est, qui omnes fideles intra ecclesiam recipiunt, quorum licet pars magna voluptatibus & avaritiæ serviat, aliqui tamen semper sunt à peccatis mundi mortalibus, quæ pars ut dignior denominationem dedit ecclesiæ, ut sancta diceretur: quod tam frequens factum est, ut in symbolo, decenter decantare præcipiamur. Unam sanctam Catholicam & Apostolicam ecclesiam, quem articulum octavum, synodum Constantinopolitanam aliis adjecisse ferunt. Quare si sancta est ecclesia, impeccabilis quoque est, ut ad institutum redeam. Sanctum enim (ut Macrobio, Trebatium referenti placet) interdum idem est quod sacrum, idemque quod religiosum, interdum vero idem est quod incorruptum. Unde & illud: Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ. Descendam. Non enim sacro aut religioso ejus anima tenebatur, quam sanctam, hoc est, incorruptam voluit ostendere. Eoque modo sanctam prædicamus ecclesiam, quam Petrus apostolus immaculatam dicebat, sicut in famosa Clementis epistola legimus. Ad hoc etiam tendit, quod dicitur apud Paulum, caput ecclesiæ fore Christum. Nam si ecclesia peccaret tota, nequaquàm suo capiti conveniret Christo, qui nulla unquàm ex parte corruptus existit. Hoc itidem apud Matthæum significare voluit Christus, cum domum illam collaudat, quæ fuerat supra firmam petram ædificata cui nec venti potuerunt officere, nec pluviæ. In domo dei (inquit Apostolus) quæ est ecclesia, ædificata supra firmam petram, quæ (sicut idem Apostolus prædicat) erat Christus. Ecclesiam ergo supra Christum fundatam, quis est tam demens, aut tam sui oblitus, ut peccato subditam esse velit? quique non potius cum Propheta exclamet? Domine dilexi decorem domus tuæ. Hinc illa Johannis aurea sententia, cui etiam aureum os fuisse prædicant, qui ait: Non cessat impugnari ecclesia, non cessat insidias pati, sed in nomine Christi semper superat, semper vincit: & quamvis alii insidientur, quamvis repercutiant eam fluctus, fundamentum tamen quod supra petram est, non quassatur. Hilarius quoque: Proprium esse solet ecclesiæ (inquit) ut tunc vincat, cum læditur: tunc intelligat, cum arguitur: tunc secura sit, cum deseritur: tunc obtineat, cum superata videtur.

Ecclesia complectitur tam bonos, quàm malos.

Matth. 22.

Lib. 2. Satur. cap. 4.

MUltis (ut mihi videtur) rationibus ac testibus probatum est, ecclesiam non errare, quod de Romanis pontificibus non asseritur, quæ ratio haud inepte summum pontificem ecclesiæ subjicit. Conveniens enim est, ut perfectioribus minus perfecti subdantur. Sunt tamen & alia testimonia, aliæque rationes, de quibus etiam hoc in loco aggrediar dicere. Si autoritas quæritur (inquit Hieronymus) libenter enim in ejus sententiis tanquàm in agro fertili versor, orbis major est urbe. Quid tum obsecro Hieronyme, magnus est Papa, quia Romanæ præest ecclesiæ? magna ejus est authoritas, major tamen est universalis ecclesia, quæ non urbem unam duntaxat, sed totum complectitur orbem. Exhinc si mater omnium fidelium est ecclesia, Romanum etiam pontificem in filium habet. Aliàs vero (sicut beatissimus prædicat Augustinus) nunquàm habebit deum patrem, qui ecclesiam noluerit recognoscere in matrem. Quod Anacletus intelligens, universalem ecclesiam (ut Canonistæ sciunt) matrem suam appellat. Et Calixtus, sicut filius, ait, venit facere voluntatem patris, sic & nos implere voluntatem matris nostræ, quæ est ecclesia. Unde apparet tanto superiorem esse ecclesiam Romano Pontifice, quanto est matre inferior filius. Supra etiam diximus, ecclesiam Christi Jesu sponsam fore. Papam vero vicarium esse scimus. At nemo sic vicarium suum instituit, ut ejus sponsam illi subjiciat. Quinimo plus arbitrii in rebus arduis habere creditur sponsa, quàm vicarius, cum illa unum cum sponso corpus existat, vicarius non idem cum domino. Nec Pauli ad Romanos verba præteribo: Omnis (inquit ille) anima potestatibus sublimioribus subdita sit, nec excipit animam Papæ. Quare cum nullus alius mortalium supra Papam sit, necessarium videtur, ut illum ecclesiæ subjiciamus. Nec ideo se putet exemptum, quod ei dictum à Christo fuerit. Quodcunq; ligaveris, & reliqua. In eo namque (ut post dicemus) personam ferebat ecclesiæ: cui etiam dictum reperimus: Quæcunque ligaveritis super terram, ligata erunt & in cœlis. Ulterius, si omnis potestas à Christo concessa, ut ad Corinthios scribit Apostolus: Data est in ædificationem ecclesiæ, & non in destructionem. Cur non ecclesia summum pontificem clavibus abutentem, & omnia destruentem, corripere possit? Adde & aliud argumentum: Homo in hac vita minor est angelis. Legimus namque apud Matthæum de Johanne Baptista: quia qui minor est in regno cœlorũ, major est illo. Alibi tamen dixerat veritas: Quod inter natos mulierum

Probat autoritatibus, Papam subesse Concilio.

Quodcunque ligaveris, &c.

Pontificem abutentem clavibus, Ecclesia deponere potest.

lierum non ſurrexit major Johanne Baptiſta. Sed perge ulterius: Angelis credere homi (exemplo Zachariæ) coguntur, ne, ſicut ille, cæcitatis incurrant vitium, non creden Quid plus, Romanus Pontifex homo eſt, ergo angelis minor, & angelis præſtare tene fidem. At angeli ab eccleſia diſcunt, ejuſque doctrinæ reverenter acquieſcunt, ut a Epheſios inquit Apoſtolus: ergo & ſummus pontifex idem tenetur efficere, & qui mi eſt angelis, minor eſt eccleſia, quæ illis eſt major: cujus nempe tanta eſt authoritas, recte, per Auguſtinum ſoli æquiparetur: quoniam ſicut cætera lumina, ſol unus evincit, omnes authoritates eccleſia ſuperat. Unde ejuſdem Auguſtini legitur dictum: Evan lio non crederem, niſi me authoritas eccleſiæ commoveret, quæ nuſquàm de Romano P tifice dicta reperiuntur, qui cum vicem gerat eccleſiæ, ejuſque adminiſtrator exiſtat, neq quàm putandus eſt aut domino major, aut æqualis. Maximè tamen Romanum Po ficem ſubjectum eſſe eccleſiæ, verba ipſius Chriſti ſalvatoris, & domini noſtri oſtendu cum, ſicuti poſt dicemus, Petrum futurum Papam, ad eccleſiam remittit, inquiens: eccleſiæ, ad cujus authoritatem etiam illa pertinent verba: Qui vos audit me audit: ſolum Apoſtolis, ſed eorum quoque ſucceſſoribus, & toti eccleſiæ dicta: Quo fit, ut ſi cleſiam Romanus Pontifex non audiat, Chriſtum quoque non audiat, & tanquàm Et cus & publicanus haberi debeat: quia (ut etiam aſſerit Auguſtinus) cum excommuni eccleſia, in cœlo ligatur excommunicatus, & cum ſolvit, ſolvitur: quo dicto, tam P quàm alii continentur, ex eo tamen illorum maxime veſania confutatur, qui dari per nodum generalem, remiſſionem plenariam inficiantur: cum Synodus (ut poſtea oſten mus) univerſalem eccleſiam repræſentet: illos tamen hæreticorum loco habendos cenſ quum ſi hæreticus eſt, qui Romanæ eccleſiæ primatum aufert, ut Conſtantienſis Conc decreta demonſtrant, quanto magis hæreticus erit, qui eccleſiæ detrahit authoritati, in Romana & omnes aliæ continentur?

Papa non audiens eccleſiam Ethnicus ſit & publicanus.

Bone deus vereor, ne multos Romana eccleſia papas habuerit Ethnicos.

Conſtantienſe Concilium hæreticos juſſit eſſe, qui primatum auferrent Romanæ eccleſiæ.

OPinio (ſicut iam liquet) omnium mortuorum eſt, ſi opinio vocari debet, quæ i neis confirmatur authoribus, quia Ro. Pontifex univerſali eccleſiæ ſubjectus exi neque hoc viventes negare audent. Illud autem apud aliquos revocatur in dubium, an quoque de generali Concilio credi oporteat. Sunt enim aliqui, ſive avidi gloriæ, ſive qu adulando præmia expectant, qui peregrinas quaſdam, & omnino novas prædicare ctrinas cœperunt, ipſumque ſummum pontificem ex juridictione ſacri Concilii demere verentur. Excæcavit namque illos ambitio, à qua non ſolum hoc modernum, ſed om quæ in hunc diem ſchiſmata ſuborta reperiuntur. Namq; ut olim peſtiferam illam beſtia quæ per Arrium primo quaſi de infernis extulerat caput, cupiditas epiſcopatus induxit: hodiernam hæreſim illi præcipue nutriunt, quos jam mendicare ſuppudet, quorum al clamat ſubditorum facta judicari à Papa, Romanum vero Pontificem ſolius dei reſerv arbitrio. Alius dicit, quia primam ſedem nemo judicabit, quod neq; ab Auguſto, neq; omni clero, neq; à regibus, neq; à populo valeat judicari. Alius aſſerit, ejectionem ſumm rum pontificum ſibi dominum reſervaſſe. Alius vero aſſerere non veretur, Romanum p tificem, quàmvis animas catervatim ſecum ad inferos trahat, nullius reprehenſioni fore ſu ctum. Nec conſiderant miſeri, quia quæ prædicant tantopere verba, aut ipſorum ſumn rum pontificum ſunt, ſuas fimbrias extendentium, aut illorum qui eis adulabantur. Et q hujuſmodi dicta ſolutionem habent, recurrunt ſtatim ad evangelium, & verba Chriſti prout ſpiritus ſancti ſenſus expoſcit, ſed ſuopte ingenio interpretantur. Plurimumque il extollunt, quia Petro ſit dictum: Tu vocaberis Cephas, per quod eum caput eccleſiæ f unt: Tibi dabo claves regni cœlorum. Et: Quodcunq; ligaveris ſuper terram. Et: Rog pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Et: Paſce oves meas. Et: Duc in altum rete. Et: timere, jam ex hoc eris homines capiens, quodque ſoli Petro tanquàm Apoſtolorum princ Chriſtus mandaverit pro ſe & ipſo ſtaterem dare, & quia Petrus traxit ad terram rete num piſcibus magnis, & quod ſolus Petrus ad Chriſti defenſionem gladium evagina Quæ omnia hi homines miro modo ſublimant, expoſitionibus ſanctorum doctorum om no poſthabitis, quas ſi (ut par eſſet) conſiderarent, manifeſte cognoſcerent: quia ex aut ritatibus ſupradictis Romanus pontifex non conjunctim, ſed ſeparatim omnibus præeſt. his modo præteritis, quia reſponſio per infra ſcripta patebit: quid nos à doctiſſimis de hac quæſtione audiverimus, hora expoſcit, ut in medium afferamus. Illudque in pri cupio notum, quia Romanum Papam omnes qui aliquo numero ſunt, Concilio ſubjici Ad cujus rei probationem omnia fere repetunt, quæ ſuperius de eccleſia recitavimus. Co petere namq; generali Concilio omnia putant, quæ eccleſiæ. Primoq; huc trahunt illud e gelicum: Dic eccleſiæ, quo in loco ſcire convenit, quia Petro futuro ſummo pontifici C ſtus loquebatur, inſtruens eum, quid eſſet facturus circa fratris correctionem. Ait igitur peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lu tus es fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore d

Hi ſunt Canoniſtæ, & magna pars ſcholaſticorum theologorum & fratres mendicantes. Vide, an ſine cauſa hodie clamant viri boni, non ferentes blaſphemiam ex ore beſtiæ prolatam.

Ridiculè ad Romanam eccleſiam Petro dicta torquentur poſthabitis ſanctorum patrum interpretationibus.

Generali Concilio competere omnia quæ eccleſiæ.

rum testium, vel trium stet omne verbum: quod si non audierit, dic ecclesiæ: Quid igitur hic per ecclesiam intelligemus an fidelium multitudinem, ubique gentium dissipatam? Jugum meum (inquit dominus) suave est, & onus meum leve: at quomodo leve, si præcipit Christus, quod factu est impossibile? Quo enim pacto potuisset Petrus ecclesiam alloqui dispersam, singulosque Christicolas ostiatim per civitates & oppida vestigare? Alius est profecto verborum hujusmodi sensus: aliterque interpretationem fieri oportet, quæ ut rite à nobis fiat, duplicis personæ, quam Petrus gestavit, meminisse nos convenit, summi Pontificis, & hominis privati. Dum in Petro privatum hominem recognoscimus, haud inepta illorum est expositio, qui per ecclesiam prælatum ecclesiæ recipiunt. Docuit enim nos Christus, ut ad episcopos nostros recurramus, vel ad ipsum Romanum Pontificem, cum fratres adversus nos haberemus peccantes. At cum in Petro Romanum Papam suscipimus, ridenda magis quàm probanda expositio est hujusmodi. Nec enim ad Papam, id est, ad seipsum, vel ad prælatum alium, hoc est, ad suum inferiorem remittendus est Papa. Fit namq; hujusmodi remissio, ut qui Papam non veretur, alium vereatur. Verum cum in ecclesia nemo sit eminentior Papa, exploratum est, quia qui Romanum Papam non veretur, alium non verebitur. Ut igitur verus & sanus maneat intellectus, vim verbis facere non oportet, planus est, & per se lucidus horum sensus verborum, nec suppletione, nec alteratione hic textus indiget evangelicus. Videndum nobis est, quid hoc verbum ecclesia significet, quod bis tantum in ore Christi fuisse, reperimus, hic scilicet, & cum Petro dixit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Ecclesia ergo convocationem significat multitudinis. Dic ecclesiæ, id est, dic multitudini fidelium congregatæ: qui cum non soleant, nisi in generali Concilio convenire, bellissima interpretatio erit. Dic ecclesiæ, id est, dic Concilio generali: libenterq; hoc in passu audire vellem, si qui sint, qui proprie magis exponi hæc verba in prælato existiment, quàm in Concilio, cum singularem hominem pro multitudine ponant, quod si admitti in sacra scriptura debeat, nihil posthac firmum reperiemus. Cæterum si de nostro sensu, quisquam miretur, scrutari eum veteres volo codices: inveniet enim, quia nec nova nec peregrina, nec mea est interpretatio, sed sanctorum patrum, veterumq; doctorum, qui primi ecclesiam illuminarunt: ut testimonio est Gregorius Papa, non minus sanctimonia vitæ, quàm literarum peritia memorabilis: cujus ad Constantinopolitanum episcopum hæc in registro verba leguntur: Et nos quidem (inquit) in quibus talis, tantaque per ausum nepharium culpa committitur, servamus quod veritas præcipit, dicens: Si peccaverit in te frater tuus, & reliqua. Post subdit: Si in mea correptione despicior, restat, ut ecclesiam debeam adhibere, quæ verba satis manifeste ecclesiam pro generali Concilio suscipiunt. Nec enim diffusam undique ecclesiam, sed in unum collectam, id est, generale Concilium, adhibiturum se Gregorius promittebat. Quod enim ubique diffusum est, adhiberi non possit, nisi congregetur. Nicolaus etiam Papa regem Lotharium de concubinatu redarguens. Quod si id non egeris (inquit) præcave, ne hoc sanctæ ecclesiæ dicamus: quo dicto, non se iturum per orbem omnesque viritim certionaturum Nicolaus dicebat, sed convocaturum ecclesiam, id est, generale Concilium, ibique Lotharii crimen publicaturum, ut qui Romani jussa Pontificis contempsisset, generalis Concilii reverentiam pertimesceret. Possem in hanc sententiam infinitos penè citare testes, qui omnes idem saperent, sed unum pro omnibus, ac præ omnibus sufficere debet Constantiensis Concilii testimonium. Eo namque in loco, ubi adversus Petrum de Luna fertur sententia, de eo his verbis habetur mentio: eaque in generali Concilio locum habere dicuntur. Quibus ex verbis plus illud habemus, quia non solum Papa in correptione fratris ad Concilium remittitur, ubi per se non potest, sed etiam ubi de ipsius Papæ correptione agitur, ad Concilium est recurrendum. Unde apparet verissimam esse interpretationem nostram, quæ nobis ecclesiam in generali Concilio exponit. Hinc est quod in Actibus Apostolorum congregationes quæ tunc fiebant, appellabantur ecclesiæ. In Concilio quoque Nicæno, & in aliis, cum aliquis excommunicaretur, semper fere subjungitur: Hunc excommunicat catholica & apostolica ecclesia. Atque ex hoc introductus est ille Conciliorum titulus, quo sacrum generale Concilium, universalem ecclesiam repræsentare dicimus. Unde & leges Concilii (ut Canonistæ volunt) & bene volunt, leges ecclesiæ nuncupantur. Nec enim alibi ecclesia, quàm in generali Concilio leges promulgat, nisi & leges ecclesiæ appellemus, Romanorum pontificum constitutiones: quod minus proprium est, quàm in Concilio: ubi, licet non omnes ecclesiasticæ personæ conveniant: plurimæ tamen interesse solent: & in illis quæ veniunt, tota residet potestas ecclesiæ. Unde in Actibus Apostolorum legimus: Quia placuit Apostolis & senioribus cum omni ecclesia. Etenim licet illic non essent cuncti fideles, quod eorum pars magna tunc Antiochiæ moram trahebat, tota tamen ecclesia dicitur, quia tota potestas in Concilio residebat ecclesiæ. Pariq; ratione ædita per Nicænum Concilium, tanquàm per catholicam ecclesiam ordinata suscipimus, licet

Interpretatio illius, Dic ecclesiæ.

Ecclesia quid.

Concilium Constantiense Papam concilio subjecit.

Actus Apostolorum Concilium Nicænum. Conciliorum titulus Roma. Ponti. Constitutiones minus proprie, leges ecclesiæ appelant.

Ædita per concilium Nicænum, per catholicam ecclesiam ordinata suscipimus.

Per ecclesiam concilium intelligitur.

licet non omnes episcopi Niceæ fuerint. Nec ego minoris authoritatis Constantiense Concilium existimaverim, quàm Nicænum: licet illic major episcoporum numerus convenisset, quo tempore impletum erat illud propheticum: Quia in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hodie vero si minores habentur synodi, minor quoque & arctior Christiana religio facta est, non tamen propterea minor est authoritas. Sed ne longius evagemur: illud nobis sat est, quod per ecclesiam Concilium intelligimus generale. Ut ergo ad institutum redeamus, redemptorem nostrum Petro dicentem, audiamus: Si peccaverit in te frater tuus, usque ibi, dic Ecclesiæ: Conciliumque per ecclesiam sumamus. Quis hic major erit, is ne, qui remittitur ad Concilium, an Concilium ipsum ad quod Petrus remittitur? Remittit veritas summum pontificem ad generale Concilium. Cur hoc? nempe, ut non dedignentur Romani Papæ aliquam in terris potestatem supra se recognoscere, quam & in rebus prægrandibus consulant, & illius determinationibus acquiescant. Unde & Petrus alio nomine Simon est appellatus, quod (ut Rabano placet) in homiliis Hebraica lingua interpretatur, obediens, ut intelligerent omnes, etiam in Romano pontifice necessariam esse obedientiam.

Simon obediens Necessaria in Romano Pontifice obedientia.

SUfficere nobis Constantiense Concilium posset, cujus non minor authoritas fuit, quàm illorum quatuor, quæ doctor illustris Gregorius, ut quatuor Evangelia venerari se dicit. Sed libet in hac re paululum immorari, nullumque omnino locum adversariorum temeritati relinquere, qui dum unius hominis libidinem sustinere conantur, dumque privatum bonum communi antevertunt, incredibile est, quantas errorum nebulas excitent. Adversus quos, cum multi alii, tum præcipue Zacharias Chalcedonensis episcopus, vir & re & nomine excellens, armatus venit. Qui cum in Chalcedonensi sancta & magna Synodo, Romani pontificis sententia sibi objiceretur, Nicolai Papæ & aliorum patriarcharum principem esse, Canonem replicavit. At Zosimus Papa sic de statutis generalium Conciliorum ait: Contra statutum patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest authoritatis: nec de statutis patrum, aut in urbibus, aut in eremis disgregatorum loquitur. Illa enim Papam non ligant, sed de his quæ in generalibus Conciliis per patres æduntur. Quod (ut clarius liqueat) Leonis Papæ omnium Romanorum pontificum eloquentissimi subjicienda sunt verba, qui æditionem Nicæni Concilii, nulla unquàm ex parte solubilem fore ad Anatholium scribit, quasi seipsum, & sic summum patriarcham excludens. Damasi vero clarior in hanc sententiam est authoritas ad Aurelium archiepiscopum scribentis, sicut in libro Conciliorum narrat Isidorus, cujus dignissima de authoritate Synodali hæc verba leguntur: Quoniam blasphemare spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sanctos Canones, non necessitate compulsi, sed libenter (ut præfixum est) aliquid, aut proterve agunt, aut aliquid præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Cujus blasphemiæ, an Gabriel, qui se dictitat Eugenium, sit hodie particeps, illi dijudicent, qui eum audiunt asserentem, tantum à se abesse, ut generalibus Conciliis debeat obedire, ut se tunc maxime dicat mereri. cum Concilii decreta contemnit. Sed addit Damasus. Idcirco norma sanctorum Canonum, qui sunt spiritu dei, & totius mundi reverentia consecrati, fideliter à nobis est scienda, & diligenter tractanda, ne quo modo sanctorum patrum statuta absque inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur. Hodie tamen passim in omnibus literis apostolicis, non obstantiæ reperiuntur, quas nulla induxit alia necessitas, quàm pecuniæ cumulandæ, sed de his ipsi viderint, qui talia struunt. Nos iterum ad Damasum redeamus. In epistolis namque Ambrosii Mediolanensis episcopi mentio invenitur cujusdam epistolæ, quam ipse Damasus scripsisse fertur judicibus à Capuana Synodo deputatis, ubi ostendit sui officii non esse, in causis manum apponere, in quibus Synodus prævenisset, quo dicto illos manifeste redarguit, qui summum pontificem Concilii principem dicunt, quod si verum esset, potuisset utique Damasus causam Bonosii episcopi ad se recipere terminandam, quàmvis per Concilium prius cœptam. Sed quoniam Synodus major est Papa, prohibitum se Damasus novit. Unde Hilarius Papa, sciens Synodum supra se fore, ut Canonistas non fugit, decreta sua per Concilium voluit approbari. Neque in hac sententia doctorum omnium doctor Augustinus desideratur, qui sic in epistola, quam ad Glorium, & Eleusium, ac Felicem grammaticum scribit, casum enarrat. Accusabatur Cecilianus episcopus per Donatum, & alios quosdam. Melchiades Papa cum quibusdam episcopis Cecilianum absolvit, & in episcopatu confirmavit. Illi hac sententia irritati, scissionem in Aphricæ partibus induxerunt. Increpat illos Augustinus, qui cum aliud haberent remedium adversus Papæ sententiam, schisma potius elegissent. In eoque per hunc modum invehitur. Ecce putemus illos episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium ecclesiæ universalis judicium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententia solverentur. Unde

Unius hominis libidinem sustinere conantur fautores Rom. Pont. & privatum bonum communi antevertunt. Zacharias Chalcedonensis episcopus.

O vocem indignam carnifice, ne dicam episcopo Romano.

In omnibus apostolicis literis contra sanctos conciliorum Canones dispensatur, de quo viderint qui talia statuunt.

Hilarius Papa sua decreta per Synodum voluit approbari.

Unde apparet, non solum papæ solius, sed papæ etiam cum adjunctis episcopis sententiam per Concilium posse rescindi: plenarium enim universalis ecclesiæ judicium nusquam alibi, quàm in Concilio reperitur. Nec aliquem moveat: quod Augustinus de solis episcopis mentionem facere videatur. Nam si textus epistolæ perlegatur, Romanus pontifex cum episcopis judicasse invenietur. Ex Conciliis etiam Aphricanis prohibiti sunt Romani pontifices, ne appellationes illorum audirent, qui à synodo appellassent: quæ omnia superioritatem Conciliorum ostendunt. Idque in actibus apostolorum liquidius demonstratur, ubi Petrus per congregationem apostolorum reprehenditur, quòd ad Cornelium gentilem introisset, tanquam non liceret eum magni aliquid facere sine scitu Concilii: & tamen tam sibi quàm aliis dictum fuerat: Ite & baptizate, & reliqua. Plus tamen illud videtur urgere, quod ad Galatas scribit gentium doctor Paulus, ubi se ideo restitisse Petro in faciem dicit, quod ad veritatem Evangelii non ambularet. Cujus verba, si recte intelliguntur, nil aliud per veritatem Evangelii suscipiunt, quàm canonem Concilii inter apostolos editum, quoniam sic discipuli in unum congregati determinassent: unde ostendit Paulus, quia oportebat Petrum generali Concilio obedire. Cæterum ne ulterius hæc disputatio nos teneat, subjicienda est Constantiensis Concilii determinatio, quod volens ambiguitatem hujusmodi reserare, certamq; vivendi legem elargiri, solenni decreto declaravit: omnes homines cujuscunque status aut conditionis, etiam si papatus existerent, statutis, & ordinationibus sacrorum generalium Conciliorum obedire teneri. Et quamvis ibi quædam restrictio sit, dum dicitur, in his quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem ecclesiæ in capite & in membris. Notanda est tamen ampliativa clausula, quæ subjungitur, & in pertinentibus ad ea: quæ adjectio adeo prægnans est, ut omnia quæ cogitari possunt, in ventre claudat, nec immerito. Cum enim ait apostolis dominus: Euntes, docete omnes gentes: non dixit, in tribus tantum, sed, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis: & alibi, non istud, aut illud, sed, quæcunque ligaveritis inquit: quæ omnia pro authoritate ecclesiæ, generaliumq; Conciliorum deducuntur: ad quam extollendam, illa etiam veniunt: Qui vos audit, me audit. Et, Vobis datum est nosse mysterium dei. Et, Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo. Et, Quæcunque petieritis. Et, Pater sancte serva illos quos dedisti mihi. Et, Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Et ex Paulo: Dei adjutores sumus. Et, Qui nos fecit idoneos ministros novi testamenti. Et, Ipse dedit quosdā quidem apostolos, quosdā autem prophetas, & reliqua. In quibus omnibus locis, & Christus, & Apostolus de authoritate plurium loquuti sunt: quæ omnia ad universalis ecclesiæ præeminentiā afferuntur. Sed cum ipsa nihil sparsim statuere aut ordinare queat, necessario dicendum est, supremā illam ecclesiæ potestatē in generalibus Conciliis, dum tamen illa conveniunt, residere. Ideoque observatum est in primitiva ecclesia, ut ardua negotia non nisi in generalibus Conciliis, sive congregationibus expedirentur. Idem quoq; postea factum reperimus. Cum enim divisæ forent ecclesiæ, & aliter atq; aliter de fide Christi sentirent, generalia Concilia habita sunt, & in Nicæno, Arriana: in Constantinopolitano, Macedoniana: in Ephesino, Nestoriana: in Chalcedonensi vero Eutychiani hæreses condemnatæ reperiuntur: quod ad rem tantam judicium Romani pontificis non existimabant sufficere, longeque vim habere majorem Concilii quàm Romani papæ sententiam arbitrabantur, quod istum ut hominem posse: illud autem, in quo tot simul homines, spiritu sancto directore convenirent, errare non posse dijudicarent. Pulcherrimaque ad propositum Marciani Cæsaris verba narrantur in hunc modum: Vere impius atq; sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid retractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in meridie & perspicuo die commentitum lumen quærere: quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit.

Petrus per congregationem apostolorum reprehenditur.

Petrus obedire generali concilio coactus.

Constantien. Concilii institutio.

Loca citantur varia ex evangelio & Apostolo.

Ardua negotia non nisi in generalibus Conciliis olim tractabantur, nec solus pontifex Romanus sufficit ad convincendos, judicandosque hæreticos.

CONstare jam omnibus arbitror, Romanum pontificem subesse Concilio. Subdubitare tamen aliqui solent, an etiam deponi per Concilium possit, quia etsi probatum est, papam subesse Concilio, non tamen fateri volunt idcirco posse deponi: de qua re non erit extra propositum pauca dissertare. In primisque de nostris rabulis aliqua dicere, qui pro defensione Romani pontificis adhuc instant, unoque victi prælio, aliud instaurant, ut qui pertinacia magis quàm ignorantia contendunt: hi hoc etiam loco repeti volunt, quæ superius de Romani pontificis, seu patriarchæ retulimus eminentia: utque sunt nonnulli magis verbosi quàm eloquentes, plurimum in eo commorantur, quod Petro veritas dicit, Tibi dabo claves regni cœlorum. Et, Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: quasi per illa verba princeps fieret aliorum. Iterumq; illud amplificant, dum dicitur: Pasce oves meas, quod aliis minime dictum inveniunt. Et quia dicitur, Petrum fuisse verticem, & os collegii apostolorum, ideoque recte dictum censent, quia nemo judicabit primam sedem, omnesque cum Bonifacio sentiunt: qui ait, Nulla ex causa posse judicari, nisi deprehendatur à fide devius, etiamsi catervatim innumerabiles populos secum in tartarum ducat

An Pontifex deponi possit per Concilium.

Rabulæ, qui pro Pont. Romani pugnant, licet sæpius victi, prælium tamen semper instaurant.

Retunditur egregiè Bonifacius, c. si papa. 4. dist.

ducat perpetuo cruciandos, quasi non posset aliis aperire cœlum, si alius illud sibi claudere quiret: nec rursus alios pascere, si ipse indigeret pastu. Nos autem his in rebus nihil momenti ponimus, nihil omnino difficultatis meminimus: namq; quod in sermone natalis Petri & Pauli Augustinus in hunc modum ait: Dominus Jesus discipulos suos ante passionem suam (sicut nostis) elegit, quos fratres appellavit, inter hos pene ubiq; Petrus solus totius ecclesiæ gestabat personam, & propterea audire meruit, Tibi dabo claves regni cœlorum. Has enim claves, non ille ut homo unus, sed unitas accepit ecclesiæ. Et alibi de agone Christiano: Huic enim (inquit) ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ sunt. Et cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me, pasce oves meas. Et Ambrosius in principio Pastoralis: Quas oves, & quem gregem, ait, non solus tunc suscepit beatus apostolus Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & nos cum illo eas suscepimus omnes. Quibus ex dictis tabulorum nostrorum fundamenta concutiuntur, ac penitus evertuntur. Quoniã si personã ecclesiæ Petrus ferebat, non Petro, sed ecclesiæ potius vim illorum verborum debemus ascribere. Quæ autem Bonifacius asserit, quo pacto subsistere queant, non video: atq;, ut mox dicemus, longe à veritate videntur, nisi aliter atq; sonant, intelligantur. Magnum tamen alicui fortasse potest videri, quod dicitur, Romanũ pontificem caput esse militantis ecclesiæ. Namq; ut in corpore humano, nunquam suadent medici, propter aliquã ægritudinem caput abscindi, quamvis & ulcerosũ sit, & quovis morbo infectum. Sic in hoc mystico ecclesiæ corpore semper videtur caput esse custodiendũ, & quamvis criminosũ sit, nihilominus tolerandũ. Sed converte hoc argumentũ, si posset humano corpori, uno submoto capite, aliud inveniri, sicut in Ecclesiastico cernimus: nunquid sæpissime ob varias ægritudines capita mutarentur? Præterea si sic volumus agere, ut sic se caput ecclesiasticum ad suum habeat corpus, sicut humanũ ad suum: necessarium erit, ut extincto capite corpus etiã extinguatur, sicut in humanis corporibus cernimus: sicq; in absurdũ venies, quod mortuo Papa, mortuã etiã ecclesiã confiteberis: quod quantum à veritate absit, non nos latet. Quicquid tamen dicant aliqui, ego cum illis non sentio, qui Romanum pontificem caput ecclesiæ dicunt, nisi forsitan ministeriale, legimus enim: Quia Christus est ecclesiæ caput, non Papa: & illud est verum caput, immutabile, perpetuũ & æternũ. Romanus autẽ pontifex nihil plus est, quàm veri capitis locũ tenens: ecclesia vero ipsius Christi corpus, cujus etiã ipse Papa est membrũ, vicarius autẽ Jesu Christi, non in destructionem, sed in ædificationẽ corporis ejusdem Christi, quod est ecclesia. Quo fit, ut si damnosus & destructor reperiatur, deponi & abjici queat, non enim id agit propter quod est institutus. Et oportet nos (sicut Leo inquit) evangelici meminisse mandati, ut si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizaverit manus, à compage corporis auferatur, quoniam & alibi inquit dominus: Quia omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur: Et iterum dicitur nobis: Auferte malũ de vobis ipsis. Justum est enim, & valde justum, ut in Epistola Clementis ad Jacobum fratrem domini scribitur, separari eum, qui salvari vult, ab eo qui non vult. Sed ut clarius, apertiusq; rem aperiamus, referendum est, quod apud Johannẽ dominus dicit: Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est, inquit dominus, & vos estis palmites: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet. Verba sunt ad apostolos dicta, inter quos etiam Petrus erat, quem etiam auferri vult, non afferentem fructum. Hieronymus quoq; supra illis Matthæi verbis, Sal infatuatum ad nihilum prodest, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur à porcis, sic, in persona Petri & Pauli inquit: Non est facile stare in loco Petri & Pauli, & tenere cathedram jam cum Christo regnantum. Infatuatum sal, id est, stultus prælatus, insipidus in prædicando, & fatuus in delinquendo, ad nihilum prodest, nisi ut mittatur foras, id est deponatur: & conculcetur à porcis, id est, à dæmonibus, qui dominantur malo prælato, tanquam pecori suo. En clarum est Hieronymi testimonium, projiciatur foras, id est deponatur, exponit, & loquitur de prælato, qui Petri locum tenet, & sic de Romano pontifice, quem in prædicando insipidum, & fatuum in delinquendo, ex gradu suæ dignitatis deponendum affirmat. Nec (ut aliqui delirant) propter solam hæresim. Apud Isidorum autem Ispalen. in libro Conciliorum epistola quædam Clementis, successoris Petri, ad Jacobum fratrem domini, reperitur inserta, ubi Clemens beati Petri ad se verba referens, sic ait: Si enim mundialibus curis fueris occupatus, & teipsum decipies, & eos qui te audient: non enim poteris quæ ad salutem pertinent, plenius singulis quibusque distinguere, & ex eo fiet, ut & tu tanquam qui non docueris, quæ ad salutem hominum pertinent, deponaris, & discipuli per ignorantiam pereant. Alibi tamen pro deponaris invenitur puniaris, quæ duo verba, si bene intelligantur, non multum inter se differunt: depositio namq; punitionis loco fit. Nec hic objiciat quispiam hanc epistolam non esse putandam Clementis, cum scripta dicatur ad Jacobum, qui (sicut Scholastica tradit historia) prius obiit quàm Petrus occideretur: potuit namq; Clemens vivum Jacobum existimare, cum scripsit, qui magno terrarum & maris spatio inter se distabant. Nec facile Christianorum nuncii Romam veniebant.

O gravitas digna Theologo.

Egregia solutio illius, Papa caput ecclesiæ.

Papa non est caput ecclesiæ, nisi ministerialiter. Papa ecclesiæ membrum.

Epistola Clementis.

Delirant, qui propter solam hæresim deponi Papam posse asserunt.

veniebant. Præterea hujus epistolæ in pluribus decretorum locis, tanquam veræ fit mentio, ideoque non erit ab re etiam ipsius epistolæ alia verba referre, ait enim: Quia qui rebelliter vivit, & discere atque bona agere recusat, magis diaboli, quàm Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis, quàm fidelis esse monstratur. Super quibus verbis glossa, quæ singularis per Panormitanum dicitur, & plurimum approbatur, ait: Quod si notorium sit quodcunque Romani pontificis crimen, ex quo scandalizatur ecclesia, quod potest de illo papa accusari, si sit incorrigibilis. Si accusari, ergo & puniri, ac exigente delicto deponi, aliàs frustra accusaretur. C. si. 39. dist.

NUllus jam superest æmulis nostris defensioni locus, quin papa deponi queat. Quod licet deductum sit, non tamen adhuc liquet, an per Concilium, quam provinciam nunc ingredimur, illudque nobis initio fatebuntur adversantes: quoniam ab ecclesia potest Romanus pontifex deponi. Quia cum sit papa vicarius ecclesiæ, nemo dubitat, quin dominus vicarios suos possit ad nutum suum destituere: nec dubium est, verius dici papam, ecclesiæ vicarium, quàm Christi. At si ecclesia potest Romanum patriarcham destituere, ergo & Concilium potest. Namque (ut supra ostensum est) universalis ecclesia nihil statuit, nihil ordinat, nihil decernit, nisi cum est in generalibus Conciliis congregata: tuncque (licet non adsint omnes) sat est, quia vocati sunt omnes, quos ratio exigit interesse. Sed hic quoque, ut fit, ex dubio dubium oritur. Nam cum ecclesia tam laicos quàm clericos complectatur, cur soli clerici Concilia gerant, quærendum videtur: nec enim videmus laicos interesse, aut vocem habere in Conciliis. Possetque aliquis arbitrari, quia quod dicitur, ecclesiam non errare, id ad utrumque statum, atque utrumque sexum referri: ut errantibus clericis, laici maneant, rursusque viris errantibus, fœmellarum aliquæ in fide ac veritate persistant: sed est erroneum sic opinari. Debemus namque duplicem considerare ecclesiam: alteram, quæ laicos cum clericis in se habet: alteram, quæ solos clericos, & ad secundam pertinet docere, purgare, illuminare, dirigere, corrigere, pascere & perficere primam, quia supremum in terris tribunal apud clericos, non apud laicos existit: quod tam ex veteri testamento quàm ex novo comprobatur. In Deuteronomio namque sic scribitur: Si difficile & ambiguum apud te judicium esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & judicium intra portas urbis tuæ videris verba variare: surge, & ascende in locum quem elegerit dominus deus tuus: veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quærens ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram vel ad sinistram: qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat coram domino deo tuo, & decreto judicis, morte moriatur homo ille, & auferes malum de medio Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Ecce ergo, quia in veteri testamento supremum tribunal apud sacerdotes fuisse monstratur, quod etiam apud Matthæum testatur dominus, dum ait sacerdotibus Judæorum, quod ipsi essent duces aliorum, & ad eos spectaret, sedere in cathedra Mosi, & docere populum, quodq; in eis esset clavis scientiæ. Ex quibus verbis ostenditur, supremum & maximum tribunal Judæorum in synagoga fuisse, quæ res satis nos admonet, idem quoque in novo testamento debere servari, cum vetus fuerit typus novi: & quæ non inveniuntur mutata, stare non prohibentur. Sunt tamen & hujusmodi res in evangelica lege, evidentissima testimonia, idque præcipue ex gestis Christi potest comprehendi, qui omnia verba potestatem significantia, ad apostolos, discipulosque direxit, quos fuisse omnes presbyteros constat, ut est illud: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Ubi piscatoribus sacerdotes, & laici piscibus æquiparantur. Discipulos quoque operarios in messem suam, id est, in ecclesiam constituit, & dedit illis authoritatem docendi & instruendi. Unde apud Lucam mittens eos, dicit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Apud Matthæum vero inquit: Euntes, docete omnes gentes. Et alibi ad populum: Omnia quæcunque dixerint vobis, servate & facite: de scribis loquens. Taceo illud quod est omnibus majus: Quæcunque ligaveritis, & reliqua. Namq; id quoq; solis sacerdotibus dictum reperitur. Voluit enim Christus ostendere: quia sicut in veteri testamento sacerdotum fuit suprema potestas, sic etiam in novo servari deberet: ideoque non inepte Apostolus Paulus magistrum se gentium vocitat. Nec existimet aliquis id tunc illis tantum fuisse dictum, qui perfecti erant, & quorum lux omnibus lucebat. Namque & successoribus dicebatur, quicquid apostolis & discipulis dicebatur, quod authoritatem sonaret: sicut Ambrosius super verbo: Pasce oves meas: & Augustinus de verbo: Tibi dabo claves, quos supra retulimus. Clarius tamen ad Ephesios Paulus: Et ipse dedit (inquit) quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Ephes. 4.

An papa possit per Concilium deponi.

Papa verius dicitur vicarius ecclesiæ, quàm Christi.

Duplex ecclesia.

Cur soli clerici Concilia gerant.

tionem corporis Christi, donec occurramus in unitate fidei omnes, & agnitionis filii c
in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus sicut p
vuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astu
ad circumventionem erroris. Quibus in verbis ostendit Paulus, Jesum Christum superna
petentem, ecclesiæ suæ voluisse consulere, ne in viam erroris declinaret, per nequitiam h
minum seducta: constituisseque directorium quoddam, ad quod foret in dubiis casibus
currendum, idque ex sacerdotibus ordinasse apostolis, prophetis, evangelistis, pastoribus
doctoribus: nec eos solum qui tunc erant, sed eorum etiam successores, quando dicit
Donec occurramus ei, id est in fine seculi. Unde apud Matthæum dicitur: Ego vob
Matthæus. Augustinus. cum sum usque ad consummationem seculi. Et Augustinus super Matthæum, dum s
bitur: Tibi dabo claves, &c. Dicit, per illa verba datam esse judiciariam potestatem, n
solum Petro, sed toti ecclesiæ in episcopis & presbyteris. Sciendum est enim (ut C
Clementis epistola. mens asserit in epistola supradicta) episcopos vicem apostolorum gerere, & reliquor
discipulorum vicem tenere presbyteros: sic enim prædicasse Petrum, qui à domino d
cisset, ait: Unde apparet ecclesiæ potestatem omnimodam in sacerdotibus consistere,
rumque determinationi, & mandatis ex jussu domini omnes homines teneri parere, quia
eo sit dictum: Omnia quæcunque dixerint vobis, facite. Quibus ex verbis, illud m
consequens videtur, ut sicut universalis ecclesia, quæ omnes complectitur, nequit erra
sic etiam errore omni careat, quæ solos continet clericos, quoniam si illa tenetur huic a
cultare atque obedire, sequeretur, ut hac errante illa erraret, quod tamen nequaquam
mittimus. Dicimus ergo universali ecclesiæ, quæ omnes Christi fideles amplectitur, p
Concilium deponit pontificem. testatem omnimodam fore concessam, Romanumque pontificem illi subjectum, posse p
ipsam non bene regentem deponi, abjici, excommunicari. Rursus adjicimus, quia quæcun
illa universalis ecclesia potest, hæc etiam clericorum potest, & in hac potestatis supren
exercitium inveniri. Et cum illa ab hac dirigatur, illuminetur, pascatur, nephas est dice
hanc fore errori subjectam. Tunc enim non bene providisset ecclesiæ sponsæ suæ Je
Christus, nec utile directorium instituisset, quod est omnino absurdum: veritasque
manet, quia clericorum ecclesia, errori nequaquam subjicitur. Ipsi autem clerici soli habe
Soli clerici in Conciliis judicant. in Conciliis judicare: quoniam in eis est (ut supra diximus) clavis scientiæ, & ad eos s
ctat docere populum, & sedere in cathedra Mosi. Iterum quoque sciendum est, quoni
sacerdotes per orbem dispersi, non statuunt Canones, nec judicant, nisi quilibet plebe
suam: tuncque Papa omnibus major est, & ipse est sacerdos, qui ministrat coram domi
in eoque plenitudo potestatis existit. Ubi vero in spiritu sancto congregantur episcopi
sacerdotes, Concilium celebrantes: licet non omnes assint, quia tamen legitime voca
facta est, jam non in Papa, sed in Concilio plenitudo potestatis consistit, statimque ut
cipit Concilium esse, incipit Papa superiorem habere. Nec scio quando ex plenitud
Convocato Concilio, Papa incipit superiorem habere, & cessat in eo plenitudo potestatis. potestatis possit (stante Concilio) quicquam statuere, cum jam cesset in eo ipsa plenitu
Sed (ut in proposito maneamus) illud omnino concludimus, quia quod ecclesiæ univers
permissum est, id quoque ecclesiæ clericorum permittitur. Et quod permittitur eccle
clericorum, id etiam generale Concilium habet commissum sibi. Quo fit, ut si univer
lis ecclesia, prout nemo potest negare, Romanum pontificem deponere potest, gener
quoque Concilium potest.

POssumus hanc sententiam evidentioribus firmare testimoniis. Glossa est quam suis
scriptis mirifice Panormitanus extollit, cujus sententia est: generale Concilium e
judicem Papæ, in omnibus casibus, in quibus ille potest judicari, sed est Canon syn
Synodus Constantinopolitana. Constantinopolitanæ, octavæ illius magnæ & memorabilis: & quam Gregorius in
quatuor venerari se more quatuor Evangeliorum, dicit: in hæc verba: Porro, si syn
dus universalis fuerit congregata, & facta fuerit de sancta Romanorum ecclesia quæ
ambiguitas, & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de p
posita quæstione sciscitari, & solutionem accipere: non tamen audacter sententiam
cere contra senioris Romæ summos pontifices. Ecce ut sacrum illud Concilium C
stantinopolitanum, & ab omnibus approbatum, seniores Romæ pontifices judicio syn
dali supponit, nec aliquem moveat, quia non exprimitur depositio, dicitur enim quæ
ambiguitas. Si enim de quavis ambiguitate cognoscit synodus, ergo videbit utrum Papa
deponendus, quia id etiam potest in ambiguitatem venire. At ne longius exempla petam
Johannes xxiii per Concilium depositus, non propter hæresim, sed vitam scandalosam. Johannes XXIII. quem & major Christianæ religionis pars, & ipsa Constantiensis sy
dus pro Romano pontifice venerata est, per Concilium à pontificio ejectus fuit. Nec h
resis in eo condemnata est ulla, sed quoniam scandalizabat ecclesiam aliis criminibus, s
cta synodus eum Papatu abdicandum censuit: perpetuis exinde temporibus exemplo
proficiens, ut cessaret illorum opinio, qui tantum hæresim facere locum depositioni a
runt. Unum tamen hic non est omittendum, quod quidam, & boni (ut mihi videntur,
do

docti, ut reputantur) disputando solent tueri. Adserunt enim generalia Concilia nullius esse penitus efficaciæ, nulliusque omnino momenti, nisi Romanus pontifex illa indixerit, ejusque authoritas perseveraverit in eisdem. Unde Paschasium Sicilienfem episcopum, & sanctissimi Leonis papæ nuntium, in magna synodo Chalcedonensi increpasse aiunt Dioscorum, quod ausus esset facere sine authoritate sedis apostolicæ Concilium in Epheso, quod nunquam rite factum est, neque fieri licuit. In omnibus namque synodus apocrypharii apostolici, decretas sententias, primo propter summam authoritatem ejusdem sanctæ sedis confirmabant & subscribebant: quia aliter nullum habebant robur, ut credit Isidorus. Adducunt & aliud ejusdem synodi Chalcedonensis testimonium: ubi cum facta esset mentio Ephesini Concilii, omnes episcopi clamaverunt, illud Concilium dicere non debemus: quoniam nec apostolica authoritate coactum est, neq; rite peractum. Ex quibus authoritatibus mirum in modum se putant armatos, qui fieri sine consensu papæ Concilia negant. Quorum sententia, si (ut ipsi volunt) inviolata persistat, ruinam secum ecclesiæ trahit. Quid enim remedii erit, si criminosus papa perturbet ecclesiam, si animas perdat, si pervertat exemplo malo populos, si deniq; contraria fidei prædicet, hæreticisq; dogmatibus imbuat subditos? Nullumne hic parabimus obstaculum? sinemus ne cum ipso cuncta ruere? Quis est, qui existimet Romanum pontificem ad sui emendationem Concilium congregare? nempe, ut peccant homines, sic etiam impune peccare volunt. At ego dum veteres lego historias, dum actus perspicio apostolorum, hunc equidem usum non invenio, ut soli papæ Concilia congregaverint. Primumq; omnium Conciliorum, ubi Matthias substitutus est Judæ, non jussu Petri, sed jussu Christi congregatum invenio: qui apostolis præcepit, ne ab Hierosolymis discederent, sed promissionem patris expectarent. Secundum, de electione diaconorum, non solus Petrus, sed & duodecim apostoli congregarunt, quia scriptum est: Convocantes duodecim multitudinem. Tertium, de sublatione circuncisionis, & aliorum legalium communis inspiratio congregavit: scribitur enim: Convenerunt apostoli & seniores. Quartum vero, ubi quædam legalia permissa sunt, videtur per Jacobum fratrem domini coadunatum, & sic discurrendo per omnia, nihil in primitiva ecclesia reperiretur, per quod authoritas hæc congregandi Concilia solis Romanis pontificibus pateat. Nec post, tempore magni Constantini, & aliorum Augustorum ad congreganda Concilia, quæsitus est magnopere Romani assensus papæ, ideoque Chalcedonensis synodus sic de se ait: Sancta & magna universalis synodus, quæ secundum gratiam dei, & sanctiones piissimorum, Christianissimorumq; Imperatorum, Valentiniani & Martiani Augustorum congregata est apud Chalcedoneam metropolim Bithyniæ provinciæ: nec de Romano pontifice efficit synodus mentionem, quamvis ejus illic consensus fuerit. In hac re tamen distinguendum putarem, nec absolute negarem papæ consensum necessarium, nec absolute requirerem: imò nunquam eo volente refutarem: dicerem tamen quia ad congreganda Concilia requirendus sit papæ consensus, nec summa illius sedis authoritas, & dignitas videatur contemni. Si tamen ille resistat, congregarique Concilium omnino nolit, & major pars prælatorum judicet necessarium esse Concilium, etiam si papa nolit, Concilium congregari posse putabo. Eoque modo intelligo verba Concilii Chalcedonen. Dioscurus enim Concilium in Epheso congregans, apostolicam sedem comtempserat, quod nullatenus licuit. Præterea si aliqui prælati (invito papa) vellent Concilium facere, existimo habendum respectum ad summam sedis apostolicæ dignitatem, ut non sit ei paucorum prælatorum judicium anteponendum. Ubi vero communiter inspiratio est prælatorum, unius hominis judicium cedat oportet, etiam si Petri successor existat. Nec illud video semper observatum, ut sine authoritate papæ Concilium non sit habitum. Nec enim Pisanum Concilium papæ alicujus authoritate aut consensu congregatum fuit, cum & Gregorius illud abominaretur, & Benedictus execraretur. Idem quoq; de Constantiensi Concilio dici potest, quod authoritate Johannis convenit, qui quantum ad Hispanos, papa non fuit. Et si Pisanum Concilium verum non fuit Concilium, Johannes papa verus non fuit: unde etiam consensus ejus ad congregandum Constantiense Concilium nihil operatus fuisset. Sed dicunt aliqui, quia Cardinales fuerunt Pisis, qui pars sunt apostolicæ sedis, etiam authoritatem fuisse apostolicam: quod quàm verum sit, facile potest percipi: quia plus est solus papa, quàm omnes Cardinales. Ille est enim vicarius Christi, illeque Petri successor, non Cardinales, in illoque plenitudo residet potestatis, & ad eum ligare & solvere pertinet: utcunque est, mihi non consonat, idcirco negari Concilium, si papa, quotiescunque papa dissentit, nisi ejus spreta sit authoritas. Cur enim in generali Concilio alia exigitur potestas, in quo est præsens divina majestas. Illud autem plus quàm fatuum est dicere, ut postquam semel consensus papæ fuerit, si revocetur, cessare Concilium: quoniam non est amplius arbitrii papæ revocare consensum. Necessariùmque habet Concilio parere, cujus ipse pars, majori parti cedere habet. Et si se à consensu majoris partis segregat, ab unitate ecclesiæ recedens, schismaticum sese facit.

An sine authoritate pontificis Rom. Concilia possint congregari.

Isidorus.

Errant qui solum papam putant Concilium constituere debere.

Vide quare nolint Concilia pontifices.

Primum Concilium apostolorum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Invito papa, si major pars prælatorum consentiat, indici Concilium potest.

Pisanum Concilium, invito papa congregatum.

Insolubile argumentum contra Eugenium.

Papa quando schismaticus.

LOngius forsitan (quàm res exposceret) videor esse digressus, multaque præter intentionem contexuisse: fit tamen sæpius, ut verbum ex verbo fluat. At si recte pensitemus, nihil est ab re dictum: omnia namque eo tendunt, ut Romanum pontificem generali Concilio subjiciant, quod prima conclusio Theologorum habuit. Quæ quoniam ex superioribus dictis satis explicata videtur, jam tempus est, ut ad secundam vela tendamus: quam primis adhuc spirantibus ventis, facile absolvemus. Namque si verum est, ut est, Papam subesse Concilio, quo pacto poterit ipse Papa invitum Concilium dissolvere, mutare aut transferre? Quoque vultu dicemus, quia jus habeat in suum superiorem, qui est inferior? Quomodo corrigere Papam sancta synodus poterit: si solvi synodus vel invita per Papam potest? sit Papa libidini serviens, sit auri & pecuniæ cupidus, sit bellorum ac tumultuum avidus, sit hostis ecclesiæ & Christiano infestissimus nomini, quo pacto illum redarguere Concilium poterit, si illi facultas pateat dissolvendi? nempe, ut agi de sua correptione in Concilio Romanus pontifex audiet, mox ad dissolutionis remedium properabit. Quoniam sicut pulchre Macrobius inquit: Cui plus licet quàm par est, plus vult quàm licet: at si dissolvendo vel transferendo potest se Romanus pontifex à correptione Concilii eximere, jam sequitur, ut supra eum Concilium non sit, aut igitur negandum est quod supra probavimus, Papam subesse Concilio, aut dissolvere invitum Concilium negandum est Papæ. Namque ut vera est prima conclusio, sic utique falsæ sunt quæ illam impedire possunt omnes conclusiones. Maneat igitur & secunda conclusio Theologorum: quam licet aliqui in certis admittant casibus, in certis excludant. Ego illam ubiq; recipio, nec unquam, aut ullo pacto dissolutionem Concilii Papæ concedo, nisi etiam concedat Concilium: habeat Papa quascunque causas, quascunque rationes, omnia cassa, omnia vana sunt nolente Concilio. Namque si causæ dissolvendæ sunt, non Papa de illis, sed Concilium judicabit ejusque, non Papæ judicio stabit. Namque si admittimus ex certis causis, invitum Concilium posse Papam dissolvere, id est Papam judicem Concilii facere, quod esset primæ conclusioni omnino contrarium.

An papa posset rem inferre invito Concilio.

Quod proh dolor experientia jam sæpe docti sumus.

Nota.

EX duobus quæ supra proposui declarandis, alterum jam est absolutum, alterum è vestigio trutinabimus: probatum namque est, & Concilium supra Romanos esse pontifices, & ab eis invitum non posse dissolvi. Videndum est modo, an ita credere ex fide sit, quæ res tertiam intuetur conclusionem. Fuerunt autem plurimi, qui licet conclusiones has duas faterentur veras: dubitare tamen se dicerent, an id esset fidei catholicæ veritas. Est igitur nobis secunda pars confirmanda, videndumque est, an ex fide sit, Papam subesse Concilio, quo probato, ex fide etiam esse patebit: quia Papa non potest invitum Concilium dissolvere, quam consequentiam nemo ex disputantibus refutavit. Quærendum ergo in primis est, quid ipsa fides sit, ut sic facilius, quid ad eam pertineat cognoscamus. Atq; ut Tullianam prætereamus definitionem, qui ait, fidem esse dictorum, conventorumque constantiam & veritatem, atque ideo fidem appellari, quod fiat quod dictum est: nihil enim de vero deo sensit. Fides (ut Theologi definiunt) est firma adhæsio rebus creditis ex authoritate dicentis. Si igitur credimus (ut supra est dictum) Romanum Papam subesse Concilio, certe aliqua nos authoritas ad id credendum impellit, sicque fides illius est, qui hoc credit, sed non quærimus utrum ex fide tantum, sed utrum ex fide catholica sit. Rursus ergo quærendum est, quid sit fides catholica. Estque catholica Græcum verbum, quod latine universale significat. Catholica igitur fides, id est universalis fides: nec ideo dicitur universalis, quod universi eam habeant, sed quod universi habere eam tenentur. Nec enim incarnatum deum omnes credunt, credere tamen omnibus est debitum. Nec ideo definit fides nostra esse catholica, licet quamplurimi adversentur eidem. Quid enim (inquit Apostolus ad Romanos) si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas ipsorum, fidem dei evacuavit? absit. Est autem deus verax, omnis homo mendax. Credere igitur Papam subesse Concilio non minus erit fidei catholicæ, quamvis aliqui aliter sentiant. Id enim credere omnes astringimur, siquidem ex codice Evangelico sumitur. Namque non solum quæ in symbolo sunt annotata nos ligant, sed omnia quoque quæ sacris continentur scripturis, & maxime in evangelio, & Paulo, ex quibus nec unum apicem negare nobis permittitur. At ea quæ dicimus de superioritate Concilii generalis, ex dictis Christi Jesu nostri redemptoris atque ex magistri gentium epistolis colliguntur. Ergo ad credendum omnes astringunt. Quod autem ista ex evangelio recipiantur, testimonio, est Constantiense Concilium, quod authoritatem suam super illis verbis: Dic ecclesiæ, &: ubi duo vel tres, &: quæcunq; ligaveritis, & hujusmodi, fundatam vult. Cæterum si hæc ab Evangelio descendit veritas, utique catholicæ fidei veritas est, omnesque sub pœna damnationis æternæ obligatos facit. Plus etiam (si licet) dico: Omnia equidem quæ generale Concilium definit, sub simili pœna tenemur credere, idq; pulcherrime videtur Augustinus astruere. Ait enim, quod Evangelio non crederet, nisi authoritas ecclesiæ se commoveret. Ecclesiamque pro Concilio nominavit:

Fides quid.

Fides catholica quid sit.

Roman. 3.

Augustinus.

navit: nec enim ecclesia ubique diffusa, sed in Concilio congregata de receptione Evangeliorum statuit. Eoque fit, ut quemadmodum strinxit nos Concilium ad credulitatem illorum, sic & alia nobis credenda offerre possit. Unde Martinus quartus, dum adhuc Constantiæ degeret, sacro approbante Concilio, literas sub plumbea bulla emisit, quæ articulos enumerat, super quibus interrogari deberent, qui in suspitionem hæresis incidissent, inter quos etiam illum ponit, an credat sacrum generale Concilium potestatem habere immediate à deo, ejusque ordinationes ab omnibus Christi fidelibus esse recipiendas, quod si negaret, hæreticus haberetur. Quare cum Sancta & magna Constantiensis synodus veritatem illam prædicaverit, de superioritate Concilii generalis: quid obstat quo minus hanc esse veritatem catholicæ fidei fateamur? Ecclesia quippe catholica, Constantiæ congregata, illam fidem recepit, id est sic credidit ex authoritate dicentis, scilicet Christi & aliorum sanctorum. Ad hoc etiam perpulchre faciunt verba synodi Chalcedonensis in hunc modum: Non licet illum, qui condemnatus est ab omni synodo episcopum nominare, definitio omnibus placet, hæc fides patrum est, qui præter ista sapit, hæreticus est. Et iterum regula est, ut ab electa synodo non liceat appellare: hæc est fides patrum, qui præter ista sapit, hæreticus est. En amplissimum magnæ & sanctissimæ synodi testimonium, hæreticum dicit, qui aliter sapit quàm Concilium sapiat. At hæreticus nemo est, nisi qui catholicam fidem respuit, ergo catholica fides fuit, credere, quod ab electa synodo non liceat appellare. Verum quo pacto id fidei erat catholicæ? nempe, quia sancta synodus Evangelica, & sacra scripta pervolvens, eandem conclusionem ex verbis Christi, aliorumque sanctorum patrum recepit. At sicut illud Chalcedonensis synodus, ex sacra scriptura resumpsit: sic hoc quod disputamus Constantiense Concilium excerpsit. Et sicut illud catholicæ fidei est, sic etiam istud, & præter utrumque sentiens hæreticus est. Delirare illi præterea mihi videntur, qui has veritates fassi, veritates fidei non fatentur. Namque si veritates sunt, unde obsecro veritates sunt? nempe non ex grammatico, minusque ex logico aut astronomico, à physico quoque aliena hæc sunt. Nec alius mihi quàm theologus veritatem fatebitur istam, cui necessitatem sacra scriptura imponit: qui nec Christo incredulus, nec apostolo rebellis erit. Est igitur ex fide catholica hæc veritas, eamque omnes amplecti debent, cui qui resistit pertinaciter, hæreticus, ut tertia conclusio asserit, censendus est. Nec durum alicui videatur hæreticum dici, qui generalis Concilii potestati derogat: quæ tam multis testimoniis, authoritatibusque firmatur, cum etiam hæreticus habeatur, qui Romanæ ecclesiæ primatum aufert: qui unus est ex Græcorum damnatis erroribus. Refert etiam noster Panormitanus Hieronymum dicentem quia qui aliter scripturam intelligit, quàm spiritus sancti sensus efflagitat, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. Ex quo sequitur, ut qui ex verbis Christi, cum ait Petro: Dic ecclesiæ, non intelligit per ecclesiam generale Concilium, aliter intelligit quàm spiritus sancti sensus exposcit, sicque possit hæreticus notari. Quod autem sensus spiritus sancti alius sit, quàm ille putet, Constatiensis declarat synodus, quæ per spiritum sanctum directa, verba illa, Dic ecclesiæ, de Concilio generali est interpretata. Hisce igitur, & aliis majoribus rationibus admodum multis, visæ Theologis sunt tres supradictæ conclusiones veræ, & per ipsas etiam reliquas approbarunt, studio maxime, ac diligentia fratris Nicolai Gallici, ex ordine Prædicatorum, viri & ingenio, & solicitudine admodum præstantis: cui nimirum hujusce rei expeditionem attribuo, quem si quis (ut supra diximus) videat, nequaquam tanti efficiat. Sed pretiosiora nonnunquam sunt parvi corporis vascula, ut lapilli, gemmæque testantur, & illo de quo apud Statium: Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Concilium Constantiense.

Chalcedonensis synodi verba, quibus hæreticus, quisquis aliter sapit quam concilium.

Notatur Panormitanus stringitque pulchre ex proprio supposito.

Dic ecclesiæ, id est Concilio generali. Nicolaus Gallicus.

SAtisfactum jam arbitror (quantum ingenioli mei suppetunt vires) his quæ promisimus, nec aliquem modo existimo de tribus primis conclusionibus addubitare. Nunc ad historiam repedandum est, quæve post conclusiones Theologorum intercesserint, referre est animus. Sunt enim plurima digna relatu, & quæ posteris forsitan aliquando proderunt. Ut igitur res est à Theologis comprobata, examen deputationum successit, quarum tres sine magno negotio cum Theologis consenserunt. Quarta vero cui de communibus nomen est, admissis tribus primis conclusionibus, de reliquis titubare videbatur: obexque ibi maximus erat Georgius Vicensis episcopus, cui noviter ex Moguntia redeunti, qui nec in disputatione capitulari fuerat, persuaderi non poterat, absque nova vocatione Eugenium declarari posse hæreticum, favebatque sibi plurimum Amodeus Lugdunensis Archiepiscopus, non quod ita sentiret. Palam namque in disputatione capitulari Eugenium hæreticum, atque relapsum prædicaverat, sed quia timebat * depositionem Papæ nimium festinari. Erantque illa in deputatione complures, qui non modo nunc, sed semper Eugenii partibus fauerant, hæc deputatio, ne secundum veterem Concilii consuetudinem, à tribus deputationibus concluderetur, omnem deliberationem suspendit.

Æneas prosequitur historiam Concilii.

Georgius Vicensis episcopus. Amodeus Lugdunensis episcopus.

* alias deputationem.

Plus

Plus enim suspendendo, quàm denegando præstabat impedimenti, remque sic ad longum trahebat. Ea de causa missi sunt aliarum deputationum nuntii, quorum hortatu deputatio de communibus suspensionem super tribus conclusionibus revocavit. Iamque aderat, (ut veteribus placuit) Veneri sacratus dies, in quo solet ex consuetudine generalis congregatio haberi, fierique conclusio negotiorum extrema. Interim tamen Mediolansis & Panormitanus archipontifices, quique cum eis vel regis Arragonum vel ducis Mediolani cooratores erant, magnopere ad impediendum se armabant: omnesque suæ partis homines hortabantur, ut præsenti, fortique animo resisterent, aliosque qui pestem in municipiis fugerant missis nunciis ac literis, revocabant. Vocatus est cardinalis Terraconensis, qui tunc Solodori moram trahebat. Vocatus est Lodovicus protonotarius de Roma, qui balnea petierat non tantum valetudinis causa, quantum ne contra mentem suam tueri Eugenium cogeretur, vocati sunt alii complures episcopi Arragonum, qui omnes pridie quàm fieret congregatio, remearant, præter Cardinalem, qui post congregationem rediit. Ut igitur ad generalem deventum est concionem, è vestigio principum Oratores affuerunt, & quasi facta conspiratione in unam sententiam consonarunt, conclusionem pro viribus impedituri. Primus igitur Burgensis episcopus, inter omnes consilio & facundia præstans, differri conclusionem, expectarique alios principum Oratores, ex Moguntia propediem redituros suadebat. Post eum Panormitanus archipræsul, vir summo ingenio & scientiæ copia præditus, primusque inter sui regis Oratores hujusmodi fere orationem exorsus est.

Mediolanensis, Panormitanus. *Cardinalis Terraconensis* *Lodovicus protonotarius.* *Burgensis episcopus.*

Panormitani oratio.

PRæceptum se (inquit) à prophetis habere sine intermissione clamandi, qui aiunt: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Quod si unquàm in re quapiam fuit clamandum: hæc præcipue quæ in manibus esset, clamore indigeret, & vociferatione, cum ageretur de statu universalis ecclesiæ, aut præservando, aut penitus prosternendo: se vero in ea re tantum clamasse, ut minime dubitaret, impletum à se illud Davidicum fore, quo ait: Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. Velle tamen & nunc, & quoties opus ingrueret, sine ulla requie clamitare, & maxime modo in negotio perdifficili, & omnium maximo, in quo petebat sacrum Concilium sibi & aliis principum Oratoribus benignas præbere aures: Addens in omni re, quæ ab aliquo postulatur, quatuor esse consideranda, quæ nunc quoque rogabat patres, ut animadverterent, quis peteret, quid peteretur, cur peteretur, & qui demum effectus ex petito denegato, vel concesso proveniret. Ad primum dicebat, clarissimos reges, & potentissimos principes cum suis prælatis esse potentes: Regem Castellæ, regem Arragonum, ducem Mediolani, eorundemque principum episcopos, meritaque tam regum præfatorum, quàm ducis Mediolani, erga ecclesiam numerabat. Nec continere se potuit, cum de prælatis mentio incidit, quin aliquantisper calefieret, diceretque apud se fore majorem prælatorum partem. Namque si episcopi & abbates tunc computarentur, nemini dubium esse, quin major pars differri præsentem rem vellet. Cumq; totius potestas Concilii in episcopis resideret, haud ferendum esse, ut eis spretis quod majori parti inferiorum placeret, id concluderetur. Apostolis namque & eorum successoribus qui episcopi sunt, datas fuisse à domino claves dicebat, triaque Synodorum genera inveniri, Episcopalem, Provincialem, & Generalem, nullamque sine episcopis fieri Synodum, indignumque sibi videri morem hunc præsentis Concilii, ubi non qua quisque dignitate polleret, sed quàm multas haberet secum voces, pensitaretur, Episcopos tamen juxta famosam Clementis epistolam columnas esse, & claves cœli, inferiores vero cum eis non decisivam, sed consultivam tantum habere vocem, futurumque hac vice scandalum, si sine episcopis res fidei terminum sumeret. In quo non solum episcopi, sed etiam seculi principes admitti deberent. Et cum ipsi nomine principum suorum cuperent ad examen præsentis rei admitti, velleque maturius singula cognoscere, haud dignam esse rem quærebatur, se contemni. Post multaque in hanc sententiam dicta, ad secundam suæ orationis partem transivit, quid esset quod peteretur exponens. Non aurum aut argentum, non lapides pretiosos, non provincias aut regna, non rem denique factu difficilem, otium tantum sacri Concilii exposci, ut quiescerent patres in processu Papæ, inque conclusione rerum, quæ agerentur: neque id diu, sed usque ad reditum Oratorum ex Moguntia, quos brevi venturos certo sciret, rem parvam & sine magno rogatu concedendam: tum quia nihil periculi secum ferret: tum quod ipsis Oratoribus principum Moguntiæ existentibus injuriosum esset non expectari, cum non suas ob commoditates, sed Reipublicæ tantum causa, & pro bono pacis abessent. Nec oblitum se fore, quod ipsis abeuntibus nomine omnium supplicassent, ne quid in eorum absentia, in rebus, Eugenium concernentibus, innovaretur. Moxque tertiam orationis partem subijciens, quamobrem dilatio peteretur, absolvit, quia non propter privatam alicujus utilitatem, sed propter commune bonum, non ad perturbandam, sed ad rem melius axaminandam, ut omnia cum pace & tranquillitate transirent, utque tanto esset res firmior & stabilior, quanto plurium foret consensu

Postulantibus quatuor sunt consideranda. *Tria Synodorum genera.*

proba

probatior. Sicque ad ultimum venit rogitans patres, ut utramque partem sequituros effectus mente conciperent, sive concederent, sive negarent, quod posceretur. Etenim si negabitis (inquit) petitiunculam principum, omnes indignabuntur, omnes hanc repulsam molestissime ferent, dicent, in re parva à vestro cœtu se fore spretos: non obedient vobis, non recipient vestra mandata, frustra leges efficietis, nisi principes exequantur, in vanumque omnes editiones vestræ transibunt, tolerandumque hoc putarem, nisi etiam majora timerem. Quid enim si illi Eugenio se conjungant, qui non solum vestra beneficia, sed vitam quoque vobis eripere cupit? Heu quas strages, quasque occisiones oculi mentis intuentur meæ? Utinam vana sit opinio mea. At si facilem petitionibus principum assensum præstabitis, obligatos se vobis illi existimabunt, præcepta vestra recipient: quicquid ab eis petieritis, obtinebitur: adversarium vestrum relinquent, illum vituperabunt, illum abominabuntur: vos extollent, vos magnifacient, vobis se totos dabunt, sequeturque optimus ille, quem quæritis, fructus reformationis, & tranquillitatis ecclesiæ. Sicque omnibus ex capitibus rogabat supersederi. Tandem vero, nisi exaudirentur principum Oratores, habere se (inquit) scriptam protestationem, quàm legi coram juberet.

Finitis Panormitani verbis, Ludovicus Romanus protonotarius, totius humani juris gnarus assurrexit, cujus tanta memoria fuit, ut nulli veterum cedere putaretur, sive Simonidem, sive Theodecten, sive illum, qui à Pyrrho missus ad senatum venit, Cyneam, sive Carneadem Seriphium, Metrodorum, Hortensium, sive qui horum ultimus fuit, Lucium Senecam, de divinitate memoriæ commendemus. Erat etiam memor omnium, quæ ipse unquam aut legisset, aut audisset, nec oblitus erat eorum aliquid, quæ ipse vidisset. Nec ut cæteri jurisconsulti principia legum in disputando allegabat, sed quasi codicem legeret, sic textum memoriter referebat. Vir non Roma tantum, sed cœlo dignus. Et cui nemo mortalium comparandus videretur: non admirationi, sed stupori futurus omnibus populis, si (ut æquum videbatur) ætatis tempora duplicasset. Sed invidit fortuna Italiæ, nec tantum scientiarum lumen crescere passa est. Immisit pestiferum morbum, virumque vix trigesimum egressum ætatis annum abstulit. Nec plus horis sex & triginta, finit ægrotare, visusque non transitus ille hominis, sed furtum. Quis enim virum adeo juvenem, adeo robustum, tam brevi morula expirare putasset? Sed fuit mors damnosior morte cujusvis regis, quippe quod regi hæres succedit in regno, viro autem adeo docto nullus superest in literis hæres. Sed dum Cardinalari vir bene meritus manet, apud Carthusiam tumulatur. Is ergo laudatis Panormitani dictis, venisse se pridie ex balneis dicebat, rem sibi novam videri, quæ tunc in medium deduceretur. Cupere in ea audire se alios, & audiri ab aliis, suique principis nomine, interesse discussioni eos, qui Moguntiæ fuissent expectandos esse, & ad rei examen admittendos, qui & prælati essent magni pretii, & potentissimorum principum Oratores: nec abhorrere se quod Panormitanus dixisset, de vocibus inferiorum, nec à veritate sibi alienum videri, solos episcopos decisivam vocem habere in Conciliis. Et licet aliqui suum Achillem in hac disputatione arbitrarentur: quod Actuum quintodecimo scribitur, se tamen nihil exinde moveri, nec momentum in eo facere quamvis dicatur, Visum est spiritui sancto, & nobis, ubi & apostoli, & seniores, fuerunt: per quod videtur alios cum apostolis habuisse vocem decidentem. Dicebat enim non esse argumentum ex gestis apostolorum sumendum, quorum exempla miranda essent, magis quam imitanda, nec ibi patere quod apostoli vocassent seniores ex debito, solumque narrari eos interfuisse, ex quo nihil inferretur: videri autem sibi inferiores in Basiliensi Concilio tantum ex gratia fore ad decidendum admissos cum episcopis: quia potuissent episcopi authoritatem suam aliis communicare: in his tamen quæ gratiæ forent uno contradicente, nihil fieri posse. Adducebatque virum maxime authoritatis Cancen. episcopum in testem, qui nullam incorporationem inferioris populi æquo animo sustinuisset, ideoque nec alios inferiores, nec seipsum qui nondum esset prælatus, vocem habere decidentem in Concilio. Quare cum esset res magna, quæ tractaretur, & prælati tunc contradicerent, rogabat Concilium, ut Oratores principum ex Moguntia expectando, faceret de necessitate virtutem. Fuit ejus oratio eo molestior, quo plures erant suis contacti verbis, maximeque in eo sibi est adclamatum, quod dixerat apostolos non esse imitandos: id enim quasi blasphemiam omnes impugnarunt. Mirari tamen hic aliquis possit, quod vir tantus, & tanta scientia fretus, non plura dixerit, nec adduxerit meliora: sed est ignoscendum memoriæ hominis, qui nec libens, nec lætus in hac re loquebatur, quiq; nihil magis cuperet, quàm quod peteret, non impetrare. Cathamensis exinde, ac Bosianus episcopi, qui & ipsi regii Oratores erant, paucis habitis verbis in sententiam Panormitani declinarunt. Vicem autem magni & potentissimi ducis Mediolani solus tunc archiepiscopus Mediolanensis gerebat, vir literis, & consilio promptus. Albigaunensis enim episcopus & Franciscus Barbavaria nondum ex Moguntia repedaverant. Is ergo (ut est Hieronymianus, & illius facundissimi

Ludovici Romani protonotarii laus.

Deplorat immaturam Ludovici mortem.

Cavillatio Romanensis.

Nec immerito. Ludovicus nec multa, nec valde bona adduxit, nimirum cum ex malo corio nemo bonos consuere queat calceos.

dissimi doctoris imitator) adductis magistri sui plerisque authoritatibus, supersederi magnopere suadebat, omnem præcipitationem inimicam consilio, omnemque festinantiam detestatus, maximeq; vultu & gestibus rem præsentem abominari se ostendebat: tandemq; nisi exaudiretur, & suo, & provincialium suorum nomine protestari in adversum se dixit. Mox secuti sunt Dertusensis & Gerundensis episcopi, ac Segobricensis electus abbas montis Arragonum, & nonnulli alii ejusdem dignitatis homines, Parnormitani sententiam comprobaverunt. Parmensis vero episcopus ad Mediolan. accessit. Eleemosynarius quoque, qui postea Basiliensem fugiens pestem, Zofingen confugit, ibique in oppido Zuitzerorum intra Lucernam & Basileam obiit, vir in omni hominum numero recipiendus, & Martinus Devera doctus & constans, ambo regis Arragonum Oratores, Collegæ sui Panormitani dictis se confirmarunt. Tunc alii Arragonenses & Cathelani ferè omnes, quisque pro se loqui volentes (facta præfatiuncula) regis se sui votis annuere dicebant. Videbaturque res astutia præordinata, ut vel sic tempus redimerent, conclusionemque differrent.

Attende.

Ludovicus cardinalis Arelatensis.

UBI autem complures sunt auditi, & Cathalanorum longus ordo finivit, Ludovicus Cardinalis Arelatensis, vir omnium constantissimus, & ad gubernationem generalium Conciliorum natus, Oratorum omnium qui loquuti fuerant, verba resumpsit. Versusque primitus ad Castellanos, plurima de ipsorum erga sacrum Concilium devotione dissеruit, similiterquè de Cathalanis ac Lombardis. Post rem ingressus, negotium (inquit) istud reverendissimi patres, novum non est, nec hodie, aut pridie inchoatum. Jam plures hebdomadæ sunt, quibus Conclusiones hujusmodi inter magistros disputatæ, & Moguntiam aliasque in orbis partes destinatæ sunt. Post in Capitulo hujus ecclesiæ iterum sex continuis diebus viritim, & maturè discussæ, ex hinc non sine magno intervallo in sacris deputationibus approbatæ. Et sicut veritas non quærit angulos, omnia palàm & publicè gesta sunt. Nec potest aliquis ignorantiam prætendere: nec prælati aut principes contempti sunt, omnes qui aderant Basileæ, vocavimus, omnes ut interessent, sumus hortati. Et quoniam de magno illo, & potentissimo rege Castellæ mentio facta est, Quis est qui nesciat regis ipsius Oratores interfuisse, Burgensem & Ebrunensem episcopos, viros, tum prudentissimos, tum scientiæ atque eloquentiæ copia præstantissimos? Tu quoque Panormitane, qui regis Arragonum serenissimi vicem geris, bis in Capitulo affuisti, bis egregie atque acerrime disputasti, bis quod sentires in hac re aperuisti. Quid est, quod amplius expectari desideras? Ex territorio ducis Mediolani, archiepiscopus Mediolanensis affuit, qui licet Orator non sit, qualis tamen quantusque prælatus habeatur, non ignoratis. Cumque ita dixisset, commotus aliquantisper archiepiscopus, haud melius (inquit) præsidentis locum tu tenes Arelatensis, quàm ego Oratoris ducalis. Pluribusque lacessere eum verbis pergebat. At Cardinalis; ut est patientissimus injuriarum, nullaque prorsus contentione provocabilis, Hoc est (ait) quod mox volebam. Namque si Orator est archiepiscopus, nulla omnino superest suo duci querela, qui Oratorem suum in rerum discussione habuit. Taceo de reliquis principibus: quoniam nec ipsi conqueruntur. Rex tamen Christianissimus Francorum Lugdunen. inter disputantes virum maximum & gravissimum habuit. Cæteri vero principes, cur hac in re debeant expectari, non video: qui Concilium ad ea quæ sunt fidei congregatum [illegible]ientes, nequaquàm absurdum putant, dubia fidei in Concilio declarari, ad quæ si voluissent adesse, jamdudum venissent. Quanquàm nec illud est omnino verum, quod Panormitanus dicit, seculares principes admitti debere ad rem fidei, si ad decidendum intelligit. Et licet Martianus Imperator dicat: Nos autem ad fidem confirmandam volumus interesse Synodo: quæ verba totiens Panormitanus in medium adducit. Subjungendum tamen est, quod ille subjungit, ut verborum perfectus habeatur intellectus. Ait enim: Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam exercendam volumus Synodo interesse, ut eo vel maxime dicto metum ademeret, iis qui ejus præsentiam violaturam Concilium arbitrabantur. Quod si nostri hodie principes facerent, jam utique res esset quàm quærimus expedita. At moderni aliqui principes, cum nequeant per se minari qui absunt, per Oratores inferunt metum: sed viderit de his deus. Res autem præsens cur tanta discussione indigeat (ut aliqui volunt) non intelligo. Etenim si rite memini, sæpe hoc idem quod Conclusiones sonant, Panormitanus hoc in loco asseruit, sepe etiam Ludovicus. Si quis eorum contradicere pergat, eveniet ei, quod Didymo, quo nemo (ut Quintilianus ait) plura scripsit. Qui cum historiæ cuidam, tanquàm vanæ repugnaret, oblatus est liber ejus, qui eam continebat, sic & hi duo viri, quàmvis doctissimi atque acutissimi sint, suis tamen scriptis poterunt confutari. Sunt præterea epistolæ Synodales, & decreta hujus Concilii, hujusmodi referta conclusionibus. Quid igitur est, quod queat difficultari? quid est quod impugnari possit? An nunc ponemus in dubium, quod est toties prædicatum, asseveratum, decretum? Verum aiunt Oratores abesse

Notat Panormitanum & Ludovicum.

abesse principum, qui episcopi sunt, & quorum præsentia authoritatem majorem redderet. Sed absunt, non solum qui Moguntiam perrexerunt, imò & alii penè infiniti, per orbem ubique dispersi, quos si expectare omnes oporteat, nihil unquam poterit expediri. Vocati sunt omnes ad Concilium, venire potuerunt si volebant, qui assunt, iis est commissa potestas, hique tractare negotia debent. At si dicitur, hos reipublicæ causa abfuisse, nempe nos eos non misimus, potiusque invito quàm volente Concilio, illuc iverunt: quod si etiam à Concilio missi fuissent, non tamen ita ligatæ manus essent nostræ, quin reformare possemus ecclesiam, aliter vero nihil unquam in Concilio fieri posset. Cum enim semper sint per Concilium missi aliqui, semper essent expectandi aliqui, ideoque aut nihil agere oporteret, aut nullos extra destinare prælatos. Quod autem prælati, & præsertim episcopi contemnantur, id est à vero remotissimum. Namq; ut cernitis, ii primi sedent, primi loquuntur, primiq; ad omnia vocitantur. Et si scite, veraciterq; loquantur, facile inferiorum omnium ad se trahunt sententiam. Nec forsan absonum fuerit dicere, nullam unquam fuisse Synodum quæ magis quàm ista potestatem episcoporum ampliaverit. Etenim quid hodie erant episcopi, nisi umbræ quædam? Quid plus eis restabat, quam baculus & mitra? Nunquid pastores sine ovibus dici poterant, cum nihil in subditos statuere possent? nempe cũ esset in ecclesia primitiva episcoporũ summa potestas: hodie ad id venerant, ut solo habitu & redditibus superarent presbyteros. At nos eos in statu reposuimus pristino, nos beneficiorũ collationem ad eos reduximus, nos eis confirmationem electionum restituimus, nos causas subditorum eisdem reddidimus audiendas, nos eos qui jam non erant episcopi, fecimus episcopos. Quid est quod episcopi ab hac se synodo contemni asserant? Quidve unquam molestum eis, aut injuriosum fecimus? At dicit Panormitanus, quia cum sint plurimi episcopi secum, pauci vero contra, non est à multitudine inferiorum habenda conclusio. Meminerit tamen ipse Panormitanus, quoniam non est novus hic procedendi modus, ordinem procedendi ipsum, sibi Concilium ab initio dedit, nec unquam postea immutavit. Tibique hoc aliàs Panormitane placuit, cum multitudo te sequeretur: nunc quia non sequitur, displicet. Sed non sunt decreta Conciliorum, ut voluntates hominum mutabilia. Scias præterea, quia illi ipsi episcopi, qui verbo tecum sentiunt, mente non sentiunt, nec illud in angulis dicunt quod publice dicunt. Timent quod eis domi dixisti, displicere se regi, nisi tuam sequerentur sententiam. Timent vim principis, spoliariq; temporalibus formidant. Neq; (ut in Conciliis fas est) liberam habent vocem: Quanquam & ipsi si veri essent episcopi, si veri animarum pastores fuissent, animam ponere pro suis ovibus, non dubitarent, nec largiri ecclesiæ matri suæ suum sanguinem vererentur. Sed est hodie, proh dolor! rarus in terris prælatus, qui temporalia spiritualibus non præponat, quorum amore detenti, principibus magis quàm deo placere student, & deum quidem in angulis, principes vero in publico confitentur, de quibus in Evangelio dominus: Omnis ergo (inquit) qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis est: & è converso non confitebitur illum coram patre suo dominus, qui veritus est coram hominibus dominum confiteri. Nec etiam id verum est, quod ait Panormitanus, plures episcopos secum fore. Sunt enim plures hic procuratores episcoporum, quos ipse non dinumerat, quia secum non sapiunt. Neque in Concilio (ut ipse ait) dignitas patrum, sed ratio spectanda est: nec aliquid est, quod in singulis rebus spectari magis quàm veritatem conveniat. Nec ego cujusvis episcopi mendacium, quamvis ditissimi, veritati præponam pauperis presbyteri. Nec dedignari episcopus debet, si aliquando ignarus & rudis, sequacem non habeat multitudinem. Et si vox inopis sacerdotis, docti tamen & acuti, suæ præponitur: habitat namque sæpius in sordido palliolo, quàm in pictis vestibus, sapientia. Nec vos rogo episcopi tantopere inferiores contemnite. Primus enim, qui pro Christo obiit, quique viam aliis ad martyrium aperuit, non episcopus, sed tantum levita fuit. Quod vero Ludovicus & ipse Panormitanus astruunt de vocibus episcoporum, id nescio unde habeant, neque id usquam solutum invenio: ipsi sicubi repererunt, me ut commoneant obsecro. Atque (ut veterum Conciliorum referamus exempla) in omnibus illis interfuisse minores cum episcopis inveniemus. Et licet Ludovicus Apostolorum exempla nobis interdixerit, ego illorum potissime in Actibus sisto. Quid enim est quod magis sequi nos deceat, quàm ecclesiæ primitivæ doctrinam atque consuetudinem? Dicitur ergo in Actibus apostolorum quinto decimo: Visum est spiritui sancto & nobis, quod verbum nobis, ad eos quippe refertur, qui fuerant antea nominati, apostolos & seniores. Nobis ergo apostolis scilicet & senioribus. Neque hoc verbum (visum est) consultationem illic, sed decisionem significat. Unde apparet alios quàm episcopos habuisse vocem decidentem. Alibi quoque in eisdem Actibus, cum essent Apostoli magnum aliquid tractaturi, nequaquam ausi sunt per se definire, sed vocaverunt duodecim multitudinem. Dicit autem Ludovicus non patere illic, quod Apostoli ex necessitate vocassent alios. At ego ad eum dico, unde tu scis, quia

Notate, ô episcopi, pro vobis certabat Basiliense Concilium, & noluistis intelligere, adhuc in tempore sapietis. Aperite oculos, episcopi.

Pulchra res est Concilium, si episcopi metu cedent veritatem.

Hic erat vere Cardinalis, ex cujus ore veritas loquitur, qui minas principum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit.

O pietas, ô vox christiana!

Stephanus protomartyr.

An soli episcopi vocandi sint ad Concilium.

Nobis visum est.

quia non ex necessitate vocarunt: sed cum utrumque incertum sit, nihil prohibet imitari Apostolos, quia cum omnia ad nostram doctrinam scripta sint, apparet voluisse Apostolos nobis exemplum dare, ut in rebus arduis inferiores admitteremus, ideoque in Conciliis postea celebratis, reperimus interfuisse presbyteros. Atque in Concilio Nicæno, quod est omnium famosissimum, Athanasius tunc tantummodo presbyter fuit, ipseque ferè solus argumentationes disturbavit Arrianas, fuerunt & alii presbyteri. Et cum scribitur de trecentis & duodeviginti episcopis, non tamen negatur de inferioribus, quos ideo puto omissos, quod essent penè innumerabiles, fitq; (ut scitis) denominatio plerumq; à magis dignis. In Synodo vero Chalcedonensi, quæ & ipsa ex quatuor prioribus censetur, sexcenti sacerdotes fuisse dicuntur, quæ appellatio tam presbyteris est, quàm episcopis communis. In aliis vero Conciliis sæpe omisso nomine episcoporum, sacerdotumque, sola fit mentio patrum, qui idem significant quod in Actibus Apostolorum seniores. Habemus etiam ecclesiasticæ testimonium historiæ Romæ adversus Novatianos, qui se superbo nomine Catharos appellabant, Concilium fuisse congregatum sexaginta episcoporum, & totidem sacerdotum, & aliorum diaconorum. Cumque Paulus Antiochenus episcopus, qui fuit Galieno imperante, Christum communis naturæ hominem prædicaret, Concilium adversus eum in Antiochia convenit: Ad quod venerunt episcopi ex Cæsaria Cappadociæ, ex Ponto, ex Asia, ex Hierosolymis, & multi alii episcopi & presbyteri ac diaconi. Et dicitur propter hoc pluries celebratum esse Concilium, ultimumque in eodem loco Aureliano imperante, ubi Paulus damnatus est ab omnibus, quæ sub cœlo sunt ecclesiis Christi, nec ullus magis elusit atque confudit Paulum, quàm Malchion presbyter Antiochenus, qui oratoriam artem in Antiochia docuerat: Sed quid ego in hac re diutius immoror? Concilii Toletani quinti, hæc sunt verba: Post ingressum omnium episcoporum, atque consessum, vocentur deinde presbyteri, quos causa probaverit introire, nullus se inter eos ingerat diaconorum, post hos ingrediantur diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse, & corona facta de sedibus episcoporum, presbyteri à tergo eorum resideant, quos tamen sessuros secum metropolitanus elegerit, qui utique & cum eo judicare vel definire aliquid possunt. Nec aliquis Concilium illud provinciale tantum asseveret fuisse. Ipsum enim Concilium de se loquens: Quoniam (inquit) generale Concilium agimus: fueruntque ibi episcopi sexaginta ex Hispaniis, Galliisque. Sed movent forsitan Panormitanum & Ludovicum Chalcedonensis Concilii verba, ubi episcopi de Constantinopolitana quadam congregatione, quæ Flavianum, & quosdam alios deposuerat, dicunt: nam milites magis eos deposuerunt quàm nos, quia quicquid egimus, terrore compulsi fecimus, ipsi primi subscripserunt clerici: quare clamant Synodus episcoporum est, non clericorum. Quæ verba, si sane intelligantur, inferiores nequaquàm excludunt. Duo namque ibi queruntur, episcopi: Alterum quod in Constantinopoli non erat libertas: alterum quod primi subscripserant clerici, quorum utrumque mali exempli fuit. Quare nimirum, si illud negatur fuisse Concilium, at dicitur Synodus episcoporum, non clericorum: nempe hoc non excludit omnes inferiores, sed eos tantum, qui solius primæ tonsuræ sunt clerici, quos etiam nos excludimus, servantes quod Toletanum præcepit Concilium, duodecim viros ad examen incorporandorum statuentes. Præterea non dicitur ibi, quod illa sint verba Concilii, sed episcoporum, quod illic aliqui, ut hic Panormitanus & Ludovicus loquebantur. Sed ne per devia longius peregrinemur, habemus ad tutelam inferiorum, apertissima testimonia. Maximus ille quidem, & omnium Theologorum Aristoteles, Augustinus episcopus, super literam Matthæi evangelistæ, dum ait Christum dixisse Petro: Tibi dabo claves regni cœlorum. Nimirum (ait) per illa verba, judiciariam potestatem datam esse, non solum Petro, sed aliis etiam Apostolis, & toti ecclesiæ in episcopis, & presbyteris. Si ergo judiciariam potestatem habent presbyteri in ecclesia, quid eos prohibet in Conciliis vocem habere terminativam? Augustino autem etiam consonat elegantissimus doctor, Hieronymus, cujus super epistola Pauli ad Titum, hæc sunt verba: Antequàm diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, & ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum Concilio ecclesiæ gubernabantur: id enim presbyter, qui & episcopus. Unde episcopi cognoscere debent se magis consuetudine, quàm dispensatione dominicæ veritatis, presbyteris esse majores, & in commune debere ecclesiam regere. Alibi autem idem Hieronymus in ea, quæ est ad Damasum de gradibus ecclesiasticis epistola, in episcopis dominum, in presbyteris Apostolos repræsentari dicit. Atque ubi rationem Hieronymus nullam afferret, videte quid homini tribuam, ipsa authoritate me frangeret. Sed hoc etiam ex Paulo colligimus, ad Titum, qui tantum inter episcopos & presbyteros convenientiam facit, ut ipsos presbyteros appellet episcopos. Ex quibus lucide constat non esse presbyteros à conventu episcoporum, ac determinatione rerum arcendos. Et si (prout Hieronymo placet) episcopi sunt sola consuetudine prælati presbyteris, utique fieri potest,

Athanasius presbyter, non episcopus, archiepiscopum vicit.

Synodus Chalcedonensis.

Paulus episc. Antiochenus.

Malchion presbyter, Oratoria arte confudit Paulum hæreticum.

Augustinus, Aristoteles Theologorum. Tibi dabo claves regni cœlorum.

Hieronymus.

Presbyteri iidem qui episcopi.

Hieronymus.

Paulus.

test, ut consuetudinem contraria tollat consuetudo. At si presbyteri debent ecclesiam dei cum episcopis in communi regere, satis notum est, quod ad eos quoque decidere res spectat ecclesiæ dubias. Unde est Apostoli Pauli clarissimum testimonium: Namq; si(ut ipse ad Ephesios inquit) Christus instituit apostolos, prophetas, pastores, & doctores ad opus ministerii, in ædificationem ecclesiæ, usquequo sibi occurramus: hac ratione, ut non sit fluctuatio in diversitate doctrinæ: quis dubitat aliis quoque cum apostolis ecclesiæ gubernationem esse concessam? Taceant (obsecro) hi nostri satrapæ, nec plus sapere velint quàm oporteat sapere. Constantiensis Concilii recens memoria extat, ubi & plurimi ex nobis fuerunt, & ego etiam, qui nondum Cardinalis nec episcopus, sed tantum doctor eram, interfui: vidiq; sine difficultate inferiores cum episcopis ad decisionem rerum admitti arduarum. Nec pudere nos debet maximam illam, & sanctissimã synodum imitari, quæ & Pisanũ Concilium, & illud amplissimum Lateranense sequuta fuit, in quibus judicasse cum episcopis presbyteros, non est ambiguum. Præterea si Abbates(ut in omnibus Conciliis observatum videmus) vocem habent decisivam, qui tamen non fuerunt à Christo instituti, cur non presbyteri, quorum ordinem Christus per discipulos instituit? Ex hinc, si soli episcopi vocem habeant, id demum fiet, quod nationi placebit Italicæ, quæ sola nationes alias in numero episcoporum aut superat, aut æquat. Utcunque est, opus dei hac vice fuisse autumo, ut inferiores ad decidendum reciperentur. Revelavit enim ea nunc dominus parvulis, quæ sapientibus abscondit. En! horum inferiorum zelum, constantiam, rectitudinem, magnanimitatem videtis. Ubi nunc Concilium, si soli episcopi, solique Cardinales vocem habuissent? ubi nunc Conciliorum authoritas? ubi fides catholica? ubi decreta? ubi reformatio? nempe omnia libidini Eugenii; ac temeritati jam diu commissa fuissent, victorque nefandissimi propositi sui ille fuisset, nisi quos modo spernitis, inferiores sibi restitissent. Hi sunt, qui privationem ab Eugenio factam contempserunt: hi sunt, qui minas, qui spolia, qui persequutiones ipsius flecti fecerunt: hi sunt, qui capti, qui incarcerati, qui fustibus cæsi pro veritate Concilii non timuerunt: hi sunt qui (licet dati prædæ per Eugenium forent) remanere tamen in sacro Concilio voluerunt: hi sunt, qui famem, qui bellum, qui pestem sævissimam non formidarunt. Quid tandem est, quod hi homines pro justitia sacri Concilii non æquo animo tulerunt? Audire potuistis medias inter tribulationes inferiores istos, alta voce dicentes, Etsi omnes devastatori ecclesiæ obediunt Eugenio, & discedunt unusquisque à veritate fidei, & sanctorum patrum institutionibus, & consentiunt mandatis Eugenii, nos quidem, & fratres nostri constantes erimus, & pro veritate fidei, & sanctorum patrum traditionibus mori non dubitamus, quod & vere fecerunt. Nec enim aut minis territi, aut spoliis mutati sunt: nec eos metus, nec spes ulla à sancto proposito divertit. Quod utrum Cardinales effecerint (ut meo de ordine loquar) vos cernite. Episcopi autem, quos solos Panormitanus habere vult vocem, videtis quàm pauci nobiscum sunt: & illi ipsi, qui præsentes adsunt, haudquaquam virtute valent irrumpere iniquitatem, extimescunt terrenam faciem potentis, & ponunt scandalum in agilitate sua. Audistis hodie vota prælatorum, audistis quod omnes voluntati regis dixerunt se acquiescere, nullus dei. At ipsi inferiores, ipsi sunt, qui justitiam, qui veritatem, qui denique ipsum deum præ oculis habuerunt, habendaque his gratia est, quòd tales se dei ecclesiæ præstiterunt. Sed quid ego inferiorum defendo causam? ipsos quoque episcopos volunt nonnulli à nostro consortio excludere, qui sine possessione ecclesiæ sunt, quos vocitant titulares, nescientes miseri, quia dum istos repellunt, ipsum quoque Petrum & alios apostolos damnant, quos diu sine magna plebe fuisse constat. Nec unquam aut tota Roma Petro, aut tota Hierosolyma Jacobo paruit: quo tempore non plebes, sed plebeculæ in Christo credebant. Etenim, per immortalem deum, quid est quod ab his episcopis requiramus? Non habent populum, at hoc sine culpa ipsorum est. Non habent redditus, sed non pecunia facit episcopum: & beati sunt (ut inquit dominus) pauperes spiritu. Nec divites prima ecclesia vidit episcopos: nec suis expulsos sedibus Dionysium Mediolanensem, Eusebium Vercellensem, aut Hilarium Pictaviensem, vetera Concilia respuissent, quamvis & pauperes, & exules, & sine plebe manerent. At si verum fateri volumus, aptiores pauperes, quàm abundantes, judicio sunt faciendo, quod horum divitiæ timorem, illorum paupertas libertatem afferunt. Nec illi pauperes tyrannidem timent, ut nostri divites, qui umbris, delitiis, otio ac desidiæ dediti, negare potius Christum volunt, quàm assuetis carere voluptatibus: quosque non populus, sed redditus facit episcopos: quique amantes divitias, omnes pauperes existimant infelices. Sed nihil melius intervenire sapienti potest (ut Cicero ait) quàm fortuna exigua. Unde & veritas in Evangelio dicit: Quia facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare regnum cœlorum. Sed (ut ad Panormitani verba maturius explicanda descendam) omittere statui duo illa, quæ in prima orationis fronte proposui: Qui petant, & cur petant. Fatemur namque maximos esse, potentes, & de ecclesia (ut ipse asseruit) optime meritos: nec dubitamus sincera eos intentione

Ephes. 4.

Abbates à Christo non sunt instituti. Italia in numero episcoporum cæteras vincit nationes.

Presbyteri, & viri boni propter veritatem patiuntur à Romano pontifice contumeliam & mortem.

O zelum fidei martyrii dignum corona! Episcopi timent potestatem terrenam, non deum.

Episcopi nascentis ecclesiæ quales.

Episcopi, vergentis jam ad finem ecclesiæ quales.

Attende.

ad pe-

ad petendum moveri. Utrum autem parum sit, quod petitur,& an effectus (quos ipse d
resultare debeant, inquirendum est. Supersessio (inquit) petitur, dilatio ad paucos
poscitur, res levis, res modica, res concessu admissioneq; facilis. Attendat hic tamen Pa
mitanus, aliquantisper dilationem in re fidei postulat. Jam declaratæ sunt veritates, jam
cussæ, jam ordinatæ, paululum si supersedeatur, longissima fiet mora: sæpe enim mom
transitus, anni est transitus. Multa nobis hic exempla suppetunt, Hannibal apud Ca
victoria potitus, si evestigio urbem petisset, omnium judicio cepisset Romã: quia tame
crastinum distulit, restituto Romanis vigore, exclusus est, & audire meruit: Vincere
Hannibal, uti victoria nescis. Galli quoque Senones, Roma capta, Capitolium obside
dum tenacius aurum exposcunt, moramq; in paciscendo trahunt, à Camillo invasi, turp
expelluntur. Sed quid ego vetera evolvo, cum nostra nobis exempla sufficiant? Scitis
ipsi quoties hæ vobis dilationes nocuerint, quotiesq; paucorũ mora dierum, longissimum

Octavus annus Concilii Basiliensis.

xit spatium, qui jam octavum annum in dilationibus agitis, semper dilationes ex dilati
bus vidistis emergere. Illud tamen considerare cupio Panormitanum, quia conclusione
die turbata, vix scio an unquam amplius haberi queat, multa possunt oriri impedime
multa nasci obstacula. Nec ipse Panormitanus dicit (hac mora obtenta) velle se cum c

Egregie ô pater, subterfugia quærebantur.

gis hujusmodi conclusionibus adhærere, mandatumque ad id habere se negat. Et quod
magis ponderandum, Oratores ex Moguntia reversuros, talia posse afferre dicit, pro
quæ conclusiones hujusmodi omittantur, quasi aliquid esse possit veritate præstantius,
propter quod à veritate discedamus. Quæ res manifestissime ostendit, quia non morar
examinandas melius, sed ad impugnandas validius conclusiones exposcunt. Nec circa
fectus, quos ipse commemorat, re negata sive concessa emersuros, cum Panormitano co
nio. Nec video cur principes hanc dilationem tantopere quærant. Nullæ super hac peti
ne sunt literæ principum. Nemo est, qui noviter ab his veniat, nec ipsorum interest,
ut res fidei terminetur. Illa autem perniciosa conclusio est, quam Panormitanus ret
& ab illis religiosissimis principibus minime expectanda, dum ait: Si ipsis complacean
eos nobiscum futuros, sin minus, ad Eugenium defecturos, nobisque omnino rebell
ros: mirum verbum, mira conclusio & prorsus indigna, quæ à tanto viro dici debu

Constantiensis Concilii decreta.

Constantiensis decreta Concilii sunt, Omnes homines cujuscunque status aut conditio
existant, statutis & ordinationibus generalium alligari Conciliorum. Ad id Panormi
verba non sonant: non enim Concilio principes, sed principibus vult obedire Con
um. Heu tempora, heu mores, heu reverendissimi patres, quò jam miseriarum su

Si hæc tam indigna & intolerabilia videbantur, quid tandem erit quando Ro. pontifex ex homine deum faciat?

redacti? Quo pacto unquam obtinebimus papam, Christi vicarium, & alium in te
Christum, Christianorum subesse Concilio, si Concilium ipsum mundanis debet obe
principibus? At ne obsecro talia de principibus illis sperate, ne credite illos mat
suam suppeditaturos ecclesiam. Non putate eos tantopere à veritate alienari, ut
stitiam supprimi velint. Conclusiones, de quibus agitur, verissimæ sunt, probatissi
sunt, sanctissimæ sunt, si eas respuant principes: non nobis, sed sacræ scripturæ, &
Christo se opponent, quod nec vos credere, nec Panormitanum dicere decebat. Duriss
enim (ut pace tua dicam Panormitane) verba fudisti, nec aliud visus es quærere, q

Attende.

patribus istis timorem incutere. Nisi enim principibus pareamus, pericula & discrim
admodum magna commemoras. Vos autem reverendissimi patres, eos nequaquam ti

Sed qui talia docent, vel hæretici, vel schismatici dicuntur. Sed beati illi hæretici, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

bitis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Nec veritatem re
quetis, etiam si oporteat vestrum sanguinem ecclesiæ elargiri. Nec enim remissiores
tepidiores pro matre nostra ecclesia, & fide catholica esse nos decet, quàm martyres i
dei sanctissimos, qui ecclesiam in suo sanguine fundarunt. Etenim cur nobis mori
Christo sit grave, qui tam diram, tamq; acerbam pro nobis sustulit mortem? qui cum e
immortalis, atq; impassibilis deus, mortalem induit hominem: & (ut nos redimeret) cr
subire tormentum non formidavit. Ponite ante oculos vestros ipsum apostolorum pri
pem Petrum, ponite Paulum, Andream, Jacobum, Bartholomæum: & ne de solis loquar
episcopis, quid Stephanus, quid Laurentius, quid Sebastianus, quid Fabianus? Alii cruci
fixi, alii truncati capite, alii lapidibus obruti, alii exusti carbonibus, alii aliis tormentis
durissimis cruciatibus excarnificati, pro Christo obierunt. Hos, obsecro, imitemur: ne

Exclamatio hominis Christiani.

volumus episcopi esse & in honore succedere, martyrium formidemus. Heu nostrum
fœminatum animum, heu pusillanimum populum: illi olim mortem contemnendo, ge
lem mundum, & idolorum cultorem Christianum fecerunt. Nos ignavia nostra, & ni
vitæ cupiditate, Christianam religionem ex orbe toto ad angulum redegimus: & timeo
hoc quod restat modicum pusillanimitate amittamus, si principibus (ut Panormitano

Exhortatio.

cet) defensionem & regimem ecclesiæ committamus. Sed estote vos viri fortes, ac rob
in hoc tribulationum tempore, nec mortem pro ecclesia repudiate, quam pro Roma C
tius, pro Thebis Meneotheus, pro Athenis Codrus, libenti & cupido animo tulit. E

tare enim nos non solum martyres possunt, sed ipsi etiam gentiles, ut mortis timorem abjiciamus. Quid Theramenes ille Atheniensis, quã læto animo, quamq; ridenti vultu venenum bibit? Quid Socrates sanctissimus ille philosophorum, nunquid aut gemens, aut plorans sorbillavit aconitum? Sperabant illi, quod nobis est quidem exploratissimum: non quippe moriendo mori, sed vitam præsentem cum meliori commutare. Erubescere profecto ipsi debemus, tot exemplis commoniti, tot literis imbuti, tam pretioso Christi sanguine redempti, tantopere mortem fugere. Non duos aut tres tantum homines, sed legiones (scribit Cato) sæpe alacres in eum locum profectas, unde redituras se minime arbitrarentur, parique animo Lacedæmonii in Thermopylis occiderunt, de quibus Simonides,

Dic hospes Spartanos, te hic vidisse jacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Nec credite Lacedæmonios non ex proposito ad mortem ivisse, quibus dux Leonida: Pergite (ait) animo forti Lacedæmonii, hodie fortasse apud inferos cœnabimus. At ego (optimi patres) non ad inferos, ut ille, sed ad ipsos cœlites, & infinita paradisi gaudia vos invito, si mortem pro veritate sustinere potestis: vosq; his principum minis, si minæ sunt ullæ, objicere: vos ad illam æternam gloriam accerso, ubi nihil unquam deest, nihil à suo statu tollitur, aut declinat: ubi omnia bona atq; perpetua exuberant: ubi nemo eget, nemo invidet, nemo furatur, nemo rapit, nemo proscribit, nemo jugulat, nemo moritur: ubi omnes felices, omnes unanimes, omnes immortales, omnes sunt semper æquales: ubi quod unius est, omnium est, & quod omnium, singulorum. Quæ si præsenti animo considerabimus, nimirum Panormitano respondebimus omnes, quod Cyrenensis Theodorus respondisse traditur, Lysimacho regi crucem minitanti, qui Istis quæso (inquit) ista horribilia minitare, purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humi ne, an sublime putrescat. Sic & nos principibus, si qui minentur: nec enim suos timebimus cruciatus. Quid ad nos vita longior? nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus est munere. Et si claræ mortes pro patria oppetitæ, non solum gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ videri solent: quid de his dicemus, quæ pro patria omnium patriarum ecclesia sustinentur? Nimium est, quod æmuli nostri, reverendissimi patres, sibi de vobis suadent: vos enim timidos, ignavos, desides, ac vecordes arbitrantur, vobisque ideo principes objectant, quod vos famem, sitim, exilium mortemque pro ecclesia non judicant sublaturos. Sed non erit vobis (ut existimo) durum pro vita æterna facere, quod pro divitiis transitoriis faciunt nautæ, qui se ventis & mari committunt, incredibilesque procellas perferunt. Pernoctant venatores in nive, in montibus, in sylvis, & uri se frigoribus patiuntur, nec aliud eis est præmium, quàm vilis fera. Quid vobis (obsecro) faciendum, quibus laborum merces est paradisus? Pudet me nostræ ignaviæ cum lego fœminas, & ipsas quidem juvenculas cœlum martyrio rapere, nos autem solo mortis nomine exterreri. Undecim millia virginum, qui nostram alluit urbem, ad martyrium Rhenus evexit In India (ut inquit Cicero) cum est vir aliquis mortuus, mulieres quæ ejus fuerunt, in certamen, judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit (plures enim singulis solent esse nuptæ) quæ est victrix, læta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur. Illa victa, mœsta discedit, ut quæ mori quàm vivere præoptasset. Quem animum nos hodie pro Christo sumentes, Panormitano haud secus respondebimus, quàm Philippo Lacedæmonii, qui cum per literas minitaretur, omnia se prohibiturum, quæ ipsi molirentur, quæsierunt, num esset etiam mori prohibiturus. Namque ut estis viri præstantes, sic virtute vestra utemini, quæ semper libera est, & semper invicta. Cognoscitis enim, quia data est à domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scriscitabitur: cui (ut rationem reddatis bonam) curabitis, judicantes recte, & custodientes legem justitiæ, & in omnibus non secundum hominum, sed secundum dei voluntatem ambulabitis. Cumque Oratores ubique Eugeniani novam doctrinam prædicent, Romanum pontificem supra universalem ecclesiam extollentes, ne ignorantium animæ capiantur, Conclsiones tres primas publicare non omittetis, Apostolum Paulum imitati, qui Petro ad veritatem Evangelii non ambulanti, neque ad horam cessit. Cæteras vero quæ ipsum solum respiciunt Eugenium, ne Panormitanus, neve alii principum Oratores plus debito clament, inpræsentiarum differetis.

Theodori Cyrenensis dictum memoria sempiterna dignum.

Lacedæmoniorum responsum ad Philippum.

Oratores Eugenii novam doctrinam prædicarunt.

HIC cum Arelatensis fecisset loquendi finem, omnes in eum affixis vultibus, admirationem stupore prodebant, deinde laudare, hic memoriam, ille doctrinam, hunc esse unum, qui dignissime præsideret, qui & confutare objecta nosset, & (ut præsidentem decet impenetrabilem se convitiis exhiberet. At Cathelani, quoniam negari sibi dilationem viderant, ne concordata duodecim virorum legerentur, strepitu, ac vociferatione obstabant: magno conatu studentes, ut lecturam concordatorum protestatio, quam Panormitanus effecerat, præcederet. Nec res sine violentia fuit, cum nec mandata præsidentis reciperentur, nec ordo in rebus agendis solitus custodiretur. Erat namque

Turbatio Concilii non parva.

namque ubiq; clamor, ubiq; ſtrepitus, ubique jurgia effundebantur. Nunc Panormitano, nunc Ludovico ſermo erat. Nulli tamen ſine feſtinantia loqui licuit. Epiſcopi cum epiſcopis, inferiores cum inferioribus verbales habebant rixas, omniaque contentionibus & probris inſonabant. Quæ cum vidiſſet Ludovicus patriarcha Aquileienſis, vir non minus animi conſtantia, quàm generis (qui dux eſt) nobilitate præſtantiſſimus: ex eo zelo, quem ad eccleſiam gerit univerſalem, verſus ad Panormitanum & Ludovicum protonotarium, Ne credite (inquit) rem ſic abire, Germanorum neſcitis mores, nempe ſi ſic proceditur, nequaquam fas erit integris hanc provinciam exire capitibus. Quo verbo, veluti cœleſti fulmine tacti, Panormitanus, Ludovicus ac Mediolanenſis, uno impetu aſſurgentes, Libertas (inquiunt) nobis eripitur? En quid eſt quod frangenda nobis capita patriarcha minatur? Verſique ad Johannem Comitem de Tierſtein, qui tunc locum protectoris tenebat, ſciſcitati ab eo ſunt, an protegere Concilium vellet, omneſque in libertate tutari. Aderant etiam cives ex ſenatu urbano, proviſuri, ne quid ſcandali oriretur. Servaverunt enim ſemper hunc morem cives, ut in omni negotio adeſſe curarent, quod paritυrum diſſenſiones abitrarentur, illud præcipue adcaventes, ne qui tumultus fierent, neve aliæ quàm verbales rixæ. Miraque adeo ſapientia ſunt, ut nemo uſque hodie querelam adverſus eos habuerit, violatæ per eos fidei. Servarunt enim, dum fuere præſidentes Eugenii, quod publica fides continuit: & rurſus Concilio nulla in parte defuerunt. Quare ſi uſquam ſunt cives quippiam de univerſali eccleſia bene meriti, ea profecto laus Baſilienſium fuerit. Hi ergo cum Johanne Comite præſentes in conventu patrum, ſignum ſervandæ libertatis dederunt. Comes autem, tametſi erat rerum novitate permotus: nec enim arbitrari poterat, tam multas eſſe inter prudenteis homines contentiones, per interpretem tamen reſpondit: Bono ut animo eſſent omnes: quoniam Imperialem ſalvum conductum ad unguem ſervari faceret. Nec patriarcham, nec alium quenquam, aut violare libertatem, aut auferre ſecuritatem promiſſam à Cæſare, auſurum. Rogare tamen ſe (inquit) patriarcham, ut verba revocaret ſua, utque nihil deinceps tale admitteret. At illuſtris ille pater, omnique negotio ſui generis præſagium oſtendens, nihil turbatus, nihilq; irritatus, Johanni de Bachenſtein auditori Cameræ, viro & gravi & facundo, & cujus opera in multis legationibus Concilium ſæpe eſt uſum, utiliter intentionem ſuam explicandam commiſit. Is mentem patriarchæ illam fuiſſe aſſeruit, non ut alicui comminaretur, aut Conciliarem perturbaret libertatem, ſed ut commoneret patres ad conſtantiam, utq; recordarentur promiſſæ toti mundo reformationis, neve unum hodie, aliud cras dicerent: quoniam ſi ſic agerent, periculum eſſet, ne laici reformationem ſperantes, in clerum deluſi ſurgerent. Ideoq; monere, ut periculum patres præcaverent, nec ſic Concilium re infecta desererent, petereq; ipſum veniam, ſi dicendo, vel in Concilium, vel in Panormitanum, vel in alium quempiam deliquiſſet. Quo facto, verum eſſe oſtendit, quod vulgo dicitur: Nobilitatis ſororem fore humilitatem, quæ duo illo in homine pulcherrime apparuerunt. Nequaquam tamen patriarchalis humilitas clamores extinxit, ſed quoties legendi concordati fiebat mentio, toties major ſtrepitus ac vociferatio impedientium extollebatur. Eamque ob cauſam, venerandæ authoritatis Amodeus Lugdunenſis Archiepiſcopus, Galliarumque primas, zelo fidei tactus, quam tunc impediri, ſupprimique cernebat, Habeo (inquit reverendiſſimi patres, non parvam loquendi occaſionem: Septem namque, aut eo plus annis, apud vos ſum, nec unquam rem, ſicuti nunc, miraculo ſimilem vidi. Nunc autem ſtupenda cerno miraculorum ſigna: parum ne eſt claudos ambulare, mutos loqui, & pauperes evangelizare? Unde (obſecro) tam repens mutatio? Unde tam cito, qui domi jacebant, ſurrexerunt? Quis auditum ſurdis, quis mutis ſermonem præbuit? Quis evangelizare pauperes docuit? Video hic novam turbam, pluribuſque inviſam menſibus. Novos aſpicio prælatos, qui uſq; in hanc diem tacuerunt, nunc loquaces ſunt facti: nunquid hoc eſt miraculo ſimile? utinam tamen ad veritatem defendendam, non ad juſtitiam impugnandam veniſſent. Illud autem majus omni miraculo videtur: quoniam viros omnium doctiſſimos, Concluſiones noſtras impugnare video, quæ certæ & veriſſimæ ſunt, & ab illis, qui eas nunc reprobant, aliàs approbatæ. Nec vos fugit, Ludovicum protonotarium has veritates Lovanii ac Coloniæ prædicaſſe, eaſque illinc univerſalis ſtudii authoritate firmatas reportaſſe. Quare ſi ipſe nunc mutatus eſt, veritas tamen non eſt mutata. Ideoque vos rogo obteſtorque, ne aures his præbeatis, qui quamvis doctiſſimi ſunt: eam tamen, quæ omnes virtutes decorat, conſtantiam non habent. Quo finiente, illicò Ludovicus aſſurgens: Verum eſt (ait) illas me apportaſſe veritates: vos tamen eas fidei veritates nuncupatis, quæ adjectio mihi ſubdubia eſt. Cumque hoc dixiſſet, quærebat Arelatenſis, ut concordatum virorum duodecim legeretur, plureſque ſibi in auribus ſibilabant, ne ſententia flecteretur.

Ludovicus patriarcha Aquileien. Dux de Deck in Suevia. Præconium de Germanis.

Comes de Tierſtein.

Baſilienſium laus.

Bone deus, pontifici cedunt omnes, ille cedit nemini. O beati pacifici, quoniam ipſi deum videbunt.

Amodeus Lugdunenſis archiepiſcopus.

Septimus Concilii annus.

Vide quomodo converſi nunc ſint retrorſum, aliquando adhæſerunt veritati, & erant Theologi, nunc adhærent mendacio & effecti ſunt adulatores.

Panor-

Panormitanus vero, ut cœptum est legi concordatum, assurgentibus secum collegis & aliis Arragonensibus, altissime clamans, (quoniam plane & morate loquens, exaudiebatur nemo.) Vos (ait) patres nostras contemnitis preces, reges & principes contemnitis, prælatos contemnitis, at cavete,ne dum omnes despicitis, ab omnibus despiciamini: vultis concludere,sed vestrum non est concludere.Nos prælatorum major pars sumus,nos Conciliū facimus, ad nos concludere spectat. Egoq; nomine prælatorum supersedendum esse concludo. Quo verbo tantus exortus est clamor, quantus solet in præliis tubarum clangor, & equorum fremitus audiri, cum signis collatis, duo invicem concurrunt exercitus. Alii quod Panormitanus effecisset, execrantur, alii probant, faciuntq; diversa studia, diversas contentiones. Tumq; Nicolaus Amici ex Parisiensi schola Theologus, cui id ex officio videbatur incumbere, Appello à tua ista conclusione (inquit) Panormitane, ad præsens, sedensque pro tribunali Concilium, nec aliquid censendum esse, quod fecisti, affirmo, probareq;, si expediat, præstò sum. Videbatur jam pars obstantium, meliori esse loco. Ipsi enim jam concluserant. Pro parte vero alia, nec conclusum erat, nec concludi posse inter tam multos clamores sperabatur. Inter tot tamen strepitus, turbulentasq; vociferationes non defuit spectato & optimo viro Johanni Segovio ex gymnasio Salamantino, Theologo, audientia: quoniam & illum Conciliares avidi audiebant, quasi ex suis unum, & alii virtutem hominis, summamque bonitatem etiam inviti venerabantur. Tanta est enim virtuti innata authoritas, ut etiam in hoste colatur. Verumque illud Virgilianum in eo fuit:

Panormitanus loquitur, & quod se dignum est, facit.

Nicolaus Amici Parisiensis Theologus.

Johannes Segovius Theologus Salamantinus, & ejus laus.

Tum pietate gravem, ac meritis si forte virum, quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant.

Omnes namque, ut assurrexit Johannes, silentium tenuerunt. Ille autem postquam desiderari sua verba cognovit, sic exorsus est.

Cogit me (inquit) viri patres, zelus domus dei, ut loquar: vellemque hodie aut cæcus fuisse, ne ista quæ fiunt cernerem, aut surdus, ne quæ dicuntur, audirem. Quis enim vel tam saxeus, vel tam ferreus esse potest, ut à lachrymis temperet, cum sic authoritas ecclesiæ laceratur, cum sic nobis & huic sacro Concilio libertas eripitur, cumq; nullus jam videatur locus veritati relictus? O bone Jesu, cur sic tuam dereliquisti sponsam? Aspice jam tandem populum tuum, juva nos, si justa petimus: venimus huc necessitati ecclesiæ consultari. Nil nobis exposcimus, studium nostrum est, ut veritas elucescat. Veritates in sacris deputationibus approbatas, nunc concludere sperabamus. Adsunt principum Oratores, differri conclusionem exposcunt: nos autem memores eorum, quæ ad Valentinianum Imperatorem scribit Ambrosius, in hunc modum: At certe si vel divinarum seriem scripturarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquam fidei solere episcopos de imperatoribus Christianis, non Imperatores de episcopis judicare, ex urgentissimis causis petitionem non admittimus. Eos tamen (ut libuit) longissime sermocinantes benigne & patienter audivimus.Nunc si nostrum velit aliquis loqui, interrumpitur, impeditur, perturbatur: quæ ista honestas, quæ modestia, quæ gravitas? licet ne sic in Concilio facere? Ubi nunc Toletani Decretum Concilii? ubi nostra Decreta, nedum tumultus, sed confabulationes minimas prohibentia? Dicunt, quia contemnimus eos, & ipsi sunt, qui non solum contemnunt Concilium, sed colaphizant. Minimum verbum contra eos loquutus est patriarcha, idque non mala intentione, Et statim de libertate fracta queruntur, se autem, cum vim Concilio faciunt, cum loqui præsidentem prohibent, cum legi ordinationes impediunt, non judicant libertati contra ire, aiunt se esse Concilium, & tamen Concilio supplicant. Hæc ego nequaquam intelligo. Si sunt Concilium, cur supplicant sibi? aut si non sunt Concilium, cur ipsum Concilium loqui non patiuntur? cur responsum ejus, à quo petitur, non expectant? Nimia est hæc violentia. At certe nimia est patientia nostra, qui tales excessus in facie sustinemus ecclesiæ: nos utique non ipsi. Nos sumus quibus est ablata libertas. Sed aiunt, quia non debent inferiores aliquid judicare, & quia non licet nobis cum minori episcoporum parte aliquid agere, quamvis Concilii major pars simus. Quod si verum esset, plurima ex vestris Decretis ruerent: illud præsertim, quod de provincialibus & episcopalibus synodis promulgastis. Quod cum non placeret prælatis, Cardinalis sancti Angeli, tunc præsidens, vix quinque associatus episcopis, cum majori parte inferiorum conclusit, licet episcopi admodum multi obstarent, quod tamen decretum & vos reputatis validum, & unà cum aliis Eugenius in adhæsione recepit, sic & in omnibus fere Decretis contigit, quæ pompam aut ambitionem episcoporum refrænant. Habetis præterea in adventu Alexandri abbatis Virgiliacensis, qui primus omnium huc venit,incepisse Concilium, quamvis nullus adhuc comparuisset episcopus: idque fatetur in adhæsione Eugenius. Id ergo quod isti aiunt, nil aliud est, quàm funditus hoc Concilium evertere: sed est satis huic parti ab Arelatensi responsum. Illud tamen ab episcopis cupio impetratum, ut si fateri nos velint, eos apostolis succedere, & claves regni

Oratio Segoviensis.

Amb ad Imperatorem Valentinianum.

Excusat Patriarcham.

Ostentat argumenta adversariorum ab authoritate à confessione adversariorum.

Episcopos urget, authoritate Pauli.

cœlorum habere, fateantur etiam ipsi, quod per Apostolum dicitur Christum superna repetentem, alios apostolos, alios prophetas, alios Evangelistas, & alios pastores, atque doctores instituisse ad opus ministerii, in ædificationem ecclesiæ. Namq; sicut episcopi apostolis succedunt, ita & nos Theologi succedimus doctoribus, & presbyteri pastoribus, atque aliis alii, voluitq; salvator noster per istos in communi ecclesiam gubernari. Unde apparet vanum esse, quod isti prædicant, de inferiorum exclusione. Illud vero me magis angit, illudq; mihi molestissimum est, quod singularis ingenii, & admirandæ doctrinæ Panormitanus, sine ullo deputationum discussu conclusit, sine duodecim virorum examine, sine scrutinio, sine ullo ritu conclusit. Quod nisi oculi mei essent judices, nunquam alteri referenti de tanto viro existimassem. Nec adhuc scio an mihi satis credam, ita est mihi res visa horribilis. Nec enim video, conclusio sua qua subsistat authoritate, nisi forsitan sui regis, quem ait sic velle: vos tamen patres cavete, ne talem consuetudinem introducatis: quia periculosior esset, quàm pernitiosum illud Decretum, quod vos soletis parvum appellare. Illud enim Legati apostolici & alii complices in deputationibus proposuerunt, votorumque certum numerum habuerunt, scientes qui secum, & qui contra se forent. Hoc autem in confusione fit, quod si transeat impunitum, majora admodum scandala suscitabit quàm illud, fietq; ut in omni negotio, pauculi discrepantes prælati, unum habeant, qui pro eis concludat. Scitis præterea, quia solius præsidentis est concludere, solumque uno in casu ad alios successive conclusio devolvitur: quando qui præsunt juxta voluntatem quatuor aut trium deputationum, & concordata virorum duodecim, nolunt concludere: quod an modo contingat, vos cernitis, & ipse etiam qui conclusit, optime noscit, Panormitanus: qui licet differendam veritatem multis (ut sibi videtur) rationibus astruat: ego vos rogo, patres amplissimi, ut Apostolum imitemini, qui (sicut Arelatensis pulchre retulit) neque ad unam horam Petro cessit, veritatem Evangelii deferenti, succurrendum est subito in facto fidei, nec ulla res majus discrimen ex negligentia, quàm fides patitur. Hæreses namque nisi in ipso ortu extirpentur, haud facile tandem adultæ tolluntur. Quare (obsecro) succurrite festinanter, ferte cito auxilium, date vela, impellite remos. Quid hic aut prælatos expectemus aut principes? Quærenda non est alia potestas, ubi presens est divina majestas. Prædicant ubiq; terrarum hæreses Eugeniani, nec illis aliquis dicit ut supersedeant. Vobis autem, qui veritatem publicare intenditis, mille susurrant, ut sileatis, magnum est hoc vestræ bonitatis indicium. Benedictum olim sanctissimum monachorum patrem, aiunt monasterium quoddam sanctorum virorum visitantem, infinitas dæmonum vidisse catervas, qui cum sanctis patribus confligtantes, bona quæ illi patrabant opera, perturbare conabantur: mox nundinas in permultis mercibus, multisque contractibus frequentes: adeuntem unicum duntaxat dæmonem, eumque tristem & otiosum in specula quadam constitutum aspexisse, miratumque Benedictum, quod locum sanctum, & orationi deditum dæmonibus plenum, locum autem prophanum & perjuriis, aliisque delictis occupatum, ab uno tantum dæmone custoditum invenisset, adjurasse dæmonem, ut sibi causam proderet, illumque respondisse: Locum sanctum expugnatione dæmonum indigere: qui autem sua sponte peccarent, his non esse opus fraude diabolica. Quod mihi videtur Eugenianis contingere: vos autem in conflictu estis, tantum rogo, ut ad victoriam festinetis, nec curetis has principum minas, hasque hominum adversantium contumelias. Quia beati estis (inquit dominus) cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. En quid nobis (oro) tantopere objiciuntur principes, an non potens est dominus deus noster eripere nos de camino ignis ardentis, & de manu principum liberare? Ne obsecro patres, ne obsecro fratres, minorem habete in Christo Jesu fiduciam quam Sedrach, Misach, & Abednago, qui senem Nabuchodonosor regem minime timuerunt. Sciantque ipsi principes, quia dominator excelsus in regnum hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud. Est desuper deus cuncta prospiciens. Est, est, inquam, in medio nostrum, quid trepidatis? Estote viriles, & præbete vos murum pro ecclesia dei. Ne sinite (obsecro) fidem sub vestris manibus deperire. Adest deus omnipotens, adest qui vos protegat, nolite timere, qui corpus tantummodo quærunt occidere, facite judicium & justitiam, ac confidite, quia non tradet vos dominus in manus calumniantium. Iterum dico vobis: estote viriles, ecclesiamque matrem vestram defendite. Tibi autem præsidens dico, quia oportet te magis deo, quàm principibus complacere. Quare si hinc sine conclusione abeas, rationem te hujus rei in districto dei judicio redditurum scito, nec plura loquutus, resedit.

Exponit locum Apostoli, ad Ephes. 4.

Notat Panormitanum, qui sine duodecim virorum examine conclusit.

Eugeniani hæreses ubique prædicant.

De Benedicto historia.

Attende.

Vide constantiam Theologi.

INterea complures gravissimi viri Panormitanum exhortabantur, ut sua conclusione discederet. Instabatque magnopere Burgensis episcopus, ut si posset, inter discordes patres concordiam sereret, & qua ipse sibi perpetuo fruitur, elargiri pacem aliis satagebat. Sed neque patribus Conciliaribus sine conclusione discedere, neque Panormitano

Burgensis episcopus pro concordia.

normitano mutare sententiam cordi erat. Nec minus cessurum sibi Concilium Panormitanus opinabatur, quàm si ipse Concilii locum teneret, Concilium vero suum. Quam inter contentionem paululum nactus audientiæ Lugdunen. conclusionem Panormitani nullius esse momenti, nec revocatione indigere, quod foret omnino nulla, dixit: utilem tamen sibi videri dilationem, si forsitan uti Burgensis dixerat, agi de concordia patrum posset. Fuitque ipsius oratio haud grata collegis Panormitani, qui ut audiverunt vilipendi suam conclusionem, illico assumentes, asseverabant illam valere, seq; Concilium facere: fiebatq; continuo major strepitus, nec audiri lectio ulla poterat. Maximusq; illa die omnium bonorum virorum timor fuit, ne plus impedientes possent, quàm ipsum Concilium. Resq; magno in periculo videbatur, nec perseverantes adversarii usque ad noctem verba protelarent, quod unum moliri videbantur, ut ea saltem die vincerent. Juvit tamen deus ecclesiam suam, nec plus Eugenium in Concilio, quàm ipsum Concilium posse voluit. Erant turbata omnia, nec (ut solebant) suis subselliis prælati insidebant, sed ut quemque trahebat affectio, Illi Arelatensem, isti Panormitanum adibant, & quasi principem quiq; suum, aut exercitus Imperatorem, adhortabantur. Jamque in vesperum dies ferebatur. Cum assurgentes ex locis suis Lausanensis episcopus, vir inter omnes oculatus, & prudens, Nicolausq; Grossetanus, plus Concilio, quàm sibi prospiciens, Arelatensem petierunt, territantes ipsum, si sine conclusione assurgeret. Nuncq; Franciscus de Fuxe, nunc Andreas Hispanus, professione minores, & gradu Theologi, auribus Arelatensis imminebant, in tantumq; illum premebant, ut nec animum resumere paterentur. Laurentius quoque Rocella infestus Arelatensi. Quid dormis nunc præsidens? ait, ubi animus tuus? ubi versutiæ tuæ? quid times? quid somnias? Ille autem (ut agnovit rem in periculo esse) nec rectam conclusioni viam patere, utendum astu censuit, utque tumultum aliquantisper componeret, Habeo (inquit) sanctissimi patres novas ex Francia literas, quæ mihi auditu stupenda enarrant, incredibiles illic novitates sunt, eas si aures mihi præstatis benignas, mox vobis exponam. Quare & silentium subitum impetravit, & artificio miro attentos animos audientium reddidit. Utque liberum sibi dicendi campum patere vidit, sine fabula, sine ulla historia fuit, literarum sibi missarum seriem reseravit: exinde (prout Oratoria exigit insinuatio) pedetentim ad causam rediens, Eugenianos nuntios implesse Galliam dixit, qui novam doctrinam prædicantes, authoritatem Romani pontificis supra generalia Concilia magnifacerent, quibus (nisi cito occurreretur) fore ut pluribus fidem facerent: idcirco oportuisse sacrum Concilium, de remedio cogitare, necessarioque jam veritates de quibus agetur examinatas, ut per eas Eugenianorum temeritas retunderetur, quæ licet essent numero bis quatuor, non tamen fuisset intentio patrum omnes concludere, sed tantum priores tres, prout se (inquit) in nomine patris, & filii & spiritus sancti concludere. Atque his dictis lætus alacerque consurgens, ab omnibus suæ partis hominibus, summe probatus & laudatus recessit. Et alii quidem eum, alii vestimentorum fimbrias deosculabantur, secutique ipsum complurimi, prudentiam ejus magnopere commendabant, qui licet origine esset Gallicus, Italos tamen hac die summa homines astutia superasset. Communis tamen omnium opinio fuit, hoc spiritus sancti magis, quàm ipsius Arelatensis opus fuisse. Cæteri vero alterius factionis homines, qui mente alienati, inclinatisque capitibus domum quisque suam perrexerunt: nec insimul recedentes, nec se invicem salutantes, ut eos victos cujuslibet vultus ostenderet, plus quoque in vulgus de Panormitano relatum est, illum scilicet, postquam domum venit, in cubiculum se recepisse secumque de rege suo questum, quod eum adversus veritatem pugnare compelleret, & suam famam, suamque animam ire perditum, mediasque inter lachrymas obdormivisse, nec usque ad vesperas præ mœstitia sumpsisse cibum, ut qui nec ignorans, nec volens veritatem oppugnasset.

Lugdunensis contra Panormitanum. Turbatio Concilii. Boni viri timebant & timent ne Christo prævaleat mundus. Lausanensis episcopus assurgens. Nicolaus Grossetanus. Franciscus de Fuxe. Andreas Hispanus. Laurentius Rocella. Nota ingenium Arelatensis & piissimam fraudem optimi patris. Conclusio Concilii. Attende de Panormitano.

EAdem die reversus est Cardinalis Terraconensis, vir & animo, & consilio quàm corpore major: scientia vero literarum admodum tritus, qui eo tempore quo Armeniaci advenerunt ad duas dietas se sequestraverat. Cumque is generali congregationi interesse non potuisset, subito ad eum Cathelani, Lombardique perrexerunt, diversa cum eo consilia trutinantes. Aliis namque deferendum Concilium videbatur, aliis persistendum, omniq; nisu resistendum, ne quid ulterius adversus Eugenium fieret. Eaq; inter eos sententia mansit. Die autem sabbati, quæ fuit Aprilis quinta & vigesima, Lugdunensis archiepiscopus, & Burgensis episcopus, accersitis in capitulo majoris ecclesiæ prælatis, multa de pace exorditi sunt, fiendasq; illo die deputationes, Burgensis episcopus suadebat, quibus Lugdunensis facultatem componendi committeret. Quibus responsum est, ut ipsi judicarunt, duriter, ut alii æstimarunt, suaviter. Justè tamen dixerunt, namque patres Concilii, nullam esse ante, concordiam posse, quàm adversarii errati sui veniam peterent, sicq; finem fecerunt. Sequenti dominica idem Burgensis cum aliis ex Lombardis, & Cathelanis Germanicam adiit nationem, exinde senatum urbanum, & utrobiq; de prohibendo schismate sermonem fecit.

Cardinalis Terraconensis. Lugdunensis Archiepiscopus. Burgensis Episcopus. Justum Concilii responsum. Eugeniani adeunt senatum & Germanos.

Natio (ut postea intellexi) retulit se ad ea quæ deputationes deliberarent. Senatus urbani, ut sunt homines præmaturi, & qui nihil sine consilio faciunt diligenti, rem illam ad se minime pertinere, dixerunt, sed ad Concilium cujus patres prudentissimi forent, nec ignorare, quid in rem esset fidei Christianæ, si quid instaret periculi, id esse Concilio, non consulatui suo monstrandum: credere se, majores Concilii ubi essent præmoniti, nihil mali admissuros: ad senatum vero urbanum nihil aliud pertinere, quàm tutari patres, & fidem civitatis publicam custodire. Eoq; responso Burgens. dimiserunt. Interea patres Concilii, formã Decreti superioribus conclusionibus conscripserant, eamq; in sacris deputationibus approbaverant. Sola communium disputatio limandum magis decretum censuit. Jamq; principum Oratores ex Moguntino conventu redierant omnes, habitisq; inter se consiliis, impedire Decretum statuerant. Nona igitur Maii die, quæ & ipsa, ut Judæi servarunt sabbati, ut gentiles Saturni, ut nos Virginis fuit, ad generalem concionem deventum est, quæ admodum frequens fuit, utraque parte ad conflictum se exhibente. Ipsi autem principum oratores vocati per Lubicensis episcopum, & Conradum de Wynsperg protectorem, in choro ecclesiæ detinebantur, ibique de pace (si qua posset haberi) agitabatur, plusq; ibi morati sunt, quàm alicujus ferret opinio, quæ res præter spem omni bene gerendæ rei occasionem attulit. Erat tantummodo illa die forma Decreti concludenda: ideoque ut vidit Arelatensis concionem esse plenissimam, viros duodecim concordasse, maximamq; omnium cum silentio expectationem fore, haud expectandam esse turbationem censuit. Legiq; è vestigio concordata publica jussit: inter quæ illud etiam erat, ut posset ipse Arelatensis, quando sibi videretur, sessionem indicere. Quibus lectis, rogatus à promotoribus, ex more conclusit, Oratoribus principum adhuc in choro persistentibus. Qui ut rem gestam intellexerunt, turbati admodum, colloquia dimiserunt, Lubicensi omnia imputantes, qui eos ex industria tenuisset in choro, verbaq; protelasset. Ingressiq; concionem totum templum querimoniis impleverunt. Primus tamen omnium, & suo & protectoris nomine, Lubicensis de conclusione conquestus est, eamque ut Concilium revocaret minus libenter, quàm efficaciter postulavit. Id si concederetur, tractaturum se pacem, & protectorem inter Concilium & Oratores principum pollicitus. Turonensis autem archiepiscopus, videri sibi dicebat usque ad sessionem liberam esse dicendi omnibus facultatem adversus eam, quæ promulgari deberet legem, cum tunc Canones consecrarentur, tuncque reciperent animam, cum infulati episcopi post lecturam Decreti in sessione placere sibi respondissent: secus vero inanem esse interrogationem, quæ à promotoribus in sessione fieret, ea de causa, cum nondum essent conclusiones in sessione approbatæ, impune se circa eas pauca locuturum: rem esse grandem, arduamque, nec tam brevi spatio comprehensibilem, se solum nunc earum habuisse notitiam: quia tamen archiepiscopus esset, oportere eum rem bene nosse, ut domum rediens, & informare regem, & instruere subditos quiret: velleq; se atque collegas ante consessum fiendum, & audire alios, & audiri ab aliis: nec videri sibi ante relationem gestorum, quæ Oratores principum Moguntiæ egissent, sessionem hanc fiendam: quæ forsitan talia forent, ut patrum possent intentionem mutare. Concensis vero episcopus Orator regis Castellæ, qui & ipse nuper ex Moguntia revenerat, vir plura intelligens, quam explicare sciat, graviter questus est contemni prælatos. Nec fuisse rem magnam (ait) si expectati fuissent, qui Moguntiam non voluptatis, sed necessitatis causa, & cum gravibus periculis & sumptibus petiissent, postque quasi subridens, Ah demens (inquit) ego, qui expectari prælatos ex Moguntia volo, cum nec etiam ex choro hujus ecclesiæ expectati sint. Facite ergo (ut libet) si quid hinc scandali, si quid mali evenerit neq; nos Oratores Castellæ, inculpandi sumus, neq; serenissimo regi nostro quisquam jure imputaverit. Mediolanensis quoque archiepiscopus, quod ejus rei periculosissimum exitum judicabat, in authorem Arelaten. acerbissimè convitiatus est. Ipsum esse, qui copistarum, pædagogorumq; gregem nutriret, remq; cum eis fidei concluderet, alium eum Catilinam vocitans, ad quem desperati & perditi omnes confugerent. Illorumque ipsum esse principem, & cum illis ecclesiam regere: nec in re omnium maximâ magnis prælatis & magnorum principum Oratoribus auscultare. Albigaunensis quoque vir nobilissimus, & ex Cæsarum sanguine descendens, quamvis nunquam animum à Concilio alienasset, ne tamen ab aliis Oratorum principibus videretur discrepare, haud absimilem querimoniam habuit de neglectu prælatorum. Exhinc ad Panormitanum oratio defluxit, qui ut vim dicendi majorem habuit, sic etiam concitatiorem ostendit animum.

Utrorumque responsum.

Forma Decreti conscribitur & approbatur.

Arelatensis consilium.

Conclusio ad instantiam promotorum.

Orationis ingrediuntur sententiam.

Turonensis episcopus.

Concensis episcopus.

Vide quid patiatur veritas: ô magnam in episcopo contumeliam; nam si catamitorum & meretricum gregem alat, laudatur, doctos vero bonosque educari, scelori ascribitur.

IN exordio suæ orationis Panormitanus, non ut Oratores præcipiunt benevolentiam, sed odium captare ab auditoribus visus est. Dicebat enim, salvatorem nostrum signa in Evangelio quatuor ostendisse, quibus bonos cognosceremus à reprobis: Quoniam qui est ex deo (inquit) verba dei audit, propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Rursus quoque: Qui male agit, odit lucem. Alibi etiam: A fructibus eorum cognoscetis eos.

Calumniæ in partes Concilii à Panormitano.

Et

Et non potest arbor bona, malos fructus facere, quæ omnia in patres Concilii retorquebat qui verba dei, id est, verba pacis, quæ ipsi Oratores proferrent, non audirent, quique lucem fugissent, Oratoribus absentibus, & clanculum concludentes, quodque in sua deputatione diem festum non celebrassent, sed feriata die conclusissent, & quod in præcedenti conclusione non ratione, sed deceptione vicissent. De fructibus dicebat, ut ipsi patres meditarentur: quoniam si fructus eorum non essent boni, ipsi etiam boni non essent, se autem videre in foribus Concilium aliud, ubi timeret ne hujusmodi conclusiones revocarentur, tanquam malæ fructus arboris. Ideoque non esse sic repente in rebus maximis procedendum, velleque se adhuc plenius ante sessionem audiri, tam suo, qui archiepiscopus esset, quàm sui principis nomine, qui non tantum unius, sed plurium regnorum rex haberetur, se quoque antehac & verbis, & scriptis, ac etiam factis authoritatem sacri Concilii magnificasse, vererique ne per tales modos authoritas ipsa conculcaretur. Ignoscique sibi tandem petiit, si patres Concilii offenderet, quoniam eum sic eloqui dolor mœrorque cogeret.

Conscientiis plus quam jurista qui damnat festo die, fidei causam agi. Vide ne de iis in Evangelio dictum, ubi jumenti in foveam prolapsi mentio est. Ambitio quid non facis?

VOluisset abbas Vergiliacen. ad ea responsum dare, quæ Panormitanus de sua deputatione tetigerat. Arelatensi autem, prius dicere omnes, placuit, qui ex adverso erant. Inter quos ultimo loco legistarum Homerus fuit Ludovicus protonotarius, qui licet invitus loqueretur, ubi tamen occœperat, retinere verba nesciebat, & cupiens doctus videri, bonum se fore obliviscebatur. Is ergo, debere Concilium advertere, dicebat, ne invitis prælatis materiam fidei agitaret, ne scandalum sequeretur, quod rem invalidam aliqui dicerent: namque licet Christus duodecim Apostolos, & septuaginta discipulos elegisset, in editione tamen symboli soli Apostoli interfuissent, quasi exemplum darent rem fidei ad solos Apostolos, & sic ad solos episcopos pertinere, nec esse in materia fidei cum festinantia procedendum, quæ limpidissima esse debet: cum exigat Petrus probationem fidei pretiosiorem esse auro, quod per ignem probatur: quod si spretis episcopis huic rei daretur terminus, qui columnæ & claves cœli dicuntur, non posset bene probata fides videri, nec bene examinata. Fassusque tandem, inferiores cum episcopis definire posse, minorem episcoporum partem cum majori inferiorum parte aliquid posse terminare, negavit. Exinde transiens ad ipsam fidei materiam, dixit, veritates illas, de quibus erat quæstio, articulos fidei fore, si veritates essent fidei: cumque articulos fidei quisque teneretur credere, has quoque omnes teneri credere, ait, ideoque velle se instrui, & maturius edoceri in re, quàm esset pro fide crediturus, nec decere id sibi denegare Concilium, quod promptissimum esse deberet, juxta normam Apostoli, cuique poscenti de ea, quæ in eo est, fide reddere rationem.

Abbas Virgiliacensis. Ludovicus protonotarius cum doctus videri vellet, bonum se fore obliviscebatur. Symbolum fidei maxime congesserunt Synodi.

POstquam vero dicendi finem omnes fecerunt, Arelatensis seipsum colligens, orationem multifariam habuit, nunc iis, nunc illis respondens. Imperialiumq; primo nuntiorum desideria laudavit, qui pacem & concordiam tractare se obtulissent: revocari autem quod esset conclusum, nec necessitatem urgere, nec honestatem pati. Oratorum vero Franciæ petitionem justissimam esse respondit, quod informari de re fidei poscerent, eorumq; precibus Conciliū annuiturū, missūrumq; ex magistris aliquos, qui eos domi edocerent. Rem vero jam esse conclusam, nec amplius revocari posse in dubium: sessionem vero non ad roborandum, sed ad honestandū tantummodo actum fieri: quod autem Concen. tantopere quereretur, id sibi non esse admirationi: Non enim sciret Concen. rerum processum, qui absens fuisset, quem melius instructum, minime dicturum talia arbitraretur, quoniam vir justus nihil postularet injustum: protestationem autem ipsius nihil mali habere, quod nec regi suo, nec sibi imputari vellet, sed quid ex conclusionibus factis proveniret scandali: non tamen id esse formidandum, ut ex bonis operibus mala suboriantur. Mediolanensi vero, quod eum nimis turbatum videbat, nimiumque commotum, nihil respondit, ne forte ex gravibus verbis graviora suscitarentur. Panormitanum vero ad ultimum reservabat. Ludovico vero protonotario instructionem petenti, per verba ad Turonen. dicta voluit satisfactum, id tamen intactum non prætermisit, quod de Apostolis & symbolo dixerat Ludovicus. Etenim quamvis soli Apostoli in symboli editione nominentur; Id tamen non constare, ait, an soli in edendo fuerint, fierique id sæpe, ut soli principes adnotentur rerum authores gestarum, quamvis alios coadjutores habuerint. Idq; in præliis patere, quæ licet omnium militum gerantur manibus, paucis tamen ascribi solent, ut hac nostrâ ætate Imperatori omniū præstantissimo Nicolao Picenino, quē continuus tot victoriarum cursus illustrat, cuncta, quæ suus exercitus vel feliciter agit, vel prudenter, ascribunt. Tametsi alii sæpe & Concilii inventores, & propositi executores fuerint, scireq; Ludovicum debere, articulos fidei non solum esse qui symbolo continentur, sed omnes quoque generalium Conciliorum factas circa fidem declarationes. Nec ignorare ipsum, aliquos esse ipsius symboli, quo nunc in ecclesiis utimur articulos, non ab apostolis, sed postmodum in generalibus Conciliis additos portionemque illam de processione spiritus sancti mentionem

Arelatensis oratio. Ad Imperiales nuntios. Ad oratores regis Franciæ. Ad Concensem episcopum. Ad Ludovicum protonotarium. Nicolaus Picceninus Italus.

Quam adjecit Lugdunense Concilium propriis spiculis confoditur Panormitanus.

tionem habentem, Lugdunense Concilium adjecisse, in quo judicasse cum episcopis inferiores, non esset ambiguum: Cumque rem ipsam in proxima congregatione dilucidasset, haud amplius circa eam fore immorandum. Sicque ad Panormitanum descendens, verba ejus repetiit: Qui ex deo est, verba dei audit. Idque bene sumptum ex Evangelio, in Concilium autem non bene flexum, dixit: se namque firmiter credere, quod veteres existimarunt spiritum sanctum in medio esse Conciliorum, ideoq; verba Concilii, verba esse spiritûs sancti, quæ si aliqui respuerent, ex deo se utique fore negarent. Nec Concilium lucem odire, quod palàm omnia & in publico faceret, & cujus congregationes omnibus essent apertæ, nec ut aliquæ adversariorum conventiculæ, istos admitterent, illos excluderent. Rem quæ nunc in manibus esset, duobus jam mensibus inceptam agitari, primo in schola Theologorum latè diffuseque disputatas esse conclusiones, post, Moguntiam & in alias orbis partes transmissas: Exinde vocatos in Capitulo majoris ecclesiæ patres, viginti circiter & centum numero fuisse, illic inter alios etiam ipsum, qui nunc conquereretur, Panormitanum, suoq; more acutè, diserteq; disputasse, nec ulli dicendi locum defuisse. Rursus quoq; in deputationibus, dixisse omnes liberrime quæ voluissent. In ea vero deputatione ubi Panormitanus esset, triduo rem fuisse discussam. Post duodecim viros concordasse, mox generalem congregationem conclusisse: nullam rem unquàm aut maturius, aut diligentius fuisse expeditam, nec aliquid aut dolo, aut clàm factum. Quod autem die festo deputatio sedisset, id nihil mali habere, nec novum esse, cum & sæpe dominicis diebus, & aliis in festivitatibus sessum esset, ubi res indigeret celeritate, & maxime, quia res fidei non habet ferias, se vero in superiori congregatione, neque dolose, aut fraudulenter, ut Panormitanus dixisset, sed publice requirentibus promotoribus, & via (ut aiunt) regla. Nec esse ulli justam de se querimoniam, qui assumptus ad præsidentiam jurasset, se semper conclusurum, ubi aut quatuor, aut tres deputationes concurrerent. Cumque in pluribus causis Papam tangentibus conclusisset, non videre se nunc, cur in re fidei non concluderet, quia & Cardinalis esset & ideo rubeum galerum gestaret, quoniam etiam sanguinem ad tutelam fidei deberet effundere, nec se nunc aliquid adversus Papam fecisse, qui dimissis quinque conclusionibus Eugenium tangentibus, solas tres generales conclusisset: quod nisi fecisset, habituros patres in eum justissimam querimoniam, qui ejus fidem sequuti, eum præsidentem legissent, à quo nunc in re fidei, & in re maxime necessaria desererentur. Versusque ad multitudinem, bono animo esse patres rogavit, quia nunquam eos dimitteret, etiamsi oporteret mori eum, dedisse se suam Concilio fidem, illamque velle observare, nec eum ex suo proposito, aut minas, aut preces cujuspiam posse dejicere: paratum se ad omnia fore quæ sacrum sibi Concilium præciperet, nec unquam mandatis se deputationum, aliquo pacto defuturum. Quod autem Panormitanus Concilii authoritatem magnificasset, gratias sibi habendas ait: scire tamen eum debere, authoritatem sacri Concilii tantam esse, ut & nullius laudibus crescere, & nullius vituperatione minui possit, atque his peroratis, formam decreti legi jussit. Panormitanus vero, & qui eum sequebantur, cæterique protestationem quandam prius legi contendebant: diuque hinc atque illinc vociferatum est. Obtinuit tamen demum Arelatensis, lectaque forma Decreti, usque ad verbum Decernimus, assurgens Panormitanus, nihil passus est ulterius audiri. Indecorumque esse clamabat episcopus Cathaviensis, solum Arelatensem cum paucis & titularibus episcopis rem concludere. Clamabant & omnes, qui Panormitano favebant. Cardinalis quoque Terraconensis, qui usque ad eam horam siluerat, graviter suos castigabat, qui veluti dormientes & somnolenti protestationem non legerent, familiaribusque illico uni ex suis, ut protestationem perlegeret, mandavit. At sicut antea lecturam concordatorum adversarii perturbabant, sic nunc patres Concilii adversariorum protestationi locum non dimittebant. Quod ubi Albigaunensis perpendit, scripturam sibi lecturæ afferri præcepit. Jamque sonare vox cœperat, cum subito Arelatensis admonitu patriarchæ assurrexit, cum multitudine patrum recessurus. Quæ res apprime Cardinali Terraconensi, Panormitanoque placebat, sperantibus se cum suis in ecclesia remansuros. Revocare conclusionem Arelaten. & aliam facere, jamque suos ut remanerent, adhortabantur. Erat in concione, suoque loco Georgius protonotarius de Bardaxina, paulo inferius sedens, quàm suus avunculus Cardinalis Terraconensis, ætate admodum juvenis, prudentia vero senex, & humanitate pernobilis, qui ut vidit Arelatensem surgere, ipse quoque recedendum sibi statuerat, vocantique se avunculo, & ut maneret præcipienti, Absit à me (inquit pater) ut vestro in conventiculo maneam, aut aliquid agam, quod jurejurando à me præstito sit adversum. Quo dicto, & præstantem virtutem, generositatemque suam patefecit, & nostros eorum quæ facturi fuerant, remanentes admonuit Vox ejus vox spiritûs sancti fuit: vox plus quàm credi posset necessaria: nisi enim vox ejus sic sonasset abiissent forsitan conciliares, alii in ecclesia remanentes, contrariam habuissent conclusionem eamque validam asseverassent, quod ultimam conclusionem dicerent inspiciendam, nec unquam ut ali-

Vere Cardinalis non purpuratæ Babylonis, sed immaculatæ spōsæ Christi Jesu. Ad multitudinem Concilii.

Quasi in re fidei non possit unusquisque pronunciare, habens pro se Canonicam scripturam.

Georgius protonotarius, & egregius ejus animus juvenis adhuc.

ut aliquibus, in majori: ut mihi videtur, in simili discrimine Concilium fuit. At plerique viri admoniti voce protonotarii, antiquorum Conciliorum, & similium casuum reminiscentes abscedentem jam multitudinem, partim nutibus, partim vocibus revocarunt: ipsisque ut sederent Arelaten. & patriarchæ inclamitarunt, ne vacuam adversariis, & quietam dimitterent ecclesiam: unde & subito multitudo resedit, & fores obseratæ fuerunt. Interea Matthæus Albigaunensis episcopus protestationem nulli alteri, quàm sibi legebat. Nec enim præ strepitu poterat audiri. Quo finiente, tam Longobardi, quàm Cathelani protestationi adhæserunt. Cardinalis quoque Terraconensis adhærere se illi dissensioni, dicens, admirationem sui reddidit, & subridentibus aliquibus, Quid irridetis me (ait) insani? Oratores mei regis à vobis dissentiunt? Quid mirum est, si me (inquam) ipsorum consentire dissentioni? Atque cum hisce sermonibus & ipse, & omnes fere Arragonenses, Longobardique, & Castellani discesserunt. Cæteri omnes restiterunt. Et licet hora esset admodum tarda: jam enim duæ post meridiem effluxerant horæ: videns Arelatensis quietum esse conventum, privatarum (ut moris est) personarum legi negotia jussit: quibus finitis, publica quoque iterari præcepit. Iterumque & legi conclusiones, & formam Decreti voluit. Remanserant in congregatione Oratores Imperii cum Oratoribus Franciæ, invicemque de rebus gestis confabulabantur, nec quid legeretur magnopere advertebant. Audivit tamen verbum de conclusionibus Turonensis, versusque ad Lubicen. En (inquit) res iterum fidei agitur, abeamus hinc obsecro, ne scandalum simus aliis, neve à cæteris Oratoribus dissentire dicamur. Cui Lubicensis, Mane (inquit) pater, mane hic. Nunquid verissimæ hujusmodi conclusiones sunt? quid tu hic timeas pro veritate fuisse? Nec ista à multis audita sunt: submissa namq; inter sese voce sermones ferebant. Audivi tamen ego, qui ad pedes eorum sedens, quæ ipsi dicerent verba cupide observabam. Arelatensis autem lectis omnibus, quæ necessaria reputavit, petentibus promotoribus conclusit, &, facto fine, concionem dimisit.

Albigaunensis legit protestationem.

Leguntur Concilii negotia, & publicantur.

Æneas præsens hæc colligebat.

BIS igitur (sicut monstratum est) magnis in difficultatibus conclusit Arelatensis; quoniam nec materia, nec forma potuit sine concertatione concludi. Fuitque utraque miraculosa conclusio, & præter spem omnium, vel Arelatensis industria, vel spiritus sancti munere habita. Ideoque relatum est postea Panormitanum, cum ex ecclesia abiret, versum ad suos, Italica, nostraque lingua dixisse, & duæ, volens significare quoniam aut bis pars sua succubuisset, aut bis fuisset decepta. Id namque non sine indignatione pronunciavit. Post hæc deliberatum est inter Longobardos & Arragonenses aliquantisper à deputationibus abstinere: quod nec diu, nec omnes servarunt, pluribus tamen diebus tranquilliores habitæ sunt deputationes: nec usque ad quintam & decimam Maii lucem, relatu dignum est quicquàm actum: quæsitaque interim concordia inter patres, nusquàm potuit reperiri. Ut ergo illuxit Veneris dies, quæ fuit Idibus Maii, vocatus in concionem Nicolaus Amici promotor fidei, quæ acta essent superioribus diebus succincte repetiit: utque indicere sessionem Arelatensis posset, explicavit. Quare cum esset periculi plena in rebus fidei dilatio, in crastinum sessionem indici postulavit: Requirens & Cardinalem ipsum ob dignitatem suam, qui cardo ecclesiæ diceretur, & reliquos episcopos, quoniam sic in consecratione promitterent, ne nunc in tanto negotio deforent ecclesiæ, neve fidem opprimi paterentur: Alios vero minores sub juramento præstito requisivit. Iterum ergo ob hæc verba concertatum est. Arelatensis namque, ut requisitus fuerat, sessionem indixit, utque omnes adessent cum ornamentis, est exhortatus. *Lubicensis autem assurgens, suo & protectoris nomine protestatus est, se sessioni fiendæ minime assentiri, siqua in parte intelligentiæ, per Oratores principum Moguntiæ habitæ derogaret. Ejusque protestationi accessit Georgius miles coambasiator ejus. Protector vero Cæsareus, ut se nominari per Lubicensem agnovit, miratus aliquantisper quid esset, ac per interpretem certior factus. Nequaquam se (inquit Lubicensis) protestationi accedere, nec se actorum Moguntinorum aliquid nosse: se missum per Imperatorem ad sacrum Concilium, habere sua mandata quorum recte recordaretur, illisque obediturum se esse. Post quem Concensis, protestationis solitæ tenorem repetiit, atque exinde ad Panormitanum sermo descendit. Cujus antequam verba refero, Nemo ut admiretur cupio, quod toties cadat in meum Panormitanus calamum. Necessarium enim habeo rem, ut gestum est, sic narrare. Et evenit in hujusmodi rebus haud secus, quàm in bellicis actibus. Ut enim ibi qui viribus corporis aliis præstant, & qui plura faciunt, pluries nominantur, veluti in bello Troico Achilles & Hector: sic in hujusmodi spiritualibus præliis, qui plurimum eloquentia, ac scientia pollent, plus aliis agunt, plusq; ut nominentur, oportet. Erat namq; alterius partis princeps Panormitanus, alterius Arelatensis: sed illum non quippe voluntas, sed sola necessitas principem fecerat, eumq; obedire principi suo oportebat. Ubi tamen veritas esset, non ignorabat, nec libenter ei resistebat, sæpiusque illum ego in sua bibliotheca de suo principe vidi conquestum, qui aliorum monita sequeretur. Is ergo (ut locum dicendi habuit) mirari se supra modum

Ita non laudas, postea ô Ænea hoc Concilium, cum ipse factus fuisti pontifex. Vide, vide, sed scis modo quid egeris Christo judice.

Petitur indici sessio in crastinum.

Lubicensis.

Conradus à Winsperg Baro.

Concensis.

Panormitanus.

Achilles Eugenianorum. Arelatensis Concilii Hector.

cum,* ait: quia procurator fidei prælatos ad sessionem requireret, quod esset à suo officio alienum, nec debere illum præsidentis vicem usurpare. Iterumque de contemptu prælatorum conquestus addidit, rem præsentem, statum apostolicæ sedis tangere, eamque ob causam debere priusquàm sessio fieret, sedem ipsam audiri. Nec curandum esse, quod id Constantiense Concilium videretur decrevisse, quod modo ageretur, quia Constantiæ non fuisset auditus Johannes, nec alius pro ipsa sede locutus: quo verbo omnia illius magnæ & sanctæ Constantiensis Synodi Decreta revocare in dubium, & parvifacere videbatur. Ideoq; tumultus pergrandis, & clamor omnium factus est, una voce dicentium: Sanctam esse Constantiensem Synodum, ejusque forè intemerandam authoritatem. Ille tamen adhuc instans magno elatoque animo, rem ipsam sine Oratoribus principum perfici nequaquàm posse asseruit, oportereq; in re fidei principes audiri. Rursusque Oratores ipsos consentire non posse, quod in Moguntina dieta nihil se recepturos promisissent, ex his quæ durante pacis tractatu, per eos incepto, vel Papa contra Concilium, vel Concilium contra Papam fecisset: nec se dubitare quin tres primæ conclusiones hæreticum Eugenium declararent, quoniam notorium foret primis duabus Eugenium pertinaciter contraire. Eapropter cum nondum esset sessio celebrata, & liceret ante sessionem cuique volenti dicere, rogare se iterum atq; iterum dixit, ne sessio adhuc fieret. Cui Arelatensis nil dubii fore respondit, quin ex officio suo promotor fidei ad rem fidei prælatos accerseret, & maxime, quia sic deputatio fidei & ipsum totum Concilium sibi mandasset. Ad materiam prælatorum ait, quia episcoporum absq; ullo dubio maxima esset authoritas. In Conciliis tamen introductum esse, non nomine episcoporum, sed Concilii fieri conclusionem, Universalem ecclesiam certas sibi leges in hoc Concilio dixisse, quæ usque hoc temporis inviolatæ manerent: nec gravem episcopis inferiorum præsentiam esse debere, cum & sub palliolo sordido sapientia, & sub pretiosis vestibus sæpe dementia delitesceret. Debere quoque illius Domitii episcopos meminisse, qui (ut Hieronymus refert) Cur te habeam inquit) ut principem, si me non habes ut senatorem? Oportet namque ut episcopi presbyteros habeant, ut presbyteros, si sibi ab eis, ut episcopis honorem cupiunt exhiberi, nec expectari principes ad hujusmodi rei decisionem debere, quia non hic principum, sed Christi nomine congregata esset ecclesia, quæ potestatem à deo non à principibus recepisset, ad quam tutandam non minus inferiores quàm ipsos episcopos cerneret animatos, Cum illos non solum bona temporalia, sed vitam quoque ad defensionem ecclesiæ daturos cognosceret. Episcopos vero aliquos nequid temporaliatis amitterent, libertatem ecclesiæ principibus vendituros, eosque judices & dominos supra Concilium erecturos. De gestis vero Moguntiæ nihilum se curare, quia (ut aiunt) sine hospite computassent. Illud autem quomodo stare posset se minime intelligere, quod neque Concilio, neque Papæ obedituros se statuissent, quoniam aut illi parendum esset, aut isti, tertium nullum esse tribunal, cui foret obediendum in his quæ vel fidem vel animarum salutem respicerent. Nec passuram tandem ecclesiam, ut judicio principum res suæ, resque fidei terminentur. Nec enim spiritum sanctum principibus, sed ipsos principes illi subesse, seque pro hac conclusione, nec fortunarum amissionem, nec martyrii pœnam formidaturum. Quod autem Panormitanus tam acerrimum Eugenii defensorem se exhiberet, id sibi stupori esse, quoniam nemo illius errata magis, quàm Panormitanus aliàs publicasset, cujus maxime opera & suasu, & decretum monitorium adversus Eugenium fuisset, & suspensio admissa. Unde ista mutatio nunc esset se penitus ignorare, cum nec vitam Eugenius mutasset, nec stare in tanto schismate ecclesia posset. Rogare tamen Panormitanum, ut bene adverteret, an ex conscientia loqueretur. Conclusiones enim quæ modo decretari deberent, fore admodum generales, nullamque summi pontificis mentionem habere, in eisque veritatem fidei contineri: si contra eas sentiret Eugenius, Papam corrigi æquius esse, quàm veritatem omitti. Sicque facto fine admoniti omnes sunt, die crastino ad sessionem venire. Rogavit quoque protector sacrum Concilium, ne qui familiares afferre arma in sessionem permitterentur, quia paratus esset salvum conductum Imperatoris servare, & cum senatu civitatis quoscunque rixantes ab injuriis prohibere.

Oratores Papæ quicquid ad se tenere facit magni faciunt, quicquid vero contra fuerit, deprimunt, sive sacrum, sive prophanum.

Ad Panormitanum Arelatensis.

Conclusio Concilii, non episcoporum sed concilii fit nomine.

Hieronymus ad Nepotianum de vita clericali.

Vide quàm argute quàm sancte & pie adversarium conficiat.

Sy hatten die ürten on den wirt gemacht.

Panormitanus Eugenii errata publicavit.

Bone deus, concilium vitæ emendationem Eugenio quærebat, at ille incorrigibilis.

UT sabbati dies illuxit, quæ fuit Maii sexta & decima, omnes ad horam venerunt, quibus sessio cordi erat. Ludovicus quoque Lausanensis episcopus magni consilii, magnique animi pater, missam incepit. Oratores autem principum adhuc tentaturi aliquid, in chorum ecclesiæ venerant, mittentesque Lubicensem ac Concensem episcopos, virumque non contemnendæ peritiæ decanum Turonensem, intersuturos se sessioni offerebant, si quatuor adhuc mensibus Eugenii depositio differretur. Qui cum gratum responsum ab Arelatensi, & quibusdam aliis primoribus habuissent, reversi ad suos, mutatum esse propositum invenerunt. Jam enim solam primam conclusionem decretari volebant: sicque iterum Arelatensem interpellarunt. Quibus responsum est, vim maximam in

Lausanensis episcopus.

Ex tota Italia vix duo inventi sunt prælati ad bonum ecclesiæ univer-

in duabus reliquis esse conclusionibus, easq; præcipue velle Concilium decernere. Si nollent Oratores adesse, scirent concordiam à se fore interruptam, qui noluissent quod obtulerant observare. Quo responso, & illi discesserunt, & sessio celebrari occepit: nullus tamen Arragonensium prælatorum interfuit, nullusque omnino ex tota Hispania. Ex Italia soli, Grossitanus episcopus, & Abbas de Dona, qui pro eorum constantia, & firmissima ad bonum universalis ecclesiæ voluntate mutari proposito non potuerunt. Doctores autem, & cæteri inferiores magno in numero Arragonenses fuerunt. Et omnes fere, qui aderant ex Italia, Hispaniaque (nec enim inferiores, sicuti prælati, principes timuerunt) maximaque tunc Arragonensium & Cathelanorum virtus in inferioribus emicuit, qui sese minime necessitati ecclesiæ denegarunt. Ex duabus aliis nationibus mitrati fuerunt solum viginti. Alii vero domi latebant, fidem in corde, sed non in ore habentes. Cogitarat Arelatensis, quod erat futurum, plurimasque sanctorum reliquias tota urbe perquiri jussit, ac per sacerdotum manus in sessione portatas, absentium episcoporum locum tenere: quæ res maxime devotionem adauxit, in tantum, ut vocato postmodum de more spiritu sancto, nemo lachrymas continuerit. Erat namq; per totam ecclesiam tenerrimus ac suavis fletus bonorum virorum, qui lachrymantes divinum auxilium implorabant, quique matri ecclesiæ, ut opem ferret, magnum deum deprecabantur. Inter alios quoque magnificus ille baro Imperialis protector, uberrimas ecclesiæ lachrymas præstabat, & inter flendum haud modicam tali actu consolationem recipiebat. Erat autem concio ipsa frequentissima: etsi enim episcopi haud multi erant, plena tamen omnia fuerunt subsellia, procuratoribus episcoporum, archidiaconis, præpositis, prioribus, presbyteris, ac divini & humani juris doctoribus, quos aut quadringentos, aut certe plures esse dijudicavi: quos inter nullum unquam probrum, nulla rixa, nulla unquam contentio fuit: sed alter alterum in professione fidei hortabatur, unanimisque omnium esse consensus ad defendendam ecclesiam ostendebatur. Decretum vero Massyliensis episcopus apprime nobilis legit, cui cum Albigaunensi episcopo tanta familiaritas ac fraternitas fuit, ut gemini dicerentur. Nam & domi, forisque semper simul cernebantur. Quæ res eo mirabilior videbatur, quo ipsi in factis ecclesiæ discordantiores ostendebantur, cum & Albigaunensis adversus decretum protestationem legisset, & Massyliensis decretum, atque unà ex domo lector utriusque exisset: sed erat (ut quidam putant) in uno veritas, in altero simulatio. Brevis lectio Decreti fuit, nam & ipsum breve erat: fuit tamen ejus lectura attente audita, nec ullum verbum incassum cecidit: Factoque fine, Te deum laudamus ex una parte cantatum est, ex altera responsum Te dominum confitemur. Sicq; alternatim summa cum lætitia, & omni alacritate finitus est hymnus, & sessio dissoluta, quæ fuit in numero aliarum tertia & trigesima, quæ si (ut diximus) & quieta fuit, & ultra omnes pacifica, nihil mirandum est. Ea namque in die celebrata est, quæ ipsius pacis & quietis matri Mariæ virgini est dedicata. Nec enim sua in die, aut seditiosum aliquid, aut turbulentum fieri beata virgo in suo præsertim templo admisisset. Vidimus namque aliàs, cum Decretum electionis locum publicari deberet, quia futura erat prægrandis discordia, Virginem ipsam bis impedivisse, quo minus in suo die publicaretur, fuitque res illa Marti dimissa. At nunc quia pacifica res fuit, non solum in sabbato sessionem fieri permisit, sed miraculose etiam voluit, ut generalis concio pro re ipsa concludenda in sabbato haberetur.

Sal's intenti, ex Hispania nullus.

Jam vide quid de istis deinceps boni sperandum sit.

Laus Hispanorum inferioris ordinis.

Arelatensis ingenium.

Quis hic interfuit spiritus judica tu, christiane.

Conradus Winspergensis Baro.

Quadringenti circiter divini & humani juris doctores interfuerunt, inter quos nullum unquàm probrum, aut contentio intercessit.

Massyliensis episcopus legit decretum: Albigaunensis contra decretum.

Sessio. 33.

EA quæ sequuta est Veneris die secunda & vigesima Maii, Oratores principum, præter omnium spem, generali congregationi, & actibus conciliaribus, se miscuerunt, eo vel saltem facto præteritæ sessioni præstantes assensum, in qua celebranda si patres errassent nequaquā fas erat Oratores principum cum eisdem patribus Concilium celebrare: sed existimati sunt, remorsu conscientiæ tacti, jam abhorrere quod egerant, quod de Oratoribus Cæsareis ac Gallicis nequaquàm fuit obscurum. Lubecensis namq; episcopus id sibi absentiæ causa præstitisse dixit, quoniam jussu Cæsareo ad pacem fuisset destinatus, ex qua re non decuisset eum alicui negotio interesse, unde ille perturbaretur, cum quo pax esset pertractanda: se tamē sessionē præhabitā plurimum commendare, decretumq; in eadem promulgatum optimum se ac sanctissimum credere, veritates quoq; in eo contentas apud se semper indubitatas fuisse, eisq; & nunc, & usq; ad mortem velle adhærere. Turonensis autem archiepiscopus plurium literarum, & ornatæ prælatus eloquentiæ, pro se ac suis collegis loquens, Audisse se (inquit) inter aliquos sibi esse detractum, quod in sessione illa sanctissima regē suum non honorassent, quem maxime tueri fidem, ac exaltare deceret, qui ideo esset præ cæteris regibus nomen sortitus Christianissimum, habere se tamen non illegitimam excusationem, quando eos qui essent ad pacem missi, nihil omnino agere conveniret, quo suam impedirent legationem. Duo quoque injustitiæ fore genera, quibus aut fienda non fierent, aut fierent non fienda. Primumque non semper obligare, quod oporteret temporis, loci, personarumque rationem habere, ultimum vero semper tenere. Neq; in eo se incidisse, qui nihil turpitudinis admisissent. Circa primum tamen posse aliquibus videri se errasse, quod in veneranda sessione

Oratores assentiunt ultimæ sessioni.

Oratores principum, maxime Cæsarei & Gallici, conscientia stimulante, Concilii gesta approbarunt.

Duo injustitiæ genera.

non affuissent, sed esse quoq; hic quod responderent, quia si sessionem talem adissent, inutiles postmodum tractatui pacis cum Eugenio se reddidissent: ideoque licet desiderassent tam sancto negotio interesse, secutos se tamen fuisse exinde exemplum Pauli, qui licet cuperet dissolvi, & esse cum Christo, adhuc tamen, ut magis prodesset ecclesiæ, differebat: sicque se nunc fecisse, quoniam non idcirco absuissent, quia de conclusionibus dubitarent, quas veras, sanctasque reputarent, & quibus usque ad martyrium adhærerent: sed ne tractatui pacis pro qua venissent, redderentur inepti, se tamen quod suis non fecissent in personis domesticorum implevisse, quos omnes honorare sessionem jussissent. Voluissem tunc prælati alicujus magni esse loco: nec enim non castigati transissent, qui se post digitum latere arbitrabantur. Etenim per deum excelsum, quid est quod pacis tractatui officiat declaratio veritatis? Aut si officit, cur pari loco non habeatur, qui declarat, & qui declaranti consentit? En quid amplius testibus indigemus? Ecce quod ipsi principum Oratores, inimicum veritatis Eugenium esse dicunt. Sed transeo ista: sat enim, postea Eugenius, cognoscere se Turonensem inimicum sibi, ad ipsum regem Franciæ scripsit, solum restat, ut pariter Lubecen. expediat.

Exemplum Pauli apostoli notandum.

Oratores principum, Eugenium inimicum veritatis dicunt.

Arelatensis laudat Oratores.

Concilium ideo fuit congregatum, ut Ro. Pont. ambitio tolleretur ne pro sua voluntate omnia se posse putarent, deinde ut eorum animus à cura temporalium ad spiritualia revocaretur, quorum apud eos jam nulla cura est.

ARelatensis vero, postquam finem Turonensis fecit, gratias egit deo, qui sic suam tueretur ecclesiam, quique post nubilum serenitatem quoque præberet. Laudatisque Imperatoris erga ecclesiam, & ipsius regis Franciæ beneficiis, ipsos etiam Lubecensem & Turonensem magnifice commendavit, qui & in Concilio sæpe, & proximis diebus in Moguntia authoritatem defendissent: præcipue tamen præsentem actum, laudibus extulit, qui & publice veritatem confessi fuissent, & ab ecclesiæ fide se minime sequestrassent. Ingressusque rei gestæ narrationem, fuisse se Pisis ac Constantiæ, inquit, nec unquam sessionem vidisse, aut quietiorem, aut devotiorem, tum propter lachrymas omnium, qui in tantæ rei prosecutione plorabant: tum propter sanctorum reliquias, quæ in manibus sacerdotum advectæ, & devotionem & authoritatem rei majorem addebant. Necessariumque illud fuisse decretum, asseruit, ad reprimendam Romanorum pontificum ambitionem, qui se supra universalem ecclesiã extollentes, omnia pro libidine sua se posse, arbitrabantur, ne posthac ecclesiam unus homo, nunc Bononiam, nunc Florentiam: rursus Bononiam, mox Ferrariam, & deinde iterum Florentiam (ut Eugenius attentavit) traduceret: utque deinceps Romani pontifices paululum animum à temporalium solicitudine rerum retraherent, qui, ut ipse vidisset: nequaquam de spiritualibus cogitarent: ideoque quo esset sanctior, quoq; necessarior illa sessio, eo laudabiliorem & omnibus patribus gratiorem ipsorum Oratorum adhæsionem fuisse, propterea, quod actum esset, nec minus propter absentiam, nec plus propter adhæsionem valuisse. Atque iis dictis & ipse assurrexit, & congregatio dissoluta est. Nunc depositionem, quo pacto transierit, qui secuturus est liber, exponet.

¶ COMMENTARIORUM ÆNEÆ SILVII SENENSIS DE gestis Concilii Basiliensis, libri primi, contra Eugenium & Eugenianos,

FINIS.

ÆNEÆ

ÆNEÆ SYLVII
PICCOLOMINEI SENENSIS DE GESTIS CONCILII BASILIENSIS COMMENTARIORUM LIBER SECUNDUS.

Apprehendit dominus arma & scutum, & exurrexit in adjutorium ecclesiæ. Eaque sic adjuta, gaudens exultat in deo suo, qui eam vestimentis salutis induit: & quasi sponsam decoratam corona & ornatam monilibus, justitiæ indumentis circundedit eam. Traditum est superioribus Commentariis, quo statu nostra demum ætate ecclesia fuerit, quam Eugenius paulo ante papa, ut ventus arundinem, exagitavit. Verum est tamen, quod ore aureo Johannes prædixit: Quia non cessat ecclesia impugnari, non cessat insidias pati, sed in nomine Christi semper superat, semper vincit. Et quamvis alii insidientur quamvis repercutiant eam fluctus, fundamentum tamen, quod supra petram est, non quassatur. Quocirca mentita est iniquitas Gabrieli, & perdidit eum dominus in malitia sua: quo, synodali sententia, ex apostolica sede præcipitato, factus est dominus in refugium ecclesiæ, gregique suo pastorem largitus est, qui derelicta (ut spes optima est) visitabit, dispersa quæret, confractum sanabit, carnesque pinguium non comedet, & id quod stat, sapienter enutriet. Quam rem (ut omnes Christicolæ plane intelligant) enarrandus est mihi in eo, qui sequitur, libro, electionis ordo, quo nunc Amodeus Sabaudiæ dux sapientissimus, in Romanum pontificem sit assumptus. Deposito igitur (sicut jam monstravimus) ex Romano pontificio Gabriele Condulmario, vocatisq; ipso die prioribus patrum in Capitulari loco majoris ecclesiæ, an expediret ilicò novum creari pontificem, an in tempus differri consultatum est. Quibus festinanda electio pontificis videbatur. Plenum periculis, dictæ congregationi hujusmodi, sine capite gubernari morbum esse in tota urbe pestiferum, qui non solum pueritiam & juventutem, sed viros etiam fortes ætate & aridos senes, quibus innoxia pesti esse solet, depopularetur. Eamq; luem primo ex advenis ad pauperes urbis, & inde ad divites, deniq; etiam ad ipsos Concilii patres advolasse: prædicare, augere timorem, & omnia (sicuti fit) plus vero extollere. Decretum nequaquàm obstare, quo cautum esset sexaginta diebus post vacationem supersederi. Id namq; intelligi, cum extra locum Concilii sedes vacaret: nec expectandum esse, ut principes per Gabrielē suasi obsisterent: quibus scribenda unico nuntio foret, & Gabrielis depositio, & alterius assumptio. Alii vero quibus supersedendum esse videbatur, nec carere Cōcilium capite, quod Christus erat, asseverabant: nec rectorē desiderare, quod per præsidentes & alios officiales gubernaretur. Pestis autem in tali re mentionē non esse habendā: quoniā nec timenda mors esset viris fortibus, nec pro fide Christi pugnantibus injici metus tormenti possit: Eum tamen, qui modo in urbe grassaretur morbum, jamjā facto judicio, sperandum esse commitescere, qui propter neglectā justitiam creditus fuerat invalescere. Principibus vero in re tam ardua, invitis potius quàm neglectis utendum esse, nec verendum fore, quin eo casu fortes fortuna sit adjutura. Re igitur inter omnes diligenter trutinata, licet quot homines, tot sententiæ forent, & suus cuiq; mos esset: constare tamē inter omnes videbatur, utilius esse statim eligere, differre honestius. Eam ob causā Johannes Segovius, summa scientia vir, diversis hinc atq; hinc, patres, inquit, rationibus trahor, ut tamen maturius rem ex animo colligo, ea mihi demum sententia stat, ut electionem festinam humani, dilationem vero bimestrem divini consilii putem. Mihi enim non videtur, sic factum legibus rescindi posse, Decretique nostri non solum verba, sed mentem quoque servandam censeo. Quapropter si mihi credetis, honestatem potius periculosam sequemini, quàm utilitatem securam, licet revera secerni utilitas ab honestate non queat. Vicit igitur inter patres dilationis sententia, duobusque mensibus expectandum esse decreverunt. Interim missi ad principes nuntii, depositionem Romani pontificis in synodo factam, ubiq; gentium publicarunt. Corruptus tamen interea cœli tractus, & lætifer annus nequaquàm purgabatur, sed crescente indies tabida lue, linquebant plurimi dulces animas, aut ægra trahebāt corpora. Quare orta est subita trepidatio patribus, nec quid agerent, satis consultum habebant, neq; tutum se transferre putabant, neq; manere, qui tamen permanendum duxerunt. Alios quoq; tenuerunt, ut qui famem & hostiles insidias superaverant in terra, pestis periequutione non viderentur deficere: quia tamē non omnes teneri poterant, caute provisum est, ne per cujusquam recessum dissolvi Concilium videretur: utq; solidius res firmarentur, lecti sunt ad hujusmo-

Eugenius ecclesiam, ut ventus arundinem, exagitavit.

Eugenius deponitur à sede apostolica.

Deliberatur, an pontificis electio sit differenda, an festinanda.

Sexaginta dies supersedendum post sedis apostolicæ vacationem.

Johannes Segovius.

Patres de stabilimento. Ingens pestis Basileæ.

hujusmodi curã nõnulli patres, quos de stabilimento appellavere, quorum postea in longũ tẽpus potestas duravit. Cumq; jam steriles exureret Syrius agros, omnesq; arerent herbæ, latius undiq; grassata est pestis, & fervescens dietim morbus, incredibile est quantas animas orco demiserit: horribile visu erat, horatim funera per vicos exportari, semperq; aut dominicum corpus, aut unctionis extremæ sacramentum, in viarũ compitis esse: & ubiq; planctum, ubique gemitum exaudiri: nulla expers luctus in tota urbe domus patebat, nullibi aut risus cerni, aut jocus poterat: illic matronæ viros, illic viri uxores deflebant. Ibat per urbem omnem uterq; sexus: & illi natos, illi parentes: alii fratres, alii amicos desiderabant. Ut tamen pavidior quisq; fuit, sic alter alterũ sermone vitabat. Et alii quidem domi manebant: alii vero per urbem euntes, narium & oris spiracula, captatis adversus pestẽ odoribus, claudebant. Cadebat sine numero urbana plebecula: utq; in primo autumni frigore sylvarum folia concidunt, sic juventutis corpora expirabant. Tantaq; morbi vis fuit, ut aliquem nunc in platea lætum & validum cernens, post horã decimã humatum fore audires. Jamq; tot erant morientium funera, ut sepulturæ loca deforent. Quapropter exaratis omnibus cœmiteriis, foveas in parochiis peramplas fecerunt, ubi pluribus cogestis cadaveribus, terrã superinduxerunt. Quam ob causã ita exterriti patres erant, ut nullus jam in eorum facie sanguis rubesceret. Permaxime tamen inopina, & subita mors Ludovici protonotarii cunctos exterruit, quem (sicuti supra retulimus) virum robustũ, ætate florentem, & utriusq; juris scientia eminentissimum, paucissimis horis invidiosus oppressit morbus. Cecidit & paulo post Ludovicus Patriarcha Aquileiensis, vir grandævus, & in adversitatibus enutritus, nec quem optaverat, diem electionis Papæ potuit cernere. In eo tamen partem cõsolationis recepit: quoniã prius depositũ Gabrielem vidit, quàm moreretur. Lætusq; (ut ante prædixit) tale nuntiũ in orbẽ portavit aliũ: hic septem diebus ægrotavit: & (ut quidã volunt) incuria magis sua, quàm vi morbi defunctus est. Fuitq; ejus obitus omnibus patribus amarissimus. Jamq; duas Concilii columnas prostratas esse dicebãt, protonotariũ & patriarchã: quoniã jure alter, facto alter veritatem synodi defendissent. Delatus est hic feretro super cervices hominũ patriarchali habitu vestitus, faciem ostentans similẽ dormienti, usq; ad Carthusiã, quem omnis patrũ lacrymans secuta est turba: ibiq; ante altare sepultus jacet. Per idẽ tẽporis diem clausit in terra Suitzerorum vir summa doctrina, Eleemosynarius regis Arragonum: in Argentina paulo post Ebronensis episcopus: In Spira, abbas Vergiliacensis: & inter Budã ac Viennã Austriæ Johannes Lubecensis episcopus. Sed ii ultimi etiã illud cõmemorandum in morte gesserunt: Namq; ubi adesse migrationis horã sensere, cõpluribus ad se viris gravibus accersitis, corã ipso Christi corpore, quem statim sumpturi, & ante cujus tribunal intra paucas horas cõpariturí erãt, vos omnes qui adestis, dixerunt, orate deũ, ut illos cõvertat, qui Gabrielem pro summo pontifice recognoscunt: quia in eo statu salvari nõ possunt; seq; in fide Basiliensis Concilii morituros professi, absq; ulla excusatione, dormientibus similes, ad dominum migraverunt. In Bohemia quoq; legatus sacri Cõcilii, Cõstãtiensis episcopus, virtutis exemplar decessit. Eratq; & intra Cõciliũ & extra ubiq; timor & tremor. Fuerat in Cõcilio per plures annos Abbas de Dona, Cumanæ diœcesis, vir mundo pauper, deo autẽ dives: quẽ nec preces ullæ, neq; minæ ullæ unquã à recto proposito flexerunt: mendicareque pòtius in veritate patrum voluit, quàm in mendacio æmulorum abundare. Quapropter diffisis dominis, qui sibi victum præbebant in peste permansit: qua etiã ipse tactus, migravit ad patres, unamq; tantum vaccam testatus, suo monasterio legavit. Ex camera Arelaten. percussus Henricus capellanus, triduo expiravit. Ex officio scriptorum bullarum octo defuncti sunt: inter quos etiã vir summa bonitate Arnoldus Kempenich, tunc rescribendarius decessit. Ex scriptoribus sacræ pœnitentiariæ, aut totidem, aut plures ceciderunt. Omnisq; ordo patrum confossus fuit. Ex doctoribus magnus defecit numerus. Qui vero ægritudinem incidebant, admodum pauci liberabantur: unus tamen inter alios Æneas Sylvius Senensis, morbo percussus, divina adjutus evasit gratia. Hic enim sepulto amico suo Juliano Romano, quem tenerè adamavit, sequenti nocte ulcus persensit, triduoq; morti vicinus jacuit, desperantibusq; domesticis suis inunctus est, totaq; urbe ab amicis pro mortuo deploratus: ut tamen divinæ pietati collibuit, spacium vitæ longioris recepit. Sed heu rerum humanarum instabilis ordo, heu fallax promissio mundi, Æneas, qui suo in corpore mori non potuit, in alieno est mortuus. Parvo namq; post tempore ex Tridento rediens Johãnẽ Pinanũ ex Rothomagẽsi civitate oriundum, venenosã febre & incuria medicorum extinctum reperit: quo nuntio ita turbatus fuit, & ita mente alienatus, ut animæ suæ dimidium sibi subtractũ esse ostenderit: neq; deinceps ille sibi ad res conciliares ardor, aut ad literarum studia vigor mãserit, vixq; animulã qua nunc spirat, retinuisse se diceret. Fuit autem Johannes honestis parentibus natus, literis ingenuis eruditus, experientia rerum perdoctus, ingenio vigil, & animo vastus: apud Cardinalem Arelatensem literas primus obsignabat. In re Cõciliari, sic diligens, & expertus erat, ut eum inter primos locent, quorum obitus sacro Cõcilio onerosi fuerunt. Cum Ænea vero nõ tantum socius, sed alter Æneas erat. Ferenda tamen fuit omnibus illa fortuna:

Moritur Ludovicus protonotarius. Moritur Ludovicus Patriarcha Aquileiensis.

Mortui aliquot Concilii patres.

Morientium exhortatio. Hic vides insignem optimi facti conscientiam. Philibertus Constantiensis episcopus moritur. Abbas de Dona, verus hic abbas fortior te Ænea.

Author libri liberatur à morbo.

Johannes Pinanus moritur.

tuna: nec quisquam impune præteriit,quin aut suum,aut alterius indoluerit casum. Illis autē diebus quibus fervidior erat pestis, quibusq; dieti plus quàm centum apparebant funera, magnæ apud Arelatensē habitæ preces sunt,ut vicinum aliquod in rus secederet: eratq; omnium domesticorum, aut familiarium ejus vox eadē: Quid agis spectate pater? fuge hunc saltem lunæ defectum,salva tuum caput, quo salvo,salvamur omnes,quo etiā pereunte, omnes perimus: quòd si te pestis opprimat,ad quem confugiemus? quis nos reget, quis ductor hujus fidelis exercitus erit? Jam tuam cameram irrepsit virus,jam secretarius tuus, jamq; cubicularius tuus mortem obiit. Considera discrimen,& salva teipsum,& nos. Sed neq; illum preces, neq; domesticorum funera flectere potuerunt, volentem potius cum vitæ periculo salvare Concilium,quàm cum periculo Concilii salvare vitam. Sciebat enim,quoniam se recedente, pauci remansissent, facileq; committi fraus in ejus absentia potuisset Quocirca sicut in re bellica milites omnia discrimina subeunt,cum medios inter hostes imperatorem conspiciunt, sic patres Concilii postem erubuerunt fugere,cum præsidentē in eodem periculo secum permanere viderunt. Quæ res opinionem illorum evertit,qui patres in Basilea cōmorantes, non fidei veritatem,sed propria quærere commoda garriebant: nullum est in terra commodum, quod permutare cum vita mortales soleant: Illā namq; qui mundo serviunt, omnibus rebus anteponunt: & illi quidem (ut est in Cicerone) nihil habentes in vita jucundius, vita, ducere vitā cum virtute nō possunt. Hi autem nostri murum inexpugnabilem pro domo dei se exhibentes,superatis omnibus, quas Gabriel struxit, insidiis: superatis etiā difficultatibus, quas sterilis annus produxit: ad extremum quoq; vivendi cupiditate posthabita,periculum superavere,veritatēq; sacri Concilii usq; in hoc tempus incōmutabilibus animis defendere non dubitarunt. Transactis autem post depositionem Gabrielis,diebus decreti,visum est patribus ad electionem pontificis intendendum,habitisq; inter primates de modo procedendi sermonibus, avisatum est,& tandem in deputationibus & in plenaria cōgregatione cōclusum,duos & triginta patres, ex corpore Concilii assumi debere, omnes in diaconatus ordine constitutos, qui suscepti jurejurando per sanctā synodum ordinato, unà cum Cardinali Arelatensi intrantes cōclave,Romanum papā eligerent. Deputationi tamen,cui de communibus nomen est, soli quatuor & viginti ad celebrandā electionem, recipiendi cum Cardinali videbantur, eosq; in sacerdotio requirebat. Obtinuit tamen (ut semper fit) quod tribus placuit: qua propter decretum super ea re factum est. Interea domus cōclavis sine intermissione parabatur. Qua perfecta ad nominationem XXXII. qui cum Cardinali Papā eligerent,circa ipsum Octobris principium ventum est: fuitq; res primo ingressu apprime difficilis: & aliis quidem uno, aliis alio modo nominare electores placebat. Aperuit tamen deniq; Guilielmus archidiaconus Metensis, vir & naturali sensu, & acquisito memorabilis, cujusq; supra in relatione processus papæ meminimus viam unam,quæ primo per deputationem fidei approbata, & per alios rejecta, ab omnibus tandem maturius pensantibus, recepta est. Aiebat enim gravissimus ille doctor, tres esse in Concilio patres, quibus res ista committi posset, quorumq; fidem totum Concilium crederet sequuturum: Tres autem viros hos fore dicebat,Thomam abbatem de Dunduno, ordinis Cisterciensis, dioecesis Candidæ casæ, vulgo de Græcia nuncupatum: Johannem de Segovia, archidiaconum de villa Vissosa in ecclesia Onetensi, ac Thomam de Corcellis canonicum Ambianensem, in sacra theologia magistros. Quibus sobrie laudatis, quoniā vice virtutis essent,hos primū tres fore ex electoribus Romani pontificis,statuebat: iis quoq; committi electionem reliquorum novem & viginti, quos clàm omnibus inter se nominarent, nec ante diem publicarent, quæ introitum conclavis immediate foret præcessura. Quare in deputatione fidei approbata missi ad alios deputationes, fuit Franciscus de Fuxe, Theologus, ac Æneas Senensis, qui rem aliis suaderent, sed suspicantibus aliis fraudem esse, frustra omnis suasio fuit. Quoniam tamen nulla per alios expeditior aut securior via demonstrabatur, stetit deputatio fidei semper in sententia: Interjectisq; nonnullis diebus, iterum Franciscum atq; Æneam prædictos ad deputationes alias destinavit: eo addito, ut si placeret deputationibus aliis virū alium sibi tres patres coassumerent. Hoc autem ideo factū est, ne maxima omnium Germanica natio nullum se inter tres viros habuisse cōqueri posset. Abbatem namq; illum de Scotia videri potius Gallicum,quàm Germanū nonnulli submurmurabāt,fuisseq; in hoc tam grandi negotio nō insularem, sed mediterraneum hominem, qui alios nosset,assumendum,quæ adjectio animos fere omnium placavit. Ac post multas rei discussiones,in hac sententia cōsonatum est. Nominati & electi sunt tres viri supradicti pro tribus ex electoribus Romani episcopi: hisq; plenaria facultas commissa est, eligendi si vellent & assumendi secum unum, duos, aut tres alios, prout eis videretur: qui assumpti & electi, similem & eandem secum potestatem haberent,facultate, mandato, vice, & authoritate sacri Concilii nominandi, & eligendi restantes electores ipsius futuri summi pontificis, & etiam alios officiales pro conclavi necessarios: ita quòd nullus per eos eligendus, aut nominandus, electus, & nominatus censeretur,nisi à majori parte ipsorum eligentium nominatus, ele-

D 3 ctusque

Constantia summa, adamantinaque fortitudo Arelatensis.

Constantia etiam aliorum patrum. Insidiæ Eugenii.

Proceditur ad electionem novi pontificis.

Numerus eligentium papam.

Guilielmus archidiaconus Metensis.

Franciscus de Fuxe.

Delecti triumviri. Datur facultas eligendi electores.

ctusq; foret. Injunctumq; eis est,ut reciperent & nominarent ipsos restantes electores,ex toto corpore Concilii,habendo respectũ ad nationes,& deputationes in Concilio existẽtes,quantũ fieri posset. Receptũq; à præfatis tribus juramentũ est,quo stricti sunt,viros idoneos & timorem dei habentes nominare, electosq; per ipsos usq; ad publicationem eorundem in generali congregatione aut jussione,jussu Concilii faciendã,nemini revelare: sed ipsam electionem,sic per eos celebrandã sub eorũ sigillis in loco securo,& sub fida custodia,usq; ad ipsã diem publicationis tenere. Quæ res tertio Idus Octobris in generali congregatione peracta est, mirumq; omnibus visum est,ac miraculo simile,rem tantã,tam necessariã, tamq; optatã tribus duntaxat viris potuisse committi: fecit tamen omnia virtus,omnemq; fraudis suspitionẽ probata triumvirorũ bonitas procul extrusit. Re aũt hac conclusa, videbatur Cardinalis Arelatensis præter opinionem omniũ expeditionem differre. Et alii quidẽ (ut est multitudo ad detrahendum prona) eam mordebant, alii contra ipsius intentionem properari electionem studebant. Quam rem (ut ille intellexit) præter consuetudinẽ suam, quem nũquam hactenus maledicta curare perpendimus,hujusmodi rerum querimoniã deputationibus fecit: tantumq; dicendo effecit, ut se penitus expurgato, eos qui sibi detraxerant, in odium ac cõtemptum adduxerit, fidemq; erga Concilium suã probatiorem reddiderit. Dumq; ista geruntur, jam fama in orbem ierat,cessasse apud Basilienses pestem,electionemq; Papæ accelerari. Quapropter ad spectaculum tantæ rei ex diversis regionibus complurimi advolarunt, inter quos etiã pleriq; insignes prælati profecti sunt. Cumq; jam plenius solito Concilium esset, & omnes fere rediissent,quos pestis fugaverat, volentes tres viri commissionem per Concilium factam exequi,coassumpto sibi Christanno de Gregregino,præposito ecclesiæ sancti Petri, in Brumia Olomucen. diœcesis, ex umbilico nationis Germanicæ oriundo, in Theologia magistro, & recti judicii, & constantis animi viro, quinto Calendas Novembris, in domo fratrum Minorum convenientes, nominationem sibi commissam peregerunt, eamque juxta mandatum Concilii obsignatam custodiverunt. Prius tamen quàm id ageretur, viros expertos ex singulis nationibus in colloquiis habuerunt, quorum relatu, & mores hominum persenserunt, & qualis quisque in sua patria haberetur, subtili indagine didicerunt. Complures quoque ad eos suopte ingenio decurrebant, quibus vel laudare amicum, vel reprobare inimicum studio fuit, quos illi veritatis cupidi, & ne in tanta re fallerentur, anxii, libenter audiebant: nullumque eos in sacro Concilio perpetratum latuit malum, & multa etiam foris acta senserunt. Quo fit ut nullum magis hodie de moribus hominum, quàm triumvirale judicium expectetur: hi ergo quarto Calendas Novembis ex jussu Concilii relaturi quid egerant, in congregationem venerunt, quo loci jam omnes (ut aiunt) incorporatorum cœtus confluxerant, nec illa die ex his qui poterant quisquam defuit. Et quoniam nulli unquam tres viri se aperuerant, quanto secretior res erat, tanto desideratior omnibus videbatur. Confabulari autem omnes invicem, multa de tribus viris dicere, multa etiam de nominatione vaticinari, & alii istum, & alii illum electorem futurum contendere: & ut affectio, & veri similitudo trahebat, quemque sic ratiocinari. Quia tamen nihil certi habebant, mira omnibus erat aùdiendi cupiditas. Et alii quidem festivas induerunt vestes, alii servitores novos conduxerant, alii etiam domum amicis commendaverant, qui se futuros in numero electorum arbitrabantur: fit enim nescio quo modo, ut se quisque supra virtutem æstimet suam, quorum ambitio magis postea irridetur, quàm impleatur. Cardinalis autem Arelatensis in tanta re anxius, & pluribus occupatus negotiis, aliquanto tardius venit, quàm tempus exegit, expectationemque sui non sine admiratione omnibus præbuit: qui tamen ut ad subsellia resedit, mora sua primitus excusata, hodie, inquit, magna res agitur, in nominatione quæ statim aperietur, status ecclesiæ pendet: si tres viri, quibus rem commisistis, bene egerint, fateor quippe tardiuscule me venisse: si autem male, nimis cito assum. Quæ verba & trementi voce, & ore pallido, atq; ex abundantia cordis pronuntiavit: qui sic locutus, aspectu tristis, animo turbatus, & oculis minax cunctis terrori erat: tantumq; mentis mœrorem ostendit, ut plurimi conlachrymati sint, qui ejus in fronte statum suum cõdiscũt. Verebatur namq; optimus ille pater,ne tres viri,spretis majoribus prælatis,plures ex inferioribus accepissent: quæ res eo erat suspectior,quoniã nunquã scire aliquid de mente triũvirorum potuerat: qui ut corrugatam tunc Cardinalis frontẽ inspexerunt, quasi post coruscantem aerem ad sustinendam procellam se paraverunt. Timor tamen omnibus fuit, ne illo iterum die scinderetur ecclesia, periculosiorq; illo tumultus formidabatur, quem loci aliàs electio peperit. Jam enim ut quisq; mente conceperat, sic aut laudationi, aut vituperationi triumvirorum, se accingebant. Quibus cognitis, visum est tribus viris, ante aperturam tabularum, parumper sermocinari, & animos audientium prius placare,quàm læderentur,nominationisque suæ tunc causas aperire, cum audiri possent: scientes quia post vulnus inflictum nemo benignus est auditor. Locutus pauca prius est abbas Scotus triumvir, & post eum Johannes Segovius. Ut igitur nulli se spretos crederẽt,qui forent omissi,præfatiunculã istiusmodi

Triumvirorum laus.

Purgat se Arelatensis.

Christannus præpositus Brumiensis. Nominantur à Triumviris electores.

Vide quomodo affectus Arelatensis.

di præmiserunt: cogitatum se maximum habuisse,quos viros intra conclave reciperent,quosq; extra dimitterẽt,opusq; sibi visum fuisse non minus extra,quàm intus viros habere sensatos, qui & conclave tuerentur, & fieri novitates in synodo prohiberent: idq; ex Platonis summi philosophi præceptis se didicisse, qui rectores civitatum sic curare totum reipublicæ corpus jubet,ne dum partem aliquã tueantur,reliquas deserãt: quæ res eos etiã commonuerit,electores quoq; sic per provincias nominare, ne honoratæ aliæ, neglectæ aliæ viderentur: In electis vero magnã curã habuisse, ne vel episcopum sine plebe,vel abbatem sine monasterio sumerent: In omnibus autem per se nominatis, aut bonitatẽ singularem, aut nobilitatem cum bonitate, aut summã scientiã cum bonitate, & nobilitate se invenisse: & in episcopis quidem cum Cardinali,qui episcopus esset,numerum esse apostolis æquatum: Abbates septem,Theologos quinq; inter luminatos, ac doctores novem: omnes autem in presbyteratus ordine constitutos. Alios quoq; officiales à se nominatos, & dignitatibus esse, & virtutibus insignitos. Vicecamerarium quidẽ unum: custodes cõclavis octo: cæremoniarum clericos duos: promotores duos: procuratorẽ fiscalem unum: Soldanum unum: quam circa nominationem habuisse se,& ad deputationes,ut injunctum sibi fuerat,oculum. Quibus dictis aliquantisper multitudinem placaverunt, factoq; miro inter omnes silentio, apertæ sunt nominationis tabulæ, quas Johannes Segovius legit,fuitq; omissus in illis nationum ordo: onerosum enim triumviris putatum est nationem nationi præferre. Ideoq; ut quisq; prior, aut prælatura,aut dignitate fuit, sic prius est nominatus. Ego autem nequaquam timebo nationum servare ordinem, qui Constantiæ fuit servatus,nec mihi invidiã timeo, quia nec præpositis gratiã, nec postpositis injuriã faciam, ordinem namq; istum, neq; nobilitas, neq; majoritas, sed tempus peperit: quia ut quæq; natio verbum dei prius suscepit, sic prior habetur, nec aut laudi est mihi, aut vituperio,dummodo Christianus sim,majorum meorum,vel matutina,vel vespertina conversio: nec plus habet in Evangelio,qui mane ad vineã venit, quàm qui vesperi. Nationem tamen Italicã etiã sedes beati Petri, & Romanum imperium facit priorem: servabimus ergo ordinem nationum, facilioremq; legentibus præstabimus intellectum. Illud tamen prius sciendum est Cardinalem Arelatensem, non nominationis triumviralis gratia, sed jure proprio ad electionem venisse. Ideoque primum eum extra nationum ordinem pono, eundemque locum cæteri Cardinales habuissent,si qui aut reintegrati ecclesiæ,aut Eugeniana labe minime commaculati in tempore advenissent. Primus itaq; omnium electorum, Cardinalis fuit Arelatensis, vir & constantiæ insuperabilis, & prudentiæ incomparabilis, cujus virtuti haud ascribere titubaverim, quæcunq; in Concilio gesta sunt, quia nec sine illo prælati perseverassent, nec alicujus principis umbra protexisset. Sed pergo ad nominationem. Ex Italica natione recepti sunt episcopi,Gulielmus Vercellensis, vir & in Concilio notus, & in patria dilectus,& origine quidem Gallicus, dignitate vero Italicus, & in quo prædecessoris odor sui Eusebii adhuc spirat: Georgius Augustensis ex clarissima Salutiarum familia genus ducens, ac non solum sanguine, sed animi quoq; generositate, & virtutibus nobilis: Johannes Eporgiensis, & literis, & probitate clarus, ac senilem prudentiam in ætate adhuc juvenili ostendens. Ludovicus Taurinensis, claris ortus parentibus, & scientia juris eminens, & moribus ubique honestis excultus. Abbates Aleranius sancti Benigni Eructuariensis, vir tam moribus, quàm ætate gravissimus, cui ex nobilissima domo de Carrecto origo est, quæ tantæ olim sublimitatis fuit, ut imperatores quoque habere meruerit. Et huic quidem germanus est Matthæus Albigaunensis episcopus, cujus in omni re prudentiam per plures annos sacrum Concilium demiratum est. Et horum sane, qui alterum videt, utrumque videt: sic est uterque, & habitu corporis, & vivendi consuetudine assimilis. Jacobus de Secusia, & annis & prudentia antiquus. Doctores, frater Johannes de monte Comito, præceptor domus sancti Antonii de Roversio, cujus in toto ordine sancti Antonii magna existimatio est, quique post magnum abbatem secundus habetur, & hic in Italia beneficium habet,in Gallia parentes. Frater Bartholomæus de Proavis,præceptor domus de Clavacro ejusdem ordinis,vir bonitate non minus, quàm doctrina amabilis: cumq; iis viris ad eligendum Romanum pontificẽ Italicorum natio est admissa. Ex natione Gallica, quæ & ipsa secunda est, cujusq; in ecclesiam dei per maxima extant beneficia, nominati sunt ex archipontificali dignitate, Johannes Tarantasiensis, vir vita præstans, & omnis inimicus ambitionis,quiq; invitus ad tantam dignitatem vocatus fuit. Ex pontificali Franciscus Sebensis antiquus Romanæ curiæ officialis,vir ut parvi eloquii,sic magnæ intelligentiæ,& cujus judiciũ in omni re ardua sit præponendum. Bernardus Aquẽsis,jurisconsultus admodum oculatus,subtilisq;: quia tamen ob notissima corporis impedimenta, infestãq; sibi podagrã, hic se excusavit, Ludovicus Massyliensis in ejus locum suffectus est,vir animo vastus, & ab omni simulatione alienus: quem talem puta,qualem audis,nusquã fallax,nusquã deceptor: & hic sententiã in Gabrielem latam publice legit, cum ille ex Romano dejectus pontificio fuit. Ex Abbatiali Raimundus Conchensis, scientiam juris pontificii apprime callens, multaq; in rebus conciliaribus experentia

Præfatiuncula triumvirorum.

Platonis sententia.

Numerus electorum, & quales, ex quoq; ordine.

Electores.

Itali.

Galli.

perientia tritus: quiq; pro sancta synodo compluribus legationibus functus est. Ex gradu theologico Nicolaus Tibout Normannus, vir quondam negotiosæ, nunc autem nimium senescens otiosæ virtutis: Johannes de valle Brito, & patriam virtutem & ingenium ostendens: Thomas vero Corcellis triumvir fuit. Ex jurisconsultis Guilielmus Hugonis archidiaconus Metensis, vir nec prudentia ulli prædictorū nec scientia inferior. Hi omnes cum Cardinali Arelatensi ex tota Gallia ad electionem Romani Papæ vocati sunt. Ex natione Germanica, quæ omnium est amplissima, recepti sunt ex episcopali præeminentia, Fredericus Basiliensis, nobilitate generis, & humanitate in omnes eximius. Ex Abbatiali, Conradus de Luzella Cistertiensis ordinis, vir, ut monachum decet, & à pompa seculi, & ab omni superbia remotus, ac Thomas de Scotia triumvir. Ex doctorali, Detzelaus archidiaconus Cracoviensis, Polonus genere, conversatione vero suavis & doctus. Johannes Wyler, decanus Basiliensis, vir mansuetus, & sciens plura quàm prædictus. Henricus de Judæis in splendida urbe Coloniensi natus, humanitate ac doctrina patriam redolens. Jacobus de Saltzburga, canonicus Ratisponensis, vir neque precibus, neque minis commutabilis. Christannus autem (ut supra diximus) jam in consortio triumvirorum erat assumptus. Ex natione Hispanica, quæ & ipsa vastissimos habet ac pernobiles campos, quatuor Christianis regibus, & uno infideli regnata, hi sunt ad electionem magni pastoris accersiti. Pontifices octo, Dertusensis, consilii utilis, & animi stabilis, totaque conversatione perlepidus, hic in ea sessione qua lata est in Gabrielem depositionis sententia, præsedit: nec post, quamvis plurimi pestem fugerent, de recessu habuit mentionem: fidus semper & Arelatensis comes, & ecclesiæ filius, Georgius Vicensis summa doctrina, & gravitate, quo nemo pluribus, nemoq; gravioribus apud principes Concilii causa legationibus usus est, quas cum magnis vitæ periculis, magnisque peregit sumptibus, qui etiam illud singulare fecit: Is enim ut vidit principes Gabrielis causam tueri, & Oratoribus suis præfinita loqui, præcipere Eugenianis, legatione regis sui, quam tunc apud Synodum gerebat, se abdicavit, ne cum aliis principum nuntiis dicere adversus conscientiam cogeretur. Quod si alii fecissent episcopi, nequaquàm authoritatem ecclesiæ principes, cum sua neutralitate parvi pendissent: sed omnium malorum quæ in ecclesiam irruerunt, partem maximam ipsimet induxerunt sacerdotes. Ludovicus Visensis, vir & amicus amico, & conversatione perplacidus, hic Orator Johannis Portugaliæ regis præstantissimi in Concilio fuit, quo vita functo etiam in Concilio mansit. Tribusque ipsius in Concilii honorificentissimis legationibus functus est. Ivit ad Græciam cum viro prudentissimo Ludovico Lausanensi, quem & viarum, & periculi, & honoris habuit comitem. Ivit Coloniam & ad ducem Burgundiæ potentissimum collega Ludovici protonotarii: & ambo quidem in reditu per quendam ex Comitibus Palatinis Rheni capti sunt, & jussu Gabrielis in custodiam mancipati. Qua in re virum se priscæ virtutis Visensis ostendit. Namq; cum libertas sibi abeundi dimisso collega fieret, nunquàm se inquit carceres egressurum, nisi cum socio. Ivit & in eas Galliæ partes, quibus Britannia hodie nomen est, ducisque illius excellentissimi animum ad Concilium flexit. Abbates recepti sunt Petrus sancti Cucuphatis, vir solers & monasteriorum gubernationi aptissimus, ac Antonius Arularis, & aspectu, & alloquio gratus. Doctores, Bernardus Buscho, Canonicus Ilarden. judicii non minus recti, quàm firmi, Et Raimundus Albioli, Canonicus Tirasonen. sensum habens, & mores ætati convenientissimos: Johannes quoque Segovius triumvir ex hac natione electioni interfuit. Hi quoque ex quatuor nationibus nominati ad eligendum Papam fuerunt. Anglici vero idcirco recepti non sunt, quia non aderant, nec alii assumi poterant quàm præsentes: officiales autem circa conclave necessarii vocati sunt. Ludovicus episcopus Lausanen. vicecamerarius, vir summi exercitii, summæq; vigilantiæ, & ad officium sibi commissum non solum aptus, sed necessarius: cujus in negotiis singulis diligentia, in sacro Concilio, & in omnibus rebus bonitas in tota Christianitate perspecta est, Custodes conclavis Porcenallus Bellicen. episcopus, non minus re bonus quàm aspectu; Nicolaus Grossetanus genere nobilis & fidelitate insignis, quem & pro servitio ecclesiæ, & pro defensione fidei spoliari beneficiis non piguit, veritatem cum paupertate, quàm mendacium cum divitiis eligentem. Johannes sancti Michaelis de Clausa Thaurinen. diœcesis, præstanti ingenio, Et Franciscus Abundantiæ, tam scientia, & virtute, quàm temporalibus bonis abundans. Monasteriorum abbates, Franciscus de Fuxe, Theologus, professione minor, eloquentia magnus. Guilielmus de Constantia, Canonicus Spiren. antiquus pontificii Juris interpres, Johannes de Turicella, decanus Segobricen. Jurisconsultus, ac Theodoricus Nagel Canonicus Rigen. probitate cognitus. Clerici, gratia Ceremoniarum, Æneas de Piccolominibus Senen. Canonicus Tridentinus, ac Michael Brunout, Canonicus Beluacensis, in eo exercitio longo tempore tritus. Promotores, qui antea in Concilio per plures annos negotia promoverant, viri docti, & constantes, Hugo Gerardi, & Johannes Slitzenrode, procurator fiscalis, qui antea fuerat vir exercitatus, Robertus Magnāi, Soldanus vero Petrus de Atro, qui etiā ab initio nascentis Conci-

Germani.

Johannes Wyler decanus Basiliensis.

Hispani.

Vis & carceres, antiqua Pontificum adversus veritatis assertores arma.

Pro fide & veritate boni spoliati beneficiis à papa.

Clerici Ceremoniarum.

Promotores.

Concilii eo in officio laudabiliter se habuerat. Hi fuerunt viri conscripti ex nominatione triumvirali,qua per Johannem Segovium lecta (ut antea diximus) exhilaratus est Cardinalis animus, qui usq; ad illam horam trepidus, stupidusq; permanserat, nec persuaderi sibi poterat nominationem istiusmodi fieri. Ut autem vidit episcopos, & abbates in magno numero assumptos, & nationes quæ in Concilio erant, æquis portionibus honoratos, & animi simul vigorem,& frontis recepit colorem. Factusq; lætus sereno vultu concionem quoq; exhilaravit, quæ illo mœstitiam ostendente, non tristis esse non poterat. Habuit ergo Cardinalis de nominatione facta magnifica verba, triumq; patrum virtutem magnopere commẽdavit,qui & in Concilio se semper bene habuissent,& nunc optime: posteaq; concionem dimisit: Eaque die occupati omnes fuerunt, ad præparandos in conclavi necessarios convictus. Serò autem singuli electores ad Cardinalis domum vocati, de cameris dividendis, intra conclave sermonem intra se habuerunt. Et quoniã camerarum magna differentia erat, videbatur prælatis divisionem secundum dignitates fiendam: atq; ut quisq; dignior & antiquior esset, sic prior locum sibi assumeret. Nec ferendum esse dicebant, ut Cardinalis, & archiepiscopus cum doctoribus veniret ad sortem: quo casu ridiculum esset, si Cardinalem infra, & doctorem supra locari contingeret. Cumq; prælati essent numero plures, omnesq; uno ore loquerentur, desperata res videbatur de sortibus cogitare: utcũq; tamen res iret, visum doctoribus est, etiã pro se verba facere. Dicebant igitur priscas consuetudines non debere rescindi: in omni conclavi observatum, ut cameræ per sortem dividerentur, neque id inter Cardinales tantum,sed etiã inter Cardinales & alios fuisse: Constantiæ Cardinales admodũ multos, non tamen respuisse cum episcopis & doctoribus sortem subire. Prælatos autem nimium sibi ipsis favere: qui cum essent numero plures,sententiã magis vocibus, quàm rationibus obtinerent: si sine sorte fiat electio camerarum, timendam esse collusionem, inter electores quòq; timendum schisma,ne stantes infra, & rigentes frigore, locatis supra invideant. Quibus rationibus Cardinalis evictus, in sententiam doctorum consensit: ac post eum vir bonus episcopus Dertusensis prophetatus est. Si quis enim est (ait) cui nocitura sors sit, ego ille sum,quem ultimum sors efficiet: ne tamen aut priscas consuetudines evertamus,aut invidiosi doctoribus simus,utilius puto rem sortibus transigi, ejusq; in sententiam conclusum est. Eademq; ipsa hora missi sunt ad conclave, ex omni statu electorum, cum Cardinali Arelatensi,qui sortes super cameras ex consilio vicecamerarii jacerent. Scripta igitur sunt electorum nomina singulatim per schedulas: quæ omnes clausæ ac permixtæ, in quodam birreto reconditæ sunt: atque exinde ad primam, digrioremq; cameram ventum est, ubi tunc Cardinalis Arelatensis manum jaciens in birretum, schedulam quæ sibi sorte obvenit recipiens, legit: eamque vicecamerarius in fronte ipsius cameræ confixit: sicque successive per ordinem factum est, ut intraturi sequenti die electores conclave, eam sibi cellam noscerent assignatã, ubi suo nomini obviarent: fuitq; primus omnium decanus Basiliensis,ultimus verò (ut vaticinatus extiterat) Dertusensis episcopus. Miraq; in re hac distributio sortis fuit, aut potius divina dispensatio, quæ consilia hominum reprobans, doctorem primum, episcopum autem postremum fecit, cum statuissent ante prælati cellulas sibi digniores ascribere: id tamen in utroque bonitatis est visum, ut neque decanus ex primo loco superbierit, neque ex ultimo Dertusensis episcopus condoluerit: sed illum indigne se credere, istum digne locatum humilitas faciebat. Sequenti autem die, quæ fuit Veneris. III. Calendas Novembris, habita est generalis congregatio, conclusæque sunt proximarum deputationum deliberationes. Sessioque mox secuta est, divina autem officia Cardinalis Arelatensis celebravit, quo nemo ceremonias novit melius. Sermonem autem ad electores post Evangelium decantatum, Marcus insignis memoriæ Theologus habuit, qui enumeratis depositi Gabrielis criminibus, suadere electoribus nitebatur, ut virum assumerent, qui contraria imitaretur prioribus, quique omnia evitans Gabrielis vitia, ut ille calumniis odiosus fuit, sic se iste assũmendus justitia præstaret acceptum: & ut ille rapax, sic iste continens esse studeret. Erat templum ubique populo plenum: stabant inter columnas superiores nobiles urbis matronæ, respectumque in concionem habentes, ordinem rerum non sine devotione considerabant. Aderat Johannes de Tierstein Comes, qui loco imperialis protectoris, cathedram adimplebat. Aderat consulatus urbanus, & alii complures nobiles, rem insolitam conspecturi: servabaturque inter omnes silentium: extra ecclesiam quoque cives in armis erant, si quod scandalum pararetur, prohibituri. Tantusque ad spectaculum ejus rei confluxerat populus, ut neque in templo, neque in plateis recipi posset, magnaque undique intra ecclesiam haberetur pressura. Ut igitur Cardinalis Arelatensis intra missarum solennia communicasset, vocati sunt ad altare communicaturi, etiam secundum ordinem, electores. Tumq; archiepiscopus Tarantasiensis, & decem alii episcopi communicarunt: post autem septem abbates, exinde quinque Theologi, ac demum jurisconsulti novem, qui accedentes altare genibus flexis, & lachrymis ubertim fusis, sacratissimæ susceperunt eucharistiæ sacramentum.

Recipit animum Arelatensis.

De cameris dividendis.

Vaticinatur Dertusensis.

Johannes Wiler.

Sermo ad electores.

Crimina Eugenii narrantur.

Johannes de Tierstein Comes Basiliensis senatus.

Communicant electores.

Vide Concilii egregium tractum, nempe piorum exmimium.

Eratq; venerandum spectaculum, tot eximios antistites, totq; præclaros patres, nudam ante dominicum sacramentū ostentantes canitiem cernere,& alios quidem orantes, alios vero illachrymantes conspicere. Devotionem autem maxime Cardinalis adaugebat, qui pontificalibus indutus vestibus,nudato & calvo capite,dominicum corpus quibusq; ministrabat,confessionemq; in re tali solitā singulis repetebat, ac secutus piissima salvatoris domini nostri Jesu Christi vestigia, quemlibet deosculabatur: hortatus plurimum, ut quàm quisq; posset, purā anima susciperet dominum. Quam rem sic ordinate,sic solenniter, sic devote peregit,ut ex videntibus nemo tenuerit lachrymas, nisi qui pectus habuit aut saxeum,aut ferreum. Post hæc finita missā, & congregatione generali peracta, prælati omnes infulas, & vestimenta sessioni accommoda susceperunt. Invocata altis vocibus per omnes patres spiritus sancti gratia, peractisq; litaniis, & orationibus, ac omni solennitate sessionis impleta, Ludovicus episcopus Lausanensis ambonem ascendit,triaq; illicq; per ordinem legit. Primo, responsionem synodalem,ad famosum Gabrielis libellum,cui principium est Moyses. Secundo limitationem quandā circa decretum, de electionibus dudum in synodo editum. Tertio verò nominationem triumviralem, quā ex certa scientia sacrum Concilium approbavit. Quibus lectis,interrogati patres, utrum placeret? Responsum est ab omnibus, placet. Exhinc requisivit Lausanensis jurisjurandi formam ab electoribus præstandam, publice legi, Electoresq; juxta Concilii ordinationem jurare. Primus igitur Cardinalis Arelatensis, aperto Decretorum libro, formā juramenti cunctis audientibus legit, moxq; requisitus, ut ita juraret, Ego (inquit) reverendissimi patres corā domino meo Jesu Christo, cujus modo sacratissimum corpus indignus peccator manducavi, cuiq; in tremendo & magno finali judicio de omnibus per me factis, rationem sum redditurus promitto, juro,& voveo,quoniam in hoc electionis negotio,ad quod nunc volente Concilio mittimur, nil aliud quæram, quàm populi Christiani salutem, & universalis ecclesiæ bonum. Idq; mihi curæ erit studere, ne authoritas generalium Conciliorum vilipendatur, ne fides catholica expugnetur, neve patres in Concilio persistentes opprimi possint: hoc quæram, hoc solicitabo, ad hoc viribus totis incumbam, nihil in hac re, aut mei, aut meorum amicorum causa faciam, sed solum deum, & ecclesiæ suæ utilitatem respiciam: hoc animo, hac mente,hoc deniq; corde conciliare suscipio juramentū. Fuitq; ejus sermo,&,vivax,& terrificus,omniumq; astantium commovit animos. Post eum autem electores alii suo ordine juraverunt. Quæ res electioni post factæ maximam præbuit authoritatem. Quis enim nō illum summo pontificio dignum putet,qui tot sacerdotum episcoporumq; judicio sit cōprobatus? præsertim cum illi, antea suscepto dōinico corpore jusjurādum præstiterint,nullum se electuros,nisi quē sciverint tantæ idōeum dignitati. In eadem etiā sessione,& vicecamerarius,& custodes cōclavis,& clerici ceremoniarum,& promotores jurejurando promiserunt officium suum sine fraude exercere. Quibus peractis oibus,hora jam post meridiem tertia, adhuc populo jejunante cantatum est undiq; Te deum laudamus, & organis respondentibus alternati, usq; ad finem completus est hymnus. Quo facto, egressi sunt pueri in stolis albis admodum multi,longum processionis ordinem facientes,quos secuta pars cleri urbani est. Et post veneranda incorporatorum multitudo cum doctoribus,& universitatum Oratoribus,qui longis honestisq; vestibus orantes incededant. Exinde sacerdotes urbani,excolendas sanctorum reliquias in ulnis gestātes proficiscebantur. Mox vero Ludovicus Lausanensis, crucem argenteā ante se habens, sequentibus quatuor clericis,incedebat. Post vero Cardinalis Arelatensis adhuc & mitra,& auratis refulgens vestibus, devoto & desiderāti populo benedicens. Exinde infulati episcopi & abbates ad processionem ornati,innumerabili populo subsequenti procedebant,sicq; aliis orantibus, aliis suspirantibus, usq; ad ostium conclavis est processū,armatis hinc atq; inde propter custodiā conclavis existentibus. Ut vero ad cōclave ventū est,receptis electoribus dimissi sunt cæteri. Intromissi sunt etiā dōinorum servitores concessi. Non tamen ostium conclavis statim est clausum, sed usq; ad nonā ante medium noctis horam familiaribus patuit, res deferentibus opportunas, permissique usque id temporis sunt āmici ad amicos accedere. Cardinalis autem sic processionaliter ingressus sequentibus electoribus, in sacello quod celebrandis missis paratum erat, ante altare, & ante ipsum Christi vexillum genibus flexis & nudo capite orationibus deo porrectis, & domui & habitatoribus benedixit: sicque positis pluvialibus & mitris, illuc se quisque recepit, ubi nomen suum recognovit. Cum vero jam noctis venissent tenebræ ingressus est protector cum quibusdam civibus,& ut quisque locatus esset, visurus, & voluptatem magnam ex tanto ordine suscipiens: post eum vero intravit Lausanensis vicecamerarius, & ipsum secuti sunt custodes conclavis: aliqui ex iis singulas cameras diligenter rimati, & personarum & rerum examen habuerunt, excussuri extra cōclave, si quid contra leges reperissent, nihilq; præter ordinem invenientes,abierunt. Et hora (ut dictum est) nona, tam intra, quam extra obserata est janua,& undiq; admoti pessuli cum catenis tenacibus. ¶ Sed quoniam de conclavi sermo est, necessarium existimo ipsius formam conscribere. Domus erat in medio urbis,apud plateā cathe-

Juramentum electorum.

Hic respice, quisquis es, ecclesiæ bonum hic quæsitum, oppugnatum alibi.

Processio ad conclave.

Descriptio conclavis.

cathedralis ecclesiæ,loco edito & patenti, quam nobiles quondã in usum struxerãt chorearũ, & supra,& infra perlatas habentem aulas: & superiorem sané, quoniã igne poterat calefieri hyeme, inferiorem æstati deputaverant. Hic igitur conclave haberi posse est visum, ut esset domus orationis, ubi fuerat lasciviæ campus: & succederent mores, ubi vitia triumpharant. Constructæ ergo illic sunt,& supra,& infra mansiunculæ opportunæ,quarum numerus æquatus est electoribus,una superadjuncta,quæ ceremoniarum clericis deserviret. Fuit autem structura earum admodum facilis,nec enim aut saxo, aut robore ligneo parietes instruxerunt medios,sed positis in columnarum morem ex abiete sudibus cortinas simplices, visuq; penetrabiles pro parietibus texuerunt.Camerarum forma plerumq; quadrata fuit,perbrevis tamen,& angusti vix lecti uniusq; mensæ capax: luce autem omnes fere carebant, exceptis admodum paucis,quæ spiracula quædã in angulis conclavis habuerunt. In mediis vero cellulis perpetua mansit obscuritas,nec sine candela aut legere,aut esse potuit quisquã. Noxq; una iis fuit dierum septem: ac cameræ inferiores plus etiã incommodi habuerunt,quia in solo positæ frigidissimo loca piscibus magis,quàm humanis apta corporibus præbuerunt. Quocirca omnes qui eas inhabitaverunt,rheumaticum morbum ex humore nimio contraxerunt,& tanquã alter alterum irrideret, tussientes invicem respondebant,nec illi frigori ullum erat remedium: vestes enim & villosæ pelles magis gravabãt,quàm calefacerent. Ignẽ vero habere loci angustia,nec periculum,nec fumus permittebat. Murus cõclavis & grossus undiq; & altus fuit. Omnesq; fenestræ clausæ fuerunt,parvis admodum foraminibus ad commune lumẽ dimissis. Exterius vero etiã cancelli circa conclave fuerunt: nec appropinquare muros aliquis poterat, nisi armati custodes, qui die,noctuq; intra ipsos cancellos excubabant. In media vero parte ipsius conclavis in modum fenestræ ostiolum fuit,& hoc quidem duabus exterius clavibus, una interius claudebatur. Et illorum quidem alterã vicecamerarius, alterã protector custodivit. Istam vero Cardinalis Arelatensis habuit: nec illi unquam tradidit,nisi ceremoniarum clerico Æneæ,cum aut admittendi cibaria,aut emittendi cœnarum reliquias fuerat tempus: bis namq; ante prandium,& totiens post prandium reserabatur ostiolum. Et bis quidem recipiebantur fercula, bis autem remittebantur fragmenta. Quibus in rebus hic modus observabatur. Erant(ut antea diximus) in conclavi familiares,qui dominis suis electoribus serviebant,doctoribus singuli,prælatis bini: extra vero ut quisq; potuit,sic habuit servitores. Et illi quidem, qui extra remanserunt,cibaria comparabant, quæ horis indictis in lignea capsa depicta, quam cornutã appellant, usq; ad conclavis ostium deferebantur: & ne suspicio veneni esset, degustare tam pocula,quàm cibaria cogebantur. Exinde per custodes conclavis examen fiebat,ne vel litera, vel aliud quidvis præter eorum scitum intromitterentur. Quare omnia in manu vicecamerarii præsentabantur. Et ille extendens ad ostiolum manus præsentabat Æneæ ceremoniarum clerico, cui soli cum socio licebat adhærere fenestræ. Itaq; nec qui extra erant, mandare aliquid in conclave poterant,nisi per vicecamerarium: nec qui intra, dictare aliquid foris, nisi per clericum. Et oportebat omnia alta voce & latina dicere,ut qui protectoris erat interpres, intelligeret quæ mandarentur. Cum vero emittendi reliquias cœnarum hora advenerat, vocabantur per clericum ceremoniarum familiares cum cornutis: qui venientes ad cancellos interiores, ipsi clerico omnia assignabant, & ipse extra fenestrã vicecamerario contradebat: mittebantur etiam extra paropsides, & alia mensarum ornamenta, quæ lavacro indigebant. Et ea etiam perquirebantur, nequid ab intra emitteretur literarum: fueruntque aliquæ deprehensæ, quæ stultitiã magis familiariũ quàm rem proderent. Nonnulli etiam in ipsis vasorum fundis sculpentes literas commovere amicos tentaverunt: sed inventis omnibus, nec grave aliquid, nec quod ab electoribus proveniret compertum est. Ut vero perquisita singula erant, quæ extra mittebantur, quicquid cœnarum supererat, pauperibus Christi dabatur. Qua ex re plus quàm ducenti vitam trahebant. Quocirca cum omnibus longissima videretur conclavis mora, solis hujusmodi pauperibus est visa brevissima. Illud etiam custodes conclavis libenter observabant, ne ad electorum escam diversæ species cibariorum deferrentur. Et oportebat quidem,aut carnibus tantum, aut piscibus vesci: aut si neq; hoc,neq; illud placebat,ovis & caseo. Rursusq; qui carnibus utebatur, una specie contentari debebat: nec qui bovem habuit, uti etiam ove potuit. Id quoq; in piscibus fuit: nec enim cui murena est intromissa,offerri quoq; anguilla potuit. Si quis autem in legẽ commisit, partem alterã in ostio perdidit. Idq; cum prima die familiares incaute commisissent,& dominis suis quasi nuptias celebrantibus dubiã afferrent cœnã, omnes in ostio spoliati sunt, nec plus una specie intromissum est. Quos inter Cracoviensis etiam archidiaconus diminutionem tulit. Cui cum oves & arietinæ carnes afferrentur,subtractæ aviculæ sunt,orante in porta famulo,ut quod plus esset, id domino dimitteretur: sperabat namq; ex ariete partem, ex ovibus autem partem non sperabat: dominus tamen aviculas præoptasset. Ideoq; cum spolium sensit ubiq; conquestus est, publiceq; testatus, nunquam se diem, postquam sacerdos fuit, tulisse pejorem. Ac cum rogaretur,ne admirationem haberet,quoniam id idem obtigisset Cardina-

Domus ad muscam,vulgo Zuder Mucken.

Septem diebus in conclavi mansenrunt electores.

De admittendis cibariis.

Summa diligentia circa conclave.

Æneas Sylvius author hujus operis ceremoniarum clericus erat.

De qualitate & numero cibariorum.

De zelai Cracoviensis Archidiaconi querela.

Cardinali, Proh! (inquit) Cardinalem mihi æquiparas, hominem Gallicum, parcum, eventrem, aut (ut vêrius loquar) non hominem? Ego apud eum meo infortunio sum locatus: omnia quæ facit perlustris mihi cortina indicat, nec adhuc aut bibere eum, aut comedere vidi: & quod mihi molestius est, insomnes noctes insomnesque dies ducit (quanquam nulla est apud nos dies) aut legit semper, aut negotiatur: nulla ei minor quàm ventris est cura, mihi nihil cum eo commune est. Ego Polonus sum, ille Gallicus: mihi ardet, illi friget stomachus: illi sanitas, mihi mors jejunium est. Ego ni multum comedam, & multum dormiam, cito deficiam. Illi è contrario omnia sunt. Jejunent Gallici, & Poloni comedant. Quo dicto, cunctos in risum vertit. Et quoniam de hoc faceto, & hilari homine fecimus mentionem, id quoque non prætereibo. Ea namque infælicitas ejus fuit, ut famulus ejus, qui extra mansit, semper ad ostium veniret ultimus cum cibariis. Ex qua re ortum in ostio proverbium fuerat, ultimum esse qui prior esuriret. Fuit autem hæc lex de cibariis antiquitus aliter instituta. Primis enim tribus diebus nulla erat cibariorum apud veteres limitatio. Quarta die ad unam speciem redigebantur. Nona vero sublatis aliis, solum panis & aqua electoribus tradebatur. Clemens autem uti clementia cupiens, rigorem legis in modum, qui nunc servatur, moderatus est. Id quoq; inter electores servatum extitit. Patentibus namque pransitatum & cœnitatum, ut sic oculis omnium testibus factis luxuriæ modus fieret. Et cibaria quippe inter se missitare non licebat, vinum licebat. Rigidusq; hujusmodi legum non solum observator, sed custos etiam fuit Johannes Segovius, qui non aliter violare alienas leges exhorruit, quàm suas proprias apud Romanos Arrius Restio, de quo illud memoriale fertur, eum foris quoad vixit, postea non cœnasse, ne testis fieret contemptæ legis, quam ipse bono publico pertulisset. Sed (ut eò redeam, quò sum digressus) electores postquam obseratum ostium fuit, ac postquam aliquantisper in suis convenerant mansiunculis, egressi ad visitandum, se invicem sunt, atque ut quisque in sua camera esset, prospiciebant. Quibus in locis non aliter se vicissim recipiebant, ac si ex longa peregrinatione redissent. Eaque visitatione ad magnam noctis partem producta, tandem ad quietem est itum: horaque post medium noctis tertia ad matutinas singuli experrecti sunt: orantesq; usq; ad quintam, exinde missarum officio se tradiderunt, & alii quidem in suis cellulis, alii vero in communibus altaribus celebrabant. Episcopi namq; altaria plerumq; portatilia apud se traduxerant. Clerici vero ceremoniarum diversis in locis intra ipsum conclave tria altaria erexerant, ut possent complurimi celebrare. Ut vero dies illuxit, universi ad communem missam venerunt: qua completa, & decantato hymno quo spiritus sanctus evocatur habitis in Concilio patribus, de modis in conclavi observandis consultatum in medio est. Isq; communi concilio receptus est ordo: statutum est singulis noctibus, quatuor supra, & quatuor infra ex servitoribus assumi vigiles, qui noctes inter se partientes, curam haberent, ne vel ignis, vel alia quævis res nocumento esse posset. Cui rei nemo vigilantius incubuit, quàm Rubinus Antiquus, Cardinalis de Cypro nobilissimi familiaris. Cujus excubatione nequaquam dubitaverim pleraq; evitata fuisse discrimina. Exinde cautum erat, ut post mediam noctis horam inter quartam & quintam evigilatio per omnes fieret: tumq; usq; ad septimam, ut cuiq; animo esset, aut oraret, aut celebraret, postea vero ad communem missam omnes accederent: Qua peracta, & spiritus almi efflagitato patrocinio, consilium iniretur: utq; in eo scrutinium fieret: & eo finito, prandium haberetur. Ac deinde, ut quemq; voluptas traheret, sic vel legeret, vel quiesceret, usq; ad horam post meridiem tertiam: quo tempore iterum intrantes Concilium, illorum merita in examen ducerent, qui præcedenti scrutinio nominati fuissent: mature inter sese consulerent, quo nunc ecclesiæ modo ferri auxilium posset: Dimisso vero Concilio, hora circiter postmeridiem septima cœnaretur, ac post horis tribus ad quietem se cuncti redigerent. Eoque modo tam diem quàm noctem pariti sunt. Omittam illam sanctissimam vitam beatam, & omni stricta religione mundiorem: ubinam gentium talis patrum est chorus, ubi tantum scientiæ lumen, ubi prudentia, ubi bonitas est, quæ horum patrum æquari virtutibus queat? O integerrimam fraternitatem. O verum orbis terræ senatum: quàm pulchra, quàm suavis, quàm devota res fuit, hic celebrantes episcopos, illic orantes abbates, alibi vero doctores divinas legentes historias, audire: & unum ad lumen candelæ scribentem cernere, alium vero grande aliquid meditantem intueri? Quid est quod aliqui in Hispaniis locum quendam tantopere laudant nomine Guadalupum? Carthusiam Gallici in Delphinatu sive Sabaudia commendant. Potuit ne unquàm religio hac excellentior inveniri? ac ego existimo illis in locis irriguos magis fontes & splendidas cellas, aliaque ædificia esse admirationi, quàm homines. In nostro vero conventu cætera contemnenda, viri duntaxat admirandi fuerunt. Quorum modestiam nemo potuit satis contemplari, nullæ illic rixæ, nullæ contentiones: omnia in amicitia, omnia in dilectione fiebant. Illic cum exeuntem cellam, aut Christianum, aut alium quempiam ex antiquioribus vidisses, non alium certe videre putasses, quàm vel magnum

Mos vetus victûs electorum Pont.

De modo in conclavi observando.

Et quare hoc non postea Impie Pie?

Guadalupum Carthusia.

magnum Antonium, vel Paulum simplicem: & illum sane Hilarioni, illum Paphnutio, illũ vero Amoni æquiparasses. Plus etiam hoc in loco quàm in Antoniana solitudine reperisses, siquidem Hieronymo etiam & Augustino obviasses, quorum literæ in conclavi fuerunt, in eremo non fuerunt. Custodiebatur inter dominos magna charitas, inter famulos bona dilectio, inter utrosq; optimum silentium. Et isti in dominos obedientes, illi in servitores benigni erant: nulla superbia, nullus livor, nulla simultas vigebat, suus cuiq; status placebat: nihil secretum, nihil occultum fuit, omnia scire vicinum oportuit quæ fecit vicinus. Sed neq; mihi tacendi familiares videntur, quorum numerus fuit duo & quinquaginta. Itaque omnes animæ quæ ingressæ sunt conclave, tres de nonaginta dinumeratæ sunt, fueruntque inter servitores complures & docti & ornati viri. Erant cum Cardinali Arelatensi, Stephanus Plonerii, & Petrus de Tridia, doctores, & archidiaconi: cum archiepiscopo Tarantasiensi, Antonius Pioceti jurisconsultus, qui auditor etiam Rotæ aliquando fuit. Cum Basiliensi episcopo officialis suus, vir non minus doctus quàm facetus. Fuerunt & alii complures & docti & egregii viri. Quapropter facile potest quis dominorum excellentiam recognoscere, ubi virtutes familiarium non ignorat. Sed jam tempus admonet, ut scrutiniorum seriem referamus & modum. Eo ergo in loco ubi & Cardinalis & Vicensis episcopi cella fuit, atq; aliæ novem, hinc atq; hinc sedilia posuerunt. In summo loco ara erat sacra, & ante ipsum pulvinar Cardinali stratum. Ad cujus dextram sedebat archiepiscopus Tarantasiensis, & ad sinistram Dertusensis antistes, & successive hinc & inde gradatim reliqui electores assidebant. Ante ipsum vero Cardinalem scabellum, & supra scabellum ex argento pelvis stabat. Huc audita missa, & decantato spiritus sancti hymno, singuli electores venerunt, & eorum quilibet schedulam suam jecit in pelvim. Easq; postmodum singulatim Cardinalis recepit, & legit: atque ut ipse legerat, quatuor alii ex electoribus lectionem ipsius scribebant. Scriptio autem schedularum hujusmodi erat; Ego Georgius Vicensis episcopus, eligo in Romanum pontificem illum, vel illum: poteratq; unum vel duos uno in scrutinio nominare. Et inscribebat se quilibet electorum nomine proprio, ut sic in electione schedularum seipsum quisq; recognosceret, possetq; contradicere, si aliter quàm ipse diceret scripsisset, quæ res excludebat omnem dolum. Ut autem omnes schedulæ lectæ erant, & nominationes eorum conscriptæ, fiebat per scrutationes numeri ad numerũ collatio. Et nisi in unum aliquem duas schedularum partes reperiebant concurrere, easdem igne cremabant. Igitur primo scrutinio confecto, compertum est, plurimos esse in papam nominatos, nullum tamen habere voces sufficientes: septemq; & decem eo ipso die ex diversis nationibus ad pontificatum fuisse vocatos constat: unus tamen omnes superavit, vir præstantissimus, Amedeus, dux Sabaudiæ, decanus militum sancti Mauritii de Riparia Gebennensis diœcesis, quem jam cœlibem ac religiose viventem, sexdecim electores primo scrutinio dignum, qui gubernaret ecclesiam, censuerunt. Exinde hora post meridiem tertiâ, habita est in Concilio electorum de nominatis diligens inquisitio: atq; ut quisq; opinatus est, aut extulit nominatos, aut depressit. Ea tamen habita est Amedei relatio, ut in sequenti scrutinio, quod celebratum est quarto Nonas Novembris, ipse Amedeus unam deviginti, ac deinde in tertio unam & viginti, & rursus in quarto unam & viginti voces habuerit: quia tamen nullus adhuc duas habere partes compertus erat in omni scrutinio, exustæ sunt schedulæ. Cumq; ad electionem summi pontificis una duntaxat vox desideraretur, multiplicari orationes, & augeri devotiones placuit, ut dignaretur deus in unum concorditer vota dirigere, qui pastoralem curam super dominicum gregem susciperet digne. Et quia proximior aliis Amedeus Romano pontificio videbatur, habiti sunt in communi sermones multi de vita & moribus ejus. Et alii, Non esse homini laico cito imponendas manus dicebant, quod videretur omnibus monstri simile, principem sæculi ad Romanum pontificium accersiri: quæ res nimium ecclesiasticis derogaret viris, quasi nullum haberent tantæ dignitati idoneum. Alii hominem, qui fuerit conjugatus, cuique proles esset, ineptum sacerdotio existimabant. Alii, Romanum episcopum legisdoctorem esse oportere, asseverabant, multisq; literis præpollentem. Quæ verba ut audiverunt, alii mox assurgentes longe aliter dixerunt: Et Amedeum quidem, etsi doctor non foret, peritum tamen & doctum esse: qui cum aliàs in juventute sua literarum studiis insudasset, non titulos sed scientiam quæsivisset: eumq; & divinum officium optime nosse, & horas canonicas observare, septiesq; dietim domino dicere laudes. Quod si de vita, inquit alius, hujus principis edoceri vultis, jam me (obsecro) audite, qui eum & intus & in cute novi: nempe hic homo ab ineunte ætate, ac lacteis (ut aiunt) annis magis religiose vixit quàm sæculariter, parentibus quidem obediens, & pædagogis obsequiosus: semper autem dei timore imbutus, nec unquam, aut vanitati, aut lasciviæ operam dedit, nec unquam puer de domo Sabaudiæ natus, tantam præ se indolem aut spem tulit. Quibus ex rebus, qui eum intuebantur, magnum sibi aliquod portendebant. Nec fefellit opinio; siquidem vir, postquam adolevit, animum semper ad alta levans, apud inclytæ memoriæ Sigismundum

Numerus servitorum, & conclave ingressorum.

Scrutiniorum modus.

Votum eligentium.

Amedeus Sabaudiæ dux.

Amedeus.

Erubescat mendax Pogius in sua contra Amedeum invectiva.

Cæsarem forensi certamine Gebennensem evicit comitatum, moxq; deinde familiam suam honoribus cumulans, ducales suscepit insulas. Ac si scire cupitis ejus regimen, & quale, & quantum fuit, illud primùm cognoscite, virum hunc post obitum patris jam annis circiter quadraginta regnasse. Cujus tempore regina virtutum semper justitia floruit. Audiens enim per seipsum subditos, nunquam vel inopes opprimi, vel circumveniri imbecilles permisit. Ipse pupillis tutor, ipse viduis advocatus, ipse pauperibus protector fiebat: nusquam in territorio suo, aut rapinis locus, aut latrociniis patuit: divites & pauperes æquali jure apud se habebat, nec terracolis onerosum, nec advenis importunum se exhibens: nullaque in patria gravis exactio pecuniarum fuit, satis se divitem existimans, si patricolas abundare cognosceret, sciens, quia boni pastoris esset non deglubere oves suas, sed tondere. In eo tamen præcipue solers exhibuit studium, ut & pace subditi ejus fruerentur, & nulli sibi finitimi causam succensendi haberent. Quibus artibus non solum paternum dominium tranquille gubernavit, sed alia quoq; sponte ad eum venientia superadjecit: Nulli unquam intulit bellum, illato vero resistens, semper de pace magis quàm de vindicta cogitavit, & hostes singulos beneficio potius vincere quàm gladio studuit. Uxorem unicam duxit, eamq; virginem nobilem, & formæ, & pudicitiæ admirabilis: familiam omnem suam non solum manus, sed oculos etiam abstinentes habere voluit: fuit in ejus domo summa honestas, summa observantia morum, & in seculari palatio claustralis observabatur religio. Ac ubi tori consors vitam commigravit in aliam, ubi ducatum ejus firmatum, & ad posteriores sine controversia venturum perspexit, animum, qui semper religiosus & deo dicatus fuerat, patefecit, & qualem in corde gestaret voluntatem, demonstravit. Contempto namq; sæculi fastu, omniq; pompa mundiali despecta, vocatis secum charissimis amicis, in eremum concessit: ubi constructo miræ devotionis & artis monasterio, in servitium dei se relegavit, & tollens crucem suam, sequutus est Christum. Quo loci per plures annos conversatus, singularis sanctimoniæ dedit odorem: vestes quidem non alias induens, nisi quæ possent frigus arcere, epulasq; non alias sumens, nisi quibus pelli fames valet: vigilansq; ad plurimam noctem, nullam unquam divini officii horam neglexit. Cumq; ibi pulcherrimum deo & beato Mauritio sacellum construxisset, & honorificum sacerdotum collegium ordinasset, diebus illic singulis tres missas, duas quidem legi, unam autem decantari audivit: tantusq; illo in monasterio servatus est rigor disciplinæ, tanta honestas, tanta religio, ut nusquam sub cœlo putem, aut sanctiorem, aut devotiorem inveniri locum. Quocirca non noviter (ut quidam ante sentire sunt visi) hic princeps ad ecclesiam venit, qui natus Christianus ex progenitoribus jam mille annis & ultra Christianus, nunc deo in monasterio servit. ¶ Id autem quod de uxore dicitur, nihili pendo, cum non solum qui uxorem habuit, sed uxorem adhuc habens queat assumi. Cur enim disputant doctores, an uxoratus electus in papam uxori solvere debitum teneatur, nisi quoniam etiam conjugatus recipi possit? fueruntq; (ut scitis) etiam in matrimonio pontifices, nec Petrus apostolorum princeps uxore caruit. Quid ista modo objicimus? fortasse non esset pejus, sacerdotes quam plures uxorari: quoniam multi salvarentur in sacerdotio conjugato, qui sterili in presbyteratu damnantur. Sed de hoc aliàs. Illud autem mihi risu magis, quàm responso dignum videtur, quod de filiis est objectũ. Etenim cur filii, præsertim natu grandes, pontifici patri sint impedimento? Nunquid ait scriptura, Væ soli, quoniam si ceciderit, non habet sublevantem se? hoc imputari principi modo non poterit. Sunt enim illi filii duo, & forma, & ingenio admodum præstantes, quorum alter princeps Pedemontensiũ, alter comes est Gebennensium. Hi patriam Sabaudiæ, absente patre, gubernabunt, indigentiq; sibi auxilia subministrabunt. Jam enim regere ac præesse populis didicerunt. En quid mali hoc est, habere Romanum antistitem potentes filios, qui patrem contra tyrannos juvare queant? Proh! reverendissimi patres, sane quo magis hujus perversi temporis procellam intueor, quo magis angustias animo evolvo, quibus ecclesia in hac nostra tempestate percutitur, eo magis non utile tantum, sed necessarium esse arbitror, hunc ipsum eligi principem: existimaboque misericordiam domini super nos factam, si eum videro hujus cymbæ suscepisse gubernaculum. Considerate (oro) paulisper: quibus in terminis sumus, quibus angustiis premimur, quibus periculis agitamur, quis principum est huic sacro Concilio obediens? Alii nec Concilium hic esse fatentur, nec mandata nostra suscipiunt: alii verbo hic esse Concilium dicunt, facto apud Florentiam fore ostendunt. Quamvis enim verbis & literis ecclesiam hic esse non negent, promotiones tamen apud Gabrielem depositum procurant. Hic est status ecclesiæ, his procellis navis illiditur: surrexerunt filii impii adversus matrem, qui nec suscepti lactis, nec materni laboris memores, eam spernunt, eam lacerant, eam colaphizant. Quid hic fiendum est? nudumne hominem eligemus, qui nostris principibus magis derisui, quàm venerationi habeatur? non sunt hodie sæcula quæ virtutem respiciant. Probitas (ut est apud Satyricum) laudatur & alget: pauper loquutus est, & dicunt, quis est hic? Bona est equidem virtus, sed multum interest ad nostrum propositum, an in potente sit an

An uxor pontificatui obsit.

Lege epistolam quintam sancti Ignatii martyris & videbis omnes apostolos habuisse uxores. Lege etiam Cap. Mã. in Fastis, & invenies sanctum Hilarium episcopum Pictavien. habuisse uxorem legitimam.

Juvenalis.

an in paupere: vobis eligendus est gubernator, qui non solum consiliis, sed etiam viribus navim regat: validus ventus est, nisi & consilium bonum sit, & brachia fortia, frangetur malus & periclitabuntur omnes. Exinde recens ante oculos est, quia virtutem impotentem nihilipendunt principes. Nunquid maxima virtus hic ostensa est, qui nullum timentes aut vitæ, aut bonorum periculum pro veritate Christi tam diu pugnastis? Debuerant principes terram deosculari, ubi gressus vestri fuissent: quia tamen potentes prælati, ac famosi Cardinales à nobis defecerunt, videtis quid principes fecerint. Aspicit tamen ex alto maximus atque optimus deus talia, hisque (ut puto) resistet insolentiis. Sæpius ego illorum opinioni assensus fueram, qui expedire dicebant, temporale dominium ab ecclesia secerni. Opinabar namque & sacerdotes domini ad divina mysteria reddi expeditiores, & principes seculi erga clerum fieri obedientiores. Nunc autem didici, quoniam ridiculosa est sine potentia virtus, nec aliud est Romanus pontifex sine patrimonio ecclesiæ, quàm regum & principum servus. Quod prævidens divina pietas Romanam ecclesiam dotari per Constantinum & locupletari voluit, ut qui spreto spirituali gladio, adversus fidem & bonos mores tumultuarentur, potenti brachio possent compesci. At cum hodie terræ ecclesiæ, partim per Gabrielem, partim per alios occupentur tyrannos, providendum nobis est, ut virum talem eligamus, qui & recuperare patrimonium queat ecclesiæ: & in quo Christi vicariatus non contemnatur: cujusque potentiæ clypeo eorum contumacia conteratur, qui rationem contemnunt & veritatem. Ad quas res nemo (ut mihi videtur) aptior est Amedeo duce Sabaudiæ, qui alterum in Italia, alterum vero in Gallia pedem habet: cui omnes fere Christianorum principes, aut sanguine attinent, aut amicitia favent: cujusque quanta sit virtus, jam supra retulimus. Quid igitur hunc hæreamus eligere? nemo est, quem magis dari sibi adversum, Gabriel quàm istum timeat. Pereat igitur eo gladio quo putavit. Nemo est qui magis pacare ecclesiam, quàm iste possit. Quæritis in pontifice devotionem? nemo est eo devotior. Quæritis prudentiam? jam intelligitis ex anteacta vita quis sit. Quæritis justitiam? populus ejus est testimonio: sive potentiam, sive virtutem efflagitatis, hic omnia sunt: quid moramini? Agite (obsecro) bonis ominibus hunc eligite: hic fidem augebit, hic mores reformabit, hic authoritatem ecclesiæ conservabit, hic adversarios reprimet, hic pacem Christiano populo condonabit. Non audistis eos qui de futuris prædicant, has fluctuationes ecclesiæ prænunciantes, annum qui jam instat quadragesimum, his terminum tribulationis assignare? Nunquid jamdudum audistis, papam his temporibus eligi debere, qui consolaturus Sion, omnia ponat in pace? Et quis erit (obsecro) ille, qui talia queat implere, nisi istum assumamus? Credite mihi, scripturas impleri oportet & trahet (ut spero) animos vestros, etiamsi nolimus, deus: tamen vos quod rectum & sanctum est volentes potius agite. Hæc cum ille dixisset, maxima electorum pars sibi favendo arrisit, eamque habuerunt verba ejus efficaciam, ut sequenti scrutinio perfecta res sit. Nonis enim Novembris dum clerus civitatis circa conclave cum reliquiis sanctorum staret, & processio prælatorum spiritus sancti gratiam invocaret, horam circiter ante meridiem decimam, aperto scrutinio, & facta collatione (ut moris est) numeri ad numerum, compertum est, Amedeum ducem Sabaudiæ religiosissimum principem, juxta Decretum Concilii, in papam fore electum, sexque & viginti voces in eum concurrere. Quapropter subito inter omnes coorta lætitia est, omnesque rem gestam amplissimis verbis collaudarunt. Quocirca vocatis notariis, & intromissis testibus, confectum est de ipsa electione chirographum. Qua re sic peracta, remissis testibus, horam circiter post meridiem primam, ad eas fenestras, quæ in plateam versæ erant, factus est impetus, omnesque valvæ securibus infractæ, atque illinc miranti populo novitatem, crux argentea est ostensa. Erat jam tota civitas in platea, omnisque multitudo in fenestram tendebat oculos, electum sibi nominari desiderans. Tunc Cardinalis Arelatensis facto signo crucis, in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, electi pontificis nomen publicavit, & oratione præmissa, populo benedixit. Postque hora jam tertia, prælati cum pluvialibus & mitris, ac clerus urbis cum reliquiis ad cancellos conclavis venientes, electores similiter exornatos ad majorem ecclesiam reduxerunt: ubi gratiarum actionibus magnis deo exhibitis, iterum populo, qui erat innumerabilis, publicata per Cardinalem electio est: ac deinde cum maxima omnium jucunditate hymnus lætitiæ, & organis & humanis vocibus est decantatus, & congregatio dissoluta. Quocirca laudent omnes populi deum, quia pastorem habemus, qualem ipse dedit amandum bonis & malis timendum.

[Margin notes: Et hoc esse debet, & hic etiam est titulus, qui si servus servorum, servus etiam erit dominantium. — Huic oratori decies plus in hac re credendum est, quàm Pogio Florentino Eugeniano levissimo in invectiva sua contra Felicem scurrili. — Amedeus eligitur in pontificem.]

Commentariorum Æneæ Sylvii Senensis de gestis Concilii Basiliensis libri secundi Finis.

VENERABILI ET DOCTISSIMO VIRO
Magistro Johanni de Segovia, Theologo excellenti, sanctissimi domini nostri Felicis ad dietam Bituricensem Oratori,

Æneas Sylvius Senensis, domino suo Johanni de Segovia, sacræ Theologiæ magistro, salutem dicit.

COronationem summi pontificis vario rumore notam esse tibi tuisq; collegis arbitror. Quia tamen varia apud vos conficta esse opinor, quæ inter se non cohæreant, dignum ipse putavi meis literis satisfacere veritati, vobisq; ibidem sitientibus harum rerum narrationem efficere veridicam, remq; (ut gesta est) ad unguem referre: atq; (ut brevior sim) jam incipio. Romanorum pontifices coronari in generalibus Conciliis raro auditum est, tu tamen & Alexandrum Pisis, & Martinum Constantiæ coronatum audisti, sed præcedet hujus coronatio tanto illas, quanto & Felix illos nobilitate anteit. Ita enim judicium eorum est, qui & illas, & hanc contemplati sunt. Referam igitur ego de hac, sed paucis: non enim ut historicus scribo, sed ut servus domini, res gestas epistolari genere doceo. Transeo electionem de hoc principe authoritate hujus synodi factam, quam alio loco non paucis verbis scripsi: prætereo legationem sibi missam, & consensum per eum præstitum, de quibus tu plane instructus es. Pergo ad coronationem, quæ nono Calendas Augusti celebrata est in civitate hac Basiliensi. Ipse autem dominus noster triginta ante diebus, octavo Calendas Julii, ingressus erat: cujus introitus suum habere tractatum meretur, sed non omnia uno in tempore scribi possunt. Locus est ante cathedralem ecclesiam late patens, ubi spectacula populo fiunt: illic sublimis tumulus constructus est, & super illum altare, excelso in angulo: desuper pretiosi panni, ne vel pluvia, vel sol noceret. Prospectus exinde in omnē plateam fuit: huc clerus, & universa nobilitas, ipseq; coronandus pontifex conscendit. Existimati sunt hominum circiter duo millia tribunal conscendisse. Venerat præcedenti die Ludovicus Sabaudiæ dux, ipsius Romani pontificis generatus: vir comis aspectu, & affatu placidus, consilio & animo justo: statura illi mediocris, & oculi præalbi. Cum ipso autem summo pontifice alter generatus profectus erat Philippus comes Gebennensis, summa virtute, & honesto corpore, honestisq; moribus adolescens: sociusque illi Ludovicus Marchio Salutiarum fuit, quo in homine nescias formam vel eloquentiam magis admirere. Magna præterea tam ducem ipsum, quàm etiam summum pontificē è tota Sabaudia sequuta nobilitas erat, sui principis visura coronationem: contenderantq; ita (ut fit) singuli spectabiliores venire. Itaq; fuit magnus virorum, magnusq; equorum apparatus: quorum numerus ad quatuor millia dijudicatus est. Ex Alemania, Marchio de Rœtelen juvenili ætate decorus, flavos vento crines fatigans. Conradus de Winsperg, Romani Imperii hæreditarius camerarius, annis & sensu senex. Comes de Tierstein, cui nemo forma comparandus juveni viroq; fuit, nec adhuc senem senex æqualem habet; Oratores Argentinen. Bernen. Friburgen. Solodorensesq; omnis circumvicina nobilitas confluxit. Tantaq; forensis populi multitudo concurrit, ut nulla capi plateâ posset: ac si jocari licet, quicquid vini erat, sit bibitum. Capita hominum ad quinquaginta millia credita sunt. Civitas vero mille robustos juvenes in armis habuit, ne quid tumultûs, ne quid rixarum fieret prohibituros: aciem non minus timendam, quàm admirandam, horum alii tribunal, alii palatium observare. Tecta omnia domorum, fenestrasque, & arbores viri fœminæq; obsederant. Platea vero sic populo plena fuit, ut nec sinapis grano dedisset locum. Quibus omnibus expectantibus, advenit in ipso diei ortu Felix electus, veneranda canitie, decorus aspectu, & facie tota prudentiam præ se ferens singularem. Statura hominis (ut filiorum) communis, forma egregia, quantum senio datur, pilus albus, cutisq; ; sermo paucus & moratus. Ante ipsum prælati infulati, & clerus urbanus cum reliquiis introierant. Locatus ille in præeminenti sede est: cæterisq; considentibus, & facto ubiq; silentio, ceremoniæ inchoatæ sunt, quarum sic peritum se Felix ostendit, ut nihilo monitoris eguerit. Putassetq; nemo patrem illum secularibus negotiis quadraginta, aut eò plus annis versatum, tantum unquam otii potuisse habere, ut ritum ecclesiæ sic imbiberit. Castigabat itaque ipse per se aliorum errata, nec aliquid vel minimum extra ordinem fieri ferebat. Celebravitq; missam suam, & cantando, & legendo, plusquam dici posset solenniter, nihil omittens, nihil pervertens. Mira res omnibus, & spectaculo digna videbatur, patrem illic grandævum celebrare, illic prolem insignem celebranti servire. Quasi enim novellæ olivarum, circum altare duo nati officiosè attenteq; (quantum laicis permittitur) ministrabant, meritoq; dici hunc Felicem omnes aiebant, qui post exa-

ctam

Coronatio Felicis.

Ludovicus Sabaudiæ dux.

Philip. comes Gebennensis.

Ludo. Marchio Salutiarum.

4000. equorum Marchio de Rœtelen.

Conradus de Winsperg.

Comes de Tierstein

50000. hominum.

Descriptio Felicis.

Erubescat hinc infelix Pogius in sua invectiva.

Duo filii patri principi celebranti ministrant.

ctam laudabiliter in feculo vitam, poft adminiftratum feliciter ducatum, generofamq; fobolem educatam, ad regimen univerfalis ecclefiæ accerfitus à deo effet. Vidiffes plurimos præ lætitia lachrymantes, benedicentefque dominum, qui ad tantum fpectaculum vivere eos permififfet, qui rem fuis oculis intuerentur, antea nec vifam, nec auditam ulli. Fuit tamen inter hæc (ut fæpe accidit) res una, quæ rifum movit: Moris eft, ut inter ipfa folennia precationes pontifici, fiant quas primus diaconorum Cardinalium inchoat, Scriniariique & judices fubfequuntur: hic autem loco judicum advocati refponderunt. Cantantiq; Ludovico Cardinali fanctæ Sufannæ, viro maximo, & ceremoniarnm apprime gnaro (qui presbyter pro diacono fuit) refponfuri advocati, & fcriniarii cantum adeo diffonum emiferunt, ut non folum rifum, fed & lachrymas ab oculis omnium excufferint. Nec major de ulla re octo poft diebus, quàm de illorum cantu fermo fit habitus. Quod etfi aliqui fibi dedecori exiftimaverunt, ego quoniam inter illos fui, nihil mihi ignominiæ putavi, infcitiam cantûs: quam rem nemo unquam non levis perfecte aggreffus eft. Ideoque & fequenti die, cum apud Prædicatores idem officium exigeretur, cantitare meum carmen non erubui. Ut igitur finita miffa eft, fummufque ipfe pontifex confecratus, facer Tiaras triplici corona infignis, compluribus gemmis prælucidus, allatus eft. Spectanteq; univerfa multitudine, & animam comprimente, Ludovicus Cardinalis (cui id officii quod Hoftienfi epifcopo debetur fynodus commiferat) quafi fructum fuorum laborum jam colligens, coronam ipfam excellentis pretii, quam plurimi ad triginta millia aureorum cenfuerunt, felici capiti Felicis impofuit: Moxque per univerfos acclamatum eft, ut vita papæ effet: poftmodumque plenariæ indulgentiæ, quas nunquam antea populus ille habuerat, conceffæ funt. Completifque coronationis folenniis, ex tribunali in proceffionem eft itum: omnefque in equis per ordinem progreffi funt, qui hujufmodi eft habitus. Primi omnium laici, & vulgaris turba famulantium. Secundo nobilium diftinctæ familiæ. Tertio nobiles ipfi & milites. Quarto loco barones, comites, & marchiones. Quinto, dux ipfe confilio fuorum comitatus, aureis veftibus in terram demiffis. Inter hos, ut potuit, expompare nixus eft quilibet. Hic qui oftro & auro tecti, hic faga militum gemmis & argento onufta: hic tubæ, tibicinefq; & mimorum cohors præludens: variæ veftes, varia ornamenta, ut nulli fat vidiffe fit vifum. Poft hos urbanus clerus in pedes reliquias fanctorum vectitans, & puerorum cantantium candidus ordo. His fuccedebat umbraculum rubei croceiq; coloris, & apud illud fcutiferi, quos honoris vocant, locati erant, rubeos geftantes pileos. Juxta hos fuiffent præfecti navales, fi qui adfuiffent, fed loco illorum eremitæ Ripalliæ, quos milites fancti Mauritii vocitant, fuffecti funt, viri graves, & ævo præmaturi, qui Felicis papæ; & fæculi & religionis fuerant comites, & qualis habitus illius antea fuiffet, in fuis habitibus præmonftrabant, plurimumq; reverentiæ videbantur mereri. Illinc Prioribus quibufdam pluvialia fine mitra gerentibus locus fuit. Mox fucceffere fcriniarii, & advocati, pluvialia ex tranfverfo geftitantes, habitum cantui quem habuerant valde conformẽ. Idem geftamen debitũ erat his, qui fequebantur, judicibus, quod minime obfervatum eft in curia promotorum: habuerunt autem cappas & pileos, tanquam prælati: Hos fequuti funt abbates, & inde epifcopi ornati pluvialibus, infulatiq; equis infidentes phaleratis. Hoc in ordine præterivimus duodecim equos qui ante umbraculum candore nivali, quales Rhefus ad Trojam duxit, rubeo tamen tegmine veftiti collo tenus, procedebant. Secundum epifcopos, falvatoris noftri domini Jefu inter magna luminaria corpus deferebatur. Cujus conducendi cura Johanni epifcopo Argenfi Theologo non minus utilis quàm laudatæ doctrinæ, tanquam facriftæ commiffa erat. Sequenti in ordine duo Cardinales, duoque epifcopi, Dertufen. Vicenfifque, qui diaconorum Cardinalium tenebant locum. Ultimo in loco fummus ipfe paftor aureo tectus papilione, triplicem geftans coronam, populoq; benedicens, unus omnium oculis defideratus, inceffu maturo procedebat. Marchione de Rœtelen & Conrado de Winfperg equum ejus ductantibus. Poft eum thefaurarius, clericique cameræ, & qui pecunias in populum jaciebat, ornatu decenti veniebant. Simul quoque principum, qui aderant Oratores, magnaque & confufa populi multitudo: Sicque per plurimos civitatis receffus eft itum, donec Judæi illum expectantes, nova & fallaci fpe ducti, legem Mofaicam obtulerunt, quam ipfe laudans, ritum damnavit eorum. Exinde vero in cœnobium Prædicatorum ventum eft, ubi fratres cum Priore obviam procedentes, papamq; ante altare ftatuentes, claves cœnobii fibi dederunt. Moxque finito lætitiæ cantico, hora jam poft meridiem tertia, magis ad quietem quàm ad prandium, quamvis adhuc jejunus foret, dimiffus eft Felix. Altera die illuc ad miffam omnes convenere, qua finita, confummatifque nonnullis, quæ reftaverant, ceremoniis, prælatis omnibus qui interfuere, duo argentei nummi, & unus aureus traditus eft: atque exinde tota multitudo ad convivium convocata, ubi nec lex Orchia, nec Fannia, nec Licinia locum habuit, nullaq; alia fumptuaria, quibus vel pretium eduliorum vel obfoniorũ copia præfcribitur. Cœnitatum eft, ut libuit, laute, fumptuofeq; pranfitatum quoq;. Dubium eft enim, prandium an cœna fuerit: horis

Suavis fcriniariorum cantus.

Pretium infulæ pontificiæ.

Ordo pompæ pontificiæ, quem proceffionem vocant.

M. Johannes de Ragufio.

Judæi obtulerunt pont. Mofis legem.

Cœna pontificia.

circiter quatuor, homines plus mille cœnati feruntur. Pincernæ ſummo pontifici pulcherrima proles, duo filii fuerunt, Architriclinus Marchio Salutiarum. Ad horam tertiam poſt meridiem ceſſatum eſt. In hora vero quinta, eodem ordine quo itum erat, reditum eſt: ductuſque papa ad Virginis templum, quod eſt Baſileæ præcipuum, in palatium per poſticum ad quietem rediit.

Hæc de coronatione domini noſtri ſanctiſſimi Fælicis quinti, volui ut ſcires: Tu nunc iſta quibus vis communica, daque operam, ut patrem hunc quem tanti facio, quàm primum repetas, feliciaque de veſtro conventu nobis reportes. Vale, ex Baſilea. Idibus Auguſti. Anno domini, milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo.

¶ ARGUMENTUM SEQUENTIUM duarum Epiſtolarum.

JAM indixerat Baſilienſe Concilium Martinus pontifex, & huic præſidentem dederat Julianum Cardinalem ſancti Angeli, quum ſtatim vita functus eſt. Eugenius poſt illum electus, eam rem primum non improbavit: verum quum attentius perpenderet, quàm nihil lucri ſoleat eſſe pontifici Romano ex Conciliis, memor etiam quid antea Johanni XXIV. Conſtantiæ accidiſſet, nihil non molitus eſt, ut Baſilienſe Concilium diſturbaret: Et quia Julianus Cardinalis ſancti Angeli vehementer pro eo Concilio congregando laboraverat, præſertim Bohemorum Romanæ eccleſiæ reconciliandorum gratia, ideo rem minime gratam Eugenio fecit: & accuſatus eſt intempeſtivæ diligentiæ. Itaque his duabus epiſtolis ipſe ſe excuſat pontifici, ſimul hunc admonens quàm impie agat, qui Concilium (quo maxime ſit opus propter varias cauſas) jam indictum & congregatum, diſſolvere conetur. Et ſcribit liberrime, nihil veritus pontificem admonere ſui officii. Multis autem viis niſus eſt Eugenius Concilium diſſipare. Et tradit Platina, propterea Delphinum & Armeniaci comitem ab eo Baſilienſibus immiſſos, eos qui poſtea Alſatiam miſerè vexarunt, & vexati ſunt. O virum apoſtolicum!

EXEMPLUM LITERARUM QUAS Julianus Cardinalis ſancti Angeli, Legatus in Germania, mira libertate ſcripſit ad Eugenium Pont. Romanum, conantem diſſolvere Concilium Baſilienſe.

Beatiſſime pater, poſt devota pedum oſcula beatorum,

MUlta me cogunt libere & intrepide loqui ad ſanctitatem veſtram: periculum videlicet everſionis fidei, ac ſtatus eccleſiaſtici, & ſubtractionis obedientiæ à ſede apoſtolica in iis partibus, denigratio quoque famæ ejuſdem ſanctitatis. Cogit & me charitas qua V. S. afficior, & eam mihi affici ſcio: propterea magna cum fiducia loquar, juxta beatum Ambroſium ad Theodoſium Imperatorem: Nemo (inquit) majori fiducia utitur, quàm qui ex affectu diligit. Nec parcam (ſi opus ſit) verbis aſperis, quia (ut inquit beatus Bernhardus) vera amicitia nonnunquàm objurgationem habet, adulationem vero nunquàm. Ita enim opus eſt, ut intellecto diſcrimine, cautius rebus agendis poſtea conſulatur: quòd ſi ſecus facerem, ſacrilegii & infidelitatis apud deum & homines reus viderer. Prius tamen quàm ad ambaſiatam reverendi patris domini Parentini accedam, obſecro patienter ferat V. S. commemorari ſibi quædam præteriti temporis, ſi forte oblita ſit, ne nimis voluntarie huc forte veniſſe credar. Puto, tota Romana curia novit, quàm moleſta mihi fuerit legatio iſta Concilii; nemo eo tempore me viſitavit cū quo maxime nō quererer, ſed preſertim cū S. V. tunc in minoribus & cū reverēdiſſimo domino meo Bononienſi: qui mihi paterna charitate uterq; cōpatiebamini, hanc provinciam mihi eſſe decretā. Ad legationem Bohemiæ, quantū voluntarie ibam, tantum ad iſtā invitus, propter multa quæ tunc verebar poſſe accidere, quæ jam experiri incipio. Licet veritus non fuiſſe, ſi à S. V. hoc onus mihi injunctū fuiſſet. Veni Nurenbergā, nuntiatū eſt deceſſiſſe Fel. Rec. dominum Martinum. Et quia nondum venerat bulla facultatis preſidentiæ, putabam me hoc gravi jugo exoneratum. Sed deus non eſt paſſus propter peccata mea, carere me perturbationibus. Supervenit dominus Cuntzo, & eam mihi præſentavit, cujus copia ad multorum

Epiſcopus Parentinus.

manus

manus etiam extra curiam ante pervenerat. Cum illam vidi, supra modum tristatus sum, & licet à nonnullis importune requirerer, ut venirem huc: volui nihilominus in tanto negotio prius scire S. vestræ intentionem, præsertim cum noviter creata esset. Bis aut ter, & per nuntios proprios intimavi S. V. multis precibus supplicans, ut transferretur calix iste, & quia multo utiliorem me reputabam ad expeditionem Bohemiæ, quàm ad Concilium, obsecrabam instantissime, ut alius deputaretur ad præsidendum hic: & recolo me scripsisse ita vehementer super hoc, ut aliquando timuerim offendere S. V. quasi id onus recusarem post vestram promotionem, quod alio pontifice assumpseram. Postquam peragravi Alemaniam prædicando crucem contra Bohemos, revertens Nurenbergam, inveni dominum Leonardum de Piscia, cum instructione, ut venirem ad Concilium, si poterat fieri sine detrimento expeditionis Bohemiæ. Idem nuntiabant literæ domini episcopi Cerviensis, ex parte sanctitatis vestræ. Licet etiam & tunc instanter requirerer à multis venire ad Concilium, reputans me utilius facere, si in Bohemiam cum exercitu introirem, præsertim cum paucos ad Basileam venisse audirem, decrevi accingere me ad exercitum. Et ne quisquam posset obloqui de S. vestra, quod Concilium Basiliense decretum per præcedentia Concilia, & prædecessorem vestrum vellet negligere, considerans etiam hanc esse voluntatem S. ejusdem, quod Concilium non omitteretur, deputavi hic loco mei dominum Johannem Pilombar auditorem, & magistrum Johannem de Ragusio, asserens omnibus, quod expedito negotio Bohemiæ personaliter accederem Basileam, juxta mandatum S. V. Hoc nuntiavi statim S. V. quæ postea per literas Cerviensis hoc factum approbavit & laudavit. Successerunt postea res in Bohemia, sicut deo placuit. Et cum ex fuga exercituûs, omnes populi Alemaniæ supra modum essent exterriti, & consternati, videns nullum aliud superesse remedium, animabam & confortabam omnes, ut manerent constantes in fide, & nihil trepidarent: quoniam ego propter hoc accedebam ad Concilium, ubi convenire debebat universalis ecclesia, in quo omnino aliquod sufficiens remedium ad resistendum hæreticis, & ipsos extirpandos reperiretur. Ita etiam dixi in Nurenberga, in præsentia domini Imperatoris, & plurimorum Baronum, & nobilium Alemaniæ. Sic etiam exhortatus sum ambasiatores Pilzerenensium, & Egrensium fidelium de Bohemia, dando eis spem subsidii, ratione Concilii. Et certe tantus erat metus omnium populorum, quod necessarium erat ita agere. Propterea nemo miretur, si feci diligentiam, ut omnes ad Concilium venirent, vel mitterent. Ita enim opus erat, ut tot tantisque periculis posset aliquo modo obviari, per inventionem celerem alicujus subsidii. Et quidem fama ista Concilii multos retinuit, & retinet finitimos Bohemiæ, ne cum illis concordarent. Ibidem me interpellarunt nobiles, & militares Alemaniæ, qui in illo exercitu fuerant, ascribentes culpam fugæ solis principibus, offerentes iterum cum multo majori exercitu regredi proxima æstate in Bohemiam, ubi vel mori, vel vincere intendebant: & neminem principum volebant adesse secum: Sed ipsi soli eligerent capitaneum, quem rerum experientia magis idoneum judicarent. Postulabant autem ab ecclesia subsidium solum communium expensarum, quod non puto excederet 30000. ducatorum. Quibus respondi exhortando eos in hoc sancto proposito, & quod volebam super hoc scribere S. vestræ, à qua omnino sperabam hoc subsidium impendendum, & nihilominus venire ad Concilium, ut sive per medium S. V. sive Concilii hujusmodi subsidium non deficeret. Cum talia audivi, levavi manus ad cœlum gratias agens deo, qui in tantis periculis non deserebat ecclesiam. Ista enim fama & spes, militarium corda hominum jam pene mortua, reviviscere faciebat, & animabat ad resistendum hæreticis. Scripsi S. V. statim per dominum abbatem Perusinum, scripsi deinde plurimas & plurimas literas. Putabam audita tam grandi oblatione militarium, & in confœderatione Christianitatis, quod sedes Apostolica debuisset vendere cruces & calices, & statim subvenire. Et jam sunt ferè quinque menses, nec dum responsum habui: sed mittitur mihi facultas, quod dissolvam Concilium, in quo unica spes in iis partibus defensionis fidei & ecclesiæ consistit. Itaque ex prædicta causa incitatus sum huc venire, ut si forsitan ex curia non provideretur (de quo jam satis timeo) saltem hic inveniretur subventio. Incitavit etiam me huc venire dominus archiepiscopus Coloniensis, qui in egressu de Bohemia persuasit, nihil posse fieri utilius, quàm requirere ad hanc expeditionem dominum ducem Burgundiæ, quem sciebat ad hoc esse bene affectum. Dicebat ipse dominus Archiepiscopus propter hoc imponendum esse universale subsidium: quod optime exigi videbatur, si in Concilio præsentibus & consentientibus universis imponi contingeret. Et verisimiliter sperari poterat, si huc magna multitudo prælatorum confluxisset, attentis periculis, quæ modo sunt, nemo contradixisset, non solum in decima, sed in majori subsidio quod sine difficultate postea fuisset exactum, quod non fuit sic in eo, quod imposuit dominus Martinus, quia excepta Italia, aliæ nationes nihil volebant solvere. Incitavit etiam me huc venire litera missa Nurenbergam à quodam Barone Bohemiæ, post recessum exercitus, qui

Leonardus de Piscia. Episcopus Cerviensis.

Magister Johannes de Ragusio, episcopus Argensis.

De fuga principum quorundam.

Abbas Perusinus.

Coloniensis archiepiscopus Dux Burgundiæ.

Decima.

qui dicebat, armis illud regnum debellari non posse, sed agendum concordia, & tractatu. Cui responsum est meo consilio, quod cum jam in Basilæa celebrandum esset Concilium universalis ecclesiæ, Bohemi curarent huc mittere aliquos, cum pleno mandato, quia nusquàm melius, quàm hic hujusmodi tractatus fieri posset: pro quo haberent salvum conductum, & quicquid esset necessarium. Incitavit etiam me huc venire deformitas & dissolutio cleri Alemaniæ, ex qua laici supra modum irritantur adversus statum ecclesiasticum. Propter quod valde timendum est, nisi se emendent, ne laici more Hussitarum in totum clerum irruant, ut publice dicunt. Et quidem hujusmodi deformatio magnam audaciam præbet Bohemis, multumque colorat errores eorum, qui præcipue invehunt contra turpitudinem cleri. Qua de re, etiamsi hic non fuisset generale Concilium institutum, necessarium fuisset facere unum Provinciale, ratione legationis per Germaniam pro clero reformando: quia revera timendum est, nisi iste clerus se corrigat, quod etiam extincta hæresi Bohemiæ, suscitaretur alia. Attenta igitur voluntate S. V. & prædictis causis, quis non intelligat me, quodammodo coactum huc accessisse? Sed & supervenerunt literæ S. V. datæ secundo Calendas Junii, in quibus sanctitas vestra mihi expresse mandat, quod huc veniam, utens iis verbis: Volumus, tibique mandamus, ut expedito negotio Bohemiæ, cujus finis expectatur, in brevi gressus tuos dirigas Basilæam pro Concilio celebrando, ibique juxta tibi injuncta, & ordinata in Concilio Constantiensi opportune provideas. Sed forte dicet aliquis, nimiam diligentiam fecisti in Concilio. Mira res si pro diligentia accusor: Cum summi Pontifices dicere soleant, diligentiam tuam in domino commendamus. Multo autem mirabilior, si illa diligentia arguitur, quæ pro extirpanda tam perniciosa hæresi exercetur. Nec volui maledictum illud incurrere, de quo in sacra scriptura dicitur, Maledictus, qui facit opus dei negligenter. Nec igitur mihi constabat S. vestram velle me dissimulare in tam sancto opere, vel negligenter agere: sed æstimare debebam contrarium, cum ipsam semper noverim in iis, quæ spectant ad honorem dei, & fidei defensionem semper fuisse ardentissimam: quanquam etsi mihi mandaret, ut dissimularem, aut fingerem, libere responderem, ut hoc onus alteri injungeretur: quoniam mecum decrevi, nunquàm officium dissimulatoris exercere. Mandat igitur mihi S. V. ut opportune provideam secundum injuncta mihi: nihil aliud scio mihi injunctum in bulla domini Martini, nisi ut diligentia agam. Hoc igitur periculum & necessitas fidei & ecclesiæ requirebat, & requirit. Arbitrabar enim hujusmodi diligentiam, non solum rei tam sanctæ fore accommodā, sed & sanctitati vestræ magnum honorem & gloriam afferre, cum tanquam nuntius & minister, & nomine sanctitatis vestræ omnia gesserim. Si quid ergo diligenter feci, cum pro Christo, & sanctitate vestra id egerim, delector, imò pœnitet me diligentius non fecisse. Damnet igitur quicunque vult, non est mihi curæ: satis mihi est, quod nec deus, nec S. V. me damnabit. Nec quisquam dicat, quod hujusmodi diligentia mihi in isto Concilio de novo orta sit: nam testis est universus orbis, quantum (ut decet) fere amens laboraverim, & quàm ardenter pro extinguenda hac hæresi: Interrogetur reverendissimus dominus meus Placentinus, quo fervore secum per triennium hoc opus persequutus fuerim. Quid deinde Romæ fecerim, constat toti curiæ, & S. V. aliàs scripsi. Hoc non pro laude recensui, sed ut nemo cogitet, vel de novo vel ob aliam causam supervenisse mihi hunc fervorem. Sed & si cuiquam hæreticorum diligentia displiceret, curia Romana deberet illam maxime commendare, cum Hussitæ nihil aliud satagant, nisi penitus delere & extinguere nomen & potestatem curiæ Romanæ, & sedis Apostolicæ. Nunc venio ad ambasiatam domini Parentini, de prorogando tempore Concilii, & transferendo locum. Utinam tunc ego adfuissem in curia, utinam ibi nota essent pericula, quæ hic sunt, forte, & sine forte, non venisset cum tali ambasiata, cujus fama jam magnum generat scandalum ac perturbationem. Quid ergo fiet, si effectum consequetur? Quanto fuisset consultius intimare mihi prius ista, qui sum hic in facto, ut postea S. V. avisata de omnibus matutius deliberarer? Quomodo enim si factum, & facti circumstantiæ ignorentur, recte potest consuli? Quanta hic scandala sequantur, & quàm prope sit eversio fidei auscultet patienter S. V. Primo, vocati sunt Bohemi ad istud Concilium: literas vocationis aliàs misi S. V. Hoc factum quilibet probat, tanquam salubre & necessarium, ut postquam armis totiens frustra certatum est, alia via tentetur. Jam literæ iverunt Pragam, & Pragenses respondent Egrensibus, prout continetur in litera interclusa. Speratur quod veniant. Si Concilium dissolvitur, quid dicent hæretici? Nonne insultabunt in nostros, & fient proterviores? Nonne ecclesia fatebitur se esse victam, cum non ausa fuerit expectare illos, quos vocaverat? O quanta hic erit confusio Christianæ religionis! Approbabimus per hanc fugam errores eorum, & condemnabimus veritatem, & justitiam nostram. Nonne videbitur hic digitus dei? Ecce exercitus armatorum totiens fugit à facie eorum & nunc similiter ecclesia universalis fugit. Ecce nec armis, nec literis vinci possunt.

Videbitur

Clerus Alemaniæ.

Attende.

Accusatur Cardinalis sancti Angeli, nimiæ diligentiæ pro congregando Concilio Basiliensi.

Causæ propter quas non erat dissolvendum Basiliense Concilium, quanquàm aliter videbatur Eugenio. Prima.

Videbitur miraculum dei evidenter, demonſtrans illos vera ſentire, & nos falſa. O infelicem populum Chriſtianum! ô fidem Catholicam, ab omnibus deſtitutam! te milites, te ſacerdotes deſerunt & vituperant, jam nemo audet pro te ſtare! Nonne hoc ſacrilegium imputabitur ei, qui hujus Concilii diſſolvendi cauſa eſſet? Omnes latrabunt, & blaſphemabunt curiam Romanam, quæ tantam fidei confuſionem procuravit. Secundo: Nonne omnes fideles, qui ſciunt prædictos hæreticos eſſe ad Concilium vocatos, remanebunt ſtupefacti, & putantes, quòd propter hujuſmodi fugam noſtra doctrina falſa ſit, cum ipſi non audeamus defendere, ſequentur hæreſim Bohemorum? præſertim, cum illi jam pluries & nunc proximis diebus diffuderint per totam Alemaniam libellos famoſos, continentes circiter triginta articulos contra fidem, præſertim contra ſtatum eccleſiaſticum, cum multis authoritatibus ſacræ ſcripturæ, & ſanctorum doctorum, in quibus expreſſe aſſerunt, Quod noſtri ſacerdotes, non habentes quid illis reſpondeant, nunquam voluerunt illis dare audientiam. Quid ergo nunc dicent Catholici, ſi poſt collatam audientiam fugimus? Et advertat S. V. quod major pars illorum articulorum eſt contra ſedem Apoſtolicam, & & in detractionem curiæ Romanæ. Item nunciatum eſt omnibus univerſitatibus, quod mittant ſolenniores doctores & magiſtros quos habent huc, pro iſta cauſa. Tertio: Cum ſit ubique publicatum hoc Concilium, principaliter eſſe congregatum pro hæreſi Bohemiæ extirpanda: quanta poſtea confuſio, & ignominia erit eccleſiæ, ſi re infecta recedat? Quantum igitur periculum evidentis ſubverſionis immineat, quis non conſideret? Væ miſeris clericis, ubicunque reperti fuerint! Quarto: Quid dicet univerſus orbis, cum hoc ſentiet? Nonne judicabit clerum eſſe incorrigibilem, & velle ſemper in ſuis deformitatibus ſordeſcere? Celebrata tot ſunt diebus noſtris Concilia, ex quibus nulla ſequuta eſt reformatio. Expectabant Gentes ut ex hoc ſequeretur aliquis fructus. Sed ſi ſic diſſolvatur, dicetur quod nos irridemus deum, & homines. Et cum jam nulla ſpes ſupererit de noſtra correctione, irruent merito laici in nos more Huſſitarum: & certe fama publica de hoc eſt. Animi hominum prægnantes ſunt, jam incipiunt evomere venenum, quo nos perimant: putabunt ſe ſacrificium præſtare deo, qui clericos aut trucidabunt, aut ſpoliabunt: quoniam reputabuntur jam in profundum malorum veniſſe, fient odioſi deo & mundo: & cum modica nunc ad eos ſit devotio, tunc omnis peribit. Erat iſtud concilium quoddam retinaculum ſecularium: ſed cum viderint ſpem omnem deficere, laxabunt habenas publice proſequendo nos. Ah quis honor erit Romanæ curiæ, quæ Concilium congregatum pro reformatione turbavit? Certe totum odium, tota culpa, & ignominia transferetur in illam, tanquam cauſam, auctricemque tot malorum. Ah beatiſſime pater! abſit à ſanctitate veſtra, ut unquam dici poſſit, fuiſſe tantorum malorum cauſam: requiretur de manibus veſtris ſanguis pereuntium: de omnibus minutatim oportet in illo diſtricto dei judicio reddere rationem. Quid tunc dicetis? quam rationem allegare poteritis? Si ei qui ſcandalizat unum de puſillis eccleſiæ, tam terribile judicium minatur deus, quid fiet, ſi contingat univerſalem ſcandalizari eccleſiam? Certe ut nihil taceam, tam omnes vehementer ſcandalizati ſunt pro hac duntaxat fama, quod mirabile eſt. Quid igitur fiet, ſi, quod abſit, conſummabitur? Dicunt jam, nos ſperabamus quod hic redempturus eſſet Iſrael. Pro deo abſtineat ſanctitas veſtra à tanto ſcandalo, etiamſi ſciret ſe occidendam, ratione hujus Concilii, non permittat ſe tam indelebili ignominia notari, & tanta ſcandala ſequi. Si in juventute, & in omni ætate: ſi ante dignitatem Cardinalatus & poſt, ſemper oſtendiſtis ſigna integritatis, & ſanctitatis: ſi ſemper fuiſtis nutritor bonorum morum, & perſequutor malorum: quanto magis nunc facere debetis, cum vices dei geratis in terris? Si modo hoc fiat, ſi poſtea vixeritis ut beatus Petrus, nunquam credemini. Putabunt homines omnia ficte fieri. Jam igitur de nullo homine nec ſpes, nec fides habebitur, ſi tali macula modo S. V. permittat ſe inquinari. Quinto: Publicatum eſt hoc Concilium congregari pro pace inter reges, & principes Chriſtianos: quia bulla Martini (cujus copia ubique diffuſa eſt) inter alias cauſas, etiam propter pacem Chriſtianitatis mandat congregari hoc Concilium. Jam invitati ſunt reges & principes, præſertim Franciæ & Angliæ, tam diu inter ſe bellantes. Facta ſunt etiam ad hoc nonnulla præparatoria, de quibus aliàs ſcripſi S. V. qualiter requiſivimus dominum archiepiſcopum Colonienſem, ut vellet ire in Franciam, ad juvandum reverendiſſimum dominum Sanctæ Crucis: ſcriptum etiam eſt præfato domino Sanctæ Crucis, qui nunciavit, quod ſi eligatur aliquis locus ad quem conveniant ambaſiatores utriuſque partis, utile valde eſſet, quod aliqua ſolennis ambaſiata illuc mitteretur ex parte Concilii. Nec quiſquam dicat, quid opus eſt, quod Concilium ſe in hoc intromittat, cum dominus Sanctæ Crucis ad hoc miſſus fuerit? quia judicio omnium hoc creditur expedire, & ipſe dominus S. C. ut ſupra dictum eſt, laudat: deinde quicquid fit, fit nomine S. V. Et omnis laus, & meritum erit veſtrum. Deinde, nonne dominus Martinus prius miſit dominum S. C. & poſtea dedit iſtam facultatem ad procurandum pacem

Secunda. Articuli Huſſitarum. Hæreſis Huſſitarum qualis. Tertia. Quarta. Concilia multa fruſtra celebrata. Quinta. Cardinalis Sanctæ Crucis.

Sexta. pacem inter reges Christianos? quicquid sit, prodesse potest, nocere non potest. Sexto, scriptum est regi Poloniæ, duci Lituaniæ, & Prutenis, rogando ut interim suspendant guerras, offerendo mittere ambasiatam ad tractandam pacem. Et super hoc etiam scriptum est prælatis Poloniæ: Nonne reputabunt se delusos? Quot mala ex illa guerra sequi possent, si perseveret, aliàs scripsi S. V. Timendum est enim, ne alter Tartaros, alter Bohemos in subsidium invocet, in perniciem Christianitatis. Septimo, his diebus civitas metropolitana Magdeburgensis expulit archiepiscopum & clerum, & jam illi cives incedunt more Bohemorum cum curribus, & dicitur quod miserunt pro uno capitaneo Hussitarum. Et quod valde timendum est, habet civitas ista ligam cum multis civitatibus, & communitatibus illarum partium. Item civitas Pataviensis, quæ est de dominio domini episcopi, expulit episcopum, & erexit machinas contra quoddam castrum episcopi. Utraque istarum civitatum est finitima Bohemis, & si conjungant se cum illis (prout valde timendum est) multarum civitatum habebunt sequelam. Scriptum est utrique, rogando, ut supersedeant à guerra. Et siqua controversia inter ipsos sit, offert se Concilium velle illam terminare: & taliter providere, quod ipsi cives remanebunt optime contenti. Missus est etiam quidam ambasiator, versus Magdeburgam, ad tractandum hoc negotium pacis, scribendo dominis & communitatibus circumvicinis, ut etiam se interponant. Idem fiet versus Pataviam, postquam redierit nuncius illuc missus. Item quia magna discordia est inter civitatem Bambergensem, & episcopum, & capitulum, quæ est supra modum periculosa, propter vicinitatem hæreticorum: Concilium dat operam, ad interponendum se pro concordia, & vocant utramque partem, quæ jam venit. Si ergo dissolvatur Concilium, discordiæ istæ non tollentur, sed augebuntur, & trahent post se multas alias civitates & oppida. Octavo, ex consilio domini archiepiscopi Coloniensis requisitus est dominus dux Burgundiæ, & sibi scriptum, si vellet acceptare expeditionem illam contra Bohemos: quoniam ipse videtur ad hoc valde idoneus, & inclinatus, & modicum est, quod fecit treugas cum domino rege Carolo ad biennium, & in tenore treugarum expresserat quod ad illas motus fuerat, ut posset intendere ad extirpationem Bohemorum, prout à me fuerat requisitus, jam ipse mihi rescripsit, quod vult mittere huc ambasiatores ad practicandum hoc negotium. Si Concilium dissolvatur, ecce primo perdemus hoc tam utile medium: deinde irritabitur ille princeps contra ecclesiam, à qua dicet bis se fuisse delusum. Ecce quomodo omnia mirabiliter se disponunt ad eversionem status ecclesiastici. Ideo merito facienda fuit & est summa & exacta diligentia, ut omnes prælati huc confluerent, ut unanimi consensu per universam ecclesiam imponeretur aliquod notabile subsidium pro hac re, etiam ultra decimam si opus esset, quod si fuisset impositum in Concilio, sine difficultate fuisset exactum, quod non sic fuit tempore domini Martini. Copiam literæ ducis Burgundiæ mitto hic interclusam. Nono: Militares & nobiles de Alemania obtulerunt se ducere potentissimum exercitum proxima æstate in Bohemiam dummodo daretur eis subsidium communium expensarum, ut supra dictum. Et quia jam sunt quatuor menses quod hoc annunciavi S. V. primo per abbatem Perusinum, deinde per plurimas literas, nec adhuc habui responsum. Et illi miserunt mihi intimare per magistrum Prutenorum Alemaniæ, quod nisi in octava Martini darem eis firmam spem istius subsidii dimitterent hunc tractatum expeditionis. De consilio Concilii scripsi eis, & misi ambasiatorem promittendo tale subsidium. Iterum pridie scripsi, & solicitavi eos per duos ambasiatores ad prosecutionem tam sancti operis, promittendo iterum dictum subsidium. Forsitan non habebitur de curia: ideo feci & facio diligentiam pro congregatione prælatorum ut si ex curia non habeatur, habeatur hic. Quod si dissolvatur Concilium, cujus nomine illi requisiti sunt, & etiam promissio facta, quid dicent illi? Nonne dimittent hoc, quod inceperant? quod erit maximum damnum. Et audacia nimia dabitur hæreticis. Et nostris diffidentiæ absque omni spe incutietur timor, & cogentur concordare cum hæreticis: quoniam ista spes multum prodest, etiam si nihil sequatur, quia retineret homines, ne adhæreant hæreticis. Sed quod forsitan deterius erit, nonne tota militia & nobilitas Alemaniæ videns se delusam, & deceptam per ecclesiam, irritabitur contra clerum? & quia fecerunt præparatoria, &c. spoliabunt & persequentur clerum ubicunque. Qualiter etiam aperto ore blasphemabunt clericos? dicentes: Nos volebamus ponere corpora nostra, & etiam substantiam nostram pro defensione eorum: at ipsi quorum res agitur, noluerunt modicissimam pecuniam contribuere. Vere, vere, hoc est ponere gladium in manibus eorum, & dare eis expressam licentiam, quòd irruant super clericos vehementius, quàm hæretici. Ecce non sufficiebat nobis Bohemos inimicos habere, nisi gratis faciamus nobis inimicam tantam multitudinem nobilium secularium. Quando ista narrabuntur per orbem, nonne alii commendabunt quicquid fecerint illi militares adversus nos? Nonne & alii finaliter contra nos accendentur & provocabuntur? Ecce in quantis periculis sumus, quæ (ut verum dicamus) nos in nosipsos concitamus.

Sed

Marginal notes: Septima Magdeburgensis. — Patavienses ad Danubium. — Bambergenses. — Octava. Burgundiæ dux. — Nona.

Sed ego ero ubique infamis, cujus literas manu mea scriptas super promissione hujusmodi subsidii illi militares habent. Certe ut his periculis occurram: & ne sim causa eversionis status ecclesiastici, ac ut hanc totam effugiam, laborabo pro viribus (si potero) ut prælati hic existentes, ad hoc subsidium contribuant: ex quo de consilio eorum ista tentavi. Et si non potero hoc efficere, decrevi potius mori, quàm ignominiose vivere. Ibo forsitan Nurenbergam, & ponam me in manibus illorum nobilium, ut faciant de persona mea quicquid volunt, etiam si velint me vendere hæreticis. Saltem omnibus constabit de innocentia mea. Ecce meritum quod expecto ex diligentia & fervore pro defensione fidei Catholicæ. Certus sum, cum S. V. talia audiet, aliter determinabit, aliter etiam providebit: quia finaliter totum onus, & omnis nota redundabit in sedem Apostolicam & S. V. Quantum successit mihi contra spem? putabam quod S. V. mitteret mihi subsidium petitum, & nunciat, ut practicem dissolutionem Concilii. Et si dicat S. V. habuimus guerram: ego respondebo, quod etiam si guerræ adhuc durarent, etiam si essetis certi perdere Romam, & totum patrimonium ecclesiæ, potius subveniendum est fidei & animabus, pro quibus dominus noster Jesus Christus mortuus est, quàm arcibus & mœniis civitatum. Charior est Christo una anima, quam non solum patrimonium temporale ecclesiæ, sed etiam cœlum & terra. Utique, cum nec cœlum & terra facta sint ad similitudinem & imaginem suam, nec pro illis mortuus sit, principale officium vestrum (beatissime pater) est salvare animas, imitando vestigia Christi, qui dixit, Non sum missus, nisi ad salvandas oves, quæ perierant de domo Israel. Non dico esse negligendam temporalitatem, sed dico multo pluris esse æstimandam animarum salutem. Sed forsitã dicet aliquis, quis tibi imposuit obligare te illis militaribus aut requirere ducem Burgundiæ? Respondeo, quod evidens periculum subversionis fidei: quoniam nisi data esset spes illis, omnino retraxissent se. Cum eram legatus ad extirpandam hanc hæresim, videtur mihi mandatum, ut etiam faciam per quæ illa possit extirpari. Item quia sum nuncius ejus, qui est vicarius illius, qui posuit animam suam pro ovibus suis, merito sperare debebam & debeo, quod ponet modicam pecuniam. Item accessit ad hoc consensus istorum patrum de Concilio. Et forsitan S.V. non potest nunc subvenire, permittat quod cum istis de Concilio procurem modum subveniendi: alioquin video fidem & statum ecclesiasticum ruere irremediabiliter. Decimo: Cum post recessum de Bohemia multi domini, & oppida vicina Bohemiæ inierint treugas cum hæreticis: ne alii hoc facerent, isti de Concilio miserunt duos notabiles viros per Austriam, Bavariam, Franconiam, & Misniam, at circumcirca Bohemiam, exhortando populos & dominos, ut maneant firmi in fide, & quod propter hoc Concilium congregatum est, dando eis spem, quod omnino Concilium adhibebit aliquod remedium ad extirpandum hanc hæresim. Et nonnulli jam cogitabant inire treugas cum hæreticis, qui audita fama Concilii, sperantes hinc aliquid contra illam hæresim concludi, destiterunt. Si modo dissolvatur Concilium, nonne populi Germaniæ videntes se non solum destitutos ab ecclesia, sed deceptos, concordabunt cum hæreticis & fient nobis inimicitiores, quàm illi? Heu, heu! quanta ista erit confusio? finis pro certo est. Jam (ut video) securis ad radicem posita est: Inclinata est arbor ut cadat, nec potest diutius persistere. Et certe cum per se stare posset, nos ipsam ad terram præcipitamus. Saltem qui non vult præbere fidei subsidia, non præbeat impedimenta. Ecce quot mala, quot scandala ex tali dissolutione sequentur. Et posito, quod nihil eorum bonorum, quæ prædicta sunt, ex hoc Concilio sequeretur, si perseverent, tamen si dissolvatur, omnes dicent, Si non fuisset dissolutum, tot & tanta bona processissent & totũ hoc sanctitati vestræ imputabitur, nec unquam poterit hanc maculam abstergere. Permittat ergo cursum suum facere, ex quo per alia præcedentia Concilia, & per prædecessorem vestrum inchoatum est, & per S. V. literas approbatum. Et quanquam dicatur, talis prorogatio & loci translatio fit ad bonum finem, ut ibi præsente sanctitate vestra majora bona sequi possint, nemo hoc credit, quia dicunt, fuimus delusi in Concilio Senen. iterum in isto. Missus est legatus, missæ sunt bullæ, & nihilominus quæritur loci mutatio, & prorogatio temporis. Quid poterit sperari tunc? Item, beatissime pater, per hujusmodi prorogationem non tolluntur scandala, quæ narrata sunt. Essent interrogandi hæretici, si volunt expectare usque ad annum cum dimidio, ut non disseminent virus suum. Essent & interrogandi qui scandalizantur de deformitate cleri, an interim velint supersedere. Ecce quotidie pullulat ista hæresis: illi quotidie se ducunt Catholicos, aut vi opprimunt: non perdunt minimum temporis momentum. Quotidie nova scandala ex deformitate clericorum insurgunt, & nihilominus provisiones ex remedio procrastinantur? Fiat quod fieri potest nunc: Reliquum servetur ad annum cum dimidio. Ego timeo quod usq; ad annum cum dimidio, nisi aliter provideatur, magna pars cleri Alemaniæ erit desolata. Si per Germaniam diffunderetur hæc vox, quod Concilium esset dissolutum, pro certo clerus omnis daretur in prædam. Cur S. V. se mutavit? Scripsit mihi, ut venirem huc, & juxta injuncta mihi, & ordinata in Concilio Constan-

Attendant hæc Pontifices.

Officium Romani pontificis.

Decima & ultima causa.

Vaticinium Juliani Cardinalis.

De scandalis clericorum.

Constantiensi, opportunè providerem. Ita facere curavi, si S. V. habebat hunc animum tam cito dissolvendi, melius fuisset non incipere. Quid timet S. V? quoniam tam mundè, tam juste vixit, quod potius alii deberent illam timere, quàm ipsa alios. Certe magna admiratio omnes cepit talia audiendo. Et (ut nihil eorum, quæ dicuntur taceam) aliqui timent, quod forsitan gravis & longa infirmitas non permittat S. V. ita mature consulere, sicut expediret. D. Martinus stetit in Papatu quatuordecim annis & nihilominus mandavit fieri Concilium. Et ut recolo dixisse S. V. bis diverso tempore postulata à me quid vellet me facere, super eundem sermonem respondit, fac bonum. Adducit me sanctitas vestra in quendam mentis stuporem, cum talia audio. Solebat S. V. constans & firma esse, & nunc tam repente non exquisitis circumstantiis se mutavit. Dicatur quicquid dici potest, homines non credunt hoc fieri ad bonum: dicunt, si non potest ipse venire propter infirmitatem, mittat plures & plures dominos Cardinales, mittat alios notabilissimos viros: non hoc est Concilium primum, quod absente summo Pontifice celebratum est. De securitate loci, dicunt non esse dubitandum: quia cives promiserunt defendere à quocunque, & in plena forma, prout in Constantia. Sed audio quod nonnulli trepidant quod in hoc Concilio debeat auferri temporalitas ab ecclesia. Mira res; si hoc Concilium non fieret per viros ecclesiasticos, forsitan dubitandum foret. Sed quis erit iste ecclesiasticus, qui huic determinationi consentiat? Non solum quia esset contra fidem, sed quia redundaret in detrimentum eorum. De laicis quis erit? nulli, aut paucissimi. Et si forsitan aliqui principes mittant, mittent plerumq; ecclesiasticos viros, qui nullatenus consentirent. Nec illi pauci laici, qui erunt, admittentur ad vocem, ubi agitur de rebus ecclesiasticis. Et vix puto, quod decem in toto domini sæculares hic erunt personaliter, & forte non quinque. Deinde non puto, quod hoc Concilium sit futurum majus, quàm Pisanum vel Constantiense, nec tamen ibi fuit tractatum per Concilium, an temporalitas debeat ab ecclesia tolli. Puto usque ad hunc diem à passione domini fuisse circiter centum Concilia celebrata, & in nullo eorum hoc fuit agitatum. Quomodo timendum est, quod in isto auferri debeat? Nec etiam unquam fuit aliquod legitime congregatum Concilium, in quo spiritus sanctus permiserit aliquid contra fidem determinari: Cur timendum est contrarium in hoc? hoc est diffidere de spiritu sancto. Sed vereor ne contingat nobis, sicut contigit Judæis, qui dixerunt, Si dimittimus hunc, venient Romani & tollent locum nostrum, & gentem. Ita & nos dicimus, Si admittimus fieri Concilium, venient laici & tollent temporalitatem nostram. Sed sicut justo dei judicio factum fuit, quod Judæi perdiderunt locum suum, quia noluerunt dimittere Christum: Ita & justo dei judicio fiet, quod quia nolumus dimittere Concilium fieri, perdemus temporalitatem nostram, & utinam non corpora & animas. Quando deus vult alicui populo aliquod infortunium immittere, primo, disponit ut pericula non intelligantur, neque considerentur. Ita videtur nunc contingere viris ecclesiasticis, quos sæpe redarguo esse coecos, qui vident ignem, & nihilominus currunt versus illum. Iste sonus dissolutionis Concilii sermonem habet mali, & suspicionem generat & homines irritat. Mira res! Per Concilia invenio roboratam atq; defensam, & auctam semper potestatem ecclesiæ, & libertatem ecclesiasticam: & nunc timemus debere tolli? Sed esto, decernendum sit, ut tollatur temporalitas. Adhuc majus periculum est fidei, si dissolvatur Concilium ut supra clarius probatum est. Forsitan quod præjudicabitur authoritati summi pontificis in aliquibus: non puto aliquem debere consentire contra Canonicas sanctiones, decretaq; sanctorum patrum, nec spiritus sanctus illud permittet. Nunquam fuisset celebratum aliquod Concilium si hujusmodi timor invasisset corda patrum nostrorum, sicut invadit nostra. Sed & si hunc timorem habemus, cur non opponimus remedium? Cur ad evitandum unum malum, volumus incurrere majus? Ecce remedium ad hoc: Mittat huc sanctitas vestra aliquos de reverendissimis dominis Cardinalibus, & aliquos notabiliores prælatos, qui reperiri possunt, & bene affectos sedi Apostolicæ, & qui sint bene inclinati ad bonum universale, det sanctitas vestra omnem favorem possibilem huic Concilio, promoveat ipsum quantum potest: Scribat ei literas benignas, exhortando ipsos ad sancta opera, quæ proponunt, offerendo se, &c. Illa quæ Concilium petit à sanctitate vestra, benigne concedat. Studeat eadem sanctitas invenire pecunias pro isto modico subsidio militarium de Alemania. Etiam si quid restat reformandum in curia, reformet S. V. prout laudabiliter inchoavit. Etiam scribat istis, si quid est, quod videatur istis de Concilio per S. V. esse faciendum pro bono universalis ecclesiæ, quod est totis viribus parata. Quando isti talia videbunt & audient, in veritate puto quod etiamsi haberent malum animum, mutarent illum: & non solum studebunt conservare authoritatem sedis Apostolicæ, sed augere: quia tanto utilius est membris, quanto caput est potentius ac fortius, ut major virtus diffundatur in membra. Sed si videant contrarium, verbi gratia, de dissolutione Concilii, tunc scandalizantur: & sequitur hoc, quod ubi prius erant tepidi, hujusmodi vox reddet ipsos magis acutos & ferventes. In veritate cum pridie

Metus Romani Pontificis.

Esset contra fidem.

Vaticinium.

pridie cives hujus civitatis venirent in publicam congregationem, præsente domino Parentino, & conquererentur de hac suspicione orta super dissolutione, petentes, ut apponeretur remedium propter scandala, omnes de Concilio quodammodo versi sunt in furorem, & firmarunt se fortius ad perseverandum: & ut ex dictis ipsorum colligere potui, parati sunt omnia sustinere antequam recedant. Multa dixerunt, non tamen contra honorem S. V. imò eam ex gestis per omnem ætatem valde commendabant: & propterea reputabant non verisimile hoc procedere de mente S. V. Propterea S. V. diligenter advertat, quod ultra pericula supradicta, etiam imminet aliud periculum majus, videlicet schismatis: de quo vehementer timeo, si S. V. perseveret in hoc proposito dissolvendi, isti nunquam consentient, nec prorogationi, nec translationi: quia (ut dixerunt tunc) Decretum Constantiæ hoc expressè prohibet. Item visi sunt expressè protestari, quod procurare talia, est impedire extirpationem hæresium, reformationem morum, & quietem populi Christiani: & consequenter fovere hæreses, peccata, guerras & odia. Quid hæc significent, animadvertat (obsecro) eadem sanctitas. Pro deo non permittat sibi talia persuaderi, quia timeo dissidium in ecclesia dei. Vereor ne advenerit tempus, de quo dicit Apostolus, quod oportet primum ut fiat discessio. Tantum est, beatissime pater, (prout aperte intelligo) si ego vel quivis alius auderet, sine consensu istorum dissolvere, vel mutare locum Concilii, lapidarent & caperent me, ut hæreticum: & credo dentibus me laniarent. Si quis meam mortem appetit, mittat me Pragã, vel ad Saracenos, ubi moriar ut catholicus. Pro fide cupio, & vovi mori: sed non hoc modo in scandalum universalis ecclesiæ. Si S. V. non placet, ut sim legatus vester, intimet mihi: & post istas literas & responsum à S. V. statim dimittam legationem: imò erit mihi gratius quod alteri committatur hæc provincia, quia pluribus & laboribus & ærumnis angustiisq; mentis & corporis video me hic obnoxium. Revertar Romam (si placet) & stabo cum majori quiete: & spero apud S. V. ita gratè videri, sicut quicunque alius. De hac autem ad pedes S. V. profusis lachrymis supplico, quod non quæratis ignominiam, & scandalum meum, & non tam meum quàm fidei: videlicet ut cum propter fidei causam obligatus sim prædictis militaribus, quod S. T. det modum, ut illis subveniatur. Alioquin etsi non ut Legatus, saltem ut privata persona laborarem in hoc Concilio, ut isti patres de Concilio subventionem prædictam facerent: quod si non possem efficere, priusquam hac macula fœdari velim (ut antea dixi) irem ad Nurenbergam, & ponerem me in manibus dictorum militantium. Satis jam dixi. Optime S. V. discutiat omnia, consideret præteritam vitam meam, & cogitet an me mendacem invenerit, aut infidelem. Deum testor, qui me judicaturus est, si ex renibus vestris genitus essem, fidelius consulere non possem. Quicquid dixi, ex fronte supereffluentis charitatis, quam ad honorem dei, & S. V. habeo, sine dubio prodiit. Si quid forsitan acutius, quàm deceret expressi, asscribatur filiali devotioni & ardenti charitati, quæ non considerat majestatem ejus cui loquitur, sed impetu amoris fertur sine modo & mensura. Quando domus ardet, licet servis clamare & perstrepere, & dominum si forte dormiat, sine reverentia excitare. Nihilominus humillime veniam peto, si quid in hac epistola erratum est. ¶ Post prædicta, dominus Parentinus dixit nuncium venisse de curia, & præsentavit mihi quandam bullam facultatis dissolvendi Concilium: ante cujus dissolutionem unà cum consilio Concilii deputarem locum ad decennium. Asseruit nihil aliud habere tangens Concilium, quàm hoc: & nonnulla alia super hoc dixit, tam mihi, quàm aliis: quæ utinam pro honore episcopalis dignitatis non dixisset. Et quia prius omnes erant valde scandalizati de ipso, de consilio suo, publice excusavi eum, dicens, quod circa factum Concilii nihil ipse habebat, sed totum erat apud me: & quod nullatenus haberent timere, quia nihil circa hoc faceret. Etiam ipse pluribus magnæ authoritatis dixerat, quod putaret se sacrificium præstare diabolo, si aliquid in dissolutionem hujus Concilii faceret. Et quia omnes male suspicabantur de S. V. propter hanc famam dissolutionis, ne putarent S. V. hoc procurare ad malum, & sine aliquibus motivis, de consilio dicti domini Parentini legi dictam bullam aliquibus majoribus. Qui respondentes, dixerunt, quod cum S. V. esset mota ex non veris causis, nec esset vere informata de facto, & ignoraret inconvenientia, & scandala, quæ ex tali dissolutione sequi poterant contra fidem & ecclesiam: volebant ad eandem sanctitatem mittere ambasiatorem, qui eam de omnibus plene informaret, reddentes se certos, quod illo audito aliter deliberaret: & quod nullatenus huic dissolutioni assentirent, priusquam informassent eandem sanctitatem de his, qui consistunt in facto. Dicebant primo, quod causa illa expressà in bulla, quod nonnulli oppidani circa Basileam erant infecti hæresi Bohemica, & persequebantur clerum, non erat vera: quoniam omnes sunt fideles, & nihil tale auditur in his partibus: imò isti cives Basilienses sunt boni catholici, & bene defendunt & protegunt clerum. Secunda causa, quod non erat tutus accessus propter guerram patriæ inter duces Burgundiæ & Austriæ, etiam non est vera: quia facta est

Basiliensium laus.

Bulla dissolvendi Concilium.

Basilienses laudantur.

est treuga,& nullus veniens ad Concilium fuit unquam offensus, vel derobatus. Unde cum principaliter S. V. mota sit ex iis, dicunt bullam subreptitiam. De hyeme, non dicunt esse sufficientem causam dissolutionis: quia qui volunt venire, non dimittunt propter hyemem. Item dicunt,quod propter Græcos non est omittendum hoc Concilium,tam solenniter institutum: & absurdum arbitrantur, quod propter incertã reductionem Græcorũ debeat permitti quod Germania nunc & semper fidelis, labatur in hæresim Bohemorum. De quo valde timendum esse dicunt, nisi apponatur celeriter remedium, & quod ista cantilena de Græcis jam trecentis annis duravit, & omni anno renovatur. Item dicunt quod utrumq; tanquã bonũ fiat: hoc nunc in tempore statuto, & illud ad annum cum dimidio, & quod omnes libenter erunt parati venire postea ad illud, & quod infra illud tempus hoc erit bene completum, & multa circa hoc dicunt. Ad illud de præsentia S. V. dicunt quod si illa ex causa interesse non possit, quod attento periculo fidei & status ecclesiastici non propterea negligendum est hoc Concilium, in quo est legatus S. V. & poterunt etiam mitti plures: & quod Papa Martinus in bulla Concilii asserit se etiam propter infirmitatem notoriam non posse ad Concilium venire, & nihilominus mandavit Concilium fieri. Item cum eodem domino Martino idem tractatus Græcorum pendebat, & nihilominus mandavit fieri Concilium. Habui super his omnibus quæ dixi colloquium sæpe cum ipso domino Parentino: & licet ipse videretur omnino affectus ad dissolutionem, nihilominus dicebat quod non venerat, nisi ad conferendum mecum de materia, & quo regeret se consilio meo,& secundum quod ego scriberem S.V.ita ipse faceret. Imo multo citius ista intimassem S.V. nisi ipse fecisset me differre. Post hoc uno mane tempestivè, præcipitanter recessit,nulla mihi facta mentione, & fecit dari vocem quod ire volebat ad Argentinam pro exigenda pecunia cameræ à quodam collectore. Sed modo hic dicunt, quod fuit visus ire versus Bisuntium. De hoc vehementer obstupui, quod ita diffidenter mecum egisset, attentis his, quæ ante dixerat. Ego simpliciter in omnibus sibi credidi: doleo quod negotia fidei tractantur & turbantur cum tanto ludibrio. Remansit hic quidam doctor suus juvenis, qui ostendit mihi duplex transsumptum: unum, in quo S. V. dissolvit: aliud in quo dat potestatem ipsi Parentino dissolvendi. Dixi ut ostenderet mihi originales literas, quia totiens ipsum invenio variasse, & tot falsa & ficta audivi in hac re, quodamodo cogebar ipsi non credere, adhuc mihi non ostendit, sed quandoq; dicit unum, quandoq; aliud. Rogavi quod vellet ire usq; ad dominum Parentinum, quod si quid haberet in mandatis, vellet differre usq; ad duos menses, donec S. V. consuluissem super his. Nisi videam literas originales, non credam: quia non videntur ista bene congruere, quod committatur mihi dissolutio, & quod ante dissolutionem eligam locum cum consilio Concilii, & quod ante Romæ per se S. V. dissolverit, præsertim cum sit expresse contra tenorem decreti Concilii Constantiensis, in quo cavetur, quod per mensem ante dissolutionem Concilii eligatur locus futuri Concilii, consentiente & approbante Concilio. Sed quid erat opus uti tot involutionibus? Cur mihi ista clare non exprimuntur? Signum est quod de me non confiditur. De omnibus patientiam habeo. Isti patres omnino decreverunt stare hic, & continuare Concilium, & mittere unum notabilem virum ad S.V. infra duos dies. Video jam apertum ostium ad maximũ scandalũ, & confusionẽ in ecclesia dei. Video jam deum vibrasse gladium super nos, securis ad radicem posita est, flagellum jam appropinquat. Sum certus, quod S. V. non putabat rem istam fore tam scandalosam, quia prius permisisset se mori, quàm assensisset. Sed pro deo opponatur remedium possibile, quod mihi videtur esse, & facile, & honestum, videlicet quod S. V. rescribat: quod cum non esset de iis informata, ideo cogitaverat propter bonũ differre usq; ad annum cum dimidio. Sed cum talia audierit, ideo decrevit quod Concilium habeat cursum suũ, & mandare dignetur domino Parentino, si forte aliquid habet ad dissolutionem, quod non publicet. Ad minus, beatissime pater, differat S. V. usq; ad mensem Julii, quia tunc cessabunt illa inconvenientia & scandala quæ modo obstant, videlicet de hæreticis vocatis ad Concilium, & militaribus: quia infra illud tempus omnia ista erunt completa. Poterunt etiam fieri aliquæ ordinationes super reformatione cleri Alemaniæ & mitti per Germaniam, & sic videbitur aliquid factum, nec tunc poterit aliquid imputari S. V. Et hoc quidem nunc fieret cum scandalo, & sine effectu, tunc honestius fieri poterit. Beatissime pater, omnes fideles servitores Sanctitatis vestræ supra modum de iis contristantur: præsertim dominus archiepiscopus Treverensis, & Ratisponensis, qui modo sunt hic: videtur eis & omnibus, quod ex hoc perpetua nota remaneret super S. V. & curiam Romanam: & omnes semper detraherent, & quod graviter ac publice universalis ecclesia ex hoc scandalizaretur, & S.V. uno momento perderet illam integritatis & sanctitatis famam, quam tot annis acquisivit. Possemne ego scire, beatissime pater, quid timeat S. V. aut curia Romana? Nunquid non ego sum membrum ecclesiæ, & curiæ Romanæ? nunquid etiam meã non interesset? Quare ergo ista me latent? maceror intra me. Confidat (obsecro) S.V. de me, si quid est quod

Germaniæ laus.

Astutum consilium.

quod timere oporteat. Ecce juro per viventem in sæcula, quod quantum cum deo possum, paratus sum mori, & ire in carcerem pro sanctitate vestra. Differat ergo eadem sanctitas per hoc modicum tempus: in hoc nulla excusatio esse poterit, quia non potest quoquam modo propter hoc impediri illud Concilium de Græcis. Item etiam, si placet, poterit S. V. in Bononia indicere, non solum ad annum cum dimidio, sed ad duos. Nihilominus, si S. V. his non obstantibus, non intendit flecti, amore Jesu Christi providere dignetur, quod ego liberer à promissione facta illis militaribus. Nam si S. V. non ministraret prædictum subsidium, nec isti de Concilio, oporteret me (ut dixi) ire ad Nurenbergam, & ponere me in manus illorum militarium. Prius volo mori in carceribus eorum quam promissionis meæ esse fractor. Si Regulus gentilis propter promissionem suam non timuit reverti ad Carthaginenses: nec ego Christianus, qui propter fidem catholicam illis obligatus sum, timebo ad eos redire. Jam nescio quid plus dicam, feci & facio quantum potui: non potero plus, flebo & lachrymabor si quid scandali ex hac dissolutione (prout timeo) sequatur. Sed nec peccatum meum, neque iniquitas mea. Satis clamavi, & raucæ factæ sunt fauces meæ. Tu, Jesu Christe, adjuva ecclesiam tuam, quam tuo pretiosissimo sanguine fundasti. Aviso sanctitatem vestram, quod me hinc recedente, vel dimittente præsidentiam, isti statim facient sibi unum præsidentem authoritate Concilii. Ad certas instructiones tangentes ea, quæ hactenus hic facta sunt, respondeo plene per schedulam hic introclusam. Sed quicquid actum est, factum est secundum dispositionem juris communis, & formam Conciliorum Pisani & Constantiensis, & bullam domini Martini, & unà cum consensu eorum qui hic sunt, &c.

EXEMPLUM ALTERIUS EPISTOLÆ

Ejusdem domini Legati, missæ ad Eugenium pontificem Romanum.

Beatissime pater, post devota pedum oscula beatorum.

JAM nunc universus cognoscet orbis, an viscera paternæ charitatis, & zelum domus domini V. S. habeat: an missa sit ad pacem, vel ad dissidium: an ad congregandum, vel dispergendum: an ille bonus pastor sit qui animam suam ponit pro ovibus suis. Ecce jam ostium aperiri incipit, per quod oves perditæ ad proprium ovile regressuræ sunt. Ecce jam spes est in janius, reconciliationis Bohemorum. Si S. V. hoc demum opus (prout tenetur) adjuvet ac promoveat, gloriam in cœlo & in terra perpetuam consequetur. Si forsitan (quod nullatenus credendum est) impedire conetur, omnes illam arguent impietatis, cœlum & terra adversus illam conspirabunt. Nemo erit qui eam non deserat. Nam quomodo ille sequendus est, qui cum ecclesiæ pacem & quietem unico verbo dare possit, id facere recusat? Sed meliorem jam spem concipio, quod modo eadem sanctitas sine ulla excusatione tota mente huic sacro favebit Concilio. Et gratias omnipotenti deo aget, quod pro tanto bono, ista congregatio hinc non discesserit. Ecce Legati hujus sacri Concilii ex Egra cum lætitia & exultatione respondentes referunt, quemadmodum per gratiam spiritus sancti firmiter concluserunt cum ambasiatoribus Bohemorum, videlicet Pragensium, Orphanorum, & Taboritarum: inter quos adfuerunt ductores exercituum illius gentis, præsertim Procopius, quod solennis ambasiata omnium statuum regni ad Concilium Basiliense venire debeat: postquam per Concilium salvus conductus in forma condicta ad vos remissus fuerit, quod sine mora fiet. Miro gaudio, levatisq; ad cœlum manibus hæc sacra congregatio exhilarata est: nam isti nostri ambasiatores asserunt cum tanta charitate hoc negotium in Egra tractatum fore, & talia apud illos Bohemos vidisse & conjecturasse, ut maximâ spem reductionis illorum merito concipiant, & tandem se tenerrimè amplectentes cum lachrymis lætitiæ ex Egra discessisse, ipsis Bohemis nostros rogantibus, ut hoc negotium quantocius expediretur. Multa etiam referunt in hujusmodi tractatu intervenisse: quæ si quis audiens, non lachrymetur præ gaudio, indicare se poterit Christo modicum affici. De tribus autem quatuor articulorum non videntur facere difficultatem, de quarto, videlicet communionis sub utraque specie, spes est quod sequentur judicium Concilii. Quis igitur jam audeat consulere S. V. quod in proposito dissolutionis amplius perseveret? quinimò si nunquam indictum fuisset hoc Concilium, pro tanta spe & necessitate in hoc loco modo indici deberet. Quàm laudabiliter ageret S. V. si dimissa Italia & omnibus rebus, huc personaliter se conferret, etiam si necessarium foret vehiculo deferri. Custodia autem

Legati Conciliares ex Egra reversi.

& defensio patrimonii ecclesiæ temporale, optime per legatos & vicarios posset disponi. Hoc est verum patrimonium ecclesiæ, lucrifacere animas. Non enim ecclesia est congeries lapidum & murorum. Non custodem vos fecit Christus castrorum & mœnium, sed pastorem animarum: proinde quod magis necessarium est, & Christo charius, id in propria persona agendum est, cætera per substitutos. Ita fecere apostoli, qui ut liberius intenderent prædicationi verbi dei, septem instituerunt, qui vacarent mensis, & inferiorum rerum administrationi. Audio per dei gratiam de die in diem melius convalescere S. V. Et si pedester (ut dicitur) aliquas ecclesias nunc visitat, forsitan equester huc posset accedere. Ad rem autem utiliorem, & suo officio magis congruentem ire non posset, quàm ad locum unde sperantur innumerabilia bona provenire. Recogitet aliquando S. V. in quibus actibus Christus, cujus vicarius estis, & beatus Petrus, cujus successor, & alii apostoli & sancti pontifices se exercuerint: ipsis sicut officio succeditis, ita succedatis & moribus. Quod si forsitan eadem S. V. nequeat huc venire, consulo ut pro tanto bono mittat majorem partem reverendissimorum dominorum Cardinalium curiæ Romanæ, & mandet prælatis quibuscunq;, ut huc se conferant. Non retrahat, neq; impediat (sicuti fama est) volentes venire, quin potius ad huc veniendum alliciat. Credat S. V. mihi quod solum charitas ad consulendum instigat, nolite separari à membris vestris: fovete filios tanquam gallina pullos sub alis suis. Si forte nec aliquos velit destinare, saltem unicum hoc verbum dicat, placet, ut fiat Basiliense Concilium. His enim diebus aliud nunciatum est, propter quod omnino S. V. desistere debet ab ipsa dissolutione. Reverendus pater dominus archiepiscopus Lugdunensis scripsit Concilio, & mihi etiam, qualiter prælati Franciæ convenerunt in Bituricensi civitate, & ibi post longam & exactam examinationem concluserunt, Concilium esse hic legitime congregatum, necessariumq; ut hic & nunc celebretur, & ad id prælatos Franciæ debere venire. Motiva autem & rationes quibus moti sunt ita concludere, etiam destinavit huc: quorum copiã puto per alios S. V. missam. Quid igitur amplius S. V. moratur? conata est quantum potuit nunciis, literis & variis modis retrahere prælatos, laboravit pro viribus, ut hoc Concilium dispereat. Nihilominus, ut videt, indies magis augetur, & quo major fit prohibitio, eo magis quilibet in contrarium accenditur. Non jam hoc est resistere voluntati dei? Cur provocatis ecclesiam ad indignationem? Cur irritatis populum Christianum? Dignemini (obsecro) ita agere, ut amorem favoremq; non odium gentium comparetis. Vehementer ubique gentes talia audientes scandalizantur. Non permittat se S. V. à quoquam seduci, incutiente forte timorem, ubi timendum non est, aut persuadente, hoc non esse legitimum Concilium. Scio me offensurum eandem S.V. si velim probare contrarium. Sed melius est, ut paululum offendam verbis, ut prosim factis. Nam medicus infirmo apponit cauterium urens & sanat plagam. Non potest medicina prodesse, nisi gustu sit amara. Sub hac confidentia non verebor patefacere veritatem, ut ea cognita S. V. sanctius sibi & ecclesiæ consulat. An hoc Concilium legitimum sit, ex Concilio Constantiensi dependet. Si illud verum fuit, & istud. Nemo autem dubitare visus est, an illud legitimum fuerit: similiter & quicquid ibi decretum est. Nam si quis dixerit decreta illius Concilii non esse valida, fateri necesse habet privationem olim Johannis factam, vigore illorum decretorum non valuisse. Si illa non valuit, nec etiam Papæ Martini tenuit electio, facta illo adhuc superstite. Si Martinus non fuit Papa, nec S. V. est, quæ per Cardinales ab ipso factos electa est: nullius ergo magis interest defendere decreta illius Concilii quàm S. V. Et si quodcunque illius Concilii decretum revocetur in dubium, eadem ratione poterunt revocari & reliqua ejusdem Concilii decreta. Hac eadem ratione, nec aliorum Conciliorum decreta valebunt: quia qua ratione vacillat fides unius Concilii, vacillabunt reliqua omnia, juxta augmentationem beati Augustini, & habetur nona distinctione c. Si ad scripturas. Ergo & fides & omnia ecclesiæ sacramenta titubabunt, si de robore unius Concilii legitime congregati dubitetur. Per Concilium autem Constantiense fuit factum decretum, Frequens, in quo statuitur, quod primum Concilium fiat in quinquennium à fine illius, & aliud in septennium. A fine Concilii Constantien. quinquennio elapso, celebratum est Papiense vel Senense, à cujus fine elapso septennio, cœptum est celebrari istud. Ut quid ergo in bulla dissolutionis inter alias causas exprimitur, quod jam septennium est elapsum: cum necessario labi oporteat antequam possit celebrari, quia ista verba in septennium, vel quinquennium, significant secundum jura, ut omnes partes temporis sint elapsæ, & ut novissima dies expectetur, unde oportuit labi septem annos integros & completos antequam hoc Basiliense Concilium incipere posset: sicut lapsum fuit integrum quinquennium antequam Papiense inciperetur? Sed dicet aliquis, oportuit prima die post septennium lapsum celebrari, alioquin expirat Concilium. Sed clare respondetur, hoc non contineri in c. Frequens, quod nisi prima die fiat, desinat posse celebrari: nec ex verbis, nec ex mente hoc potest elici. Solum vult, quod post septennium

Attende
Quid sit ecclesia.
Pontifex.
Prælati Franciæ.
Eugenius irritat ecclesiam.
Argumentum efficax contra Eugenium.
De quinquennio & septennio Conciliorum.

ptennium celebretur: unde five secunda, five tertia die: five primo, aut secundo, aut tertio, aut quarto mense post septennium immediatum celebretur, satis fit c. Frequens. Adveniente enim prima die, tunc incipit facultas celebrandi: ante autem non. Post vero non est prohibitum, nec obstat quod in c. Frequens, ponitur verbum, in quinquennium, immediate sequens, quod etiam in septennium videtur repetitum: quia non intelligitur, quod prima die præcise post septennium sit necessarium: sed ideo posuit immediate sequens, ne intelligi posset de alio septennio ulteriori, quanquam illud de, per se intelligebatur: quia loquendo simpliciter de septennio, intelligitur de proximo: sed fuit positum ad majorem declarationem. Adde plus, quod etiamsi in c. Frequens, fuisset positum post ly immediate sequens aliqua de iis dictionibus, videlicet statim, mox, in continenti, aut confestim, seu similia verba: adhuc deberent intelligi cum quodam temperamento, vel aliquo temporis intervallo: & quàm primum commode posset, prout ista vocabula exponuntur per jura & doctores. Ampliantur enim & restringuntur secundum subjectas materias, & varias circumstantias rerum & negotiorum. Non est verisimile ullo modo, quod fuerit de mente statuentium, quod considerata longitudine viarum, & difficultate parandi se ad hujusmodi negotia: ac etiam plurimis impedimentis, quæ contingere possunt, voluerunt restringere præcise tempus ad primam diem, ita quod si ea die non fieret, de cætero fieri non posset. Nam si imus post istas subtilitates, oporteret etiam quod fieret in primo momento, & in primo instanti post septennium. Sed cum verba civiliter intelligenda sint, hujusmodi intellectus est nimis absonus. Et si dicat aliquis, ergo prorogari jubetur, quod prohibetur in c. Frequens. Iste qui sic arguit, non se intelligit, nec vim verborum. Non enim prorogatur, si incipiatur secundo, vel tertio mense: sed magis fit continuatio, vel exequutio ejus quod est in facultate. Nam si esset prorogatio, tunc cum prorogatio sapiat naturam prioris dilationis, ante illud tempus prorogatum inchoari non posset. Sed hoc non est in casu nostro. Nam licet in primo mense inchoatum non sit, sed in secundo vel tertio: non per hoc concluditur, quod in primo inchoari non potuisset. Sed si fuisset facta prorogatio ad secundum mensem, tunc in primo incipi non potuisset. Verbi gratia, Promitto Titio dare centum post pascha, ante pascha non possum exigi, sed post pascha possum statim exigi: & licet non exigar, non tamen desino esse obligatus: & licet exigar in secundo vel tertio mense, non propter hoc intelligitur facta prorogatio: nec sequitur, quod in principio non potuissem exigi, quod fieri non potuisset, si facta esset prorogatio. Item de natura prorogationis est, quod fiat ante lapsum primi termini: post vero non est prorogatio, sed nova indictio, dilatio. Et si dicatur, Ergo diu differri poterit: respondetur, quod in hoc standum est judicio ecclesiæ, quæ consideratis diversis circumstantiis, arbitrabitur tempus debitum. In ejus enim favorem, & utilitatem hujusmodi facultas celebrandi Concilia, instituta est. Quid enim, si in loco celebrandi Concilii adveniente termino, supervenerit pestis, vel obsidio, vel aliquid hujusmodi, quod duraret per tres, vel quatuor menses: nec papa interim mutasset locum secundum formam c. Frequens, & propter talia impedimenta prælati non accederent prima die ad locum, aut si prælati aliqui, venientes ad Concilium caperentur in via, qui si capti non essent, fuissent in prima die & momento in loco: nunquid propterea dicendum est, expirasse facultatem Concilii, & quod cessante impedimento, prælatis venientibus Concilium celebrari non possit? hoc certe esset valde absurdum, & nimis præjudiciale ecclesiæ dei. In casu autem nostro fuit satis probabilis causa, quare prælati distulerint venire in principio termini: quoniam appropinquante ipso termino, papa Martinus die vicesima Februarii defunctus est: propter quod prælati merito poterant dubitare de aliquo impedimento Concilii. Item expectabant, quod aliquis nomine papæ illuc accederet, ne sine præsidente apostolico frustra starent in loco. Legatus autem, qui ordinatus fuerat ad Concilium, cujus præsentiam homines expectabant, antequam vellet ad iter se accingere, non accessit tempore statuto ad Concilium, sed ad Nurenbergam, ad prosequendam extirpationem Bohemorum, secundum mandatum papæ Martini, qui injunxit, quod prius illuc iret quàm Basileam. Fuit etiam ipse Legatus pluries requisitus in Nurenberga per dominum Imperatorem, ut iret Basileam, pro Concilio celebrando, juxta facultatem sibi traditam: qui respondit, nolle ire ante consensum novi pontificis. Ista ergo fuit causa retardationis prælatorum. Nec forte est multum imputandum prælatis, qui suspicabantur, quod papa Martinus nollet Concilium, & timebant se ponere in iis involutionibus & contradictionbus, & rationem timendi habebant ex his, quæ contigerant in Concilio Senensi. Multa etiam tunc dicebantur, quæ suspicionem faciebant. Scio mihi fuisse relatum, quod nonnulli dixerant me venisse in Alemaniam, ad disturbandum Concilium. Item hoc fuit de mente papæ Martini, quod licet in principio Martii non inchoaretur Concilium, non tamen expiraret facultas celebrandi Concilii: Ipse enim, appropinquante termino Concilii, voluit quòd prius irem versus Bohemiam,

Mens vera consilium statuentium.

Causa retardationis prælatorum.

Concilium Senen.

miam, quàm ad Concilium: de quo etiam in bulla consistorialis dissolutionis fit mentio. Sed quid opus est aliunde hoc probari, quàm per literas S. V. Ipsa in iis confectis II. Calend. Junii, & sic longè post terminum, quæ etiam mihi fuerant præsentatæ per tres menses post, mandat mihi, quod expedito negotio Bohemiæ, cujus finis expectatur in brevi, dirigam gressus meos ad Basileam pro Concilio celebrando: & ibi opportunè provideam juxta mihi injuncta, & ordinata in Concilio Constantiensi. Hoc etiam repetit in bulla facultatis dissolutionis, portata mihi per dominum Parentinum, cujus verba sunt hæc: Circumspectioni tuæ, ex quo in ingressu tuo ad Alemaniæ partes nulli prælati in Basilea pro celebratione Concilii erant congregati, dedimus in mandatis, ut interea circa expeditionem contra Bohemos hæreticos, etiam tibi commissam, vacares: ac deinde ad civitatem Basiliensem dicti Concilii locum accederes, ut ibidem nostro & ecclesiæ nomine præsideres. Quid ergo hoc clarius? Si quid dubium esset, ex hujusmodi tenore literarum aperte tolleretur. Et si dicatur, nec dominus Martinus, nec dominus Eugenius tales literas scribendo, poterat validare Concilium: quia esset prorogatio, quæ prohibita est per c. Frequens. Respondetur quod non est prorogatio, sed executio ejus, quod erat in facultate, seu declaratio quod necesse non sit præcise celebrare in principio. Item non est prorogatio, quia prorogatio fit ante terminum, non post. Post enim potius esset nova indictio, unde valeret quæstio noviter indicta. Et si dicatur, non potuit de novo indici: tunc objicitur, quando ergo de novo potuit indici Concilium Bononiense? Et si dicatur quod nova indictio Concilii Bononiensis valuit: quia Basiliense fuit per S. V. dissolutum, tunc habeo intentum: Si enim fuit dissolutum, ergo ante fuit Concilium, quia præsupponit habitum. Sed si ante erat Concilium, tunc (ut infra probabitur) dissolvi non poterat non consentiente Concilio. Quid ergo ad hoc potest responderi? Ad majorem etiam clarificationem in ipsa die termini statuti, vel ante, dominus Abbas Virgiliacensis, congregato ad hunc actum populo majoris ecclesiæ, & certis aliis prælatis, & notabilibus viris, fecit solennem protestationem, qualiter tempus advenerat Concilii celebrandi, & quod hoc ipso Basileam venerat, requirendo, ut de materiis ad Concilium pertinentibus usque alii venirent vellent insimul conferre, & tractare: & de hoc extat publicum instrumentum. Et infra mensem venerunt ambasiatores universitatis Parrhisiensis, & inceperunt tractare de iis, quæ ad Concilium pertinebant, scribendo etiam domino imperatori, & aliis dominis Alemaniæ, ut mitterent ad Concilium: quas literas tunc vidi. Nec obstat paucitas personarum: quia ubi est authoritas, numerus magnus non requiritur, secundum illud Christi: Ubi duo vel tres convenerint in nomine meo, ibi ego sum, in qua authoritate fundantur Concilia. Jam igitur S. V. luce clarius videt prædictam objectionem esse satis frivolam. Item ad quid facta est dissolutio, si non erat Concilium? Unde nullatenus est ambigendum, quin Concilium fuerit legitimum, & Canonice congregatum. Et forsitan vix unquam legitur aliquod Concilium tot authoritatibus innixum, sicut istud, per duo videlicet præcedentia Concilia, Constantiense & Senense, & duos Romanos Pontifices confirmatum. Audio inter alia Romæ aliquos dicere me non potuisse vocare prælatos venire ad Concilium: quia in bulla domini Martini hæc clausula non erat adjecta. Vehementer admiror hoc objici. Inprimis non ego solus illos vocavi, sed ego & hi qui hic in Concilio convenerant. Mira res! Papa Martinus dabat mihi cum consilio Concilii facultatem extirpandi hæreses, pacificandi regna, reformandi mores cujuslibet status Christianitatis: & audent dicere, quod non poteram citare. Datur mihi potestas judicandi & condemnandi: & non habeo potestatem citandi? Inquit jurisconsultus, cui commissa est jurisdictio, ea omnia commissa videntur, sine quibus illa expedire non potest. Quomodo autem prædictia omnia, nisi prælati & alii huc venirent, fieri possent? Item, cur in capite, Ego enim de jurejurando, dicitur, vocatus ad synodum veniam, si non potest vocari? A quo ergo præsupponit vocandum, nisi à Concilio, vel eo qui in Concilio præest? Item tota distinctio 18. non loquitur de alio, nisi quod episcopi vocati ad synodum, & non venientes, possunt excommunicari vel suspendi. Legant isti librum Conciliorum beati Isidori, & reperient in pluribus Conciliis prælatos fuisse per synodum vocatos. Nunc restat dicere, an dissolutio valuerit. Iterum vereor loqui, timens irritare S. V. sed charitas me cogit. Nam forsitan S. V. credit dissolutionem valere, & propterea in illa perseverat. Ex quo cum multa scandala possint contingere, remordet me conscientia, ne taceam. Inprimis c. Frequens, videtur innuere quod non. Nam si prohibetur prorogatio, quod est minus, multo magis dissolutio, quod est plus: plus enim est auferre, quàm differre: prorogando differtur, dissolvendo aufertur. Item isti dicunt, quod facile prædicta constitutio c. Frequens, redderetur frustratoria: quia ut primum inchoatum esset Concilium, posset re infecta dissolvi, sicut dicunt factum esse Senis, & nunc dicunt etiam S. V. sinistrè & subreptitie in causa dissolutionis fuisse informatam. Dicunt etiam prædictam dissolutionem evidenter tendere in eversionem fidei, & ruinam ecclesiæ, & perturbationem

Prorogationes fiunt ante terminum.

Abbas Virgiliacensis.

Concilium Basiliense cæteris quodammodo anteponitur.

Prælatos sæpe fuisse vocatos.

turbationem populi Christiani: ergo fieri non posse, nec parendum fore. Asserunt etiam prædictam dissolutionem fieri non potuisse, obstante quodam decreto Constantiensis Concilii, quod in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem schismatis, & ad reformationem ecclesiæ in capite, & in membris, quemlibet cujuscunque conditionis, etiam Papalis, teneri obedire statutis & ordinationibus, & præceptis cujuscunque Concilii generalis: & nisi obedierit, puniatur, &c. Ecce posse statuere in aliquem, posse præcipere, posse punire, non obedientem: signa sunt evidentia superioritatis, in his in quibus statuit, præcipit aut punit. Teneri autem obedire, & subjici ac parere, signa sunt inferioritatis in prædictis casibus. Ergo in prædictis casibus, cum Papa (ut dicunt) sit inferior Concilio, quod etiam facto probatum fuit (nam propter unum de tribus casibus Concilium privavit Johannem, & propter alterum privavit Benedictum) non poterit Papa dissolvere Concilium: quia inferior in eo quo est inferior, non potest solvere, vel ligare superiorem, ut in c. cum inferior. de ma. & obe. cum similibus juribus: nec tollere legem superioris. Alioquin implicaret contradictionem, tenetur obedire, & non tenetur obedire, quia potest dissolvere. Quomodo autem obediret ordinationi, vel statuto Concilii, si illam ordinationem, vel statutum potest tollere, & annihilare? Concilium autem hoc congregatum est propter extirpandas hæreses, faciendum pacem, reformandum mores: & in prima sessione ordinavit, & statuit ad ista debere intendi, & quod procurans impedire hoc Concilium dissolvere, vel prorogare, vel mutare, severiter possit puniri, & procedi tanquam contra turbatorem communis pacis, &c. Si autem dissolvi potest, constat quod non obeditur prædictæ ordinationi. Unde appareret hoc necessario fateri, quod si dissolvi possit, quod prædictum decretum Constantiensis Concilii non valeat. Item probatur hoc alia ratione. Nemo dubitat, si contra aliquem summum pontificem ageretur de hæresi, quod ipse non posset Concilium dissolvere: quia si posset dissolvere, non posset judicari, quod esset contra cap. Si Papa 40. dist. Ergo sicut in hæresi, sic in aliis duobus casibus: Isti enim tres parificati sunt per Concilium Constantiense. Eodem modo loquitur Concilium Constantiense, sicut cap. Si Papa in illo uno. Et (ut prædixi) facto Concilium Constantiense, approbavit hanc sententiam: quia propter schisma privavit Petrum de Luna: & propter deformitatem vitæ, privavit Johannem: Et si qua jura reperiuntur, quæ dicunt, Prima sedes non judicatur à quoquam. Et, Primam sedem nemo judicat, Et nemo sibi dicit, Cur ita facis: intelligenda sunt in his tribus casibus. In principio de fide provisum fuit per cap. Si Papa. In aliis duobus per decretum Constantiense. Alioqui si sine ulla exceptione intelligeretur illud: Prima sedes, &c. tunc c. si Papa. 40. dist. & prædictum decretum Constantiense, essent falsa. Et si cap. Si Papa, addidisset, causæ hæresis istos duos casus nemo dubitaret de prædicta sententia. Sic etiam nemo debet dubitare de decreto Concilii, quod factum est authoritate Papæ, & repræsentat universalem ecclesiam. Et si dicatur: In Conciliis, intelligitur excepta authoritas Papæ, Respondeo, illud verum est, quando persona Papæ specialiter non includitur: sed si specialiter includitur, non potest excipi, quia saperet contradictionem. Hæc dixi, beatissime pater, deus est mihi testis, cum displicentia animi. Sed cogor ita dicere, ut sanctitas vestra desinat à prædicta dissolutione, ne contingant infinita mala in ecclesia dei. Si S. V. videret puram mentem meam, & mundam conscientiam, & integrum animum, quo talia scribo, oscularemini me ex nimia charitate, & proculdubio me ut filium diligeretis. Dixi sæpe, & jam dico, & protestor coram deo, & hominibus, quod causa eritis schismatis, & infinitorum malorum, si non mutaveritis consilium. Omnipotens deus S. V. in virtuosi hominis prosperitate conservet: cujus pedibus me humillime recommendo. Basileæ, quinta Junii.

Optimum argumentum contra Papas inobedientes.

Quare Concilia congregantur.

Quare pontifices in Concilio Constan. depositi.

Papa specialiter inclusus non potest nec debet exigi.

F I N I S.

INCLY-

INCLYTISSIMAE ATQUE OMNIUM

Studiorum matris, eminentissimæ Universitatis Parisiensis contra Leonem decimum, in robur ac firmamentum sacratissimi Basiliensis Concilii, non contemnenda Appellatio, in qua, omnes ferme (quæ in ecclesia dei sunt) Abusus, apertissimè enumerantur.

AD LECTOREM.

QUæret fortasse à nobis aliquis, lector candidissime, quam potissimum ob causam, hanc Appellationem excellentissimæ Universitatis Parisiensis hisce duobus Æneæ Sylvii libris adjecerimus, quum longo post tempore, promulgata atque edita sit. In promptu ratio est, lector optime. Nam in hac ipsa (modo oculos mentis aperire volueris) Concilium Basiliense ita per doctissimos atque optimos Parisiensis Academiæ doctores, laudatur, ita extollitur, ita omnibus Christi fidelibus imitandum proponitur, ita demum (& id quidem vero verius) aperto approbatur ac confirmatur, ut id genus reliquum, nihil ferme supra.

¶ Itemque qui ignorat, quid boni in Concilio Basiliensi sit actum, hanc subsequentem legat Appellationem. Inveniet proculdubio sanctissimum Basiliense Concilium, omnibus Romanæ Curiæ abusibus ac gravaminibus (ex quibus in hac appellatione enumeratis, omnes hæreses & totius nunc orbis Christiani dissensiones in bonorum omnium perniciem, emergunt ac profluunt) inimicum fuisse, omnesque in ecclesia dei defectus ita damnasse, ac post tergum abjecisse, ut si Concilii illius prætacti Decreta, in hunc usque diem servata fuissent, nunquam tot periculosis errorum fluctibus per universum immersi fuissemus. Lege igitur omnia, ac relege, & Concilium Basiliense, vel invito Leone decimo, sacrosanctum fuisse, nemo omnium (qui sanæ sint mentis) inficiabitur. Vale feliciter, & quæ subsequuntur diligenter revolve.

APPELLATIO UNIVERSITATIS PARISIENSIS.

UNiversis præsentes literas inspecturis Rector & universitas magistrorum, doctorum, & scholarium Parisiis studentium, Salutem in domino. Notum facimus, quòd nos apud sanctum Bernardum Parisiis super infrascriptis, & aliis nostris negotiis agendis, per juramentum convocati & congregati, modo & forma contentis, in quodam codice papyreo, cujus tenor inferius describitur & inseritur, provocavimus & appellavimus, provocamusque & appellamus. Cujus quidem codicis papyrei Tenor sequitur, & est talis. Præmissis expresse protestationibus, quòd contra unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, quam totius orbis esse magistram, & obtinere principatum credimus, sanctæque sedis Apostolicæ authoritatem, ac sanctissimi domini nostri Papæ bene consulti, potestatem nihil dicere intendimus, si quid ex lubrico linguæ forsan male dictum sit parati emendare. Sed quoniam is qui vices dei gerit in terris, quem Papam dicimus, quamvis à Deo potestatem immediate habeat, per hanc potestatem non impeccabilis efficitur, nec potestatem peccandi accepit: Ita ut si quid, quod injustum est, faciendum esse præceperit, patienter sustinere debeat, si non fiat quod ei prava fuerit insinuatione suggestum, eique parendum non sit, si quid contra divina præcepta statuendum esse decreverit. Imò ei resisti jure potest: quod si illi potentum auxilio falsa forsan suggestione, vel minus sano consilio deceptorum adjuto resisti non potest, sublataque sint resistendi remedia, unum tamen jure naturali proditum est, quod nullus princeps tollere potest appellationis remedium, cum sit quædam defensio quæ jure divino, naturali & humano cuique competit, quæ non potest auferri à principe, ut in cle. pastoralis de sen. & re judic. & no. splendor ille Canonistarum Inno. in c. quæ in ecclesiarum, de consti. Ad hujusmodi ergo appellationis remedium, quo oppressi relevantur, confugientes, Nos Rector & Universitas studii Parisiensis, illustrissimi ac christianissimi

Tenor literarum.

Notanter dicitur bene consulti.

Papa peccabilis.

Papæ non semper parendum.

Appellationis laus.

christianissimi principis nostri Francorum regis, filia primogenita, antiqua studiorum parens, vice ac nomine nostris, singulorumque doctorum, magistrorum & scholarium Parisiensiū studentiū animoq; & intentione provocandi & appellandi a personis, & gravaminibus infrascriptis, dicimus, & proponimus, nosq; loco & tempore opportunis & congruis probaturos offerimus, quæ sequuntur. Imprimis, quòd cum priscis illis temporibus hæreses multæ pullularent, plurimique errores insurgerent, & Christi fidelium dissidia oritentur, ecclesiasticique statûs deformatio conspiceretur; Fuerunt sacra generalia Concilia provide statuta, in quibûs hæreses extirparentur, mores reformarentur, christicolarum dissidentium adinvicem reconciliationes fierent, prout sacrorum generalium Conciliorum incumbit officio. Et præcipue ante omnia, sacra Constantiense & Basiliense Concilia, quæ successive ac legitime in spiritu sancto congregata, universalem ecclesiam repræsentantia, quàmplurima circa præmissa statuerunt, maxime circa status ecclesiastici, tam in capite quàm in membris, reformationem, quæ illis diebus præcipue indigere reformatione videbantur, cum deformitates in ecclesia dei excrescere & mores corruptos eandem ecclesiam inficere conspicerent, ut repressis deformitatum scelerumque regnantium enormitatibus perniciosis, quæ per christianitatem (spretis antiquorum patrum decretis, & institutis salutaribus) multas clades, multaque discrimina injecisse videbantur, divinus honor refloreret in terris, lumen catholicæ veritatis, Christo vera luce auxiliante, effulgeret, & ecclesiasticæ libertatis conversatio subsisteret, populusque Christianus salubriter regeretur, & ad salutem perduceretur æternam.

Conciliorum laus in generali.

¶ Et inter cætera perpendit ipsum sacrum Basiliense Concilium, qualiter per sanctos patres antiquos, sacri canones, salubriaque decreta pro felici regimine jam dicti status ecclesiastici, tam super electionibus, modisque, ministros ecclesiæ assumendi & instituendi conditi fuerunt, qui quamdiu fuerunt observati, ecclesia dei fructus honoris & honestatis felici ubertate produxit, disciplinæ ecclesiasticæ vigor perstitit, religio, pietas, charitas ubertim floruerunt, hominesque in quietudine animi constituti, deum authorem pacis devotissime coluerunt. Sed postquàm damnatæ ambitionis improbitas, & detestandæ cupiditatis insatiabilitas, humanitatis jura violando, ipsa sanctorum patrum decreta paulatim cœpit deserere atque contemnere, & in vitia ruere, subsequutæ sunt deformationes status ecclesiastici, atque decolorationes, & usurpationes, præsertim per prælaturarum, dignitatumque, & aliorum beneficiorum reservationes, & gratiarum ad vacatura beneficia expectativarum à jure exorbitantium multiplicationes & innumerabiles concessiones, & alia gravissima & importabilia onera, quibus ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ graviter afflictæ, & fere ad extremam evacuationem & destructionem illis diebus ruere conspiciebantur. Cum beneficiorum ecclesiasticorum patrimonia & bona indigni occupabant, & sæpe dignitates, ac beneficia notabilia & opulentiora personis conferebantur incognitis, & indignis, quæ in eisdem beneficiis minime residebant, & animarum cura, quæ est ars artium, neglecta, velut mercenarii solum temporale lucrum quærebant, sicque cultus minuebatur divinus, animarum cura negligebatur, ecclesiastica jura peribant, ruebant ædificia, quæ magnificentia extruxerat decessorum. ¶ At clerici literarum scientiis, & virtutibus effulgentes, qui ad Christianæ plebis ædificationem salutarem vacare possent, quorum perlucida & salutaria documenta prædictam illustrarent ecclesiam, decorarent virtutibus, & moribus informarent, per quos, quasi per luminosas, ardentesque lucernas super candelabrum in domo domini positas (errorum tenebris profugatis) totius corpus ecclesiæ tanquam sydus irradiaret matutinum, eorumque fœcunda facundia cœlestis irrigui gratia influente, scripturarum ænigmata referarent, obscura dilucidarent, dubiaque declararent, profundisque ac decoris illorum sermonibus ampla ipsius ecclesiæ fabrica, velut gemmis vernantibus, rutilaret, & verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscaret, qui etiam regnorum, & rerum publicarum consiliis forent opportuni, propter spem congruæ promotionis eis ablatam, divinarum & humanarum scientiarum studia deserebant.

Providentia Concilii Basil.

Ambitio & avaritia omnium malorum causa.

Reservationes pessimæ cum cæteris gravaminibus & inventis novis. Universalis ecclesiæ destructionem Concilium Basilien. declarat.

Quare boni viri deserunt studia literarum.

¶ Insuper reservationū & expectativarum occasione capta de mortis alienæ votis ingerebatur, lites suscitabantur, contentiones & rixæ inter Christi ministros oriebantur, ambitio pluralitatis beneficiorū execrabilis fovebatur, pauperes clerici variis & innumeris personarum & rerū discriminibus subjiciebantur, & per callidos & calumniosos opprimebantur, beneficia quoq; ecclesiastica per litium involutiones & multiplicationes sæpius injuste occupabantur, & sine divinis officiis sæpius remanebant, materia injustis vexationibus parabatur, abusus pestiferi, horrēda & detestāda specie labis symoniacæ respersi committebantur, juvenibus bonæ indolis qui studiosis & virtuosis actibus intēdere deberēt, evagādi materia præbebatur, & breviter status ecclesiæ confundebatur, plurimaq; adversus divina, & humana jura in animarum

Beneficiorum pluralitas execrabilis.

Abusus ecclesiæ pestiferi.

marum perniciem, ac ecclesiæ & Regnorum atque Provinciarum, præcipue Regni Franciæ, & Delphinatûs Viennensium oppressionem & destructionem perpetrabantur, quorum, quarumq; thesauri in extraneas regiones asportabantur, ut eo exhausto, sacerdotioque depresso, regna ipsa, & subditi debiliores in adversis redderentur, beneficiaque jam non gratis; juxta evangelicam doctrinam Christique præceptum, dicentis, Gratis accepistis, gratis date; & contra Concilium Lateranense, &c. unicum ut ecclesiastica beneficia. Cum summa ambitione & avaritia, aurique & argenti exactione conferebantur.

Beneficia gratis conferenda.

Magna laus Concilii Basilien.

¶ His igitur tam detestabilibus incommodis divinæ proculdubio displicentibus voluntati, saluberrimè providere cupiens Concilium Basiliense memoratum, contra hæc, saluberrima constituit & edidit statuta & Decreta, volens & ordinans, ut tales ecclesiæ præficerentur pastores, qui tanquam columnæ & bases ipsam ecclesiam doctrina & meritis firmiter sustentarent, non quidem per reservationes generales ecclesiarum hujusmodi, sed per electiones & confirmationes Canonicas, juxta juris communis dispositionem, ecclesiis ipsis metropolitanis cathedralibus, monasteriis, collegiatis ecclesiis & dignitatibus electivis vacantibus, debite provideretur: Reservationes generales hujusmodi reprobando, (certis duntaxat exceptis) certam salutarem formam, antiquis formis à jure introductis adjiciendo.

Contra reservationes generales.

Concil. Basil. de clericis.

¶ Et insuper, ut per singulas ecclesias ministri instituerentur idonei, qui scientiis & virtutibus effulgerent ad Christi gloriam & populi Christiani salutarem ædificationem, reprobando multitudinem gratiarum expectativarum, quæ digniorum ministrorum institutioni & promotioni obviabat, ac reservationes quascunque beneficiorum, sive per papam sive per legatos reprobando ac nullas & invalidas declarando.

Quibus providendum Concil. Basil. statuit.

¶ Voluit insuper, & statuit, ut per prælatos & eos ad quos beneficiorum collatio & dispositio spectare dignoscitur, viris studiosis, certisque qualitatibus specificatis præditis, qui per universitates generalium studiorum eisdem prælatis & patronis nominarentur, canonice provideretur, certis modificationibus, & decreto irritan. adjectis. Præterea, ut fraterna charitas in clero & populo vigeret, & ne quis proximum suum indebitis vexationibus opprimeret; sed justitia ordine debito cuilibet ministraretur, ad obviandum infinitis abusibus & variis incommodis, quæ inoleverant, statuit, ut pro salute & quiete subditorum, justitia in partibus cum honestate & facilitate ministraretur, ne studium & alii subditi extra regna & provincias suas ad curiam Romanam traherentur & citarentur, ne etiam per hoc hujusmodi regnorum & provinciarum facultates exhaurirentur. Damnavit insuper hujusmodi sacrum Concilium abusum illum jam damnatum de annatis solven. salutifere prohibens illarum exactionem, & solutionem. Multaque alia sancta & salubria statuit idem Concilium ad divini cultus augmentum, ac salutem & quietem subditorum, quæ omnibus innotescunt. Quæ quidem statuta serenissimus ille princeps divini nominis & ecclesiastici honoris exaltator devotissimus & conservator excellens, Carolus septimus Francorum Rex, in suo celebri Concilio ecclesiæ Gallicanæ Bituris celebrato, recenseri fecit, & ea sic salutifera & suo regno ac Delphinatui utilissima, saluti & quieti subditorum consulen. inconcussè servari præcepit, & per Regnum & Delphinatum promulgari fecit, prout conservata & observata fuerunt, at ex eorum observantia cultus perseveravit divinus, salus advenit subditorum, omniaque in eisdem regno & Delphinatu prospere successerunt.

Justitia in partibus ministranda.

De annatis à Con. Basil. condemnatis.

Laudatur Concil. Basilien.

Carolus VII. Francorum rex statuta Basil. Concil. servari mandat.

Contra Romanistas.

¶ Sed Romani propriis cupiditatibus & commoditatibus inhiantes, attendentes his mediis aurum & argentum, sicut antea, ex dictis Regno & Delphinatu ad se pro suo voto non deferri, hujusmodi statutis invidentes, ea per Romanos Pontifices abrogari facere studuerunt, quod auxiliante domino hactenus prohibitum extitit, donec advenit dominus Leo papa decimus, qui Romanis, plus debito, favens, in quodam cœtu in Romana civitate, quæ contra nos est, nescimus qualiter, non tamen in spiritu domini congregato, cum quo nihil contra legem divinam, & sacra Concilia statui, decerni, aut ordinari potest; Opera enim quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me; præmissa tam salutifera statuta abroganda esse, nescimus quo fretus concilio, censuit, contra fidem Catholicam, & authoritatem sacrorum generalium Conciliorum veniendo, sacrum Basiliense Concilium damnavit. In quo inter cætera judicatum est, gloriosam virginem Mariam sine peccato originali fuisse conceptam, nec de illo habet ecclesia aliam decisionem. Quædam alia statuta pro libitu voluntatis (cum venia dictum sit) condendo, in perniciem Regni & Delphinatus prædictorum, & subditorum illustrissimi principis nostri Franciæ Regis detrimentum. Per hoc enim Canonicas electiones, quibus sancte & salubriter ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, monasteriis, & aliis collegiatis ecclesiis eorundem Regni & Delphinatus providebatur, destruxit. Hujusmodi ecclesiarum provisiones, cum vacaverint, sibi reservando, collationesque & impetrationes beneficiorum non expresso vero valore irritas esse declaravit, subdi-

Conciliabulum Leonis decimi.

Contra fidem catholicam egit Leo.

Iniqua facta Leonis decimi.

subditorumque regni in prima instantia per Cardinales & curiales sedis apostolicæ passim vocari,& nominationes universitatum in parte reprobavit & damnavit, ita ut à modo si talia statuta tolerarentur,non his quibus virtutū merita & literarum scientia, sed quibus pecuniarū acervus, & potentum favores suffragabuntur, ad ipsarum ecclesiarum non dicimus regimen, sed(proh dolor !) perniciem & ruinam assumentur,cum hujusmodi personarum mores & vitia non perscrutabuntur, & indigni sæpius ad regimen assumentur animarum, contra sacri generalis Concilii salutiferum statutum recte judicans nihil esse quod ecclesiæ dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur prælati ad regimen animarum, & propterea statuens, ut is ad quem pertinet electionis confirmatio processum electionis & electi personam diligenter examinet antequam eidem electo munus confirmationis impendat, pœnam contra facien. imponens. Per hæc etiam & alia quæ idem dominus Leo statuen. decrevit, viris studiosis,& literarum scientia pollentibus spem promotionis ademit: Et aptissimum modum facultates & substantiam totius regni & Delphinatus exhauriendi invenit, quo etiam hujusmodi regni & Delphinatus subditi improbis machinationibus ad cūriam Romanam evocentur, Et indebitis vexationibus fatigentur, hujusmodique sic noviter editis statutis, jam dictus dominus Leo Papa serenissimum principem nostrum Franciscum regem modernum in partibus Italicis agentem in maximo strepitu armorum consensum præbere quorundam suasu coegit. Et ne promissionis infractor idem princeps illustris videretur, jam dicti domini Papæ monitis obtemperans, hæc quæ dicta sunt de novo edita statuta (quæ concordata vocantur) ruinam ecclesiæ, totiusque regni inde imminentem non attendens, nobis, dictaque universitate, & aliis, quorum intererat, non vocatis nec auditis, publicanda esse imperavit, non dijudicans, quàm ei, dictoque regno & Delphinatui, ac subditis perniciosa esse viderentur. Ex quibus nos Rector & Universitas, gravatos læsosque & oppressos esse sentientes, Cum per ea ad superius enarrata incommoda sensim devenire posse prospiciamus: Idcirco à domino nostro Papa non recte consulto jam dictique sacri Basilien. Concilii, & ei adhærentes pragmaticæ sanctionis statutorum abrogatione, novorum statutorum editione, consensus præstatione, ac attentata illorum quadam publicatione, & omnibus inde secutis & secuturis tam pro nobis quàm omnibus & singulis suppositis ipsius universitatis, & nobis, ac illi adhærentibus & adhærere volentibus, ad futurum Concilium legitime, ac in loco tuto & quem libere & cum securitate nos eadem universitas vel à nobis, & ab ea deputandi adire poterimus, Et ad illum vel illos, ad quem seu quos de jure, privilegio, consuetudine, vel aliàs nobis provocare licet & appellare,provocavimus & appellavimus, prout in his scriptis provocamus & appellamus. Instanter, instantius & instantissime protestantes hanc appellationem prosequi per viam nullitatis, abusus, iniquitatis, vel injustitiæ. Et aliàs, prout melius poterimus, optione nobis reservata. Astantes in testimonium invocatum, addendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, & in melius reformandi, omniumque alio juris beneficio, nobis ac nostris adhærentibus & adhærere volentibus semper salvo. datum & actum Parisiis in nostra congregatione generali apud sanctum Bernardum solenniter celebrata, Anno domini M D XVII. die vicesima septima mensis Martii ante pascha. Postmodum vero præ inserta appellatione sic interjecta die prima mensis Aprilis vir venerabilis magister Arnulphus Monnart in artibus magister, & in jure civili licenciatus, noster procurator generalis. & ad hoc specialiter constitutus, coram venerabili circumspecto viro, magistro Guillermo Huc, utriusque juris licen. insignis ecclesiæ Parisiensis Decano, tanquam coram persona autentica & in dignitate constituta personaliter comparens, Cum illum seu illos, ad quem seu quos appellamus adire non possumus, hujusmodi appellationem & contenta in ea, nomine nostro & pro nobis intimavit, insinuavit & notificavit, apostolosque cum instantia debita sibi dare petiit & requisivit. Qui quidem dominus Decanus cum reverentia & honore debitis eidem appellationi reverenter detulit & apostolos reverentiales & tales quales de jure & consuetudine vel privilegio dare poterat & debebat, dedit & concessit. Acta fuerunt hæc ultimo dicta & facta in ecclesia Parisiensi. Anno & die prædictis. Præsentibus ibidem venerabili & scientifico viro magistro Petro de Valle, in Theologia doctore, Canonico dictæ ecclesiæ Parisien. & magistro Arturo.

Alouff in artibus magistro, testibus ad præmissa vocatis & rogatis. Sic sign. le Roux & Hubert & sigillata in duplici cauda & cæra rubea magno sigillo dictæ universitatis.

Quales juxta voluntatem Leonis beneficia sint habituri.

Nihil perniciosius ecclesiæ indignis prælatis.

Franciscus ex Franciæ.

Frustra ergo Pius II. bullam in contrarium dedit.

Appellationem prosequuntur.

Guillermus Huc.

Appellationis Parisiensium Finis.

ORATIONES DUAE: ALTERA

Habita A legatis Summi Pontificis Leonis. X. coram invictissimo Imperatore Maximiliano, pro colligendis decimis, in expeditionem (si creditum fuisset) contra Turcas. Altera viri cujusdam doctissimi adhortantis, ne Principes in Decimæ præstationem consentiant. Anno MDXIX.

AD LECTOREM.

ITerum aliquis quæsierit, quare duas hasce orationes subsequentes, præcedenti Parisiensium doctorum appellationi adjecerimus: Respondeo, quoniam tam harum altera, pro communi Germanorum bono, quàm illa, pro communi omnium salute, ac totius ecclesiæ tuitione contra Leonem Decimum, militare videntur. Si enim ausus fuit sacratissimum Basiliense Concilium (in quo determinatum est, ut doctores referunt Parisienses, beatissimam virginem Mariam, fine peccato originali conceptam) aliquoties revocare, non dubium, quin & graves etiam à nobis decimas (nescio quo religionis prætextu) per suos Aurisugas, & id quidem post amplissimam ac vastam Indulgentiarum promulgationem,extorquere sit ausus. Vides igitur, lector candidissime, quomodo alia ex aliis fluant. Illic ecclesiæ doctores lamentantur, hic per suum Oratorem proclamant Alemani. Illic de abusuum ac gravaminum abjectione, hic de bonorum Reipublicæ apud nos conservatione certatur. Haud igitur semper est temporum inquirenda series, quum satis sit hoc loco, alterum quadrare cum altero. Vale Lector, & hæc boni consule, teque penes tuum esto judicium. Iterum vale.

ORATIO LEGATORUM.

BONI adsumus nuncii, Illustrissimi principes: Leo Pontifex Max. post Apostolicam benedictonem, Romanum Christianum, idemque vestrum imperium occupatum à Turcis, restitutum vobis in vestra, ac Christianæ Republicæ virtute & opera cupit, disponit, primum à vobis petit. Memoriâ siquidem cum repetimus majorum vestrorum gloriam, animi magnitudinem, & eâ, quæ fortiter ac strenue gesserunt pro Republica (si ecclesiæ præsertim, religionisve causa ageretur) non possumus læti atque hilares nosipsos continere. Cum non intra nos dicamus, non admiremur, non conjiciamus, non extimemus, sed ipsis (ut aiunt) oculis conspiciamus, quanto sitis animo, quantis viribus ad Christi Rempublicam, ac religionem capessendam, priscorum vestigiis insistentes accursuri. Ita ut qui annis prope septingentis Romanum imperium ereptum à Græcis, receptum à Gallis, summa fide Apostolicæ ecclesiæ servastis, idem quoque nunc sit non modo non diffidendum, sed quacunque orbis patet, vestra quoque virtute, ac fide propagandum. Italia omnis si quam spem reliquam habet, si quam victoriæ lucem videt, in Germanis videt; Germanos Christiani hujus belli authores, ac duces eosdemque confectores sibi pollicetur. Nullibi enim tantum Christiani nominis ac fidei patrocinium, quantum in Cæsare, & Germanis principibus esse & residere arbitratur. Nec vos degeneres futuros ab Ottonibus, Henricis, & id genus aliis (in periculo præsertim religionis & imperii) sibi persuadet. Nolite itaque pati, ut quam tantam de vobis opinionem conceperunt, irritam ac inanem fuisse postea fateantur, præsertim cum præsidere Deum Opt. Max. vestris ductibus sciamus. Cum enim causa hæc agitur, dei causa agitur. Cum in nefarium impurumque Turcam acies instruitur, pro deo pugnatur. Cum in hoc genus mortis itur,pro deo cadimus. Felicissimæ profecto mortis genus, quo vita comparatur, & ea æterna. An forte timendum vobis est Germani, ut hostibus cedatis, qui ipsas quoq; Romanas legiones, aliàs invictas, profligastis? Etsi enim, qui imminet hostis, late dominetur, ne dicam regnet, licet Syriam & Ægyptum nuper subegerit, si tamen ad mentem revocemus cum queis pugnam manusq; conseruerit, nihil est quod ultra admiremur, quàm si imbellis quisq; devicisset. Cum orientalibus quippe pugnatum est. Sinite, sinite cum Germanis

Captant benevolentiam principum, & utinam hæc ex animo loquantur.

manis congrediatur, inveniet legitimos milites, experietur invicti roboris viros, sentiet omnipotentis dei in vobis manum. Prosequimini enim (ut divinum usurpem oraculum) inimicos vestros, & corruent coram vobis. Prosequentur quinque de vestris centum alienos, & centum ex vobis decem millia. An forte abbreviata est manus domini, ut salvare nequeat? In promptu est unde convertatur deus & ignoscat. Dabunt siquidem tot millia hominum nomen in Christi militiam, signum crucis culparum omnium expiativum, tanta multitudo suscipiet. Criminaq; nostra passim piis in sanctum hoc opus largitionibus redimemus, ut proculdubio factus caro & frater noster Deus, non sæviat in suos: qui, cum non nisi dominus humani generis esset, pugnavit pro externis. Agite quod vestra interest & venite & arguite me, si deero vobis, dicit Deus Opt. Max. Bulla non usque quaq; extincta, ne tam necessario, divoque operi impedimento sint, somnum interdiu capere, & apostolicis (ut par est) mandatis obtemperando, quinquennalibus induciis tolli rogamus. Jesu Christi proprium admiramur veneramurque opus, efficere in terra pacem bonæ voluntatis, nobiscum bene agitur, si aliquantula fiat quies iniquo animo retento. Bello autem suscipiendo, quæ via quisve modus habendus sit (licet quot capita, tot sensus) probata cum plurimorum sapientum ac principum consilio sententia fuit, oportere imponere sacris initiatis Decimas, plebeis Quinquagesimas, cuiq; domui stipendium unius militis, divitibus annui census, ac lucri Vicesimam. Nec vos terret, Decimæ, Vicesimæ, aut quinquagesimæ insuetum novumque nomen, horrenda quoque nobiscum (hæc affirmaverimus) si nuda occurrerent. Verum cum Quinquagesimas, Vicesimas, Decimasque non solvere, sed deponere, idque tutissime, & ea lege debeant, ut nisi definito tempore in expeditionis istius opus conferantur, illis qui deposuerint restituantur, pium, sanctum optabileque cuilibet fore Christiano censebitis. Quocirca trepidare timore ubi non est timor, desinant, verentes expeditionem hanc fucatam esse, auri sacram subtegere famem. Nos (inquiunt Turcæ) sumus, quibus expellendis incumbitur, in nos expeditio tota sæviet. Vacate & videte, quæso, quàm supervacaneus est metus, ac timor iste, percipite quàm pie, quàm sancte & cum sacris initiatis & populis universis agatur. Nolumus nos thesaurarii, aut exactoris officio fungi. Non eo tendimus, ut in nostram potestatem æra redigantur. Veteres revolvite historias, inquirite si ullo unquam tempore sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales de latere Legati, interdictis etiam à jure facultatibus ad pontifices, eorumq; rem pertinentibus, ut in præsentia cernitis, prodierunt, & animadvertite omni exceptione laudeque dignam majorem Leonis P. M. pietatem, atque liberalitatem, ex propriis tot per regna legatis opportuna conferentem. Non quærit profecto vestra, qui sua pro vobis sponte magnificeque largitur. Sed quid pontificii animi argumentis immoramur, re ipsa potius comprobare operæ pretium est. Invenite vos ipsi, inveniant metuentes ipsi modum quempiam, quo quicquid auri argentive collatum fuerit tutum adeo sit, ut nec in exactorum custodumve stipendia aliquid cedat, sed integra universa, aut ad expeditionis hujus usum cedant, aut ad eos, qui dederint, redeant. Non quærimus Germanum ærarium, in Italiam transferre, at in Germanorum militum stipendia erogare cuncta. Summus pont. vult atque præcipit, nullum dolo fraudive locum relinqui, quia & vos clara luce videtis, quòd Christiana se respub. religio, regnum, templa, urbes, oppida, in vestra se propugnacula contulerunt, vestram opem implorant, vestris genibus advolvuntur. Si illos destituitis vos ipsos Germani destituitis, quando omnes in Maximiliani aquilas respiciamus, nec aliunde quàm à Romano Imperio auxilium expetamus, quando res vestra non minus quàm aliarum regionum agatur. Contermina siquidem Turcis Germania præ aliis est. Italia enim, quamvis Turcarum classi magis sit pervia, prius tamen quàm in Italiam Turcarum copiæ terrestri invadant exercitu, in quo constat vim omnem belli, victoriæq; sitam esse, Germaniam oppetere oportet, nisi Carinthiam, Styriam, Croatiam & Hungariam Germaniæ mœnia esse inficiati fuerimus. Clementissimus Leo pont. dici non potest quantis vigiliis in rem hanc incumbat. Non dies, neque noctes ab hac cogitatione avelli potest, non si comedat, aut bibat, aliud pectore agitat. Non sua jam, sed seipsum, sanguinem & vitam pro Christiana religione & imperio gestit exponere. Superest, ut Cæsareus hic Senatus expeditionem in Turcas indicat, efficiendamque suscipiat. Expectat Rom. ecclesia, universæ Christianæ reip. capita & membra, in serenissimum hunc conventum suspiciunt: Si definitur nunc nihil: Si in alium conventum differtur, confundemur omnes in expectatione nostra. Cavete ne dilatio hostibus componendi cum Persis finitimisque aliis tempus præbeat, Germanos principes linguarum morsibus exponat, Christianisque populis desperationem inducat. Animadvertite gravissimi, istum conventum fundamen esse, super quo tanta moles expeditionis erigenda est. Cunctantibus quippe vobis, Christiani principes reliqui retrahent proculdubio animum & manum ab hac expeditione. Si Germania (aiunt) cujus primum interest, quia Romani Imperii dignitate, gloriaque illustratur, cui ecclesiæ defensio est tradita, verba dat, deque conventu in conventum definitio-

Modo debite expendantur.

Scopus totius negotii.

Hoc omnes veriti sunt.

Faxit Deus.

Non sua, sed ecclesiæ.

Utinam hoc verum semper fuisset.

Pulchra verba, quibus ægre fides adhibetur.

nem transfert, quid nobis agendum sit, discimus facile ab exemplo. Sicque vestra Christianæ reipub. mora (quod absit) ruinam pariet. Causabuntur multi absentum libertatem, jurejurando (aiunt) nostris tenemur ecclesiis nil contra earum commoda illis inconsultis agere, non est nobis delegata potestas absentes colligendi. Ibimus illos consultum atq; hortatum, referemus deinde altero in conventu verba, cum bona istorum venia dixerim, sunt hæc non multum diffidentia ab inficiis. Impossibilia à nobis petit nemo, Fidem violari horremus, quam & hosti servandum esse didicimus. Quod vestrâ interest, & quod in vestra situm est potestate, poscimus decerni, scilicet nunc expeditionem in Turcas, definire modum comparandi nummos nullius cum injuria. Jurejurando demum spontaneo præsentes astringi, daturos se bona fide operam, ut huic definitæ exequutioni demum dentur. Non sunt hæc contra jurisjurandi cultum. Non excedunt hæc vestræ limites potestatis. Non obsunt hæc absentum libertati. Tollite itaque moras, semper nocuit differre paratis. An non parata sunt omnia ad expeditionem indicendam, quando universa ablata sunt? Quid amplius enim à Romana ecclesia exigitur? Quid ultra ab externis petitur, quando se, & sua omnia dedunt? Felix initium serenissimi Caroli catholici regis, feliciore nos auspicio trahat. Turcarum imperium, ille adhuc adolescentulus nuperrime in Africa extinxit, pellite vos Europâ. Nec longe absunt maxima quæque præmia. Etenim cupidine gloriæ ardet animus, nunquam honestior, nunquam facilior ad summam gloriam via vobis patuit. Capessentibus quippe Germanis expeditionem in Turcas, si quæ à nobis dicta sunt, fient, suprema vos belli authores & duces gloria manet. Sin vero (quod deus nolit) irrita esse contingat, parta jam vobis in dicta expeditione gloria, integro apud eos splendore fulgebit, nullo accepto incommodo. Si regnum appetitur, de propagando vestro Imperio agitur. Si terrarum orbis non sufficit, paratum vobis à constitutione mundi cœleste regnum adest. Si in jus causa deducitur, astricti estis pro Christi nomine ac fide bellum inire, quandoquidem prior ipse Rex regum aereas proprio sanguine ac cruce potestates debellavit, ut nos de perenni captivitate, in libertatem filiorum dei referret. In manu igitur vestra populorum libertas atque salus cum posita sit, exaudite, benignissimi principes, nos Apostolico nomine pro universa ecclesia supplicantes. Misereminii simul jam vastæ multitudinis absque baptismi gratia in æternæ mortis interitum præcipitis. Si quod uni ex minimis sit factum, sibi factum censet Christus dominus, quanti facturum putatis illum, quod innumeris suis ecclesiis tam ingens beneficium collatum fuerit. Vobiscum igitur, quia partiri curas, & rerum molem summus Christi ovium pastor desiderat, ab utrisque par est ut oves protegantur, & lupi arceantur, ab illo, cruce, à vobis gladio, quo sub utraque protectione quietam & tranquillam vitam transigamus. DIXI.

Utinam semper omnibus servata fuisset fides.

Lucanus, sed non ad hoc propositum.

Gloria Caroli Cæsaris.

¶ Sequitur responsio.

EXHORTATIO VIRI CUJUSDAM Doctissimi ad Principes, ne in Decimæ præstationem consentiant.

SI unquam Germaniæ principibus prudentia, consilio, concordiaque pro defendendo honore, & omnium utilitate opus fuit, Alemani proceres excellentissimi, in primis indigere mihi viderentur hoc tempore, quo in prædam Romanæ avaritiæ deputantur, ac dedecorosam servitutem, ita blande propositam, ut illa homines, priusquam intra viscera penetraverit, sese captos non sentiant. Est enim modus fallendi adeo vafer, ut his cœptis versutiis (quid enim non excogitat avaritia?) existiment acuti hominis fraudem à nomine non posse deprehendi, præsertim à vobis Germanis ducibus, quos cibo semper refertos & vino madidos arbitrantur, & publice declamant. Et ob id ad decipiendum liberius aggrediuntur. Præbuerunt præterita tempora fallacibus hominibus constantiam in spe præsenti: quando enim non est assensum illorum malis artibus? cum saltem adfuerit, qui vel mediocriter didicit fraudi fucum adpingere. Constat profecto, nullam partem Christiani orbis ab hujusmodi prodigorum genere non esse callide tentatam, multos reges & principes fraudulenter deceptos. Sed singula secum reputanti occurret, nullam gentem sæpius illusam habitamque ludibrio ac nostram. Non, ô inclyta Germania, ad libros relego, ut gesta hominum cognoscas legendo, satis ampla, quæ memoria

Romana avaritia.

Alemania plus cæteris nationibus illusa.

moria hujus ætatis tenet, Quo magis vereor ne inscitia temporis præteriti successum præbeat malo incumbenti. De quo brevem tibi Germania sermonem subjiciam, quanquam nil novi à me audies, quod per inclytos tuos principes non melius noris.

¶ Quadriennium habitum Romæ consilium, primum de rep. Christiana (quanquam legitime Jurisperiti & Theologi disputent) nondum erat finis, tamen de colligendis Decimis omnium assensu decretum est. Volutus erat lapis ad locum suum. Placuit ergo, rejecto reliquo negotio, tanquam parum utili, invocato Sancto Spiritu, Concilium dimittere. Gratiæ agendæ deo, per quem operationes nostræ incipiuntur & cœpta recte finiuntur. Porro impium est, quod Concilio placuit, id putare displicere deo, quo hæc aguntur authore. De pace agitur inter reges, qua firmata, visum omnium suffragiis Asiatico hosti conjunctis viribus bellum inferre. Evomuntur evestigio quatuor Legati (nisi ob quintum collegium & ob computum erraverim) ad nationes Christianas, ut reges & principes ad expeditionem instigent, ipsi vero pecuniam mulgeant. Quibus forte dicebatur, Ite in orbem universum, prædicate, dicentes, Qui crediderit, & Decimas solverit, salvus erit. Quorum nuper, cum Bononiæ essemus, tres vidimus ingredi tanta pompa & apparatu, ut sapientes ad eorum errorem allicerent. Dilatate inclyti Germani imperium Christianum. Frangite vires hostis impurissimi. In hoc omnibus nervis incumbite, quo nomen Christi extendatur. Res pia & sancta est, ut à nomine potest deprehendi, nisi quis malit Turcæ, quàm Christo servire. Verum sub hoc prætextu per hanc fictam pietatem, sub hoc umbrato nomine explorare imperitiorem populum, sugere lac gentium, inebriari mammona regum, dico scelus esse multo probabilius, quàm quæ à Turca inferuntur. Non quòd tanti faciam pecunia privari (quam sceleratus citius quàm probus habere potest) sed quòd nullo pacto ferre debemus (quantum in nobis est) quòd angelus Satanæ transfiguret se in angelum lucis, & poculo pietatis propinet impietatis venenum, ut populus, se rem sacram facere deo existimet, avaritiæ sacrificet, quæ mater est falsæ religionis. Falli, errare, labi, decipi, ubiq; turpe est, per religionem vero turpissimum. Quam unam nobis contra noxios mores contulit divina bonitas. Hæc absolutam artem pietatis nobis proponit. Primum, deum amare omnibus viribus, proximum deinde ut nos ipsos. At quando illum amabimus, cum videmus ejus sacrosancta præcepta manifeste pollui. Nec tamen occurrendo, sed potius connivendo opem ferimus impietati. An ille proximum sincerè amat, qui in incommodo illius removendo, nihil est occupatus? Nolo amicum nihil solicitum de salute mea. Inimicus mihi habeatur, qui à me non propulset injuriam si potest, & tamen illa non legimus, non audimus, sed quotidie fieri videmus, nullo hominum præluctante, sed vel patientes ad omnem ignominiam, quasi non potius contumelia sit deo, quàm obsequium, stulta patientia. Utinam tam facile possint ista evitari, quàm reprehendi, Et principes nostri nollent perpetuo connivere, Sed tandem aliquam partem, si non totum, perversæ consuetudinis præcidere. Quanto æquabilius res tam prophanæ quàm sacræ se haberent? Ego enim sic existimo, imperia his artibus melius retineri, quibus acquiruntur. At imperium Christianum non armis non gladio comparatum est, sed pietate & optimis exemplis vivendi. Quæ postquam passim abierunt, omnia bona retrolapsa sunt. Multa imperia perdidimus, quoniam artes, per quas parta erant, non retinuimus. Amissa est pietas, retinuimus nomen. Salutamur in vita sanctissimi, & post mortem nemo nos dignatur nomine sanctitatis. Ab hac parte paulatim cœpit proserpere virus exitiale. Deinde cæteri proceres sequuti sunt non segniter. Ergo, mirum non est, quòd à nobis alienatur cœlestis favor, & nos non cognoscit amplius, atq; prædæ relinquit imbrobo hosti. Pontifices enim Romani, postquam cœperunt prophana cum sacris conjungere, imò relictis sacris, solum prophana admirari, quàm bene consultum fuerit reip. Christianæ, quàm bene placuerit superis ipsorum institutum, eventus comprobavit. Amissis externis, interna infinitis seditionibus conturbantur, Divina despiciuntur, venditur Christus, lana ovium tondetur, de custodia studium nullum. Omitto hic Hispaniam, Gallias, orientem cum occidente, quantum pro Palliis, similibusque figmentis, ætate duorum principum, Frederici & Maximiliani, una effudit Germania? Si Roma, ut institutum est, in Fiscum collegisset, vel Germania (veluti par erat) in unum contulisset, haberemus jam nervos reip. abunde sufficientes bello Asiatico. Nec opus foret orbem jam fatigare Christianum & novis onerare (ne dicam exenterare) ejus quotidie pauperes tributis, & ex eo errore pauperes facere.

Provenit pontifici ex sua terra vectigal, quantum nulli regum Christianorum; & tamē Pallia emimus, & tamen asinos auro onustos Romam mittimus, patibula Christi erigimus, munera promittimus, aurum pro plumbo mutamus, negligentias (hem lapso calamo) indulgentias passim admittimus. O avaritiam immensam carentē fundo! canum impurissimorū nescientium saturitatē, ut est apud prophetā Danielem: Certe emere pallia sanctū duco, modo id prosit aut pietati, aut valeat ad conservandā communē utilitatē. Sed cum utrunq; horum tot seculorum experientia refutet, & Pallia tantum extiterint simulata instrumenta perditissimæ

Rem acu tetigisti.

Improbus æque ac probus dives.

Quis amicus & quis inimicus.

Imperium Ro. quibus artibus acquisitum.

Origo omnium malorum.

De palliis.

De divitiis papæ & aliis abusibus.

Pallia quid sint.

 avaritiæ

avaritiæ, ſurgat jam aliquis, atq; juſtam cauſam dandi proferat in medium, qui timeat pontificis fulmen. Probus epiſcopus aliquis, concordia fratrum,puraq; conſcientia electus, non faciet puto, ſed concupiſcens multis mediis aureorum emere Romanum centonem: Non probat Paulus Apoſtolus, qui nos devorant, qui in faciem cædunt, qui nos in ſervitutem redigunt: Quandoquidem non Chriſtianam charitatem,ſed meram tyrannidem illi præ ſe ferunt. Foris facto fure in pellibus ovium, intus lupos rapaces agunt. Mihi juſtus dolor eſt, ob nefariam avaritiam totum mundum ſub umbra religionis pollutum. Quem enim locum, quantumvis obſcurum illa contagione non contaminatum oſtendas? Quæ reſpub.non multa amiſit? Qui princeps jus auctum ſervat integrum? Quæ ſacerdotum collegia non ſunt contaminata? Quis peſſimos mores (nomen apud noſtros majores abhorrendum) induxit in Germaniam? & quæ honeſte nominari non poſſunt,docuit? Qui fœdarunt hominum ſocietates? Qui norunt egregie fallere, decipere, pejerare, teſtamenta ſupponere,divina & humana prophanare,miſcere lites,quietos perturbare, deniq; cœlũ cum terra confundere? Nonne Romana, Italicaq; proluvie iſta ſentina ſeſe in orbem terrarum effudit? Adeo, ut ne ſaltus & ſylvæ (ubi luſtra ferarum tantum eſſe dixeris) hoc malo careant. Epiſcopos merito ſacroſanctos eſſe dicimus; ſed prodeant,quibus eſt illæſa ſua authoritas. Et hunc veluti bonum valde, & rarum merito ſuſcipiemus. Non ſunt longe petenda exempla. Sermoni meo concordant res veſtræ. Sed quid ego iſta commemoro, quæ declamationis exempla ſuperant? Ad inſtitutum ſermonem redeo. Turcam profligare vultis. Laudo propoſitum, ſed vehementer vereor,ne erretis in nomine. In Italiã quærite,non in Aſia. Contra Aſiaticum quiſque noſtrorum regum, pro finibus ſuis defendendis per ſe ſatis eſt. Ad alterum vero domandum, totus orbis Chriſtianus non ſufficit. Ille cum finitimis quoq; tumultuans, nobis nondum nocuit. Hic ubique graſſatur, & ſanguinem miſerorum ſitit. Hunc Cerberum nullo modo ſedare poteſtis,niſi aureo fluvio. Nihil armis, nihil exercitu opus eſt. Plus valebunt Decimæ quàm equitum turmæ, & militum copiæ. Duplex mihi videtur via propoſita, dum rem diligentius conſidero. Unam quæ jubente ſuperſtitione,aurum petit: Altera renuentibus pontificis fulmen minatur. Utram vultis ingredimini. Sed ô ſtultam & ſuperſtitioſam opinionem credentium cœleſte numen, omnia æquis oculis intuens, ad nutum Florentinorum flecti & reflecti, Iraſci non danti, & rurſum largienti placari! Non eſt Chriſti vicarii fulmen contemnendum, ſed non ſemper ab illius jactu pertimeſcendum, præſertim cum res agitur pro humanis affectibus. Chriſti indignationem vereor: Florentinorum non vereor. Jam vero Florentiæ negotium agitur, non Chriſti. Superiori æſtate ſumptu non debili bellum geſtum eſt contra Franciſcum ducem Urbinatem,quo regno ejecto,ſed prius placato aurea gratia, Laurentius Medices in locum ſucceſſit. Ibi non ſatis providus fuit Julius II. quòd non plus auri reliquit. Ergo inventa fuit quædam fraus nova, quicunq; plura dare potuerint Cardinaliũ,hi inventi ſunt conſpiraſſe in necem pontif.Horum bona Fiſco ſcribebantur. Subſequuta eſt diſcordia fratrum cordigerorum,quæ, quantum lucri attulerit rabulis Florentinis, rem pro voluntate in omnes partes flectentibus,quid attinet narrare? cùm fidem ſuperet largitio mendicorum. Non libet narrare erectas Cruces Salvatoris per cuncta oppida,ad menſurã dantes propitias. Prætereo ſcenam de æde Petri & riſus & indignationis plenam. Templum domini,templum domini, templum domini clamat propheta, ſed non eſt templum domini. Laurentius ædificat, non Petrus. Lapides noctu migrant. Nihil ſic fingo, electiſſimi principes Romani Imperii orbis. Quid ſolicitatur pro æde Petri, in qua duo tantum opifices operantur, & alter claudus, niſi quòd nuper in frequentia peregrinorum concitabatur tumultus artificum, currebatur, clamabatur, videbantur ſtulti, & picti angeli excipientes munera largientium, ferenteſque in ſublime. Ridere poteratis mecum commoti ob præſtigias aucupii. Sic riſit olim venerabilis pater Cyprianus præ indignatione, viſo Chriſto pedibus, & auribus aſininis depicto. Deflere libet fortunam ſæculi corruptiſſimi, ob ſupremam negligentiam epiſcoporum, atque principum, permittentium populum ſuum ita nequiter decipi. Omnes illas artes invenit fraus Florentina, & propediem nefandiores excogitabit. Animadvertite modo. Quiſque modo dies novam pariet curam. Tuetur, ne corpus pontificis craſſum immatura morte perturbet conſilia. Fugato duce Urbinate, ſimilem fortunam minatur principi Ferrarienſi. Quo pariter ejecto, regnum conſtituemus, & regem Thuſciæ ſalutabimus, Laurentium Medicem civem Florentinum. Sed quia noſtra fortuna mutabilis eſt & citius poteſt mori Leo decimus, quàm iſta optatum finem conſequantur, Et fieri poteſt, ut Leonis ſucceſſor diſcedere cogat Laurentium ex alienis regnis: Ideo contra adverſum adventum ducenda eſt uxor Laurentio in Gallia cujuſdam potentis ducis filia, emenduſq; ibi principatus, parandum adverſus fortuitos caſus, ſicut decet ſapientem virum duobus regnis profugum. Facta eſt emptio, ſignatæ tabulæ, dati fidejuſſores. Satis diu Medices fuimus, principum regumque fortuna ambienda eſt. Habetis jam breviter caput Decimarum, & inſidias Turcæ, duce ſuperſtitione, in viſcera veſtra latrocinantis. Quam ob rem

Multarum tyrannidum enarratio.

Miranda enarrantur.

In Italia quærendus Turca.

De fulmine pontificio.

De crucibus erectis.

De fraude Florentina.

Laurentius Medices.

Ficta Decimarum hypocriſis.

ob rem resistite nefando conatui. Nolite assentiendo contaminari impietate. Quod rectum est, quod ratio suadet, sequimini. Signatum est lumen vultus tui, domine, super nos, Illud errare nolentes non sinit. Mementote vos esse Germanos, hoc est, populum ante alios natura liberiorem, sicut hostes vestri de vobis scripserunt. Nolite alicui esse vectigales, ante omnes vero Florentinis. Proferant se in judicium nostri episcopi, indignum servitutis jugum à cervicibus suis abjicientes. Sed venerentur omnes, mussitant quidam, quod dicere non didicerunt, alii metu fulminis, nonnulli spe novi honoris. Unus omnium mihi venerabilis Laurentius sese erigit, qui sæpenumero gravem imbrem consilio: & prudentia sua à repub. Franconica amovit. Atque ideo corona aurea merito laureandus: Augustiore vero, si hanc quoque tempestatem removerit: Ad quem honorem studium omne convertat alacriter divino monitu. Nos, qui ab eo sacerdotum collegio decorati sumus, audentius deprecari volumus. Oremus pro pontifice nostro. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum ejus. In manus inimicorum traditur, quando audire contemnit eum qui dicit, Ego dominus amans judicium, & odio habens rapinam, qui sit in sæcula sæculorum benedictus: Amen.

Ad quos spectat beneficiorum collatio, ut supra in Concilio est probatum.

¶ Finis Orationis Udalrichi (ut fertur) Hutteni.

Decretum Concilii Constantiensis, quando solvenda sit, sive deneganda Decima.

CUM paterna pietas filiis hominum providere debeat, licet in casu necessitatis urgentis valeat vicissitudo laudabilis. Declarat sancta synodus, non licere Romano pontifici indictiones, sive exactiones quascunque super ecclesiam, vel ecclesiasticas personas imponere per modum Decimæ, vel alio quovis modo. Si vero cum necessitas acciderit papæ, qua esset eidem debite subveniendum, vocato generali Concilio, secundum quod expediens videbitur, & utile, secundum decretum Concilii provideatur eidem.

AD LECTOREM.

NUnc ad procemialis epistolæ ordinem revertimur, Hildebrandi historiam lecturi, in qua, Beno Cardinalis, nefanda, non ipsius solum, sed & aliorum quoque crimina commemorat. Nolim itaque ob hæc (omnes enim peccatores sumus) turbari animum tuum. Oportet utique & nos tam malorum nonnunquam (eadem est enim contrariorum disciplina) quàm bonorum memores esse. Nam ut poeta cecinit, Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Nos ergo, quamvis Hildebrando condolemus, scripta tamen Benonis immutare non possumus, nec etiam debemus, ne vel falsarii, vel historiarum corruptores fuisse videamur. Itemque, licet pontificum quorundam tyrannis enarretur, pontificia tamen dignitas, ob idipsum, in nullo læditur, nec minus eo venerabilem cunctis esse oportet. Cæterum si Platinam Ro. si Johannem Stellam, si M. Antonium Sabellicum, Venetos, ac temporum nostri Carthusiensis Fasciculum perlustraveris, multa egregie dicta ac facta ab eo reperies. Quid igitur ad hæc dicemus? Sit Hildebrandus malus, sit Gregorius bonus. Malo tamen magis (ut pace omnium dixerim) huic Benoni Cardinali, quàm Platinæ, aut Venetis jam tactis, cæterisve, pontificibus plus æquo faventibus, hac in re solum credere. Scimus enim quàm infensi, invictissimis nostris Imperatoribus Augustis, semper fuerint Veneti. Postremo, imponunt prædicti hi scriptores Henrico quarto Symoniæ labem, at viderint ipsi, quonam illic in loco hæc cruenta bestia, & hæc Lerna, suum gerat principatum, quin potius considerent, Imperialem penes majestatem, constituendorum pontificum potestatem priscis fuisse temporibus. Perpendant quoque & alii, anne ex quorundam decreto Conciliorum, ad Archiepiscopos atque Episcopos, beneficiorum spectet collatio. Vale, lector, & quid Beno loquatur ausculta.

VITA ET GESTA HILDEBRANDI,

qui Romanus Pontifex factus, Gregorius septimus dictus est, descripta per Benonem Cardinalem, archipresbyterum sanctæ Romanæ ecclesiæ, qui eo tempore vixit: Ubi narratur, cur fuerit depositus: & miranda referuntur de aliis pontificibus Romanis, videlicet Benedicto nono, Gregorio sexto, Sylvestro undecimo, Johanne vigesimo, Leone nono, Alexandro undecimo, & aliis, quæ nullus historicorum adhuc prodidit, neque Platina, neque quisquam alius.

Reverendissimæ matri sanctæ Romanæ ecclesiæ, devotus filius ejus, & humilis servus Beno, Cardinalium archipresbyter,

Liberius Anastasius. QUum de omnibus Romanæ ecclesiæ Cardinalibus ferè solus Eusebius Liberium Papam declaraverit hæreticum, & clerici Romanæ ecclesiæ Anastasium secundum, duas ecclesias excommunicatis communicando facientem damnaverint: non absurdum existimavi, majorum nostrorum nomina atque dignitates memoriæ commendare, qui Hildebrandum reliquerunt, cujus intolerabiles & gravissimos errores publice detestati, nunquam ad eum reversi sunt. Diversas etiam scholas Romanæ ecclesiæ literis adnotavimus, quæ ab ejus communione recesserunt. Leo tunc temporis archipresbyter Cardinalium & Beno, & Ugobaldus, & Johannes Cardinalis, & Petrus cancellarius & Cardinalis, ordinati ante tempora Hildebrandi: Natro, Innocentius, Leo, hi tres ab eo consecrati, deseruerunt eum, errores ejus execrati. Similiter Theodinus archidiaconus, quem ipse constituit archidiaconum, & alii Cardinales diaconi: Johannes modo archidiaconus, & Crescentius, Johannes primicerius scholæ cantorum, cum omnibus suis: Petrus oblationarius, cum omnibus suis, excepto uno: Papa prior scholæ regionariæ, cum omnibus suis subdiaconibus, Archiacolytus & subpulmentarius cum suis, Cencius judicum primicerius, cum aliis judicibus & cuncti milites signa banda gestantes, Prior scriniariorum cum plerisque suis. Ipsi etiam episcopi cum jam vellent eum deserere, Hildebrandus, convocatis ad se laicis, eis consilium suum aperuit, & quod episcopos à colloquio Cardinalium vellet separare, indicavit. Post hæc ipsos episcopos convocavit: & turbis laicorum stipatus, sacramentum ab ipsis episcopis cum terrore & minis exegit & extorsit, & in manu sua jurare coegit, ne unquam ab eo dissentirent, nunquam regis causam defenderent, nunquam superordinato sibi papæ faverent, vel obedirent. Quo facto, eos per principem Salernitanum in Campaniam misit: & sic eos à consortio Cardinalium, & à Romana urbe separavit. Non solum episcopos, sed etiam urbis presbyteros, & inferioris ordinis clericos, insuper & laicos juramentis alligavit, ne ulla ratione, ullo tempore condescenderent in causa regis.

Cencius.

Alexandro papa juxta vespertinam horam defuncto, eadem die contra Canones, à laicis electus est. Sed Cardinales non subscripserunt in electione ejus: sub anathemate enim canones præcipiunt, neminem eligi in sedem Romani pontificis ante diem tertium post sepulturam ipsius prædecessoris. Postquam aliunde ascendit, à consilio removit Cardinales sacræ sedis.

Cum quibus personis, consilia sua diebus & noctibus habuit, Roma vidit & audivit.

Ejectis à consilio & à custodia ejus Cardinalibus, vita ejus & fides & doctrina sine testibus fuit: cum sacri canones præcipiant, ut in omni loco tres Cardinales presbyteri, & duo diaconi papam non deserant, propter testimonium ecclesiasticum, & propter stilum veritatis.

Scripturas sacras violenter intorsit in adjutorium falsitatis, quod genus idololatriæ quantum sit, late patet in scripturæ sacræ campis spaciosis.

Præter voluntatem & consilium Cardinalium, extra ordinem judicandi sacris canonibus determinatum, Imperatorem in nulla synodo canonice accusatum præcipitanter excommunicavit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium subscripsit.

Herricus 4. Ut primum ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexit, sedes ipsa noviter lignis fortissimis composita, subito dei nutu terribiliter scissa est in plures partes, ut manifeste daretur intelligi sessor ille tam periculosa excommunicatione, tanta præsumptione, quanta, quamque terribilia schismata seminaret contra ecclesiam Christi, contra sedem beati Petri,

quàm

quàm crudeliter diſſiparet cathedram Chriſti, inculcando leges eccleſiæ, impetrando cum potentia & auſteritate.

In deſcriptione ejuſdem excommunicationis ea interſeruit, in quibus manifeſte à fide Catholica erravit, cum injuſte excommunicatum Imperatorem & epiſcopos communicantes ei excepit ab excommunicatione, & tertio gradu communicantes eis, & unitatem eccleſiæ ſcindens (quantum in ipſo fuit) duas eccleſias fecit.

Idem præſumptor jejunium indixit Cardinalibus, ut deus oſtenderet quis rectius ſentiret de corpore domini, Romanane eccleſia, an Berengarius. Per hoc manifeſte probatus infidelis, cum in Niceno Concilio ſcriptum ſit, quia dubius in fide infidelis eſt.

Et de corpore domini ſignum quæſivit, quod petente beato Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando panis Chriſti formam accepit digiti. Et miſit duos Cardinales, Attonem & Cunonem ad ſanctam Anaſtaſiam, ut cum Suppone ejuſdem eccleſiæ archipresbytero triduanum jejunium peragerent, & illis tribus diebus ſinguli per dies ſingulos pſalterium & miſſas decantarent, ut ſupradictum ſignum eis Chriſtus oſtenderet: quod minime contigit.

Gregorius ſeptimus Papa, dubitavit de euchariſtia an ibi eſſet caro, quòd negabat Berengarius, veterum quorundam ſententiam ſecutus, Qui Pontificem Romanum non veritus eſt vocare pulpificem quod pulpam id eſt, carnem illic eſſe definierit. Sed revocare coactus eſt, ut patet in Decretis.

Imperator ſolitus erat frequenter ire ad orationem ad eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ eſt in monte Aventino. Hildebrandus autem cum per exploratores ſuos omnia ejus opera ſollicite inquireret, locum in quo frequentius Imperator, vel ſtans, vel proſtratus orabat, notari fecit: & quendam promiſſa pecunia, ad hoc induxit, ut ſupra trabes eccleſiæ, occulte lapides magnos collocaret, & ita aptaret, ut de alto ſuper caput orantis Imperatoris demitteret & ipſum contereret. Quod miniſter tanti ſceleris, cum feſtinaret implere & lapidem magni ponderis ſuper trabes aptare vellet: lapis pondere ſuo eum traxit, & fracta ſub trabibus tabula, & lapis & ille miſer homo dei judicio in pavimentum eccleſiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus eſt. Hujus rei geſtæ ordinem poſtquam Romani cognoverunt, pedem illius miſeri fune ligaverunt, & triduo per plateas urbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem ſolita clementia juſſit eum ſepeliri.

Henricus quartus.

Johannes Portuenſis epiſcopus, qui intimus fuerat à ſecretis Hildebrandi, aſcendit in ambonem beati Petri, & inter multa audiente clero & populo, ait, Tale quid fecit Hildebrandus & nos, unde deberemus vivi incendi: ſignificans de ſacramento corporis domini, quod Hildebrandus reſponſa divina quærens contra Imperatorem, fertur injeciſſe igni contradicentibus Cardinalibus qui aſſiſtebant ei.

In Paſcha domini feria ſecunda, cum ad eccleſiam ſancti Petri ad miſſam clerus & populus conveniſſet, poſt evangelium in ambonem aſcendit, ſicut erat indutus Pontificalibus indumentis. Et in præſentia Epiſcoporum & Cardinalium, in frequentia cleri & ſenatus & populi Romani publice clamavit inter multa ſuæ divinationis verba, Regem Henricum uſque ad proximum ſancti Petri feſtum, ſine dubio moriturum, aut à Regno penitus dejiciendum, in tantum, ut ulterius non poſſet congregare quàm ſex milites. Prædicavit etiam Epiſcopis & Cardinalibus & omnibus qui aderant de ambone, clamans, Nullo modo habete me pro Papa ulterius, ſed ab altari me avellite, ſi uſque ad prædictum feſtum prophetia hæc effectum non habuerit.

Eiſdem diebus paravit Imperatorem perdere per occultos proditores. Deus autem eum cuſtodivit. Et eodem tempore fuerunt nonnulli, qui exiſtimaverunt ipſum Hildebrandum conſcium extitiſſe, & ordinatorem proditionis, quia eiſdem diebus paulo ante proditionem de morte regis falſo prophetata præſumpſit, Quod verbum vehementer percuſſit corda multorum. Et palàm factum eſt Hildebrandum voce propria in conventu eccleſiæ eſſe damnatum, qui (ut dictum eſt) judicaverat ſe nullo modo eſſe Papam, neque pro Papa ulterius habendum, ſed proditorem & mendacem eſſe credendum, niſi uſque ad proximum feſtum ſancti Petri Imperator moreretur, aut omni honore ſpoliaretur, adeo ut ultra ſex milites congregare non poſſet, & divino nutu actum eſt, ut à ſeipſo quoque damnaretur hæreticus. Sic ait Apoſtolicus, Dominus ipſe inquit, propheta qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ut diceret, aut ex nomine aliorum deorum, interficietur. Quod ſi tibi tacita cogitatione reſponderis, Quomodo poſſum intelligere verbum quod dominus non eſt loquutus? Hoc habebis ſignum, quod in nomine domini propheta prædixerit, & non evenerit, hoc dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.

Tēpore autē trāſacto, qd. Hildebrādus in divinatione ſua præfixit, Rege vero neq; mortuo neq; militibus ſuis imminuto, timens ſe ſuis verbis deprehenſū, & ore proprio condemnatū, ad callida argumenta ſe convertit, perſuadens vulgo indocto, non de corpore regis, ſed de anima regis prophetaſſe: quaſi anima regis milites omnes præter ſex perdidiſſet, vel illo ſpatio mortua eſſet. Et his verbis vulgum indoctū deluſit. Contra hujuſmodi prophetas beatus

Grego-

Gregorius super Ezechielem ait: Inter prophetas veros & falsos ista est distantia, quia prophetæ veri si quid aliquando per suum spiritum dicunt, citius corriguntur. Prophetæ autem falsi, & falsa denunciant, & alieni à Sancto Spiritu in sua falsitate perdurant.

Tres homines non convictos, non confessos, absque sæcularibus judicibus Hildebrandus morti adjudicavit, & eos in patibulis juxta ecclesiam sancti Petri, in loco, qui dicitur Palatiolum, interfici suspensos coegit, sine dilatione, sine discussione, contra leges quæ præcipiunt etiam manifestos reos intra spatium, & retractionem triginta dierum non interfici. Quæ etiam apud Paganos vigent & servantur, sicut docet authoritas beati Ambrosii, & passio sanctorum Marcellini & Marci.

Centius. Centium filium præfecti Stephani, prius fidelem suum, in carcerem misit & in vase undique aculeis vestito, mille & mille mortibus cruciavit. Qui postquam evasit, ipsum Hildebrandum cepit. De cujus captione antequam evaderet, omnibus qui captionis illius cooperatores fuerant, hoc debitum publice remisit, quod postea infideliter vindicavit. Centium cui omnia remiserat, persequi cœpit: & novem de hominibus Centii in patibulis suspendio interfecit ante portas sancti Petri.

Filius cujusdã viduæ captioni ejus interfuit, cui cum multis aliis pœnitentiam & exilium unius anni indixit. Quo expleto, vidua ampliori satisfactione volens placare animum Hildebrandi, funem immisit collo filii sui, & fune filium trahens, pariter cum filio ad pedes Hildebrandi protulit dicens, Domine Papa, de manu tua volo recipere filium meum, qui exilium unius anni, & pœnitentiam à te injunctam portavit. Ad hæc Hildebrandus in præsenti propter eos qui aderant, iram dissimulans, filium ei reddidit, cum austeritate dicens, Vade, vade fœmina, dimitte me in pace. Postea missis apparitoribus suis, filium viduæ apprehendit, & judicibus, ut eum morti damnarent, præcepit. Qui uno ore responderunt, se ulterius non posse illum condemnare, qui ad judicium Papæ confugisset, & pœnitentiam, & exilium unius anni ab ipso Papa injunctum, jam implevisset. Ad hæc gloriosus Hildebrandus judicibus iratus, præcepit abscindi pedem filio viduæ, quæ frustra apud Hildebrandum existimaverat pœnitentiam, & leges, & jura valere. Et pede truncato, dolore illo post triduum mortuus est.

Multa quidem alia fecit Hildebrandus, in quem clamat sanguis ecclesiæ gladio linguæ ejus miserabili proditione effusus, propter quæ à communione ejus justissime ecclesia recessit, sicut fecerunt Imperatores nostri temporibus apostatarum Liberii & Anastasii.

Ut Liberii festum celebraretur, jussit. Hoc præcepto ejus hæresim firmavit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit.

Die quodam, cum de Albano Romam veniret, oblitus est secum ferre familiarem sibi librum necromanticæ artis, sine quo nusquàm aut raro incedebat. Quod cum in itinere ei ad memoriam redisset, in introitu portæ Lateranensis festinanter vocavit duos de familiaribus suis assuetos & fidos ministros scelerum suorum, & ut eundem librum citissime sibi afferrent præcepit, & terribiliter interminatus est, ne librum in via aperire præsumerent, ne ulla curiositate secreta libri investigarent. Sed quanto amplius inhibuit, tanto vehementius eorum curiositatem ad investiganda ejusdem libri arcana accendit. Igitur dum in reditu librum reserassent, & diabolicæ artis præcepta curiose legerent, subito affuerunt angeli satanæ, quorum multitudine & horrore duo illi juvenes prope effecti amentes, vix ad se reversi sunt. Et (ut ipsi retulerunt) maligni spiritus instabant, dicentes, Ad quid nos vocastis? quare fatigastis? cito præcipite quod nos agere vultis, alioquin insurgemus in vos, si nos diutius tenueritis. Ad hoc alter juvenum, Festinanter (inquit) muros illos dejicite. Et hæc dicens, manu ostendit muros altos vicinos Romæ, quos in momento maligni spiritus dejecerunt. Et juvenes Sanctæ Crucis signo se signantes, tanto terrore exterriti, trementes & palpitantes, vix Romam ad dominum suum pervenerunt.

VEnerandis ecclesiæ Romanæ patribus, & dilectis in Christo & semper diligendis fratribus B. Cardinalis Romanæ ecclesiæ fidele servitium, & salutem, servantibus ecclesiæ Catholicæ communionem. De cujus communione & disciplina, vel potestate, frustra sibi applaudit quisquis injuste ex potestatis præsumptione quenquam ligaverit vel solverit. Injuste autem ligat, quisquis aliquem paratum satisfacere & audientiam implorantem, neq; convictum, neque sponte confessum anathematizat: immo seipsum frustra maledicendo, quasi proprio jaculo in se intorto maledicit & condemnat. O nova proditio procedens de sanctuario! immo de eo qui ut summus sacerdos videbatur ecclesiam regere, & senioribus judicibus præesse.

Contra Platinam & alios. Hildebrandus instabat imperatori, ut ejiceret episcopos symoniacos. Imperator credens, quasi ex zelo legis, quasi à throno dei præcedere hæc mandata, sine mora obediebat; sine mora, sine discussione, sine judiciario ordine episcopos ejiciebat: dum per hanc obedientiam se deo sacrificare existimabat, dum adhuc versutias Hildebrandi minus intelligebat.

Hilde-

Hildebrandus vero expulsos à rege symoniacos, relocabat: & quos regi infestos reddiderat, eos sibi familiari amicitia reconciliabat: & multis & magnis juramentis sibi fidos & obnoxios efficiens, præ aliis exaltabat. Et modico tempore iis artibus regia domo perturbata, & pene amicis destitutâ, sibi vero amicitiâ majorum principum comparata, ex improviso sine legitima accusatione, sine canonica vocatione, sine judiciario ordine, obedientem sibi Imperatorem excommunicavit, & regni principes ab eo separavit. Et cum Apostolus præcipiat, ne quis circumveniat in negotio fratrem suum, quantum in eo fuit, mortificavit potius, quàm castigavit. Sic autem Imperator multimode circumventus, præter Canonicum ordinem excommunicatus, & consensu Hildebrandi & consilio, magna ex parte imperii honore expoliatus, & bellis & cædibus immensis fidelium suorum prægravatus, frustra Canonicam audientiam imploravit, & extortam confessionem invitus ac coactus apud Canusium in præsentia Hildebrandi protulit. Dicite, quæso, qui justitiam diligitis, qui ad dextram vel sinistram favore alicujus personæ declinare non nostis, dicite, quæso, si confessio tanto tempore extorta cuilibet pauperi, nedum Cæsari præjudicare debuit, si ex confessione extorta potius non extitit reus Canonum hic, qui extorsit, quàm qui perverse judicatus, perversoris judicis injuriam & violentiam patienter & publice, & cum lachrymabili afflictione, nudis pedibus, in laneis vestibus, hyeme præter solitum aspera, apud Canusium spectaculum angelorum factus & hominum, & Hildebrandi ludibrium, triduo pertulit? Dicite, quæso, si quisquam sanctorum Pontificum, quenquam plebeium, nisi aut sponte confessum, aut in synodo convictum, nec in eadem Provincia, sed in longinquis terrarum partibus semotum, tam præcipiti judicio damnare præsumpsit? Si quis tam audacter abusus est potestate ligandi & solvendi? Equidem Ambrosius Theodosium ligavit, sed præsentem sponte confessum. Maximus Salonitanus episcopus per plures annos extra Provinciam sui episcopatus apud Romam apud beatum Gregorium de symoniaca hæresi, de diversis adulteriis accusatus, uno tandem anno deficientibus accusatoribus sacramento sola manu præstito, purgatus est, sicut in registro ejusdem beati Gregorii legitur. Et beatus Augustinus in libro de pœnitentia, Satis (inquit) ostendit Apostolus, non temere, & quomodolibet, sed per judicium auferendos esse malos ab ecclesiæ communione, ut si per judicium auferri non possint, tolerentur potius, ne perverse malos evitando ab ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur vinciat ad gehennam. Multi (inquit) corriguntur, ut Petrus: multi tolerantur ut Judas: multi nesciuntur, donec veniat dominus, qui illuminat abscondita tenebrarum. Et quidam (inquit) metuentes præcepta severitatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare sanctum canibus, ut Ethnicum habere ecclesiæ contemptorem, à compage corporis membrum quod scandalizat evellere, ita perturbant ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus separare zizania, atque hoc errore cæcati, ipsi potius à Christi unitate separentur. Qualis nobis causa est adversus schismata Donati, & non cum illis, qui noverunt Cecilianum, non veris, sed calumniosis criminibus appetitum, & perniciosam sententiam suam mortifero pudore non deserunt: sed cum illis, quibus dicimus, etiamsi mali fuissent; propter quos in ecclesia non estis vos, tamen eos ferendos, quos emendare aut segregare minime poteratis, in ecclesia permanere debuistis. Et paulo post: Nos (inquit) ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, ex utrisque testimoniis vitam, sententiamq; moderari, ut canes in ecclesia propter pacem ecclesiæ toleremus, & canibus sanctum ubi ecclesiæ pax tuta est, non demus.

Hoc est contra Platinam & Joh. Stellam Venetum.

Vide obedientiam Henrici Cæsaris.

Hildebrandus autem non solum ecclesiæ perturbavit pacem, sed etiam ecclesiasticam scidit unitatem, & unicæ fidei vestem inconsutilem, dum Cæsarem & episcopos communicantes Cæsari, absque judiciario ordine excommunicabat: & tertio gradu communicantes eis, ab excommunicatione nova pietate excipiebat: quos hujusmodi artibus, & regi subducere, & sibi allicere festinabat.

Dicant nunc Hildebrandi discipuli, quibus commentis, quibus coloribus deaurare possint, quod ipse Hildebrandus in synodo generali hæretica prædicavit, prædicando excommunicatis communicare consensit, prædicata scripsit, prædicatione & scriptis alteram catholicam, alteram excommunicatorum ecclesiam faciens, unitatem scidit, & scripta per orbem terrarum disseminavit: prædicando, scribendo, scripta disseminando seipsum hæreticum manifestavit, & ore proprio, & confessione hæreseos non extorta divino urgente judicio condemnavit, dum vulgus erroneum sanctum existimaret, & Apostolis exæquaret spiritum tanti erroris, cum etiam prudentiores ejus laqueis caperentur & inducerentur in tentationem si fieri posset etiam electi.

Mentimur, nisi tredecim Cardinales sapientiores & religiosiores, ipse archidiaconus, & ipse Primicerius, & multi alii Lateranensium clericorum, quorum judicio ex privilegio sanctæ sedis totus subjacet mundus, apostasiam ejus intolerabilem perpendentes, ab ejus communione recesserunt.

Dicant

Dicant (oramus) Hildebrandi discipuli, qua præsumptione magister eorum unitatem Ecclesiæ in duas vel plures partes divisit? Si enim Cæsarem injuste & absque judiciario ordine damnavit, seipsum potius ab ecclesia separavit. Si vero justæ excommunicationis gladium in Cæsarem vel episcopos communicantes Cæsari exeruit, quare communicantes ipsis episcopis tertio gradu per scripturam excipiendo absolvit? Nunquam etiam unius diei infans ab excommunicatis conceditur aliqua necessitate baptizari, vel ab excommunicatis baptizatus, & continuo mortuus creditur salvari. Equidem sacer Chalcedonensis Canon prædicat apud hæreticos non posse ad salutem baptizari, & damnat eos qui parvulos extra ecclesiam baptizandos obtulerint. Quid proprie de parvulis apud excommunicatos baptizatis beatus Augustinus scribat Bonifacio episcopo, in serie ejusdem epistolæ, facile & lucide potest reperiri. Reperitur & hoc ipsum in epistola beati Gregorii, quam pro parvulis solicitus, episcopus Longobardiæ misit. Reperitur etiam multipliciter in campis sacræ scripturæ latis & spaciosis.

Urbanus secundus.

Gloriosus autem Hildebrandus, & pedissequus ejus Turbanus, nova potestate solventes Decreta Chalcedonensis Concilii, non solum verbis, sed & scriptis publicis consenserunt extra ecclesiam communicare & baptizare: quàm cæci essent, quàm hæretici scriptis propriis deprehensi. Pro nefas! ii præsumpserunt de ecclesia judicare, qui nusquam reperiuntur non errasse, quibus etiam ipsa veritas reputatur in mendacium, quam solo fallendi studio verbis & scriptis suis, ne venena erroris eorum perciperentur, quasi mel veneficorum more admiscuerunt. Mendacium enim est (ut beatus Augustinus ait) omnis enunciatio prolata intentione fallendi.

Uterque autem Hildebrandus scilicet & Turbanus in hæresim Liberii recidit, qui postquam publice communicavit excommunicatis duas ecclesias faciens, unitatem scidit. Sed non tacuit beatus presbyter Eusebius, quo legitime defendente unitatem usque ad mortem, & vita & morte ejus clarificante doctrinam catholicam, Liberius declaratus est hæreticus.

Liberium unus Eusebius communionem ejus deserendo, & juxta evangelium tanquam Ethnicum & publicanum devitando ligavit, uno spiritu cum beato Augustino, magis opere, quàm verbo dicens: Cœpisti habere fratrem tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed ut juste facias, vide, nam injusta vincula justitia disrumpit.

Unus Eusebius Liberium recedendo à communione ejus ligavit, quanto magis Hildebrandus in errore perseverans cum angelis suis apostatis damnatus in abyssum relegatus est, Romanæ ecclesiæ patribus ab ejus communione recedentibus, & ejus hæreses & ligandi & solvendi abusionem execrantibus.

Anastasius papa canonicè intravit, sed quia uni excommunicato sine satisfactione publica communicavit, quidam Romanorum clericorum ex potestate & privilegio sanctæ sedis communionem ejus deserentes eum ligaverunt, quia communicando excommunicato ecclesiam dividere præsumpsit. Hildebrandus vero à discipulis suis sanctus prædicabatur, quasi æqualia & longe deteriora non commiserit, quasi Romanæ ecclesiæ clerici & laici publice ab ejus communione non recesserint.

Sileant hypocritæ (sicut ait beatus Petrus) pyratis similes, beati Petri nomen igne malitiæ sub nomine catholico, sub obtentu justitiæ artificiose supposito destruentes, & fere demergentes. Obstupescant pseudoprophetæ ad vocem Petri, in facie humani, in cauda scorpiones, lupi sub ovina pelle latentes, corpora trucidantes in oris gladio, & animas pariter devorantes, quorum religio nihil aliud redolet, nisi proditionem & avaritiam, penetrantes domos viduarum, captivas duxerunt mulierculas oneratas peccatis, sub occasione impacati temporis attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmonum, quas accepit Hildebrandus magister eorum à magistris suis, à Theophylacto, qui cognominatus est Benedictus Papa nonus, à Laurentio, à Malfitano archiepiscopo, à Johanne archipresbytero sancti Johannis de Porta Latina, qui postea cognominatus est sextus Gregorius Papa.

Gregorius sextus. Benedictus nonus Papa.

Theophylactus sacrificiis dæmoniorum deditus in sylvis & montibus, mulieres post se currere faciebat, quas magicis artibus ad sui amorem coegerat. Testantur hoc libelli ipsius inventi in domo ejus, postquā vitam male finiverat. Et hæc fabula adhuc rusticis Romanorū est notissima. Is dum ad ecclesiam rediret de sylvarum secretis, ubiq; secum habens prædictum Laurentium principem maleficiorum, cum eo etiam publice de Mathesi disputabat, & vulgus avidum novarum rerum, novis divinationibus in sui admirationem excitabat. Nomen autem Laurentii apud simplices pro eo habebatur celebre, quia videbatur aliquando ex improviso prophetare. Et de complice & discipulo suo Papa, securus gaudebat etiam publice in conventu episcoporum & cardinalium & senatorum auguria sua magnificare, & ad cantum avium subito auguria denunciare, quid ipso die, vel hesterno, vel nudiustertius factum esset in oriente & occidente, in meridie, in septentrione, & in remotioribus vel extremis

mis

mis terrarum partibus, sive de bellis, sive de morte principum. Ad quem tentandum cum die quodam multi convenissent, subito audita est avicula, quæ vulgo passer dicitur, dulces voces frequentare. Et Laurentius subito interrogatus, in præsentia Theophylacti & episcoporum, qui convenerant, quæ avis illa caneret, subito respondens, Avicula hoc (inquit) aliis canit aviculis, ut cito conveniant ad portam majorem, ubi modo fractus cujusdam rustici currus, & effusum est milium quod super illum ferebatur. Invitat autem frequenti cantu, ut illuc cito conveniant, & saturentur. Quo audito, plures astantium concito cursu majorem portam aliis alium certatim prævenerunt, & sicut dixerat, invenerunt.

Auguria ejus nullo divinæ legis zelo vindicabantur, insuper à complice suo papa semper magnificabantur. Unde factum est, ut aliqui curiosa sectati publice, & libere frequentarent contubernium & magisterium ejus. Morabatur autem in domo prædicti archipresbyteri Johannis de porta Latina, qui studiose ejus magisterio adhærebat & imbuebatur artibus illius.

Theophylacto autem & Laurentio adhuc juvenibus, infecerat urbem iis maleficiis Gerbertus ille, de quo dictum est.

Transit ab R. Gerbertus ad R. post Papa viget R. Et Gerbertus quidem paulo post completum millenarium ascendens de abysso permissionis divinæ, quatuor annis sedit, mutato nomine, dictus Sylvester secundus. Et per quæ multos decepit, per eadem dæmonum responsa deceptus, morte improvisa, dei judicio est interceptus. Hic responsum à suo dæmone acceperat, se non moriturum, nisi prius in Hierusalem missa ab eo celebrata. Hac ambage, hac nominis æquivocatione delusus, dum civitatem Hierusalem prædictam sibi credit, Romæ in ecclesia, quæ vocatur Hierusalem, missam faciens in die stationis, ibidem miserabili & horrida morte præventus, inter ipsas mortis angustias supplicat manus & linguam sibi abscindi, per quas sacrificando dæmonibus deum inhonoravit. Et hic quidem dignum suis meritis exitum invenit. Sed discipulos illius Theophylactum & Laurentium magistri mors teterrima à studiis idololatriæ non absterruit, quibus ultio divina (ut paulo post dicendum est) non defuit.

Sylvester secundus.

Igitur post infelicem exitum Gerberti, certamen erat inter discipulos ipsius, dum quisque anhelaret ad rapiendum papatum sibi. Sedit autem post eum octavusdecimus Johannes, & quinto mense veneno suffocatus dicitur à suis. Huic successit nonusdecimus Johannes & vix annum peregit. Cui successit unus Sergius, & sedit tribus annis. Anno quinto post Gerbertum, sedit octavus Benedictus, laicus, frater Albrici Tusculanensis, patruus Theophylacti, & undecimo anno decessit. Huic successit frater ejus carnalis, & patruus Theophylacti vigesimus Johannes Neophytus, & sedit annis novem. His duobus suis patruis successit Theophylactus, & anno vigesimo quinto post Gerbertum magistrum suum sedem fraudulenter obtinuit; Theophylacto in sylvis à dæmone suffocato, archipresbytero in exilium abducto, Laurentio in fugam præcipitato. Anno igitur post Gerbertum vigesimoquinto Theophylactus discipulus ejus sedem violenter obtinuit, & condiscipulum suum Laurentium, & archipresbyterum Johannem Gratianum intimos & secretorum conscios habuit.

Johānes decimus octavus. Johannes decimus nonus. Sergius quartus. Benedictus octavus. Johannes vicesimus. Benedictus nonus.

Eodem tempore Hildebrandus, derelicto monasterio, prædicto archipresbytero adhæsit, & archiepiscopi Laurentii magisterium sequutus, in brevi factus est utriusque magistri imitator egregius. Qui cum vellet, manicas suas discutiebat, & in modum scintillarum ignis dissiliebat: & iis miraculis oculos simplicium, velut signo sanctitatis ludificabat. Et quia diabolus per paganos Christum publice persequi non poterat, per falsum monachum sub habitu monastico, sub specie religionis, nomen Christi fraudulenter subvertere disponebat. Sed quamvis peccatis exigentibus talia fieri permitteret dispensatio divina, tamen tempus retributionis propinquabat.

In diebus illis, defuncto Conrado, legis & religionis cultore fidelissimo, Romanorum Imperatore Augusto, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, habito consilio cum familiari suo Laurentio & aliis suis complicibus molitus est filium Imperatoris Conradi, Henricum Imperatorem successione imperii exturbare & in ecclesia schismata diversa seminare. Hoc enim est quod amplius exigitur à mundi principio, à tenebrarum principe. Misit igitur coronam Romani Imperii Petro regi Hungarico. Sed ad Petrum expugnandum direxit Imperator Henricus ducem Lotharingiæ Godfridum, virum fidelem, & bello strenuum, & inter regni principes clarissimum. Qui primo conflictu, Petrum bello captum, & omnes vicinas nationes, ne in eum aliquid præsumerent, deterruit, & ut digna factis tanti schismatis authori Theophylacto redderet, Romam venire disposuit.

Conradus Augustus. Benedictus 9. Petro regi Hūgariæ misit coronam cum hoc versiculo, Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Quo audito, Theophylactus timore perterritus, vendidit papatum complici suo, prædicto archipresbytero ecclesiæ sancti Johannis de porta Latina, magistro Hildebrandi, acceptis ab eo libris mille quingētis. Qui ascendens sacrā sedē tantæ iniquitatis gradibus nomine mutato dictus est sextus Gregorius. Igitur Hildebrādus in schola tam profundæ perversitatis, usu &

Benedictus nonus vendidit Pontificatum Gregorio. 6.

& arte edoctus, erat tantorum fidus minister maleficiorum & pessimis magistris pejor discipulus. Quod ex fructibus perfidiæ ipsius posteà percepit ecclesia, per eum sub obtentu Catholici nominis gravi schismate lacerata: percepit & mundus bellis feralibus, & immensis cædibus ipso authore laniatus, & sub colore mellis veneno propinato hæresibus nefandissimis prope suffocatus.

Sylvester tertius.

Eisdem diebus superpositus est in papatum prædicto archipresbytero Sabinensis episcopus, qui mutato nomine dictus est Sylvester tertius: & factum est, ut Romana ecclesia in partes diversas scindi videretur.

Henricus Augustus.

Cum autem tanta perversitas Romam ludifaceret, divino nutu affuit Imperator Henricus, & (ut multa breviter concludam) religiosorum cardinalium precibus efflagitatus, ipsis authoribus, Romanam ecclesiam, pro loco officii sui, pro officio imperiali, pro potestate sibi à sacris Canonibus concessa, ad purgandam ecclesiam, ad exturbandum & ulciscendum ut sacrilegos devotum se præbuit. Theophylactum in fugam coegit. Sextum Gregorium in custodiam reclusit, quem postea in exilium misit. Sabinensem episcopum, quem non ambitio, sed vis ad Papatum coegerat, ad sedem propriam redire compulit. Romana vero ecclesia ejus respirans auxiliis, secundum Clementem papam elegit, sub quo ecclesiæ unitas, à quo & subsequenter Romanorum Imperator Augustus, venerandæ memoriæ Henricus coronatus est: & pro tantis meritis unice glorificatus triumpho singulari, unici amoris privilegium pellendo idololatras, Symoniacos, & unitatem ecclesiæ defendendo promeruit.

Clemens secundus.

Gregorius sextus, & Hildebrandus in Germaniam deportantur.

Quibus strenue peractis, sextum Gregorium (ut supra dictum est,) cum Hildebrando discipulo suo in Teutonicas partes deportatione damnavit. Nimia tamen pietate deceptus nec ecclesiæ Romanæ, nec sibi, nec generi humano prospiciens, novos idololatras nimis laxè habuit, quorum memoriam æterno carcere à contagione hominum removere debuit.

Defuncto autem in exilio sexto illo Gregorio, Hildebrandus perfidiæ simul & pecuniæ ejus hæres extitit.

Damasus secundus.

Eodem tempore Clemens papa defunctus est. Huic successit Damasus, & sedit viginti tantum & tribus diebus, veneno (ut dicitur) propinato suffocatus.

Theophylactus enim magister Hildebrandi post fugam reversus Romam cum familiari suo Laurentio, multis maleficiis sacram sedem vexabat, & per literas discipuli sui Hildebrandi, ea quæ in palatio Imperatoris gerebantur, rescıebat. Eo igitur immaniter vexante, iterum Romana ecclesia legatum ad Imperatorem dirigit, ut consilio Cardinalium papam eligendum Romam mittat, exposcit.

Leo nonus filius comitis de Dagspurg.

Bruno igitur qui & Leo, ex consilio Cardinaliũ Romam invitus & coactus dirigitur. In cujus comitatu nimia Imperatoris indulgentia permissus est reverti Hildebrandus, hac permissione sacerdotium pariter & regnum sub specie religionis eversurus, & juramenta Imperatori præstita non diu servaturus.

Hildebrandus fit custos altaris sancti Petri.

Brunoni igitur multa loquendo in itinere se supposuit. Et, ut Romam venit, ab eo obtinuit, ut fieret unus de custodibus altaris beati Petri. Et in brevi loculos implevit: & cui pecuniam illam committeret, filium cujusdam Judæi noviter quidem baptizatum, sed mores nummulariorum adhuc retinentem, familiarem sibi fecit. Et jam diu conciliaverat sibi quendam alium incomparabilibus maleficiis assuetum Gerhardum nomine, qui cognominabatur Brazutus, amicum Theophylacti, qui subdola familiaritate dicitur sex Romanos Pontifices intra spatium tredecim annorum veneno suffocasse, quorum nomina hæc sunt: Clemens qui sexto Gregorio damnato & Theophylacto expulso sedit mensibus novem, & diebus septem: Post Clementem Damasus, qui sedit dies viginti tres: Post Damasum Leo, qui sedit annis quinque: post Leonem Victor, qui sedit annis duobus, mensibus tribus, diebus septem. Post Victorem Stephanus, qui sedit menses septem, dies viginti octo. Post Stephanum Benedictus, qui sedit menses septem, dies viginti. Hic non veneno, sed vi & dolis Hildebrandi fuit ejectus. Post Benedictum Nicolaus, qui sedit annis duobus, mensibus sex, diebus viginti quinque.

Gerhardus Brazutus. Sex Pontifices Romani veneno necati.

Hujus tempore Hildebrandus prædictis duobus familiaribus suis pecuniam suam & consilia sua communicavit, & per eos venales linguas multorum sibi comparavit. Et post hæc Theophylactum antiquum dominum suum, & magistrum simulantem pœnitentiam Leoni Papæ in dolo reconciliavit, & Theophylacti consilio & factione ipsum Papam Leonem contra Normannos animavit.

Leo decipitur

Igitur Leo Papa, eorum dolos minus intelligens, & Romam deserens, alpes transivit, & multis Teutonicis sibi aggregatis ad expugnandos Normannos, Romam rediit, & Hildebrando & Theophylacto instigantibus in Apuliam contra Normannos transivit. Et quia Theophylactus manifeste eum lædere non audebat, simulato obsequio cum eo manens, & ingressus & egressus ejus explorans, singula per secretos nuncios intimabat Normannis, & in manus

manus eorum Hildebrando dictante, ipsum papam tradidit. De quorum manibus, vix papa (interfectis per proditionem Teutonicis) desolatus evasit.

Leone post modicum defuncto, Theophylactus de parentum potentia præsumens, Romanam ecclesiam, quam prius toties vexaverat, iterum vexare non destitit.

Interim Hildebrandus novus Proteus, novis præsumens tergiversationibus, de Roma ad Imperatorem, de Imperatore ad Romam absque consilio Romanæ ecclesiæ discurrebat. Et si quis alius in papatum eligeretur quàm ipse, prædictus Gerhardus, cognomine Brazutus, familiaris ejus, in brevi illum veneno suffocabat.

Postquam autem sedit Nicolaus papa, Hildebrandus, quia papatum adipisci non potuit, ad archidiaconatum quoquo modo invadendum se convertit. Et Mancium tunc archidiaconum Romanæ ecclesiæ multis injuriis afflixit & circumvenit. Qui victus contumeliis & dolis, & pecunia deceptus Hildebrandi, ad ultimum concessit ut Hildebrandus vice ejus archidiaconatu fungeretur. **Hildebrandus fit archidiaconus.**

Hac concessione Hildebrandus arrepta, Nicolaum papam ex improviso aggressus, coegit inverecundis precibus & minis militum, quos pecunia collegerat, metum etiam mortis quibusdam terribilibus significationibus incutiendo, ut eum archidiaconum ordinaret & constitueret. Et post paucos dies ipse Nicolaus defunctus est, veneno (ut dicitur) suffocatus.

Cardinales autem ambitionem Hildebrandi non ignorantes, Imperatorem multis precibus coegerunt, ut eis in electo suo Parmensi episcopo Cadolo favorem & auxilium præstaret. Quod factum cor Hildebrandi altius percussit; & manifeste factus est Imperatoris inimicus. Omnia juratæ fidelitatis vincula disrupit: & facta conspiratione cum inimicis Imperatoris, & cum Normannis, quem Parmensi episcopo Cadolo à Cardinalibus electo apponeret, Anselmum Lucensem episcopum decepit, & eum in papam eligi à quibusdam Romanis fecit. Et ipsum Anselmum, mutato nomine, Alexandrum vocaverunt. **Clemens.** **Alexander.**

Igitur Anselmum quem in dolo elegerant, pariter & Parmensem episcopum, quibus poterat artibus vexabat, quia utriq; succedere anhelabat.

Igitur ubi Alexander intellexit se dolis & arte à Hildebrando & inimicis Imperatoris electum, & inthronizatum, die quodam, cum intra missarum solennia sermonem haberet ad populum, prædicavit se nolle sedere in sede Apostolica, absque licentia & gratia Imperatoris: Et publice dixit, se literas hujus rei gratiâ missurum ipsi Imperatori. Quo audito, Hildebrandus vix manus, multa murmurando, donec missa compleretur, abstinuit. Missâ expletâ, ipsum Alexandrum cum militari manu ab altari duxit in cameram, & nondum exutum pontificalibus indumentis, pugnis dure colaphizavit, increpans & improperans, quòd vellet inquirere gratiam Imperatoris. Et statuit, ut ex eo die non daretur ei amplius, quàm quinque solidi Lucensium denariorum. Et extunc ipse Hildebrandus omnes redditus Romanæ ecclesiæ sibi retinuit, & immensam pecuniam congregavit. **Notetur hic Imperatorum authoritas.**

Alexandro igitur sub miserabili jugo Hildebrandi, quodam vespere defuncto, eadem hora Hildebrandus à suis militibus sine assensu cleri & populi est inthronizatus, timens ne alius per moram eligeretur. In cujus electione nullus Cardinalium subscripsit. Ad quam cum veniret abbas Cassinensis, ait ipse Hildebrandus, Frater nimium tardasti: Respondit abbas, Et tu, Hildebrande, nimium festinasti, qui, nondum sepulto domino tuo papa, sedem Apostolicam, contra canones, usurpasti. Hoc modo inthronizatus Hildebrandus, qualiter vixerit, qualiter à se Cardinales, qui testes vitæ & doctrinæ ejus esse debuerant, removerit, quàm miserabiliter vexaverit, quantis hæresibus mundum corruperit, quanta perjuria quàm immensas perditiones consecraverit, vix à multis describi potest. Clamat tamen altius sanguis Christianorum eo authore & incentore miserabiliter effusus. **Hildebrandus usurpat pontificatum.**

¶ HOC EST DECRETUM HILDEBRANDI,

In quo à doctrina & fide Catholica aberravit.

GRegorius papa Romanæ synodo præsidens dixit, Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt apostolica authoritate à sacramento absolvimus, & ne sibi fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus. Item: Et quoniam multos peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantiâ, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, de victu unà anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, temperamus opportune. Apostolica itaque authoritate ab anathematis vinculo

ſubtrahimus; videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia: necnon ruſticos & ſervientes, & omnes alios, qui non adeo curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur. Et illos qui ignoranter excommunicatis communicant: ſeu illos qui communicant cum eis, qui communicant excommunicatis. Quicunq; autem aut orator, ſive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non poſſit emere, & non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et ſi quis excommunicatis non pro ſuſtentatione ſuperbiæ, ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit, non prohibemus.

LITERÆ QUIBUS VOCATI SUNT
Hildebrandini ad audientiam.

ADelbertus epiſcopus ſanctæ Rufinæ, ſylvæ candidæ. Johannes epiſcopus Hoſtienſis. Hugo epiſcopus Præneſtinus. Albertus epiſcopus Nepheſinus. Beno Cardinalis, presbyter urbis Romæ. Romanus Cardinalis, presbyter urbis Romæ. Guido Cardinalis, presbyter urbis Romæ. Octavianus Cardinalis, presbyter deſignatus. Paulus primicerius Romanæ eccleſiæ. Nicolaus electus Abbas ſancti Sylveſtri urbis Romæ. N. Abbas ſancti Pancratii urbis Romæ, & clerus: Et clariſſimi principes laici, Theobaldus Chinebii, & Udalricus de ſancto Euſtachio, & populus Romanus, omnibus deum timentibus, & ſalutem Romanæ reipublicæ diligentibus.

Nolumus ignorare prudentiam veſtram, quod ad deſtruendas hæreſes, noviter ab Hildebrando inventas, & antiquas ſub nomine pietatis impiè ab ipſo renovatas, & ad defenſionem fidei catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum, qui noviter ipſam fidem catholicam (quantum in ipſis erat) ſcindere non timuerunt, deo authore Nonis apud ſanctum Blaſium convenimus, octavo Idus apud ſanctum Celſum, ſeptimo Idus apud ſanctam Mariam, in eccleſia quæ vocatur Rotunda conſedimus, ipſas hæreſes damnatas, ſicut majores noſtri & nos damnamus, omnes ſectatores, communicatores, complices ſemel damnatæ pravitatis pari ſorte cenſemus, ne ſi vel paululum taceamus conſentire videamur. Eos vero, qui authoribus errorum communicant data ſecuritate libere veniendi, & abeundi vocamus, & ut per majores ſuos dominum Raynerium, & Johannem Burgundionem cauſam ſuam agant, admonemus: ſecuritatem integram in quantum poſſumus, uſque ad feſtum omnium ſanctorum proponimus, etiam cum in cauſa ſua defecerint, neminem circumvenientes, nullius ſanguinem, ſed omnium vitam & honorem ſitientes, nec ſeditiones in populo commoventes. De cauſa enim ſua diffidere videtur quiſquis author eſt ſeditionis. Pacem veram, dilectionem ſinceram proponimus omnibus, pacem & veritatem & unitatem catholicæ eccleſiæ amplectentibus, ut ſimus filii patris noſtri, qui in cœlis eſt. Qui enim ex patre diabolo ſunt, opera patris ſui faciunt, conſpirationibus, ſeditionibus, cujus filii ſint, manifeſte oſtendunt. Nos vero illius diſcipuli eſſe deſideramus, cujus doctrina etiam inimicis ſane eſt intelligenda. Orent pro nobis eccleſiæ filii, ut creſcat ſermo domini, &c Data Romæ, contra ſchiſmaticos in ſacro conventu. Anno ab incarnatione domini milleſimo nonageſimo octavo, indictione ſexta, ſeptimo Idus Auguſti.

His literis vocati ſunt, declinarunt autem audientiam ſchiſmatici per ſedecim annos, per obſides potentes & clariſſimos, & ſacramenta ſibi oblata invitati, ne caperentur ſuis mendaciis, ne ſuis libellis convincerentur, quibus authores eorum corruperunt terram hæreſibus variis, longe lateque diſſeminatis per apoſtolos multiplicis erroris. Sacer enim conventus toties deprehenſa eorum verſutiâ, in conſpectu eccleſiæ coram multitudine Romanorum ait, Eos qui ſanctam eccleſiam ſcindere non timuerunt, iterum vocamus ad ſynodum, quam (deo authore) celebrare diſpoſuimus circa Calendas Novemb. In præſenti tamen quia venire renuunt, teſtes invocamus contra eos cœlum & terram, quod nullum conſenſum adhibemus eorum perverſitati. Et in teſtimonium illius in medio eccleſiæ in conſpectu angelorum & hominum incendio tradimus decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ perverterunt, verbum dei adulterantes, ſub ementito colore pietatis quærentes plus ſe, quàm fidem catholicam, amari. Qui per ſedecim annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris errorum aſſueti, falſis expoſitionibus violenter intorquentes ſcripturas in adjumentum nefandiſſimi ſchiſmatis.

Hildebrandus in extremis ſuis, vocavit ad ſe unum de Cardinalibus duodecim, quem multum diligebat præ cæteris, & confeſſus eſt omnipotenti deo & toti eccleſiæ ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum erat commiſſa. Atque hunc confeſſionem ſuum miſit ad imperatorem, & ad totam eccleſiam, ut optarent illi veniam.

FINIS.

Appen-

APPENDIX DE EODEM HOC Hildebrando, ſive Gregorio ſeptimo, deſumpta ex principio primi libri hiſtoriarum, de geſtis Frederici primi Ænobarbi, reverendi in Chriſto patris Ottonis Friſingenſis epiſcopi, nunc recens adjecta.

Ottonis Friſingenſis Epiſcopi, ejuſque abbreviatoris Radevici, ejuſdem Friſingenſis eccleſiæ Canonici, pars ſecunda.

¶ Qua occaſione Hildebrandus ab Imperatore abjectus, & Guibertus in locum ejus ſubrogatus ſit. Cap. I.

CUM ſub Imperatore Henrico, qui inter reges quartus, inter Imperatores tertius hujus nominis invenitur, imperium graviſſime ſciſſum fuiſſet, parteque maxima optimatum principi ſuo rebellante, tota pene regni latitudo ferro, & flamma fœdaretur, Gregorius ſeptimus, qui tunc urbis Romæ pontificatum tenebat, eundem Imperatorem, tanquam à ſuis deſtitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cujus rei novitate eo vehementius indignatione motum ſuſcepit Imperium, quo nunquam ante hæc tempora hujuſmodi ſententiam in principem Romanorum promulgatam cognoverat. Eapropter pluribus ex Italia, Gallia Germania, apud Baioariæ civitatem Brixinoram, in ipſo Pirenæo haud procul à valle Tridentina ſitam, coadunatis epiſcopis, princeps curiam magnam celebravit. Ubi omnibus advenientibus, injurias ſibi à Romana eccleſia irrogatas affectuoſe conqueritur, quod videlicet ipſo inconſulto, qui tanquam rex, & patricius primus in electione ſuæ urbis epiſcopi eſſe deberet, Romani ſibi pontificem præfeciſſent, cum à patre ſuo Imperatore plures ibidem quaſi ſine electione intronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eo facilius contra Romanam eccleſiam inclinari poterant, quo & laici ſecularis honoris conſideratione accenſi, & epiſcopi conſilio clericorum ſuorum, quibus recenter connubia ab eodem pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati principis accedebant. His igitur acclamantibus, præfata electio ab eis caſſanda judicatur, Guibertuſque Ravennatenſium archiepiſcopus, Clemens vocatus, aſſenſu principis, urbis epiſcopus creatur; Gregoriuſque ſeptimus ab ipſis pſeudomonachus, vel necromanticus appellatus exufflatur. Unde communi conſilio prænominato pontifici ſcriptum conviciis & detractionibus plenum dirigere præſumpſerunt, inter cætera dicentes, Sicut hactenus ſolebas dicere, quod nullus noſtrum eſſet epiſcopus, ita ſcias, quod nulli noſtrum deinceps eris apoſtolicus. **Gregorius ſeptimus pſeudomonachus.**

¶ Quòd Imperator Italiam ingreſſus, Gregorium urbe fugavit. Cap. II.

POST hæc princeps militem copioſum colligens, Italiam ingreditur, ad urbemque uſque progreſſus, Romani populi favore, pulſo Gregorio, Guibertum ibidem ponens, Imperatoris & Auguſti nomen ſortitur. Venerabilis autem ſacerdos perſequutionem fugiens, ad tutiora montana Tuſciæ, in terram Comitiſſæ Mathildis, quæ Imperatoris conſanguinea fuit, ſe contulit, ibique per aliquot dies manens ſententiamque anathematis renovans, epiſtolis, quæ multis in locis habentur, principes regni adverſus Imperatorem ſuum concitavit. Deinde Campaniam ſive Apuliam ingrediens, in municipia Nortmannorum, qui nuper Roberto Guiſcardo duce, provincias illas indigenis necatis, vel ejectis, ſeu ſervituti ſubactis, irruperant, ſe recepit, ibique diem mortis expectavit.

PRO ampliori declaratione illius quod folio præcedenti LXXXIII. de Silvestro secundo dictum est, qui priusquam per artem diabolicam pontifex fieret, Gebertus sive Gibertus est appellatus, ita scribit Johannes Stella Venetus ad patriarcham Aquilegiensem, Romanæ Ecclesiæ, tituli sancti Marci presbyterum Cardinalem. Illius ergo verba hæc sunt ut sequuntur:

SIlvester Papa, ejus nominis secundus, natione Gallicus, Gibertus antea vocatus, Hec anno Gregorio pontifici surrogatus, sedit annis quatuor, mense uno, & diebus octo. Hic malis artibus pontificatum obtinuit, eò quod ab adoloscentia cum monachus esset, relicto monasterio, se totum diabolo obtulit, modo quod optabat obtineret, & ut bonarum artium operam daret. Primo ad Hispalim Hispaniæ urbem accessit: Ubi cum doctrinæ admodum cupidus esset, ea in re tantum profecit, ut brevi optimus doctor evaserit: Et Othonem Augustum atque Robertum regem, & nonnullos alios insignes, præclarosque viros habuerit discipulos, quorum operâ primo Remensis, deinde Ravennatis archiepiscopus fuerit factus. Postremo Romanus pontifex diabolo adjuvante fuerit constitutus. Hac tamen lege, ut post ejus obitum totus illius in anima & corpore esset, cujus fraudibus tantam adeptus esset dignitatem. Post hoc quæsivit Gibertus à diabolo, quamdiu in pontificatu victurus esset. Respondit: Quamdiu inquit, in Hierusalem celebrabis, vives; posthemo quarto pontificatus sui anno, dum quadragesimali tempore in basilica sanctæ crucis in Hierusalem Romæ sacrificaret, fato se moriturum statim cognovit. Unde pœnitentia ductus errorem suum coram populo confessus est. Rogavitq; omnes, ut corpus suum diabolicis artibus seductum membratim detruncarent, disjectumq; ac laceratum super currum imponerent, & eo loci sepelirent, quo sponte ab equis foret vectum. Feruntitaq; dei nutu, ut scelerati discant apud deum veniæ locum sibi relictum esse, modo in vita pœnituerint, Equos ipsos sponte ad Lateranensem ecclesiam pervenisse, ibidemque sepultum fuisse.

AD LECTOREM.

HActenus de Hildebrando est actum & Silvestro secundo, quem in illius historia obiter introduxit Beno Cardinalis. Nunc autem de Bonifacio VIII. paucis agetur, ne Hildebrandus ipse (salvo semper ipsius honore) se solum credat fuisse impium. Nam & hic Bonifacius, per admirandam ac diabolicam potius fallendi artem pontifex factus, Celestino piissimo, impiissimus successit. Quum itaque otioso mihi nuper præclaros quosdam authores otiosus revolverem, inveni apud Petrum Crinitum, libro ipsius octavo de honesta disciplina, cap. XIII. insigne hujus Bonifacii factum, & satis insigne ac relatu horrendum. Sunt itaque hæc Criniti verba:

NEque illud à nobis prætermittendum est, quo minus in his etiam Commentariis legatur de Bonifacio Pontifice Romanorum, qui Celestino successit in pontificatu. Is enim tanto ambitu atque libidine Gibellinorum partes traditur fuisse insectatus, ut minime veritus sit permulta efficere iniquissimis artibus, atque incredibili insolentia, neque in principes tantum Romanos, sed in ipsos etiam sacerdotes, ceu illud contra Prochetum Genuensem pontificem, quem archiepiscopum vocant. Nam quo die sacra cinericia celebrantur, mos est apud Christianos, ut pontifex maximus prodeuntes sacerdotes ad ejus pedes excipiat, atque eorum capiti cineres apponat, singulos subinde commonens, & cineres esse illos & in cinerem reversuros. Cum autem Prochetus sacerdos, qui habebatur inter Gibellinos, constitisset ad pedes pontificis, inibi pontifex Bonifacius verbis permutatis, quæ pro religione effantur, memento (inquit) quod Gibellinus es, & cum Gibellinis morieris, & simul cineres sacros in ejus frontem atque oculos projecit, quo intelligi potest omnibus, quanta sit eorum hominum iniquitas atque impudentia, qui sub nomine religionis nihil non licere sibi opinantur, nam cum ad instruendos mortalium animos, pacemque humano generi conciliandam creati atque instituti sint, nihil amplius existimant, aut magis conantur, quàm pro libidine seditiones principum excitare, nefariasque voluptates flagitiosissime explere, quod & Thomas Aquinas, & Ægidius magnis commentariis disserunt.

AD LECTOREM.

QUÆ hactenus de Hildebrando, sive Gregorio septimo dicta sunt, non obscure intelligere potuisti. Lege igitur & nunc Henrici quarti historiam, & id quidem ordine non contemnendo. Nam unius juxta atque alterius (quoniam sibiipsis adversarii fuere) te facta scire oportebit. Vale.

Vita

VITA HENRICI QUARTI CAESARIS Augusti, ducis Bavariæ septimi, paulo post mortem illius à quodam ejus temporis conscripta.

PROOEMIUM.

QUis dabit capiti meo aquam & fontem lachrymarum oculis meis, ut lugeam, non excidia captæ urbis, non captivitatem vilis vulgi, non damna rerum mearum, sed mortem Henrici Imperatoris Aug. qui spes mea, & unicum solatium fuit: imò (ut de me taceam) qui gloria Romæ, decus Imperii, lucerna mundi extitit. Erit posthac mihi vita jucunda? erit absque lachrymis dies aut hora? aut tecum, ô dulcissime, potero illius mentionem habere sine fletu? Ecce dum scribo, quod dictavit impatientia doloris, cadunt lachrymæ, madent fletu literæ, & quod notat manus, diluit oculus. Sed forsan impatientiam doloris mei redarguis: & ut fletum meum reprimam, ne forte his qui de morte Imperatoris gaudent, innotescat, instruis. Recte me doces, fateor: sed non possum imperare mihi quin doleam, non possum me continere quin lugeam, licet in me furorem suum exacuant, licet me membratim discerpere cupiant: dolor timere nescit, dolor illatas pœnas non sentit. Nec ego solus mortem ejus lamentor: hanc Roma plangit, hanc omne Romanum imperium deflet, hanc in commune divites & pauperes, præter insidiatores potentiæ vitæque ejus, lugent. Nec mihi privata doloris causa est, publicam lamentari cladem pietas me cogit: nam illo recedente, justitia terras reliquit, pax abiit, fraus in locum fidei subintravit, chorus laudantium deum conticuit, solemnitas divini officii siluit, vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum non auditur: quia qui hæc omnia solenniter ordinavit, non invenitur. Monasteria patronum suum, claustra patrem amiserunt: quibus quid commodi, quid honoris ipse conferret, nunc demum agnoscitur, cum extinctus ea non tenet. Ergo claustris omnibus vera dolendi causa subest: nam cum illo sepulto gloria eorum sepulta est. Heu Moguntia quantum decus perdidisti, quæ ad reparandam monasterii tui ruinam, talem artificem amisisti! si superstes esset, dum operi monasterii tui quod incæperat extremam manum imponeret, nimirum illud illi famoso Spirensi monasterio contenderet, quod ille à fundo fundatum usq;, mira mole & sculptili opere complevit, ut hoc opus super omnia regum antiquorum opera laude & admiratione dignum sit. Qualem etiam ornatum ex auro, argento, lapidibus preciosis absolvit, & sericis vestibus illi monasterio contulerit difficile est credere, nisi cui contingit & videre. Vobis quoq;, ô pauperes, vel maxima causa dolendi est: nam nunc demum pauperes facti estis, cum paupertatis vestræ consolatorem amisistis: ille vos pavit, ille manibus suis lavit, ille nuditatem vestram texit: non ante januam, sed ante mensam ejus, Lazarus jacuit: nec micas, sed regias delicias expectavit. In ipsa mensa saniem & fœtorem ulcerosi non abhorruit, cum minister mensæ contra fœtentem nares corrugaret, aut obstiparet. In cubiculo ejus cæci, claudi, & diversis morbis confecti jacebant: hos ipsemet excalciabat, hos collocabat, hos de nocte consurgens tegebat: nec abhorrebat vel ejus tactum quem ægritudo compulerat, usq; ad sordidandum lectum: iter ejus pauperes præcedebant, comitabantur, sequebantur: quorum curam tametsi suis intimis commendasset, ipsemet tamen eos tanquam nulli commendatos curabat: sed & per curtes suas usquequaq; stipendia pauperibus disposuerat, quorum numerum & obitum ipse scire voluit, ut & defuncti memoriam ageret, & in ejus locum alterum subrogatum nosset. Sed quando sterilitas anni famem indixit, multa millia pavenda suscepit, vere memor verbi domini præcipientis, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quid putamus quo dolore pauperes afficiuntur, cum hæc bona quæ enumeravimus se habuisse, & nunc non habere recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis quærit ubi æger cubet, vel quid alimenti postulet? quis amplius his misericordiæ officiis inservit, quibus Henricus Imperator inservivit? O virum pietatis, & humilitatis laude insignem: imperavit mundo, pauperes illi: mundus illi, pauperibus ipse ministravit. Hæc de bono misericordiæ in pauperes, quos multum amavit, & quod ab hominibus abscondere non potuit, non pro dignitate facti, sed pro facultate ingenii primo loquuti (quis enim scire posset, quæ solo deo teste peregit?) de aliis quoq; virtutibus quibus claruit, aliqua dicamus: nam omnia dicere non sufficimus. Nemo miretur si luctui mortis ejus, vitæ quoque

Henricus Cæsar templum Moguntinum reparavit. Spirense absolvit.

Largitas Henrici in pauperes.

ejus læta gesta immisceam, cum hic mos dolentium sit, ut cum extinctum amicum lugent, totam ejus retro vitam & mores in augmentum doloris sui edisserant. Itaque juvat me de eo scribere, juvat indulgere dolori, & mortuum flere, qui dum viveret gaudium meum fuit. Ille modo personam Imperatoris, modo tanquam militis gerebat, ex uno gerendæ dignitatis, ex altero documentum præbens humilitatis. Tam subtilis ingenii, tamque magni consilii fuit, ut dum sententia principum, vel in causa decernendi juris, vel in tractandis regni negotiis hæsitaret, ipse cito nodum solveret, & quid æquius, quid utilius esset, tanquam ex ipsius arcano sapientiæ sumptum, edoceret. Intendebat aliorum verbis, ipsemet pauca loquebatur, nec prior ad sententiam erumpebat, sed aliorum expectabat. In cujus vultum aciem oculorum suorum fixisset, ejus animi motus perspiciebat, videbatque tanquam lynceis oculis, sive adversum se cor odii, seu gereret amoris. Nec illud laude vacat, quod in turba procerum cæteris eminentior & major seipso videbatur, & quod in vultu terribile quoddam decus præ se ferebat, unde intuitus aspicientium tanquam fulmine reverberaret, cum inter domesticos suos, & raram turbam vultu placidus, & statura æqualis appareret. Non solum potentes imperii sui metuebant eum, sed & reges orientis & occidentis, adeo fama ejus perterruit, ut ante tributarii sint facti quàm victi. Ipse rex Græciæ, ut metum dissimularet, amicitiam ejus expetebat, & quem futurum hostem timuit, muneribus ne fieret hostis, prævenit. Testatur hoc aurea tabula, Spirensis altaris, tam artis novitate, quàm metalli pondere miranda, quam rex Græciæ dum Imperatoris votum & studium circa Spirense monasterium fervere cognosceret, nobile donum, & tam eo qui misit, quàm cui mittebatur dignissimum, transmisit. Sed & rex Africæ, quia potentiam Imperatoris multum timuit, ejus fisco multum addidit. Oppressores pauperum oppressit, raptores in direptionem dedit, contra se contumaces, contraque suam potentiam se levantes adeo retudit, ut in posteris eorum regiæ vindictæ vestigia vel hodie compareant. Quo nimirum facto & suis in præsenti & imperii rebus in futurum providit, ut discant non disturbare pacem, non armis imperium vexare. Hic velim abrumpere stilum, nam ventum est ad factiones, ad fraudes, ad scelera, de quibus vera scribere periculum, falsa crimen est, hac lupus, hac canis urget. Quid igitur faciam, eloquar an sileam? manus incipit, & dubitat: scribit & renuit, notat & delet, ut pene ignorem quid velim, sed turpe est inceptam materiam mutilatam relinquere, & caput absque membris pinxisse. Pergam igitur, ut cæpi constans & securus inde quod fides tua ea mihi spectata est, ut hæc scripta nulli detegas, aut si qua foras exierint, authorem non prodas.

Rex Græciæ. *Aurea tabula Spirensis.* *Rex Africæ.* *Author celat nomen suum.*

CUM Imperator Henricus (de quo nobis sermo est) patri suo gloriosissimo Imperatori tertio Henrico, adhuc puer succederet in regnum (nam illo parvulo, pater naturæ concessit) regno priorem statum adhuc tenente, non bella pacem disturbabant, non classica quietem rumpebant, non rapina grassabatur, non fides mentiebatur, adhuc justitia sui vigoris, adhuc potestas sui juris erat. Hunc beatum regni statum Agnes imperatrix serenissima, virilis ingenii fœmina multum juvit, quæ unà cum filio rempublicam pari jure gubernavit. Sed quoniam ætas immatura parum timori est, & dum metus languet, audacia crescit, pueriles anni regis multis suggerebant animum sceleris. Igitur quisque nitebatur majori se æqualis aut etiam major fieri, multorumque potentia scelere crevit, nec legis metus ullus erat, quæ sub rege parvulo parvam authoritatem habebat. Et ut omnia licentius facere possent, primo puerum matre spoliabant, cujus maturam sapientiam gravesque mores metuebant, illud caussantes non decere regnum administrari à fœmina, cum multæ reginæ legantur administrasse virili sapientia. Sed postquam rex puer de sinu matris abstractus, in manus principum nutriendus venit, quicquid illi præscribebant faciundum, ut puer fecit, quem volebant, exaltavit, quem volebant, deposuit, ut regi suo non tam ministrasse quàm imperasse merito dicantur. Cum regni causam tractabant, non tam regni, quàm suæ causæ consulebant, idque præcipuum eis fuit, in omnibus quæ agerent, ante omnia suum quæstum facere. Fuit hæc perfidia vel maxima, quod eum quasi sub sigillo servandum, in puerilibus actis suæ potestati relinquebant, ut & sic elicerent ab eo quod affectabant. Sed cum in eam ætatis & ingenii metam evasisset, ut quid honestum, quid turpe, quid utile, quid non, discernere posset, retractans quæ suggestione principum inductus gessisset, multa quæ gesserat, damnavit, & ipse judex sui factus, ex iis mutanda mutavit. Prohibebat quoque bella, violentiam, & rapinas, nitebatur pulsam pacem & justitiam revocare, neglectas leges restituere, & sceleris licentiam resecare. Quos assuetos sceleri per edictum coercere non potuit, per censuram legis & jus curiæ, mitius tamen, quàm culpa exigeret, correxit. Quod illi non justitiam sed injuriam putantes, &

Agnes Aug. *Rex puer.* *Rex adolescens.*

& qui legem abjecerant, lege conſtringi, & qui per omne nefas ruebant, fræna pati reſpuentes, qualiter eum vel extinguerent, vel privatum facerent, conſiliis incumbebant, non recolentes, ſe debere civibus ſuis pacem, regno juſtitiam, regi fidem. Igitur Saxones, gens dura, bellis aſpera, tam præceps ad arma quam audax, vendicans ſibi prærogativā laudis, ex incæpto furoris repente ſuper regem armis ruebant. Qui cum paucis contra innumeros armatos confligere periculoſum exiſtimans, vix elapſus, vitam laudi, ſalutem fortunæ prætulit. Itaque videntes incæptum ſuum votis non reſpondiſſe, oſſa filii regis, necdum enim Imperator factus erat (ó inhumanā mentem! ó probroſam vindictam!) effodere. Qua utraq; injuria graviſſima rex commotus, exercitum contra gentem illam duxit, conflixit, vicit: vicit, inquam, aciem contra ſe inſtructam non obſtinationem erectam. Nam licet eos in pugna congreſſos vinceret, victos fugaret, fugatos perſequeretur, licet bona eorum devaſtaret, munitiones everteret, & omnia quæ victori libent faceret, non tamen ad deditionem cogi potuerunt. Iterum cum inde digreſſus, reparato in brevi exercitu, eos invaderet, diffidentes viribus ſuis utpote in priori bello graviſſime contuſis, quod ſaluti proximum erat, ſe dedidere, ſperantes regem ſola deditione contentū, gratiā ſuam facile donaturum. Sed longe præter ſpem evenit, nam rex eos exilio addictos, in alienas terras miſit, ubi dura coſtodia conſtricti, relaxationis edictū expectarent. De quo exilio alii fuga elapſi, alii propter pecuniam à cuſtodibus dimiſſi, dum ad patriam & domum ſuam repedaſſent, recenti conjuratione ſe invicem obligabant, ut parati eſſent ante mori quàm denuo deditione ſubjici. Sed & validior eorū conjuratio facta eſt, quia nonnulli Longobardorū, Francorum, Bavarorum, Suevorum, data & accepta fide illis conglutinati ſunt qui regem bellis undique pulſarent. Videntes autem regem bellis tangi poſſe, non dejici, vexari non ſuperari, quippe cujus robur adhuc erat inexpugnabile, ut vires ejus extenuarent, confictis conſcriptiſque ſuper eo criminibus, quæ peſſima & immundiſſima potuit odium & livor excogitare, & quæ mihi ſcribenti tibique legenti nauſeam parerent, ſi ea ponerem, vera falſis miſcentes apud Romanum Pontificem Gregorium ſeptimum eum deferebant, non decere tam flagitioſum plus notum crimine, quàm nomine regnare, maxime cum ſibi regiam dignitatem Roma non contulerit, oportere Romæ ſuum jus in conſtituendis regibus reddi. Providerent Apoſtolicus & Roma ex conſilio principum, cujus vita & ſapientia tanto congrueret honori. Qua ſurreptione deluſus apoſtolicus, ſimul & honore creandi regis quem ſibi fallaciter obtulerant, impulſus, regem Banno annodavit, & epiſcopis aliiſque regni principibus, ut à communione excommunicati regis ſe retraherent, denunciavit, ſe cito venturum in Teutonicas oras, ubi de negotiis eccleſiaſticis, & potiſſimum de regno, tractaretur. Quin etiam & hoc addidit, abſolvit omnes à juramento, qui fidem regi juraverant, ut contra eum impelleret abſolutio, quos fidei tenuit obligatio, quod factum multis diſplicuit (ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus fecit) & aſſerebant, tam inefficaciter, quàm illicite factum, quod factum eſt. Sed non auſim aſſertiones eorum ponere, ne videar cum eis apoſtolici factum refellere. Mox & epiſcopi, tam illi quos amor, quàm quos timor in partem regis traxerat, metuentes ordini ſuo, ab ejus auxilio plerique ſe retrahebant, quod & major pars procerum factitabat. Tum vero videns rem ſuam in acto ſitam, inito tam occulto quàm aſtuto conſilio, ſubitum & & inopinatum iter in occurſum Apoſtolici arripuit, unoque facto duo peregit, ſcilicet & Banni ſolutionem accepit, & ſuſpectum ſibi colloquium Apoſtolici cum adverſariis ſuis, ipſe medius intercepit. Pro impoſito ſibi crimine parum reſpondit, quia ad accuſationem inimicorum ſuorum, etſi vera fuiſſet, non ſibi reſpondendum aſſeruit. Quid vobis profuit hoc egiſſe ut Banno illigaretur, cum de Banno ſolutus, potentia ſua potenter utatur? Quid vobis profuit eum fictis criminibus accuſaſſe, cum accuſationem veſtram facili reſponſo (ut ventus pulverem) diſſipaverit? Immo quæ dementia vos contra regem veſtrum, & orbis rectorem armavit? Nihil conjurata veſtra malignitas proficit, nihil peragit. Quem dei manus in regno firmavit, veſtra dejicere non poterit. Ubi fides quam illi juraſtis? Quare beneficiorum quæ regia liberalitate contulit in vos, obliti eſtis? Utimini vel adhuc ſano conſilio, non furore: pœniteat vos incæpti, ne fortior vobis ſuperveniens, vincat vos, & pedibus ſuis conculcet vos, & ea vindicta feriat, quæ futuris ſæculis demonſtret, quid regia manus valeat. Saltem vos, ó epiſcopi, videte, ne pereatis de via juſta, videte ne tranſgreſſores promiſſæ fidei fiatis, alioqui quid conſequatur vos ipſi noſtis. Igitur rex ab Apoſtolico regreſſus, benedictione pro maledictione acceptā Rudolphum ducem ſuper ſe regem creatum invenit qui audita regreſſionis ejus fama, ante paratus ad fugam quàm ad pugnam, ante pulſus, quam victus, in Saxoniam fugit: facile eſt regnum accipere, difficile tueri; ſed nulli mirum ſit, virum in rebus bellicis exercitatum & ſtrenuum, nunc fugiſſe, quia ſæpe juſtior & victrix cauſa fortes in metum mittit, & in fugam. O avaritiam peſtem peſſimam, quæ bonos mores tranſvertit, & ſæpe ipſasvirtutes ad vitia trahit. Dux Rudolphus, dux eximius, vir magnæ authoritatis, & laudis in toto regno, veri rectique tenax, for-

tis

In Saxones movet.

Accuſatur Henricus ab æmulis ſuis.

Author non judicat qui contra pontificem.

Rudolphus.

tis in armis, deniq; spectatus in omni genere virtutum, iste inquam avaritiâ, quæ vincit omnia, victus, & supplantator domini sui factus, fidem incerto pôstposuit honôri. Fuere tum qui dicerent ab Apostolico eum immissum, nec unquam tantæ virtutis virum magis avaritiæ quàm consilio cessisse: & hoc in argumentum sibi sumebant, quod Apostolicus tacuit, dum post absolutionem regis Rudolphus regnum invasit, juxta illud Comici, Qui tacet, satis laudat. Itaq; rex cedente Rudolpho, cujus caput, si deprehensus esset, vindex gladius digne rotaret, Bavariam, Sueviam invasit, & conjurationis adversum se socios vastavit: munitiones eorum fregit, nec tamen pro injuriæ suæ materia se vindicabat: sed sciens in ultione fræno uti, longe infra metam culpæ, cohibebat habenas vindictæ. Sed Rudolphus, ut dedecus fugæ virtutis facto recompensaret, Wyrtziburgensem civitatem obsedit: Ubi tamen fraude magis quàm virtute pugnatum est. Nam cum rex ad propellendum hostem, exercitum convocasset, instructa ambarum partium acie, & primis inter se prælia miscentibus, quidam equites regiæ partis mercede conducti, qui se regis lateri quasi fidi clientes applicuerant, subito in ipsum arma verterunt: sed ære munito corpori livorem, non vulnus inflixerunt. Heu miserrimi! quibus pretium, & sceleris causa fuit & necis, quos uno in loco & crimen involvit & vindicta. Nam eos tot vindices dextræ in frusta concidebant, ut in eis humani cadaveris figura periret: fit tumultus, exoritur clamor, spargitur rumor regem interfectum: quo rumore perterritus exercitus fugit, hostis insequitur: & quoniã in equis equitum salus, solis peditibus miserabile fatum incubuit. Ideoq; victoria quanto majoris, tanto minoris tituli fuit: sic hostis urbe capta, impositoq; præsidio, in Saxoniam regressus est. Quid improbe tibi profuit, vel indiscreta cædes fugientis vulgi, vel fortuna captæ urbis, cum nec urbe diu, nunquam autem Regno potiaris? Rex enim brevi post tempore cum exercitu reversus, ereptam urbem recepit. Nam ii quibus provincia tuendæ urbis tradita fuerat, ex urbe profugerant. Postea Saxoniam cum exercitu sæpius ingressus, aut victor, aut æqua manu recessit: sed ultimum reversus, tam notanda, quàm felici victoria vicit: magnumque mundo documentum datum est, ut nemo contra dominum suum consurgat. Nam abscissa Rudolphi dextera, dignissimam perjurii vindictam demonstravit, qui fidem domino suo regi juratam violare non timuit, & tanquam alia vulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam hujus membri pœna, ut per pœnam agnosceretur & culpa. Sed & aliud notandum in illa victoria contigit, videlicet, quod tam victor, quàm victus exercitus; nimirum hoc ordinante desuper divina clementia, ut post ruinam capitis ex alterna fuga, tolleretur nefas alternæ cædis. Sed gens dura, nec damno monita est, nec signo: quin potius ut obstinatione vinceret, quod manu non poterat, Herimannum novum sibi regem constituit, qui & ipse novo modo periit. Nam cum Saxones eum de terra sua proturbarent, quicquid illud fuerit, quod eis in illo displicuit, reversus in patriam suam, portans inane nomen regis, ad Herimannum Trevirensem episcopum se contulit, quem etiam ad ausum sentiendi contra regem inexpugnabilis munitionum firmitas impulerat. Quanta potentia regis, qui alendus fuerat, non ex suis, sed ex opibus alienis? Quadam die cum iter ageret, incidit animo suo jocus ille, ut ad castellum quo ituri erant, sub specie hostium ruerent, & quæ audacia, quæ virtus animis defendentium inesset, tentarent: quàm mirabilem viam, quàm inopinam, sæpe invenit quod futurum est ut fiat? cumq; portam absque claustris, & absque custode repertam irrumperent: aliis qui intus erant, raptis armis viriliter contra procurrentibus, aliis latebras enerviter quæritantibus, fœmina sexu, fœmina non animo, quæ in turrim evaserat, molarem in caput regis dimisit: & sic ille manu fœminea (ut mors ejus turpior esset) occubuit: sed ut hoc dedecus dealbarent, fœminæ factum in virilem personam ex composito transtulerunt. Post hanc regum fortunam, in creatione regum diu hæsitatum est: & casus præteriti, metus erat futuri. Vicit tandem cupiditas, & Ecbertum Marchionem ad ambitum regni forti manu impulit, qui tamen in morte sero didicit, quod alter ex alterius damnis instrui possit. Urbs erat in Saxonia, quæ quia fortunam regis prospero ire cursu videbat, in partes ejus se converterat, præsumens fiduciam, & ex loci sui firmitate, & ex regia subventione: Quod indigne ferentes Saxonum proceres, urbem obsidione vallabant. Marchio vero Ecbertus, qui spe potiundi regni intumuerat, ut se accommodaret, ad id quod affectabat, majori super omnes robore ad obsidionem illam ibat, præmissaque multitudine, cum paucis ipse sequebatur. Quem deviantem à publica via, ne forte incideret in hostes (quis enim tam potens, qui hoste careat, aut qui hostiles insidias non metuat) latens semita per quoddam arbustum duxit. Quàm occulta judicia tua deus, quàm miro ordine, & abscondis quæ facturus es, & aperis quæ abscondisti? Jam meridianus ardor solis equos, equorumq; sessores urebat, &, ut sit sitim æstus accendebat. Præterea, tam gravis sopor fessis obrepsit, ut colla somno, anguida penderent, & equi frænis non flexi liberam viam carperent. Haud procul in recessu saltus, solitarium molendinum conspexere, quo divertentes, sopori se dedere, misso interim molendinario

Marginal notes: Gregorius septimus. — Wyrtziburgum obsidetur. — Henricus insidiis à suis passus. — Wyrtziburgum capitur. — Dextera Rudolphi amputata. — Herimannus. — Herimannus rex occiditur a fœmina ictu lapidis. — Ecbertus marchio. — Ecbertus marchio.

dinario, qui de villa potum sitientibus afferret. Qui dum imposito scapulis suis utre festinaret, aliquos scutatos ad prædictam obsidionem tendentes obvios habuit, qui erant occulte fideles regis, licet adversæ partis. A quibus interrogatus, unde prodiret, quo tenderet, cur tam anhelus properaret, nesciens celare quod sciebat, hospitem suum & causam itineris indicavit. Qui stupefacti, seu metu, seu potius gaudio, versantes inter se quid agerent, quid periculi, quidq; præmii, quid virtutis, quid laudis, quid fidelitatis inesset, si tam magnum hostem regis ferirent, occasionem illam non frustra sibi oblatam, maximam virtutem per maxima discrimina probari, incitatis alternatim animis, immissis equis, ad molendinum properabant. Sed pervenerunt ante votis quàm equis. Incæpta est pugna, quæ diu dura fuit, & dubia, quia virtute pares & numero congressi, hi pro laude, illi pro vita pugnabant. Regis tamen fortuna vicit, & hostis ferocissimus, non in acie, sed in molendino peremptus turpiter jacuit. Felix nimium es, & multi semper nominis mola, ad quam trahit homines non tam tuum volubile officium, quàm fama, quæ & molendo pugnam illam narras, & narrando molis. Sic ille conventus procerum confusus, procinctum solvit, sic ab obsidione infecto negotio recessit. Itaq; res regis in altiorem & feliciorem statum se quotidie promovebant, adversariorum autem ejus deorsum vergebant, & omne eorum incæptum in turpem exitum desinebat. Cum ergo cernerent nullum se habere successum, nec in armis, nec in electione regum, iterum se conviciis armaverunt, & eum apud Apostolicum præter alia multa, & nefanda criminati sunt, quod reges Christianissimos, quos ipsi non sine authoritate Apostolici creassent, ille ob crimen suum extorris à regno factus, occidisset, regnum sanguine usurpasset, igne, præda, ferro cuncta vastasset, & tyrannidem suam adversus ecclesiam, & regnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminationem apostolicus eum iterum Banno (ut ipsi jactabant) illigavit, sed non magni ponderis ille Bannus habebatur, eo quod non rationis, sed arbitrii, non amoris, sed odii esse videretur. Cernens autem rex apostolicum ad hoc tendere, ut se regno privaret, nec alia sui obedientia contentum, nisi ut regno renunciaret, ex obedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem, relabi coactus, hoc apostolico facere parabat, quod apostolicus sibi faciendum intenderat. Cessa (obsecro) rex gloriose, cessa ab hoc molimine, ut ecclesiasticum caput de suo culmine dejicias, & in reddenda injuria te reum facias. Injuriam pati felicitatis est, reddere criminis. Quærebat itaque rex causas & occasiones, qualiter eum ejiceret, inventumque est eum Romanam sedem olim abjuratam insedisse, quam idcirco abjuraverit, quia ad eam dum archidiaconus esset, adhuc vivente domino suo, per ambitionem aspirare voluerit. Utrum hæc vera sint an falsa parum comperi: alii asserebant, alii figmentum esse dicebant; utrisque Roma fuit in argumentum, iis quod Roma mundi domina, nunquam pateretur tale nefas, illis quod ea cupiditatis ancilla, facile permitteret ob pretium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cum incerta, nec possim defendere, nec ausim affirmare. Igitur cum exercitu Româ pergebat, proterens in via quicquid obstabat, oppida fregit, tumida pressit, ardua curvavit, factiones dissipavit. In cujus adventu Roma persuasa, quæ debuerat honores, arma, tanquam Pœnus Hannibal Alpes transcendisset, parabat, & regi suo velut hosti portas præcludebat. Unde rex justa commotus indignatione, urbem obsidione (qua res postulabat) occlusit, & qui sibi aditum, illis exitum negavit. Missi circumquaque, qui castella frangerent, villas everterent, bona diriperent; provinciæque nocuit foris, quod Roma se clauserat intus; foris bella, intus metus erat, undiq; machinæ surgebant: hinc murum aries pulsabat, inde miles scalis ascendere parabat. Contra, qui in urbe erant tela, saxa, præustas sudes, ignemque jactabant, interdum egressi cominus committebant, utrinq; fortiter pugnatum est: hos causa, illos periculum fortes fecit. Quadam die, cum exercitus uterq; pugna, æstuque fessus, circa meridiem sopori se dedisset, & nec speculator (ut fortuna voluit) vigilaret, unus ex scutariis propius ad murum, ut pila legeret, accessit; cumq; erectis & intentis auribus explorasset, intus neminem adesse (nam murum & propugnacula vacua cernebat) adjutus & animi confidentia, & corporis levitate manibus & pedibus sursum enitebatur, donec tandem muri summitatem apprehendit. Tum vero cum jactatis circumquaq; oculis neminem videret, inter spem & metum positus, toto corporis motu sociis innuebat, vixq; se a clamore cum tardius innuentem attenderent, abstinebat. Qui raptis armis & scalis properantes, citius (ut aiunt) dicto murum superantes, captam urbem sero defendentes interficiunt, capiunt, fugant. Dedignabatur jam rex reclusum portarum aditum, ubi & sequens à præeunte tardaretur, & præcedens à sequente premeretur, sed in ultionem temerariæ præclusionis, jussit, ut fracto muro, tam latum sibi ingressum panderent, qua totus exercitus æquato, junctoq; latere se simul immergeret. Igitur ubiq; mors, ubiq; luctus erat. Roma contremuit, dum impulsa turrium altitudo corruit. Fugit Apostolicus, & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deseruit. Tandem Romam præsumptionis suæ pœnituit, & quæ prius meruisse poterat, ut à rege donis honorare-

Iterum accusatur Henricus apud Pont. Romanum.

Bannus.

Causa contra Hildebrandum.

Roma cupiditatis ancilla.

Roma obsidetur.

Roma capitur.

Gregorius sep. imus.

honoraretur, nunc ingenti pecunia apud regem vix obtinuit, ne tota subverteretur. Mox sedatis omnibus, rex causam cur venisset in publicum protulit, quod de Apostolico crimen accepisset, retulit: multisq; hoc ita factũ confessis, Clementem papam ad electionem omnium instituit: à quo ipse communi omnium favore consecratus, Imperator & patricius factus, Romæ se per aliquod tempus, dum omnia in solidam reformaret concordiam continuit. Nec prætereundum, quod & relatio fidelium personarum in Teutonicas oras diffamavit, & ipsa Roma asserit: Imperator consueverat quoddam oratorium orationis causa frequentare, & nullum diem quin veniret, prætermittere. Elegerat autem sibi in eodem auditorio locum orationi familiarem, ubi tanto intentius, quanto secretius orationi vacaret. Hanc ejus consuetudinem, dum quidam profanæ mentis attenderet, seu propria, seu potius aliena instimulatus nequitia, grande saxum super trabem ad feriendum desuper caput Imperatoris posuit, sublataque de laqueari tabula, quæ caput Imperatoris rectè despiciebat, mittendo ponderi foramen aperuit, demisso fune sæpe explorans, ne saxum in cadendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum in nocte scandens, desuper observabat, dum Imperator staret ad orandum in loco quo consueverat. Tamen ille alieni avidus exitii, sed nescius sui, cum pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator autem parum se de loco moverat) cũ pondere infelix ipse, pondus, illæso Imperatore, cecidit. Per totã Romam cito res innotuit, & plebs quæ non facile sedari potest, dum mota fuerit, invito Imperatore, semianime corpus per rupes, per saxa tractũ, infrusta discerpsit. Tum vero cuncti rem signo non eventui assignantes, fide & animis Imperatori devinctiores facti sunt: & inimicũ consilium non solum illi fideles firmavit, sed & multos ex inimicis fideles fecit: sicq; dum nocere studuit, profuit. Deniq; Imperator omnibus Romæ compositis, impositoq; urbi præsidio, ne ei fidem mutaret, novæ dignitatis apicem gerens in Teutonicum regnum reversus est. Sed nulla fortuna longa est: nam ii quos Imperator Romæ præsidium imposuerat, ægritudine correpti, quam & locus & tempus intulerat (erat enim æstas) ne uno quidem superstite mortui sunt. Tunc Roma jugo præsidii sublato, compos arbitrii sui facta, ad ingenium rediit, & præsumptis adversus Imperatorem armis, pulso Apostolico, alium constituit. Nam ille prior Gregorius à vita decesserat. Quod ubi Imperatori compertum esset, iterum adversus Romam exercitum promovit: sed in Italiam veniens cum legati à Roma pactum pacis ferentes occurrerent, & cum inimici moliminis fama sequeretur, relicto in Italia filio Conrado, jam tum regni sui hærede designato, regressus est, scilicet qui se grassanti Mathildi, & pene totam Italiam sibi vendicanti opponeret, & regnum quod futurum erat suum, de manu fœminæ tolleret. Quid facient inimici, cum insurgant in parentes ipsi filii? Unde securitatem sibi quis promittat, cum nec ab eo tutus sit quem genuit? cessent jam connubia: nemo sibi optet hæredem. Hæres tuus erit hostis tuus. Nam non solum te domo tua, prædiisque spoliat, sed & vita spoliare festinat. Filius Imperatoris, quem in Italia relictum à patre, & quam ob causam relictum diximus à Mathilde persuasus, (quem enim astutia fœminea non subvertat aut decipiat?) junctis inimicis patris coronam sibi imposuit, regnum invasit, prophanavit jus, confudit ordinem, impugnavit naturam, quærebat patris sanguinem: quia non nisi sanguine patris regnare potuisset. Quod ubi ad hostes Imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaudebant, cantabant, laudabant factum filii, præcipue fœminam ducem facti. Mittebant propere legatos, qui stimulum animo novi regis adjicerent, & adderent oleum camino, qui pro se, sed contra se fidem & opem perpetuam jurarent: quanquam dudum se tam filio, quàm patri nunquam obtemperaturos conjurassent. Imperator autem ad hanc famam tametsi intus doluit, in gravitate tamen sua se foris tenuit, & non suam, sed filii fortunam conquestus est. Cum autem eum ab incepto revocare non posset, non tam suam injuriam ulcisci, quàm exemplum injuriæ per ultionem tollere quærens, filium exhæredare & fratrem ejus Henricum adhuc puerum in regnum promovere cogitabat. Igitur multis procerum conventibus habitis, Imperator super filio suo Conrado conquestus est, quia additus hostibus regnum invasisset, & quod patrem non solum regno, sed & vita privare conaretur, injuriam suam publicam esse debere, vel si nullum ea moverent, saltem hoc Reip. causa præstarent, ut per vim neminem, & scelus regnare paterentur: transferrent potius electionem in minorẽ filiũ suum, quam jure major amisisset. Pleriq; contra nitebantur, magis utentes ingenio, quàm justo & vero. Multi autem publico bono faventes, sententiæ votoq; Imperatoris concordabant. Tandem omnibus in unam sententiam coeuntibus, & concordi favore approbantibus, Imperator minorem filium, invasore prius ex decreto curiæ dijudicato, hæredem regni sui constituit, à quo ne & ipse abiret in viam fratris sui jusjurandum accepit, videlicet, ne unquam se, vel de regno, vel de prædiis patris, eo vivente (nisi forte ex consensu ipsius) intromitteret. Jam tum murmur & metus erat, inter duos fratres intestina bella fore, magnamq; regni cladem futuram, sed qui omnia dispensat, hunc metum letho

Clemens papa. **Dolus.** **Roma Rebellat.** **Gregorius sextus. Conradus filius. Mathildi commissus.** **Conradus exhæredatur.** **Conradus moritur.**

tho majoris filii ſuſtulit, & ut regnum in unam concordiam redire poſſet, occaſionem dedit. Quibus ita tranſactis, hoſtes Imperatoris, detruncato toties capite, non habentes cui adhærerent; pactione ſubacti, quod optimum erat, in pacem bella, in domeſticam ſecuritatem caſtra converterunt. Igitur ut ubiq; pax & tranquillitas eſſet, convocatis ad curiã primatibus, pacẽ per totũ regnũ ſub juramento firmari fecit,& ad inhibenda mala,quæ fiebant,gravẽ pœnam in tranſgreſſores decrevit. Quod quidem pacis decretũ, quantũ miſeris & bonis profuit, tantum perverſis & potentibus nocuit. Illis copiam, iſtis egeſtatem & famẽ intulit: nam qui in milites bona ſua diſtraxerant, ut multo milite ſtipati procederent, & aliis armorum copia longe præſtarent, ii, dum ſibi licentia rapinarum erepta eſt (ut pace ipſorum dictum ſit) egeſtate laborabant, cellaria eorum penuria & fames poſſidebat. Qui nuper ſpumeo ferebatur equo, contentus eſſe cœpit vel ruſtico jumento; qui nuper non aliam veſtem quærebat, niſi quæ rubeo murice tincta arderet,bene ſecũ actũ aiebat,ſi nunc veſtem, quam natura ſuo colore tinxiſſet, haberet; gaudebat aurum non ſe jam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cogeret uti: Deniq; quicquid vanitatis, quicquid ſuperfluitatis corrupti mores intulerant, totũ penuria magiſtra reſecabat. Oppida in ripis poſita, quibus præda naviũ victum præbebat, nauta ſecurus eſuriente oppiduli præſide præteribat. Mira res, nec minus ridicula:alii injurias ſuas injuriis vindicant,Imperator ſuas pace vindicabat.Cum autem domini cum ſatellitibus ſuis per aliquos annos hac lege ſtringerentur anxii, quod non liceret eis uti libertate perverſitatis ſuæ , iterũ adverſus Imperatorem murmur movebant, iterũ ſuper ejus factis ſiniſtrum rumorem ſeminabant. Quid illud (rogo) eſt, quod admiſit? Nempe hoc erat, quòd ſcelera prohibebat,quod pacẽ & juſtitiam revocabat, quod jam latro viam non obſedit, quod ſylva ſuas inſidias non occultavit, quod nautis mercatoribuſq; liberũ erat ſuã ire viã, quod vetitis rapinis raptor eſuriebat. Cur (obſecro) vobis non aliunde, niſi ex rapto vivere placet? Reddite agris quos ex agro deputaſtis armis, coæquate numerũ ſatellitum ad menſurã facultatum, recolligite prædia veſtra, quæ ſtulte ſparſiſtis, ut multos armatos haberetis, & redundabunt omnibus bonis horrea & cellaria veſtra, nec erit amplius neceſſe aliena tollere, cum quilibet ex proprio poſſit abundare. Sic fit, ut nec Imperator crimine denotetur, nec bellum in regno moveatur: ſic fit, ut & corpori ſatisfacere habeatis, & animas veſtras (quod feliciſſimum eſt) ſalvetis. Sed nihil ago, aſinum ad lyram voco, conſuetudo mala aut nunquam aut vix tollitur. Igitur aſſueti rapinis, ut occaſionem repetendæ conſuetudinis invenirent, movendis iterum bellis animum intendebant, iterum æmulum Imperatoris reperire quærebant. Ad quam rem filium ejus maxime idoneum exiſtimabant, itaq; ut ſuggeſtioni locum invenirent, quæ prima decipiendi lenocinia erant, frequenter eum venatum ſecum abducebant, conviviorum illecebris ineſcabant, jocis in diſſolutionem animi mulcebant, & ad pleraque facienda, quæ adoleſcentia ſuadet ſecum trahebant. Denique (ut fit) inter adoleſcentes quodam ſodalitatis glutine vincti ſunt, ut etiam fidem, dextramque mutuis ſacramentis darent. Cum ergo eum multis dolis irretitum decipi poſſe conſiderarent, quadam die inter alia tanquam ex obliquo patrem ejus in mentionem adducebant: ſe mirari quod tam durum patrem pati poſſet: nihil eum à ſervo differre, cum omnia quæ ſervi ſunt, toleraret: patrem ejus ſenem eſſe, & moderandis regni habenis invalidum, ſi inveſtituram regni uſque ad obitum ejus differret, haud dubium quin alter illud ſibi præriperet, illum multos fautores habiturum propter invidiam & odium patris ſui, ſe autem omnium vota in ſe transferre, ſi non cunctaretur ſuſcepti regni gubernacula poſſidere, maxime cum patrem ejus excommunicatum, & eccleſia dudum abjecerit, & proceres regni reprobaverint: nec ſibi obſervandum, quod incaute juraverit, imo tum demum ſe ſanctificaſſe, ſi juramentum excommunicato juratum irritum faceret. Pater vero de filio nihil mali ſuſpicatus, familiaritatem ejus cum majoribus regni probavit, ſperans eos ſibi poſtmodum tanto fidelius & validius auxilium ad obtinendum regnum laturos, quanto prius invicem in amore magis coaluiſſent. Quid multa? ſtatim illectus, & abſtractus à concupiſcentia, malignæ ſuggeſtioni (ut ſemper ſeductilis eſt adoleſcentia) nec voto defuit, nec facto. Igitur filius Imperatoris obſervans tempus recedendi à patre, quando id maximo patris incommodo fieret, euntem illum cum exercitu contra quoſdam Saxonum rebelles, qui per legatos obviam Imperatori miſſos, pactioni inſiſtebant, repente abſtractis ab eo multis, deſeruit, proculdubio deſerendus ab iis qui ſibi, ut deſertor fieret, perſuaſerunt. Miſſis imperator poſt eum legatis, tam lachrymis, quàm mandatis revocavit, obteſtans eum ne ſenem patrem contriſtaret, imo ne patrem omnium offenderet, ne ſe ſputis hominum exponeret, ne ſe fabulam mundo faceret: Inſuper meminiſſet, qua ſe ſibi cautione obligaſſet: hoſtes eſſe, non amicos; inſidiatores, non conſiliatores, qui ſibi talia ſuggeſſiſſent. Ille prorſus abnuit, & ſe non ulterius ſecum partem habiturum (quia excommunicatus eſſet) aſſeruit. Ita ſub ſpecie cauſæ dei, ſuam cauſam egit. Illico Bavariam, Sueviam, Saxoniam percurrit, proceres convenit, attraxit

Pax exoſa militibus.

Corruptela principis.

Henrici filius contra patrem à quibuſdam animatur.

attraxit omnes (ut sunt ingenia novarum rerum cupida) & subintravit in regiam potestatem tanquam sepeliisset patrem. Mox castellum Norinberch minax obsedit, ubi quanta virtute pugnatum sit, clades utriusque partis argumento fuit. Sed obsessis quanto minus spei, tanto plus animi inerat: & nisi imperator sceleri parcens, castellum tradere præcepisset, adhuc ibi cassa obsidione laboraret; excepto, si sola fames(quæ cuncta expugnat)illud non expugnaret. Ecce quanta pietas patris? Reddidit contra filii factum paternitatis affectum: non attendit injuriam, sed naturam. Maluit oppidum tradi, quàm filii discrimine liberari: maluit ejus injurias tolerare, quàm vindicare. Igitur oppidani oblata qualem vellent pactione oppidum tradiderunt; dimissoq; exercitu rex Ratisbonam se contulit, ut eam dum adhuc ancipiti penderet animo, stabilem sibi, fixaq; fide immobilem faceret. Quod ubi comperit Imperator (sedit enim tunc in urbe Wirtziburgensi) reputans filium, vel in itinere, vel in urbe comprehendi posse, tam præcipiti, tamq; tacito cursu ejus vestigia sequebatur, ut iter ejus non ante, donec non modica turba suorum transito Danubio ad urbem immissis equis ruerent, præsciretur. Obstupefactus filius ad tam subitam & inopinatam rem, ex urbe profugit. Cur fugis non fugiendum? Cur fugis patrem tuum? sequitur te, non persequitur: sequitur(inquam) non ut hostis, sed ut pater: non ut perdat, sed ut servet: sequitur ut turbatã ex te Rempublicam in quietum statum restituat, & tuis rebus in futurum prospiciat. Missis illico rex nunciis per Bavariam & Sueviam, sparsum exercitum recollegit: quæ res Imperatorem, cogeret ut & ipse exercitum, coegit. Igitur exercitus uterq; ad fluvium (cui Regino nomen) se sibi opposuit: hinc pater, inde filius: hinc pietas, inde furor, consedit. Cumq; potentiores utriusque partis tanquam tanti dissidii mediatores convenirent, qui ex parte Imperatoris erant, persuasibilibus illecti verbis, & multis magnisq; pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebant; &, nisi domesticam fraudem præsensisset, solus cum paucis periculo relictus esset. Igitur quod faciendum fuit, sceleri fortunæq; cedendum putavit, & ad similitudinem David, ne filius parricida fieret, fugit. Quàm mirabiliter gratia dei operatur, quàm evidenti signo nos docet, si doceri vellemus, si cæcum cor non haberemus! Cogitans Imperator, quòd inimici sui hac, qua venerant persequerentur eum, ad ducem Bohemiæ divertit: qui quamvis eum nuper in arcto non bene reliquisset, cum magno tamen honore suscepit, & usque in Saxoniam deduxit: ubi quamvis infestos & fortes inimicos haberet, per eos tamen & ab eis usq; ad Rhenum honorifice deductus est. Unde hoc, nisi quod manus domini erat cum eo, & invisibilem ducem habebat, qui eum securum per tela, per hostes ducebat. Hoc miraculo monitus es, ô fili Imperatoris, si moneri posses, ut disceres venerari patrem tuum non persequi, quem venerati sunt, cum in manus eorum venisset etiam inimici. Sed durius moneberis, cum ex hac tam leni admonitione non corrigaris. Cum autem Imperatoris fuga cognita esset, eventus ille multos ab eo seduxit: multumque rebus filii sui accedere, suis autem decedere fecit. Continuò rex, ut faventem sibi fortunam urgeret, curiam Moguntinam ad natale domini indixit, invitavit proceres, accersivit multos, ut cunctis innotesceret, quia dominus rerum esse vellet. Ad quam curiam etiam Imperator, convocatis necessariis suis, venire disposuit, volens in ratione ponere rectene secum an secus actum esset. Quod cum agnovissent adversarii ejus, metuentes sibi & causæ suæ si veniret ille, tam armatus multitudine, quàm ratione, hanc fraudem regi suggerebant, ut obvius patri sumpto valde pœnitentis vultu culpam fateretur, & gratiam exposceret; dolere se, quod malignæ suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionem, dum gratiam inveniret. Et si sic occasionem fraudis invenire posset, uteretur illa: sin autem non, fraus ipsa pro fide, simulatio teneretur pro veritate. Hac instructus arte, cum venisset ad patrem, pater credulus verbis & lachrymis filii, irruit super collum ejus, flens & deosculans eum, gavisus instar illius evangelici patris revixisse filium, qui mortuus erat, & inventum, qui perierat. Quid multa? condonavit filio, tam pœnam, quàm culpam: & hoc fuit illi injuriam filii vindicasse, paterna lenitate filium corripuisse, juxta illud Comici, Pro magno peccato filii, paululum supplicii satis est patri. Post hæc patrem, sicut ficta pœnitudine, sic & consilio fefellit, suggerens ei, quemadmodum sibi suggestum fuerat ut dimissa tanta multitudine ad curiam ambo mediocri copia venirent; nihil esse cum ipsi coiissent in concordiam, quod illi resisteret, vastari omnia si pergerent ea copia. Placuit consilium patri: bonum quidem si fraudulentum non fuisset: Dimissaque multitudine, non plus, quàm trecentis viris ad curiam filio comite pergebat. Ventum est ad nocturnam mansionem, ibi se filius obsequio patris totum impendebat, ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur, avidus recompensare damnum oblectationis diu intermissæ: sed nescius illam oblectationis noctem ultimam esse. Mirũ, fraudem vimq; tam ordinatam fortunam habuisse. Postera namq; die, cum appropinquarent Moguntiæ, venit nuncius subornatus, qui diceret Bavarios & Suevos cum ingenti multitudine Moguntiam venisse

Norinbergenses obsessi, fortiter se defendunt.

Ratisbona.

Regino fluvius.

Dux Bohemiæ.

venisse: tunc filius suggessit Imperatori, non esse tutum venire in medios hostes, nisi prætentatis eorum animis: audaciam hominum nullis regi frenis: diverteret potius ad castellum quod juxta erat, dum ipse conveniret eos, & à sententia incepti deduceret, & ad eum ob requirendam ejus gratiam, secum adduceret. Fecit Imperator ut filius suggesserat: divertit ad castellum, non cernens laqueum doli, quem texerat pulchra species mendacis fidei. Cum autem Imperator cum paucis intrasset, occlusa porta, fidelibus ejus aditus negabatur, detectaq; fraude qui receptus est ut dominus, tentus est ibi ut captivus. Itaq; appositis patri custodibus, cum hoc fraudis triumpho ad Moguntinam curiam reversus, tanquam rem virtutis egisset, cum magna jactantia retulit, quo ingenio patrē comprehendisset. Tum vero curia plausu lætitiaque resonabat: & nefas justitiæ, fraudem virtuti ascribebant. Statim, misso Legato, patri mandavit, ut si vitam servare vellet, absque mora sibi crucem, coronam, & lanceam, cæteraque regalia transmitteret: & munitiones quas firmissimas tenebat, in manum ejus transferret. Nec ille cunctabatur omnia quæ jussus est facere, nec imperium pluris habebat quàm se. Sed non in hoc satisfecisse videbatur, nisi & ipse coram veniret & in conspectu omnium imperio renunciaret. Venit ergo non suæ potestatis, sed in comprehensione adductus: solus coram eis, qui dudum coram se steterant, stetit: nec rationis libertatem habens, ut captivi fortuna postulabat, loquebatur. Inquisitus de spontanea imperii renunciatione, non quod voluntas habuit, sed quod necessitas coegit, respondit: se videlicet imperio renunciare, non vi coactum, sed propria voluntate inductum, sibi jam defecisse vires ad moderandas regni habenas, non se ejus jam cupiditate teneri, quod longo usu didicisset; habere plus molestiæ, quàm gloriæ: tempus esse, ut honore cum onere disposito provideret animæ suæ: tantum filius suus caveret, ne quid tale faceret in se, quod indignum esset, & illum facere, & se pati. Multos & oratio Imperatoris, & fortuna ad gemitus & lachrymas commovit: filium autem ad miserationem nec ipsa natura movere potuit. Et cum caderet ad pedes filii, orans, ut recogitaret in se saltem jus naturæ, nec vultum, nec animum ad patrem reflexit: cum ipse potius ad patrios pedes advolvi debuisset, eo quod illi regnum (cujus hæres ab ipso designatus fuerat) impatiens moræ præripuisset. Præterea veniam precabatur ab omnibus, quos unquā injuste læsisset: sed & pedibus Apostolici Legati advolvitur, orans & obsecrans, ut se à banno solveret, & communioni ecclesiæ redderet. Laici misericordia commoti, veniam dabant: Legatus autem domini Apostolici, absolutionem negabat, asserens non hoc suæ potestatis esse, oportere ab ipso Apostolico absolutionis gratiā eum expectare. Quid multa? abrenunciata imperiali dignitate, privatus discessit, & ad quandā civitatem, quā filius victui illius permiserat, recessit. Quàm impotens potentia mundi, quàm incerta, quàm instabilis? sed nec potentia dicenda est, quæ ad omnia quæ vult, efficax non est: & quam qui assequitur, amittere potest. His ita transactis, finitaq; curia, Rex superiores Rheni regiones & urbes pertransit: & (ut res postulabat) hos beneficio, illos injuria sibi subjecit. Cum autem intrasset Alsatiā, ibi fortuna ejus aliquantulum hæsit, ibi pugnam tam infelici eventu, quàm imprudenti gessit incepto. Nam cum in villa Rufach, quæ multitudine prævalet & armis, satellites ejus superbe grassarentur, frequentia civium injuriam prohibebat: nec enim dum injuria modum excederet, patiens esse poterat. Audito tumultu, Rex properabat: non ut injuriam prohiberet, sed juvaret: non ut pugnam sedaret, sed amplius commoveret. Quæ res totius villæ turbā excivit: ruit irrevocabile vulgus, fœmina cum viro, servus cum domino, ignavus cū forti: & ut plerunq; fit, animum injuria ministravit. Incepta pugna, incepta est fuga: nam qui regiæ partis erant, cum viderent impetum furentis turbæ, & rem in arcto sitam, considerantes in virtute sua cladem, in sola fuga salutem, qui poterant, fuga vitam servabant. O infelicē eventum! ó dedecus regni! fugiente rege, regalia insignia vulgi præda facta sunt. Resipisce tandem Rex bone, resipisce, & supernam iram in hac sorte tua recognosce. Judicium iræ Dei est, ut fugeres, qui patrem fugasti & insignia perderes, quæ patri abstulisti. Sed his postea receptis, interveniente pacto pacis & gratia veniæ, & regem sententiam mutare fecit altum vulnus injuriæ, ut majori robore collecto, villam incendio prædaque vastaret, & in homines loci illius indiscreta cæde sæviret. Sed quod in se fortuna tantum ausa est, ex patris consilio prodisse suspicatus, novas injuriarum cogitationes in eum cogitare cœpit: & ne sibi esset obstaculi materia, vel ad comprehensionem ejus, vel ad expulsionem animum intendit. Itaq; Leodii ubi eum fidem & fortunæ suæ receptaculum invenisse audierat, pascha sibi celebrandum statuit: ut & ipsum, si fieri posset, comprehenderet, & ab episcopo, qui sui honoris æmulum recepisset, injuriam expostularet. Cumque pater vidisset, quòd filius Leodii pascha celebrandum statuisset, legationem ad eum in hunc modum direxit: Si interrogem te, fili dulcissime, Traditio hominum an mandatum Dei præstantius, magis tenendum sit, respondebis, nisi à vero deductus sis, similem esse jumentis, qui cœlestia terrenis, humanis divina non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt, persequere patrem tuum, quàm verbum ipsius Dei, Honora patrem tuum? Isti te decipiunt, non instruunt: isti honori tuo non provi-

Henricus capitur à filio.

Legatus apostolicus.

Rufach in Alsatia.

Rubeacenses Henrico insignia regalia abstulerunt.

Rubeacum diripitur & incenditur. Leodium.

provident, sed invident: isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter pervenire potuerunt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionem nostri. Fuerit sane, ut peccatis meis exigentibus (quæ sententia adversariorum meorum est) abjecerit me deus, ne regnem: Attamen tuum non erat in abjectionem meam operam dedisse: & regnum quod tibi paraverat, mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanum facinus damnant, & devovent, ipsi pagani abhorrent, & qui deum nesciunt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant, recognoscunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem & immaturam ætatem decepit, cum etiam senes, & fixum animi statum, ad malum, mala consilia nonnunquam inflectant? Fortuna mea alieni potius, quàm tui sceleris est. Nam tu in manibus suadentium eras, non illi in tuis. Si autem injuriam addideris, non jam excusari poteris: cum & factam, crimen esse scias, & infectam non facere queas. Audivi enim quod pascha Leodii celebrandum decreveris: quo in loco fides & pietas episcopi me recepit, cum non esset qui vel beneficiorum nostrorum recordaretur, vel fortunæ compateretur: cujus profecto beneficiis in me te decet regia liberalitate respondere: tantoque certior de ejus fide poteris esse, quanto fidelius erga nos probatur egisse. Hic nisi te forte domo receperit, me secum in festivitate paschali retinendum decrevit. At dicis dignum & conveniens esse, ut ea festivitas nos jungat potius, quàm dividat: te velle, te cupere, ut ibi tecum agam dies paschalis lætitiæ: quod quidem & ego admodum cuperem, si non esset quod timerem. Neque enim non possum non timere eos, quos mihi vitam permisisse pœnitet, dum in manibus eorum mors & vita mea fuisset. Omnia mihi suspecta sunt, omnia timenda sunt, maxime in turba, ubi tanto difficilior est periculi cautio, quanto major sceleris occasio. Inde est, quod ex medio eorum, qui me oderunt, longe recessi, & in extremis regni tui finibus me contraxi: ut vel secessu loci tutus sim, vel si fortuna mea postulaverit extraneam humanitatem expetere, citius regno tuo cedere possim. Precor ergo, ut causâ patris tui, paschalem curiam alibi disponas, & in domo ejus qui me humanitatis gratia recepit, cum non liceat Imperatorem, saltem hospitem esse finas: ne vel in meum ludibrium, vel in tuum opprobrium narretur, quod in solennitate dominicæ resurrectionis incerta hospitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris quod postulo, maximas grates habeo: sin autem non, malo villicus esse in extremis regnis, quàm ludibrio haberi in regnis quondam meis. Hanc legationem patris aure surda filius audivit, nec à sententia sua deduci potuit. Quam ob rem, cum jam instante pascha, pater recedere vellet, episcopus & Henricus dux (qui & ipse ab episcopo fuerat invitatus) eum recedere prohibebant: non se posse pati, ut in tanta festivitate pulsus, è tectis hominum sylvas peteret, latebrasque ferarum: illum quidem absq; causa destitutum imperio, sed non amicorum obsequio: si pace frui permitterentur, nihil se magis quàm pacem velle: sin autem res armis agenda sit, arma sibi non defore. Ille vero ne eis materia cladis esset, cedere quàm manere utilius asserens, tandem eis cum importunius instarent, consensit, &, ut postulabant, mansit. Jamque multus equitatus faciem regis longe præcedens ad pontem fluvii, qui vocatur Mosa, venerat: & alterius ripæ crepidinem filius prædicti ducis cum paucis occupat. Nam turbam armatorum non longe per opportuna loca in insidiis locaverat, qui ut pugnam provocaret, nunc equum in rectam cursus lineam immisit, nunc in orbes flexit & reflexit; & si pares numero confligere secum auderent, inquisivit. Nec mora, transierunt ad eos totidem ex parte regis, mixtique intra se vario reflexu, nunc pugnam inferebant, nunc fugam agitabant. Interim unus & alter, transito ponte, sociorum numerum latenter auxit, &, rupto certaminis pacto, ex æquali inæqualem fecit. Quod videns filius ducis, terga cum suis vertit, non tam ut fugeret, quàm ut falleret; nec tam ut fugientes periculum vitaret, quàm ut sequentes in periculum deduceret. Hi autem, qui ex adversa ripa erant, visa fuga, præcipiti cursu pontem transeuntes, fugientes persequebantur, ignari futuræ sortis & fraudis quæ latebat. Postquam autem ventum est ad locum ubi dispositæ fuerant insidiæ, exurgentes de insidiis impetu magno in persequentes ferebantur. Illi autem inopino territi periculo, metuque turbante nil rationis in armis habentes, in fugam se retorserunt. Sed quid profuit avertisse pectora, & vulneribus terga dedisse? Itaque multi capti, multi truncati, multi occisi sunt: victorq; cruentus non alium modum sceleris habebat, nisi quem fastidium faciebat. Ad pontem vero ubi fugax multitudo se coarctaverat, tanto plus sceleris impia manus peregit, quanto minus constipata turba se movere potuit. Sed multo plures fluvius absorbuit quàm ensis hausit; nam cum hostis à tergo premeret, impellente metu, in fluvium se præcipitabant, & attoniti, confusique de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere, & aliam miseriam vel maximam, cum pons multitudine prægravatus repentè corruit; & fluvius homines equosq; pariter involvit. Nulli locus erat evadendi, nulli profuit ingenium natandi; nam aut armorum pondere, aut inhærentium connexione fatigatus, in profundum trahebatur. Quod malum (ut scelestius esset) in ipsa die parasceve contigit, crevitq; magnitudo sceleris

Mosa.

ex

ex reverentia temporis. His itaque tranſactis, Rex iter Coloniam convertit: ſed cùm illa quoq; aditum ſibi præcluſiſſet, in villa, quæ dicitur Bonna, dominica tantum paſchæ peracta, Moguntiam feſtinus rediit; & ſparſis ubiq; legatis, querimoniam ad proceres in hunc modum direxit: Si per invaſionem regnum occupaſſem, tamen reſiſtentes poteſtati noſtræ retunderem in quantum poſſem: Nunc autem cum in ſumpta regni dignitate veſtris paruerim præceptis, auſus eſt quiſquam impune in publicam contumeliam regnum & nos armis vexare? Cum enim Leodium ituri, ubi nobis curia paſchalis habenda fuerat, ad fluvium Moſam veniſſemus, Epiſcopus Leodienſis & dux Henricus, de quorum fide & obſequii devotione multum præſumebamus, nobis latenter inſidias poſuerant, & noſtros inſcios & ad pugnam imparatos cædebant, capiebant, fugabant: quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre, quàm inultum dimittere. Igitur conſtrictus & eventus aſperitate, & temporis articulo Coloniam diverti, quæ cum me recipere ſatis ſuperbe refutaret, apud villam Bonnam ſanctum diem paſchæ utcunque peregi. Cui unquam regiæ perſonæ tanta contumelia facta eſt? Nec ſolum me petit hæc contumelia, vos deſpecti eſtis; iſti præſumptores decreta veſtra authoritatem habere nolunt: ſua tantum ſtatuta firma eſſe volunt; denique in quos totum regni pondus ſe reclinet haberi cupiunt. Regem quem conſtituiſtis, deſtituere parant, ut nihil eorum, quæ vos decernitis ratum ſit. Igitur hæc injuria mea regni potius eſt, quàm mea. Nam unius capitis licet ſummi dejectio, reparabile regni damnum eſt: Principum autem conculcatio, ruina regni eſt. An hæc impune feremus? & ex ignobili patientia noſtra, magis tumebit eorum ſuperbia. Abſit, ut qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti. Pauca dixiſſe ſat eſt: deſides animi prolixæ cohortationis ſtimulo opus habent, cauſa magis ad incitamentum facit, quàm verba. Quia igitur contra tam ſuperbos hoſtes R.P. viribus utendum eſt, expeditionem vobis & rogando præcipimus, & præcipiendo rogamus; cujus collectioni & tempus, Calendas Julias, & locum Wirtziburgenſem urbem præfinimus. Cum ergo audiſſet Henricus dux & Colonienſes cum Leodienſibus, quod ſuper ſe rex exercitum ducere vellet, arma parabant, copias colligebant, urbes firmabant, & ad reſiſtendum pari voto ſtudioq; ſe accingebant. Sed & Imperatorem conſiliis & precibus urgebant, ut imperialem dignitatem, quam non ratione convictus, ſed vi ferroque mortem intentante coactus dimiſiſſet, reſumeret: ſe ſibi nec armis defore, nec animis; multos illum in brevi fautores habiturum, quia multi multum abominarentur tam inſolitum facinus & inhumanum. Quorum importunitati hac ille ratione reniti cœpit, impoſſibile eſſe amiſſum imperium armis repetere, quod poſſeſſum armis retinere nequiviſſet: illud ſibi non eſſe tanti, ut multorum exitio recipiendum exiſtimaret: beatius ſibi & tutius fore, ut privatus licet indigne dejectus viveret. Sic utrinq; datâ, redditaq; ratione, cum inſtare non deſinerent, ne benignitatem circa ſe removeret à ſe, nec ad integrum conſenſit, nec abnuit; providuſq; futuri, præcipites eorum animos ſpe dubia ſuſpendit. Igitur primo Coloniam, quæ primũ impetũ latura fuerat, vallo turribuſq; muniebant: & congeſtis belli ſtipendiis, impoſitoq; præſidio, periculum ſuum fortibus animis expectabant. Sic & alias urbes quas invadendas credebant, munitione, machinis, & robore militum firmabant: ſed & edictum ſub comminatione crudeli ubique ſpargebant, ut adverſus exercitum in magna ſuperbia ſuper ſe venturum parati eſſent, & patriam, libertatem, vitamque defenderent, neu ſinerent uxores ſuas corruptionis ludibrio ſubſterni, vel agros in alienos dominos diſtrahi. Jam Rex Rhenum cum exercitu valido tranſierat, & primo Coloniam, quæ quaſi caput inter alias urbes eminebat, magno impetu invaſit: reputans ſe ſibi membra facilius ſubjicere contrito tam valido capite. Sed res longe præter ſpem evenit: nam cruenta repulſa retroacti procul locatis caſtris, urbem obſidione vallabant: magis autem dixerim obſeſſores ab obſeſſis obſeſſos; nam præreptis ſibi navibus quæ per Rhenum deſcendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quaſi quadam obſidione conſtricti laborabant. Interim ut urbem ab obſidione liberarent, totius patriæ robur undique coibat. Sed imperator tam cruentum facinus deteſtatus, pugnam obnixe diſſuadebat, cur eis tantus ardor pellendæ obſidionis ineſſet, quæ non niſi magna ſui clade pelli poſſet: tollerent omnem ſolicitudinem capiendæ urbis, quæ & ex firmitate murorum, & ex forti milite tutiſſima, & omni victus genere eſſet opulentiſſima, accedente & Rheni beneficio, qui per naves delicias quas appeterent, invito obſeſſore ſubminiſtraret: ſinerent potius eos in cladem ſuam furere, & inexpugnabilem urbem, unde vulnera tantum, cæſoſque reportarent, impugnare: ſinerent eos late vaſtare, dum ruris copia conſumpta eſurire inciperent: ſinerent eos graſſari, dum equos viroſq; labor enervaret: fore ut victoria ſibi parvo conſtaret, ſi paululum tolerantia & opportunitate temporis uti voluiſſent. Sic Imperatoris hortatu à pugna revocati, hoſtiles tantum excurſus obſervabant, & ignaros loci paſſim cædentes, metum hoſti ne longius evagaretur, incutiebant. Omnia vero quæ prædixerat Imperator evenerunt. Quoties enim tentabant portas infringere, ariete murum perrumpere, tormentis turres dejicere, infecto

Bonna.

Colonia.

negotio vulnera tantum & funera ad castra reportabant: homines & equi exhausti, tam alimentorum penuriâ, quàm laboris improbitate viribus deficiebant: nam agris in circuitu vastatis, nihil reperiebant: sed hæc ulterius progredi, latitante in insidiis hoste, præsumebant. Accessit his malis etiam morbus, quem fœtor castrorum (ut fieri solet) aere vitiato concitaverat, qui non solum vulgus, sed etiam ipsos principes, aut ægritudine confecit, aut letho rapuit. Hujusmodi rerum adversitate fatigati, quid acturi essent ambigebant, quia volentes mori, occasionem pugnæ non inveniebant: aut si reditum pararent, certi quod hostis à tergo premeret, exercitum suum fugâ spargendum metuebant. Qua tempestate mentis dum fluctuarent, subito fama veniens, nubila tantæ perturbationis in serenum convertit. Retulit enim Imperatorem mortis debitum persolvisse: ad quam famam primo hæsitabant. Sed cum nuncius extremum munus patris, annulum videlicet & gladium cum mandatis filio portans venisset, tanta lætitia oborta est, ut voces gratulantium minime sedari possent. Sed non minor luctus circa funus Imperatoris erat: proceres plangebant, vulgus lamentabatur; ubique gemitus, ubique planctus, ubique vox dolentium audiebatur: ad exequias illas, viduæ, pupilli, denique totius patriæ pauperes conveniunt, deflent se orbatos patre, fundunt in corpus lachrymas, deosculantur largas manus, vix avellebantur ab amplexu extincti corporis, vix illud copia condendi dabatur. Sed nec tumulum deserebant, ibi vigiliis, lachrymis & orationibus vacabant, plangendo recitantes, & recitando plangentes, quænam opera misericordiæ fecisset in se. Quanquam mors ejus plangenda non fuit, quam bona vita præcessit, qui fidem rectam, spem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis suis tenuit, quem nec de pudendis admissis publicam agere confessionem puduit: qui tota cordis aviditate dominici corporis cibum sumpsit. Felix es Imperator Henrice, qui tales excubias, tales intercessores tibi parasti, qui nunc multipliciter auctum de manu domini recipis, quod in manus pauperum abscondisti: turbulentum regnum pro tranquillo, defectivum pro æterno, terrenum pro cœlesti mutasti. Nunc demum regnas, nunc diadema portas, quod tibi nec hæres tuus præripiat, nec adversarius invideat. Ergo continendæ sunt lachrymæ, si contineri possunt. Huic tuæ felicitati debetur tripudium, non luctus: exultatio, non planctus: voces gratulantium, non dolentium. Post hunc rerum eventum, hi qui contra regiam majestatem bellum susceperant, mortua spe sua, animis & viribus deficiebant: & quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam regis deditione, pecunia, quoque modo quisque poterat, recurrebant.

Morbus.

Henricus pater moritur.

Confessio.

¶ Ecce habes de gestis, de expensis in pauperes, de fortuna, de obitu Imperatoris Henrici, quæ sicut non poterant absque lachrymis à me scribi, sic non poterunt absque lachrymis à te legi.

¶ Vitæ Henrici quarti Cæsaris Augusti finis.

EPISTOLÆ ALIQUOT HENRICI Quarti Cæsaris Augusti ad Pontificem Romanum & alios principes.

¶ Henricus Dei gratia Rex, Annoni Coloniensi Archiepiscopo, gratiam, salutem, dilectionem.

IN Maximis negotiis, maximis maximorum opus est consiliis, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, ut rei cui bene cupiunt, bene consulere & velint & possint. Quia in cujuslibet rei profectu, nec facultas sine voluntate, nec voluntas sine facultate proderit, quod utrũq; tu fidelissime (ut arbitramur) æqualiter possides, vel (ut verius dicamus) licet maximo tibi maxima nõ desit facultas, major tamẽ adhuc maxima facultate (si te bene novimus, si fidem tuam diligenter notavimus) in nostram & regni

regni utilitatem tibi exuberat voluntas: de præteritis enim fideliter exhibitis, in futuris creſcit ſpes fidelius exhibendis. Tuæ autem dilectioni committimus, ne ſpes noſtra major ſit fide tua: quia de nullius regni principum vel epiſcoporum fidelitate, quàm de tua, majora ſperamus: ſicut hactenus non modo in præteritarum rerum exhibitione, verum etiam in ſperandarum promiſſione tua gaviſi ſumus. Adſit igitur hoc in tempore opportuno tua cum facultate voluntas, quam non modo noſtra, verum & omnium epiſcoporum, fratrumque tuorum, imò totius oppreſſæ eccleſiæ exoptat neceſſitas. Non etiam hanc oppreſſionem ignoras, tantum vide, ne oppreſſæ te eccleſiæ ſubtrahas, ſed regno & ſacerdotio condoleas: quo utroque ſicut hucuſque eccleſia eſt exaltata, ita nunc, heu! humiliatur viduata. Nam unus dum utrunque ſibi vendicavit, utrunque diſſipavit: nec in uno profuit, qui in neutro prodeſſe voluit, nec potuit. Et ne diutius notati nomine te ſuſpendamus, accipe quem dicimus, Hildebrandum ſcilicet, monachum habitu quidem, dictum apoſtolicum: non paſtoris cura, ſed invaſoris violentia, apoſtolicæ ſedi præſidentem, & de ſede pacis catholicæ, pacis unitæ vincula diſſipantem, ut tibimet in promptu eſt ſcire. Ut enim de pluribus pauca referamus, regnum ac ſacerdotium deo neſciente ſibi uſurpavit: in quo piam dei ordinationem contempſit, quæ non in uno, ſed in duobus duo, id eſt, regnum & ſacerdotium principaliter conſiſtere voluit: ſicut ipſe dominus ſalvator in paſſione ſua, de duorum gladiorum ſufficientia typicè intelligi innuit. Cui cum diceretur: Ecce domine, duo gladii hic; Reſpondit, Satis eſt, ſignificans hac ſufficienti dualitate, ſpiritualem & carnalem gladium in eccleſia eſſe gerendum, quibus omne nocivum foret amputandum, videlicet ſacerdotali ad obedientiam regis pro deo: regali vero gladio ad expellendos Chriſti inimicos exterius, & ad obedientiam ſacerdotii interius, omnem hominem docens fore conſtringendum: & ita de alia in aliam charitate tenderetur, dum nec regnum ſacerdotii, nec ſacerdotium regni honore privaretur. Hanc dei ordinationem qualiter Hildebrandica inſania confuderit, tu ipſe noſti, ſi ſcire voluiſti: nam nullum ejus judicio licet eſſe ſacerdotem, niſi qui hoc à faſtu ſuo emendicaverit. Me quoque quem Deus in regnum, non autem illum vocavit ad ſacerdotium, quia me de deo & non de illo regnare velle vidit, quia ipſe me regem non conſtituit, regno privare ſtuduit, minitans, regnum animamque mihi ſe tollere: quorum neutrum conceſſit. Hæc & his ſimilia, cum ſæpius in noſtram (ut ipſe noſti) contumeliam ſtruxerit, non tamen adhuc ſufficere credit, qui de die in diem nova & exquiſita confuſionis genera nobis ingerit: ut in noſtris nunciis noviter argumentum dedit. Nam charta exponere non ſufficit, qualiter eoſdem noſtros nuncios tractaverit: quàm indignis modis affecerit, quàm crudeliter eos incarceraverit: & carceratos, nuditate, frigore, fame, ſiti, ac plagis contriverit, ſicque demum exemplum per medium civitatis circumductos, omnibus ſpectaculum præbere juſſerit, ita ut eundem cum Decio tyranno inſanire, & ſanctos aſſare credas & dicas. Unde ne pigeat chariſſime, communi noſtrorum, ſcilicet meæ, & coepiſcoporum tuorum petitioni ſatisfacere, ut in pentecoſten Wormatiam venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum cæteris audias principibus, & quid agendum ſit doceas: rogatus per dilectionem coepiſcoporum, monitus per eccleſiæ utilitatem, obligatus per vitæ noſtræ & regni totius honorem.

Hildebrandus.

Duo gladii.

Regnum animamq; tollere.

Hildebrandi inhumanitas in nuncios regis.

¶ HENRICUS DEI GRATIA REX,

Univerſæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ clero & populo gratiam, ſalutem & omne bonum.

HÆC fides firma & inconcuſſa creditur, quæ ſemper, & eadem, & præſenti & abſenti ſervatur: nec diuturna ejus, cui debetur abſentia, nec longi temporis tædio immutatur. Et de alia epiſtola: Exurgite in eum fideliſſimi: & primus in fide ſit primus in ejus damnatione. Non autem ut ſanguinem ejus effundatis, dicimus: quippe cum major ſit ſibi poſt damnationem pœna, vita, quam mors: Sed ut eum, ſi nolit deſcendere, cogatis, & alium communi omnium epiſcoporum, & veſtro conſilio à nobis electum, in apoſtolicam ſedem recipiatis, qui, quod iſte in eccleſia vulneravit, curare velit & poſſit.

¶ Henricus, non uſurpative, ſed pia Dei ordinatione Rex, Hildebrando jam non Apoſtolico, ſed falſo monacho.

HANC talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in ecclesia ordinem prætermisisti quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Ut enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores sanctæ ecclesiæ, videlicet archiepiscopos, episcopos, vel presbyteros non modo non tangere, sicut Christos domini non timuisti, quin sicut servos nescientes quid faciat dominus eorum sub pedibus tuis calcasti: in quorũ conculcatione tibi favorem ab ore vulgi comparasti: quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse judicasti, qua utique scientia non ad ædificationem, sed ad destructionem uti studuisti: ut jure hoc beatum Gregorium, cujus nomen tibi vendicasti, de te credamus prophetasse, dicentem sic: Ex affluentia subjectorum plerunque animus prælati extollitur: existimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse: & nos quidem omnia hæc sustinuimus, dum apostolicæ sedis honorem conservare studuimus. Sed tu humilitatem nostram timori fore intellexisti. Ideoque & in ipsam regiam potestatem nobis à deo concessam, exurgere non timuisti, quam à nobis auferre ausus es minari, quasi nos à te regnum acceperimus: quasi in tua, & non dei manu sit regnum vel imperium: quia dominus noster Jesus Christus nos ad regnum, te autem non vocavit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti, scilicet astutiâ (quod monachica professio abominatur) pecuniam, pecunia favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adisti: & de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in prælatos armasti, dum episcopos nostros à deo vocatos, tu non vocatus, spernendos docuisti: dum laicis ministerium eorum super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponant vel condemnent, qui ipsos de manu domini per impositionem manuum episcoporum docendos acceperant. Me quoq; (licet indignus inter Christianos sum ad regnum vocatus) te teste, quem sanctorum patrum traditio soli deo judicandum docuit, nec pro aliquo crimine, nisi à fide (quod absit) exorbitaverim, deponendum asseruit: Cum etiam Julianum apostatam prudentia sanctorum episcoporum, non sibi, sed soli deo deponendum commiserit. Ipse vero quid verus papa, beatus Petrus clamat? Deum timete, regem honorificate. Tu autem quia deum non times me constitutum ejus inhonoras. Unde beatus Paulus, ubi angelo de cœlo alia si prædicaverit non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim, Si quis, vel ego, vel angelus è cœlo, præter id quod evangelizavimus vobis evangelizaverit, anathema sit. Tu igitur hoc anathemate, & omnium episcoporum nostrorum judicio damnatus, descende: vendicatam tibi sedem apostolicam relinque, alius in solium beati Petri ascendat, qui nullâ violentia religionem palliet, sed beati Petri sanam doctrinam doceat. Ego Henricus Rex Dei gratia, cum omnibus episcopis nostris tibi dicimus, descende, descende.

Hildebrandus monachus pecunia & gladio sedem pacis adiit.

Attende.

¶ Henricus Imperator Romano pontifici Paschali.

SI illa inter nos pax esset & concordia, quæ inter nostros olim & tuos fuit antecessores; quæ inter nos etiam & Nicolaum & Alexandrum, viros catholicos & religiosos Romanos pontifices plena charitate & integra devotione viguit, mandaremus tibi quicquid filius patri: sed distulimus expectantes, & cognoscere desiderantes, si in beneplacito Dei sit, nobis in charitate & amicabiliter posse convenire, & ecclesiam suam nostris temporibus, nostro labore, ipso cooperante, in statum redire unitatis pristinæ. Hoc quanquam dudum (Deo teste) desideravimus, sed cognita nimia eorum austeritate, qui in Romana erant ecclesia, non utile nobis visum est vel competens, eos de hac causâ convenire: quia magis videbantur nos persequi odio & indignatione, quàm zelo justitiæ, vel etiam quàm velle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum ecclesiæ. Effectus hoc probat, quia cum ipsi regnum hæreditario jure nobis collatum, tempore religiosorum virorum Romanorum pontificum, pacifice a nobis diu possessum, contra nos commovere studerent & armare, multa inde orta est strages populorum, tam corporum, quàm etiam, quod magis dolendum est, animorum. Nunc quoque filius noster, quem tam vehementer diliximus, ut usque ad solium regni nostri exaltaremus, eodem veneno infectus, consilio quorundam perfidissimorum, & perjuratorum sibi adhærentium insurgit in nos, postpositis omnibus sacramentis, quibus se nobis obligaverat posthabita omni fide & justitia, tantum ut ecclesiarum bona & regni libere valeant perdere rapere & inter se dividere. Et cum multi nobis persuadeant absque dilatione in eos vi & armis esse ulciscendum, maluimus tamen

adhuc

adhuc differre, ut tam in Italico, quàm in Teutonico regno sciatur manifeste, quod nec nostræ sit voluntatis, nec culpæ, si tandem inviti & coacti in eos insurrexerimus, quæcunque mala vel infortunia, seu populorum strages inde evenerint. Præterea, quia audivimus te hominem discretum, Deum timentem, charitati insudantem, sanguinem humanum non sitire, rapinis & incendiis non gaudere, unitatem ecclesiæ super omnia diligere, consilio & suggestione principum nostrorum mittimus tibi nuncium istum cum legatione nostra. Per hanc quippe volumus cognoscere, si est tibi voluntati te nobis in charitate & amicabiliter, & nos uniri tibi, salvo nobis honore regni & imperii, & totius nostræ dignitatis (sicut & avus & pater noster, aliique antecessores nostri habuerunt) servato etiam tibi à nobis honore Apostolicæ dignitatis, sicut antecessores nostri tuis antecessoribus servaverunt, & nos præfatis pontificibus. Quod si placuerit tibi paternè nobiscum agere, & eam, quam mundus dare non potest, pacem (Deo præstante) integre nobiscum componere, mitte nobis familiarem nuncium tuum cum privatis literis tuis, & secreta legatione cum hoc nuncio nostro, ut hoc modo possimus indubitanter cognoscere, omnem de hac re certitudinem voluntatis tuæ. Qua cognita, mittemus tibi de majoribus principibus nostris, quales & nos tibi mittere & te deceat à nobis recipere ad tantam rem componendam, per quos exclusa omni ambiguitate manifeste possis cognoscere, nos veraciter velle complere, quæ tibi mandamus secrete. Præterea quæ hic inscripta non sunt commisimus huic fidelissimo nuncio nostro quædam tibi dicenda, quibus tam veraciter quàm scriptis credas.

Legatio ad Paschalem pontificem.

¶ Epistola Henrici regis ad Hildebrandum.

CUM hactenus ex te ea quæ sunt patris expectarem, tibique in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obedirem, recepi à te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique nostri perniciosissimus hostis esset. Nam cum primum omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede Apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti: neque hoc contentus, in reverendissimos episcopos, qui nobis velut dulcissima membra uniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis injuriis, acerbissimisque contumeliis contra divinâ & humana jura (ut ipsi aiunt) exagitasti. Quæ omnia cum ego quadam patientia dissimularem, tu hoc non patientiam, sed ignaviam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, scilicet ut tuis verbis utar, Quod aut tu morereris, aut mihi animam regnumque tolleres.

Minax dictum Hildebrandi.

¶ Henricus Rex Regi Celtarum.

PRinceps clarissime, & omnium in quibus post deum speramus amicorum fidelissime, primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas, & miserias necessarium duxi, & etiam genibus vestris advolvi, si liceret salva majestate imperii. Primum quidem est, quod non solum vobis, sed totius Christianæ professionis hominibus gravissimum ac intolerabile arbitramur, quod de Apostolica sede (unde usque ad memoriam nostri temporis salutifer fructus consolationis, dulcedinis, & salvationis animarum oriebatur) modo persequutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellum emittitur: nec ponunt ullum modum sententiæ, tantum ut satisfiat voluntati indiscretæ. Hujus voluntatis suæ intemperantiâ adeo usque nunc abusi sunt, ut nec deum, nec quid, aut quantum mali inde proveniet, pensantes, per se & per suos omnibus modis in nos invehantur, cum obedientiam & omnem subjectionem debitam sæpe obtulerim Apostolicæ sedi: si tamen honor debitus & reverentia (sicut antecessoribus meis) exhiberetur & mihi. Quid autem intendant opportunius significabo vobis, si quando optati colloquii deus copiam dederit nobis. In hac igitur persequutionis & odii sui inflammatione, cum parum viderent se proficere, contra ipsum jus naturæ laborantes, quod sine maximo cordis dolore, sine multis lachrymis

Sedes Romana.

Hildebrandus filium in patrem armavit.

mis dicere non valeo: & quia dicitur, vehementer contremisco: filium meum inquam Absolon dilectissimum, non solum contra me armaverunt, sed etiam tanto furore animaverunt, ut inprimis contra fidem & sacramentum, quod ut miles domino juraverat, regnum meum invaderet, episcopos & abbates meos deponeret, inimicos & persequutores meos sustineret. Ad ultimum, quod maxime vellem taceri, aut si taceri non potest, vellem non credi, omnem affectum naturæ abjiciens, in salutem & animam meam intenderet, nec quicquam pensi haberet, quomodo vi & fraude ad hanc periculi & ignominiæ suæ summam aspiraret. In hac tanta mali sui machinatione, cum essem in pace, & in aliqua salutis meæ securitate, in locum qui Confluentia dicitur in ipsis dominici adventus sanctissimis diebus ad colloquium evocavit me, quasi de communi salute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cum vidi, illico ex paterno affectu tactus intrinsecus dolore cordis mei, ad pedes suos procidi, admonens & obtestans per fidem, per salutem animæ, si pro peccatis meis flagellandus eram à deo, de me ipse nullam conquireret maculam honori & nomini suo: quia culpæ patris vindicem filium esse nulla divinæ legis constituit sanctio. At ille tam pulchrè, immo miserrimè institutus ad malitiam, quasi abominabile & execrabile scelus cœpit detestari. Et procidens ipse ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari. In reliquum, ut miles domino, ut patri filius, cum fide & veritate per omnia se mihi obauditurum promisit cum lachrymis, si modo sedi Apostolicæ vellem reconciliari. Quod cum promptissime annuissem, & deliberationi suæ & consilio principum hoc tantum me mancipandum promisissem, in præsenti Nativitate se producturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quam fidelius posset se acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum promisit in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcepit deus diligi. Hac promissione, quæ & Gentili observanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præcesserat. Et ecce quidam fideles me verissime affirmabant deceptum & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Revocatus autem filius meus, & iterum à me instantissimè admonitus, sub ejusdem fidei & sacramenti obtestatione animam suam pro anima mea fore promisit secunda vice. Cum ego ad locum qui Binga vocatur, pervenissem, jam existente die Veneris ante Nativitatem, numerus armorum suorum jam satis augebatur, jam fraus ipsa de se detegebatur: & filius ad me, Pater (inquit) vobis secedendum est in vicinum castellum: quia Moguntinus episcopus in suam civitatem non admittet vos, quamdiu in Banno eritis. Nec vos impacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis vestris. Illic Nativitatem cum honore & pace agatis, quoscunque placuerit vobis vobiscum habeatis: ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis utrisq; laborabo: quia causam vestram meam existimo esse. At ego,mi (inquam) fili, judex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie deus: quomodo te in virum & hæredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inservierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeam, solus conscius est. Ille autem tertiò sub ejusdem fidei & sacramenti attestatione si ingrueret occasio periculi, caput suum pro meo capite fore, mihi promisit. Sic postquam clausit me in eodem castello, quo omnia animo & corde erat loquutus, manifeste rei ostendit eventus. Ex omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit. Custodes deputati, qui vitæ meæ erant atrociores inimici. Benedictus per omnia deus, exaltandi & humiliandi quæ voluerit, Rex potentissimus. Cum ergo ipso sacratissimo die Nativitatis suæ omnibus redemptis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam ut taceam opprobria, injurias, minas, gladios in cervicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem, famem & sitim quam perferebam, etiam ab illis quos injuria erat videre & audire: ut etiam taceam quod est gravius me olim satis felicem fuisse, illud nunquam obliviscar, illud nunquam desinam omnibus Christianis conqueri, quod illis sanctissimis diebus, sine omni Christiana communione in carcere illo fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus, à filio meo missus venit ad me quidam princeps, Wichbertus, dicens, Nullum vitæ meæ esse consilium, nisi ulla sine contradictione omnia regni insignia redderem ex voluntate & imperio principum. At ego etsi omnis terra quantum inhabitatur, mei regni terminus esset, nollem regno vitam committere: quia vellem nollem, sic agendum, & sic definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam, gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis, meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quasi me eo abducturus, sub multa frequentia armorum suorum me adductum, ad villam quæ dicitur Engeltzhaim, fecit me ad se adduci, ubi maximam inimicorum multitudinem collectam inveni,nec ipsum filium cæteris mihi meliorem reperi. Et quia firmius & stabilius videbatur eis esse, si propria manu cogerent me regnum & omnia regalia exfestucare, simili modo & ipsi omnes minabantur mihi, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consilium fieri posse.

Tunc

Confluentia.

Henricus pater procidit ad pedes filii.

Binga.

Promittit incolumitatem patri filius.

Tunc ego inquam, quia de sola vita mea agitur, qua nihil pretiosius habeo, ut saltem vivens pœnitentiam exhibeam Deo, quicquid imperatis, faciam. Cumque inquirerem, si saltem sic de vita mea certus essem, Apostolicæ sedis legatus, qui ibidem aderat (non dico qui omnia hæc audiverat) respondit, me nullo modo eripi posse, nisi publice confiterer injustè Hildebrandum persequutum esse, Wichbertum injuste ei supposuisse, & injustam persequutionem in Apostolicam sedem & omnem ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cum magna contritione animi prostratus, cœpi per deum, per ipsam conscientiam orare, ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præsentia omnium principum, cum innocens essem, vellem ex judicio omnium me expurgare, & in quo culpabilem me recognoscerem, ex consilio omnium sanioris sententiæ pœnitentiam & satisfactionem quo ordine juberent quærere, & in principibus regni de fidelibus nostris quoscunque obsides vellent, dare. At idem Legatus locum & diem mihi abnegavit, dicens, Aut ibi totum debere determinari, aut nulla spes mihi esset evadendi. In tanto tribulationis articulo cum interrogarem, si confiterer omnia quæ imperabantur, An confessio mea (ut justum est) veniam & absolutionem consequeretur? Idem Legatus dixit, non esse juris sui me absolvere. Et cum ego ad hoc dicerem, Quicunque confitentem audet recipere, confessum debet absolvere, Si vellem (inquit) absolvi, Romam irem, satisfacere Apostolicæ sedi. Sic desolatum & spoliatum (nam & castella & patrimonia & quicquid in regno conquisieram, eadem vi & arte sua extorserant à me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cum aliquo tempore commoratus essem, & filius meus ex eodem fraudis suæ consilio, demandasset, ut ibidem eum expectarem, superveniens quorundam fidelium meorum legatio, præmonuit, ut siquidem ad monitum ibidem remanerem, aut in perpetuam raperer captivitatem, aut in eodem decollarer. Quo nuncio satis tunc vitæ meæ diffisus, illico aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni. In quibus locis fideles viros, & in fide regni constantes semper inveni. Horum, cæterorumque regni fidelium consilio usus, vobis fiducialius & honestius habeo deplorare has omnes meas miserias: fiducialius quidem, propter mutuæ consanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum: honestius autem, propter tanti regni nomen gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac injuriis, propinquo & amico consulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula, etsi inter nos non essent, vestrâ tamen & omnium regum terræ interesset, injuriam & contemptum meum vindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terræ extirpare.

Legatus Romanus.

Superba responsio Legati Romani.

HENRICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM
Imperator Augustus, Henrico filio suo.

SI eâ nos debita affectione tractasses, qua deberes, lubentissime tecum loqueremur, & paterna tibi mandaremus: Verum quia longe alius quàm paternæ affectionis & humanitatis, circa nos animus tibi fuit, nequivimus aliter tecum loqui, vel aliud mandare, quàm quod ipsa rei manifestissimæ veritas habet. Tu enim ipse scis, sicut ipse publico experimento facti tibi conscius es, qualiter data fide & securitate personæ & honoris nostri, omni affectione devotionis promisisti nos ducere Moguntiam, coram principibus, & inde nos securissimè reducere quocunque vellemus. Hac fiducia cum tecum amanter & indubitanter ascenderemus, contra datam fidem apud Bingam nos cepisti: ubi nec paternæ lachrymæ, nec patris mœror, nec tristitia qua ad pedes tuos aliorumque provolvebamur te movit ad misericordiam, quin nos caperes & captum mortalibus inimicis illudendum & custodiendum traderes. Ubi multimodo genere contumeliæ & terroris afflicti, compulsi sumus fermè venire usque ad ipsum mortis articulum. Ante captivitatem abstulisti nobis episcopatus, & quicquid de honore regni potuisti, & prædia nostra & ipsam familiam: in captivitate vero quicquid residuum erat, & lanceam, & crucem, & omnia regalia insignia vi & timore mortis (ut ipse bene scis, & omni fermè notum est Christianitati) à nobis extorsisti, relicta vix ipsa vita. Cum hoc tibi non de nobis sufficeret, postea semper ubicunq; fuimus, modis omnibus quibus potuisti, nos persequi non cessâsti, ut vel perderes, vel de regno expelleres. Verum nos satis mirari non possumus, qua ratione vel occasione hoc tam obstinate facias, cum de domino Papa & Romana Ecclesia nulla tibi residua sit occasio. Nos enim nuncio domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ, te præsente, obedire parati fuimus & sumus, omnem debitam obedientiam & reverentiam ei coram & semper exhibere, & consilio principum, & spiritualis patris nostri Henrici Clunia-

Cluniacensis abbatis, aliorumque religiosorum virorum & de statu ecclesiæ & honore regni libentissime agere. Te ergo rogamus, pro honore regni & tuo, & paternâ devotione, & per authoritatem Romani Pontificis & Romanæ Ecclesiæ, ut de injuria nobis illata, & de his, quæ nobis vi & injustè abstulisti, justitiam facias. Rogamus etiam, ut cum nil rationis tibi sit, quare nos persequaris, nos & fideles nostros cesses infestare. Immo permittas nos pacifice & quiete vivere, ut integre & cum tranquillitate possimus omnia supradicta agere. Recognosce etiam, & tecum cogita, quia deus justus judex est, cui commisimus causam nostram & vindictam, cujus etiam judicia sunt occulta, velut abyssus multa: Quoniam quantumcunque super afflictionem & infortunia gloriaris, & super humilitatem te extollas, forsitan de sede sancta sua inter me & te gratuita misericordia aliud jam definivit, intercedente justitia, quàm tuipse cogites vel disponas. Quod si nulla alia, vel reverentia, vel intercessio nobis valet, opto, ut justitiam consequi possimus, vel ut tuæ persequutionis impetus cesset. Ad hoc idem Romanum Pontificem, sanctam & universalem sedem Romanam ecclesiam appellamus.

HENRICUS, DEI GRATIA, ROMANORUM

Imperator Augustus, Archiepiscopis, & cæteris Saxoniæ principibus, ac etiam reliquo populo gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

Conquerimur Deo omnipotenti, & dominæ meæ sanctæ Mariæ, & beato Petro principi Apostolorum, patrono nostro, & vobis principibus omnibus, quia injuste, & inhumane, & crudeliter, in illa confisi fide, quæ dubitare non debuimus, tractati sumus; & tam honore regni, quàm prædiis omnibus, quæ habebamus, contra divinum & humanum jus, ad infamiam & vituperium regni, ita expoliati sumus, ut nihil penitùs præter vitam nobis relictum sit. Ubi cum ferme omnes essetis, magna pars vestrûm visa est dolore contristari: sed proh dolor! nihil nobis vestra contulit tristitia, quin in nobis sibi satisfaceret voluntas inimicorum odiosa. Et quia cum consilio & rogatu filii nostri, fide & securitate vitæ & honoris, primum ab eo acceptâ, fiducialiter & desideranter Moguntiam in præsentia Legati Romani & principum tenderamus, ut eorum dispositione ageremus, tam de statu Ecclesiæ & honore Regni, quàm de salute animæ nostræ, ipse non est veritus in hac voluntate & obedientia, nos contra datam fidem capere, & usque ad articulum mortis ferme ducere, non ausi sumus ita nos illi credere, ut injuria & contumeliis nos pro voluntate sua, sicut prius, valeat tractare. Quapropter multum vos rogamus, & obnixe precamur, ut pro timore Dei & honore regni & honestate vestra dignemini studere quo modo de injuria in manibus vestris nobis illata, per vos possimus recuperare justitiam. Nos autem pro consilio vestro, & aliorum (qui nos odio non habent) religiosorum virorum parati sumus, tam de filio nostro (si in aliquo eum offendimus) quàm alicui in regno libenter rationem dare. Præterea, sicut domino Papæ in præsentia Legati sui, & vestra, obedire parati fuimus: ita & nunc parati sumus, ei omnem debitam reverentiam, & obedientiam sincero corde & devotione præsentialiter exhibere: & tam consilio vestro, quàm spiritualis patris nostri Henrici Cluniacensis Abbatis, aliorumq; religiosorum, de statu Ecclesiæ & honore regni, quantum in nobis est disponere. Cum ergo adhæc omnia parati simus, rogamus vos, & obnixe precamur, quatenus pro Deo & honore regni & vestro instanter moneatis filium nostrum, cum nulla ei secundum præfatam sententiam adversum nos residua sit occasio, amodo desistat nos & fideles nostros persequi, & pacifice & quiete vivere permittat, ut supradicta integre & cum tranquillitate perficiantur. Quod si noluerit, rogamus vos per authoritatem Romanæ Ecclesiæ, cui nos committimus & honorem regni, ne super nos & fideles nostros veniatis: quia manifestum est non eum divinæ legis zelo vel Romanæ Ecclesiæ dilectione, sed concupiscentia regni, patre injuste eo privato, hoc incepisse. Apud quem si interpellatio vestra, nullaque alia interventio ad præsens prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem, & sanctam universalem Romanam sedem & Ecclesiam.

Legatus Romanus.

HENRICUS,

HENRICUS, DEI GRATIA, IMPERATOR Romanorum Augustus, archiepiscopis, episcopis, ducibus, comitibus, cæterisq; regni principibus, gratiam & dilectionem dignantibus ea recipere.

ROgamus filium nostrum, & vos multum precati sumus ut dimisso exercitu, ordinaretur, quomodo possemus convenire, ut de injuria nostra, & pace componenda ad honorem regni posset digne & decenter definiri. Placuit vobis remandare. Unde nobis longe gravior priori oritur querimonia, quod dimissa obsidione Coloniæ, vultis super nos & fideles nostros, sub specie colloquii cum exercitu venire, datis induciis octo dierum, quæ nunquam datæ sunt homini alicujus conditionis (ut bene scitis) usque ad hanc diem, pro legitima definitione alicujus minoris negotii, nedum pro tanta re, secundum legem divinam vel humanam, vel etiam secundum usum hominum. Oportet enim nos habere (si vobis placeret) saltem tales inducias, intra quas possemus convocare, & precibus invitare ad hanc eandem causam, ut sint vobiscum, Moguntinum, & Trevirensem, & Bremensem archiepiscopos: Frisingensem, & Augustensem, Curiensem, Basiliensem episcopos: ducem magnum, cum duce Theoderico, & ducē Bohemicum, & comitē Flandrensem, cum comite Burgundiæ, & alios, qui ad præfatū negotium (ut bene scitis) sunt valde necessarii. Quapropter, sicut prius, rogamus, & obnixe precamur, quatenus pro Deo & anima vestra, & pro appellatione domini Romani Pontificis Paschalis, & Romanæ ecclesiæ, & pro honore regni dignemini apud filium nostrum efficere, ut dimisso exercitu, cesset nos persequi, & ordinetur quomodo secure & absque omni ambiguitate possimus vos cum cæteris supradictis ad agendum de nostra injuria, & pace in regno componenda, quiete, & pacifice convenire. Quod si nullatenus cessare voluerit, proclamationem inde fecimus, & semper facimus & Deo, sanctæ Mariæ, & beato Petro patrono nostro, & omnibus sanctis, & omnibus Christianis, & vobis maxime, omni devotione precantes, ut dignemini cessare eum persequi ad persequutionem tantæ injuriæ, & vos eum imitari. Appellavimus, & tertio appellamus dominum Romanum Pontificem Paschalem, & sanctam & universalem sedem & Romanam ecclesiam. Quod si hoc tantum nobis & ad hoc, ut ipse cesset nos persequi, prodesse non poterit, committimus nos omnipotenti patri & filio sanctoque spiritui paracleto, & beatæ Mariæ perpetuæ virgini, & beato Petro & Paulo, & sancto Lamberto, omnibusque sanctis, ut divina miseratio, omniumque sanctorum intercessio humilitatem nostram respicere, nosque contra tantum tamque injuriosum imperium defendere dignetur. Amen.

Epistolarum Henrici Quarti Cæsaris Augusti Finis.

AD LECTOREM.

HEnrici quarti historiam nunc legisti, qui, licet non ex omni parte (quandoque enim bonus dormitat Homerus, id quod etiam & de Gregorio septimo, non indecenter dictum velim) beatus fuerit ac felix, omnia tamen boni consulenda sunt. Si mala ergo offenderis, ea velut pestem quandam fugies; sin autem bona, totis illa viribus omnique conatu amplexaberis. Nam in describendis historiis, neque sacrosanctæ sedi Apostolicæ, neque Cæsareæ majestati cæterisve principibus viris, in aliquo detrahitur. Verum ut hæc missa faciamus. Si de Henrico quarto multa legimus, non indecorum erit, si etiam & quid Carolus quartus pro eligendo Rege, sive Romanorum Imperatore constituerit, perpendere non dedignemur. Nam bullam hanc, sive diploma ipsum quod subsequitur, multi sæpe legere desiderarunt. Vale Lector.

Incipiunt

INCIPIUNT LEGES ET CONSTITUTIONES Imperiales, ſub Aurea Bulla Caroli quarti, Romanorum Impetatoris.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter. Amen.

CArolus quartus, divina favente clementia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, nam principes ejus facti ſunt ſocii furum, ob quod, dominus miſcuit in medio eorum ſpiritum vertiginis, ut palpent in meridie, ſicut in tenebris, & candelabra eorum movit de loco ſuo, ut cæci ſint & duces cæcorum, & qui ambulant in tenebris, offendunt, & cæci mente, ſcelera perpetrant, quæ in diviſione contingunt. Dic ſuperbia, quomodo in Lucifero regnaſſes, ſi diviſionem auxiliantem non habuiſſes? Dic Satan invide, quomodo Adam de Paradiſo ejeciſſes, niſi eum ob obedientiam dimiſiſſes? Dic luxuria, quomodo Trojanos deſtruxiſſes, niſi Helenam à viro diviſiſſes? Dic ira, quomodo Romanam Rempublicam deſtruxiſſes, niſi in diviſione Pompeium & Julium ſævientibus gladiis ad inteſtina prælia concitaſſes? Tu quidem Invidia, Chriſtianum Imperium à Deo ad inſtar ſanctæ & individuæ Trinitatis, fide, ſpe, & charitate, virtutibus theologicis roboratum, cujus fundamentum ſuper Chriſtianiſſimo Regno feliciter ſtabilitur, antiquo veneno quod velut ſerpens, in palmites Imperiales & membra ejus propinquiora, impio ſcelere vomuiſti, ut concuſſis columnis totum ædificium ruinæ ſubjiceres, Diviſionem inter ſeptem electores ſacri Imperii, per quos (velut ſeptem candelabra lucentia in unitate ſpiritus ſeptiformis) ſacrum illuminari debet imperium, multotiens poſuiſti. Sane cum ex officio, quo Cæſarea dignitate potimur, futuris diviſionum & diſſenſionum periculis inter electores ipſos, de quorum numero (ut Rex Bohemiæ) eſſe dignoſcimur,ratione duplici, tam ex imperio, quam electionis jure quo fungimur,occurrere teneamur: infraſcriptas leges ad unitatem inter electores fovendam, & electionem unanimem inducendam, & deteſtandæ diviſioni prædictæ, variiſque periculis, ex ea ſequentibus aditum præcludendum, in ſolenni curia noſtra Nurenberch, aſſidentibus nobis omnibus principibus, electoribus eccleſiaſticis & ſecularibus, ac aliorum principum, comitum, baronum, procerum, nobilium & civitatum multitudine numeroſa, in ſolio majeſtatis Cæſareæ, imperialibus inſulis, inſigniis, & diademate decorati, matura deliberatione prævia de imperialis poteſtatis plenitudine, edidimus, ſtatuimus, & duximus ſanciendas, &c. Sub anno domini, milleſimo, trecenteſimo, quinquageſimo ſexto, indictione nona, quarto Idus Januarii, regnorum noſtrorum, Anno decimo, Imperii vero primo.

¶ Qualis debeat eſſe conductus electorum, & à quibus.

DEcernimus, & præſenti edicto imperiali perpetuo valituro ſancimus, ex certa ſcientia, & de imperialis plenitudine poteſtatis, ut quotieſcunque, & quandocunque futuris temporibus neceſſitas, ſive caſus electionis, regis Romanorum in Imperatorem promovendi, emerſerit, & principes electores ad electionem hujuſmodi, juxta antiquam laudabilem conſuetudinem habuerint proficiſci, unuſquiſque princeps elector, ſi & quando ſuper hoc fuerit requiſitus, quoſlibet principes co-electores ſuos, vel ipſorum nuncios, quos ad electionem ipſam tranſmiſerint per terras, territoria & loca ſua, & etiam ultra, ſicut longius poterit conducere, teneatur, & eis abſque dolo præſtare conductum verſus civitatem, in qua talis electio fuit celebranda, & ab illa etiam redeundo, ſub pœna perjurii ac perditionis, (pro illa duntaxat vice) ſuæ vocis, quam in electione hujuſmodi fuerit habiturus.

¶ Quas quidem pœnas,eos, vel eum, qui in præſtando memoratum conductum rebelles ſeu rebellem, negligentes ſeu negligentem, ſe præbuerint, eo ipſo decernimus incidiſſe.

¶ Statuimus inſuper, & mandamus univerſis aliis principibus, feuda à ſacro Imperio Romanorum tenentibus, quocunque nomine cenſeantur, ducibus, comitibus, baronibus, militibus,clientibus,nobilibus, & ignobilibus, & civibus,& * immunitatibus caſtrorum & civitatũ & locorum ſacri imperii univerſis,ut eodem tempore dum videlicet regis Romanorum in Imperatorem promovendi electio celebranda occurrerit, unumquemq; principem electorem ab ipſis, vel eorum aliquo conductum hujuſmodi poſtulantem, vel ejuſdem nuncios, quos ad electionem ipſam duxerit, ut præfertur, per territoria ſua, & aliis, quanto poſſint remotius

* Aliàs, communitatibus.

tius

tius absq; dolo, modo prædicto conducant. Si qui verò huic nostræ constitutioni contraire præsumpserint, suprascriptas ipso facto pœnas incurrant. Omnes quidem principes & comites, barones, milites, nobiles, & clientes, & universi nobiles contrarium facientes, reatum perjurii & privationis omniū feudorum quæ à sacro Romano imperio & à quibuscunque aliis obtinent, & etiam omnium professionum suarū à quocunq; habitarum, incurrant. Omnes quoq; cives & communitates, contra præmissa facere præsumentes, similiter sint perjuri: Et nihilominus universis suis juribus, libertatibus, privilegiis, & gratiis à sacro obtentis imperio sint omnino privati, Et cum personis & bonis suis omnibus, bannū & præscriptionem incurrant imperialem: Et eosdem quos ipso facto exnunc, prout extunc, omni jure privamus. Deinceps cuilibet hominum authoritate propriâ, & sine judicio seu invocatione magistratûs cujuslibet, impunè licebit eos invadere, nullâq; pœnā propter hoc invadēs ipsos debebit ab Imperio, aut quovis alio formidare: præsertim cum contra rempub. ac sacri statū ac dignitatē imperii, ac etiam contra honorē proprium & salutē, tantæ rei temerarii neglectores, tanquā rebelles, inobedientes, & perfidi, infideliter & perversè agere convincantur. Decernimus insuper & mandamus, ut omniū civitatū cives & communitates, jam dictis principibus Electoribus, & eorū cuilibet hoc poscenti, eorūq; nunciis, victualia in communi pretio atq; cursu pro suis, seu nunciorum prædictorū hominumq; suorū necessitatibus, dum ad prædictā civitatē causâ celebrandæ electionis prædictæ accesserint, & etiam dum discesserint ab eadē, vendere seu vendifacere teneantur: Nullā in præmissis fraudē quomodolibet adhibendo. Alioquin contrarium facientes, pœnas illas volumus ipso facto incurrere quas in præcedentibus, contra cives & communitates duximus promulgandas.

¶ Quisquis insuper ex principibus, comitibus, baronibus, militibus, clientibus, nobilibus, seu ignobilibus, civibus, communitatibus civitatū, principi electori ad electionē de rege Romanorū celebrandā eunti, vel ab ipsâ denuo redeunti hostiles custodias tendere, seu insidias parare præsumpserit, aut ipsos, vel eorū aliquē, in suâ, vel suorū personis, aut rebus invadere, vel turbare, seu ipsorū, vel alicujus eorū nuncios antedictos, sive conductū petierint, sive etiam non duxerint exigendū, hunc unà cū universis malitiæ complicibus, ipso facto supradictas pœnas decernimus incurrisse: ita videlicet, quòd quævis persona pœnā incidat sive pœnas, quas juxta præmissa pro qualitate personarū duximus infligendas.

¶ Si verò aliquis princeps elector cū aliquo suo co-electore inimicitias gereret, & inter eos quæcunq; contentio, controversia, seu dissensio verteretur, his nequaquam obstantibus, alter alterum vel alterius nuncios ad electionem hujusmodi destinandos, præmisso modo conducere sit astrictus, sub pœnâ perjurii, ac perditionis (eâ vice duntaxat) suæ vocis in electione, ut superius est expressum.

¶ Si qui verò alii principes, comites, barones, milites, clientes, nobiles ac ignobiles, cives, vel communitates civitatū, cum aliquo principe electore, vel pluribus ex eisdē adversam gereret voluntatē, seu quævis discordia inter ipsos ad invicē, vel guerra, vel dissensio verteretur, Nihilominus omni contradictione & dolo cessantibus, principi electori, vel principibus, seu ejus, vel ipsorum nunciis, ad electionem hujusmodi destinandis, & redeuntibus ab eadem, talem debeant præstare conductum, prout singuli pœnas jam dictas, per nos videlicet in se latas voluerint evitare, quas eos qui secus fecerint incurrisse decernimus eo ipso, &c.

¶ Ad præmissorum aut omnium firmitatem & certitudinem ampliorem, jubemus & volumus, ut universi Principes Electores, & cæteri Principes, necnon comites, barones, nobiles, civitates, seu ipsarum communitates præmissa omnia literis & juramentis suis firmare, & ad ea bonâ fide, ac sine dolo implenda efficaciter se debeant obligare. Quicunq; verò literas hujusmodi dare renuerit, pœnas illas ipso facto incidat, quas pro personarum conditione per præmissa duximus infligendas.

¶ Si quis autem Princeps Elector aliusve princeps cujuscunq; conditionis aut status, feudum vel feuda, à sacro tenens imperio, aut comes, baro vel nobilis, vel successores talium vel hæredes, supra & infra scriptas imperiales nostras constitutiones & leges adimplere noluerit, aut eis contraire præsūpserit, Si quidē talis princeps elector extiterit, extūc cæteri sui co-electores à suo ipsū deinceps excludant consortio, ipseq; voce electionis & aliorū principū electorū loco & dignitate careat atq; jure, nec investiatur de feudis, quæ à sacro imperio visus fuerit obtinere. Alius vero princeps aut vir nobilis (ut præfertur) in has nostras leges cōmittens, similiter non investiatur de feudis, quæ à sacro imperio, vel alias obtinet à quocūq;: Et nihilominus, omnes præmissas pœnas suā concernentes personā, incidat eo ipso. Quâvis autē universos Principes, Comites, Barones, nobiles, milites, clientes, civitates quoq; & communitates illarū, ad præstandū cuilibet principi electori, vel ejus nunciis præfatum conductum, ut prædicitur, indistinctè volumus, & decernimus obligari. Nihilominus eorum cuilibet singulares conductus & conductores, pro regionum & locorum adjacentia, cuilibet magis aptos

duximus designandos, ut statim per sequentia plenius apparebit.

¶ Primo namq; regem Bohemiæ, sacri imperii archipincernam, conducent archiepiscopus Moguntin. Bamburgen. & Herbipolen. episcopi, Burchgravius Nurenbergen. Item illi de Hohenloch, de Werthen, de Brunecke & de Hanave. Item civitates Nurenburgensis Rotenburgensis & Windeshem.

¶ Deinde archiepiscopum Colonien. sacri imperii per Italiam archicancellarium, conducent, & conducere tenebuntur Moguntinen. & Treveren. archiepiscopi, comes palatinus Rheni, Lantgravius Hassiæ. Item de Katzenellenboghen, de Nassove, de Dietz comites. Item de Isenburch, de Vesterburch, de Rumkel, de Lymburch, & Valkensteyn. Item civitates, Wetflaria, Geylenhusen, & Fredeberch.

¶ Item archiepiscopum Treveren. sacri imperii per Galliam & regnum Arelaten. archicancellarium, conducent archiepiscopus Moguntinen. comes palatinus Rheni. Item de Spanheym, de Veltentz, comites. Item Ryngraven, Wildegraven, de Nassove, de Isenburch, & de Vesterburch, & de Rumkel, de Lymburch, de Dietz, de Katzenellenboghen, de Eppensteyn, de Valkensteyn. Item civitas Moguntinen.

¶ Deinde comitem Palatinum Rheni, sacri imperii archidapiferum, conducere debebit archiepiscopus Moguntinen.

¶ Ducem vero Saxoniæ, sacri imperii archimarstallum, tenebuntur conducere, rex Bohemiæ, Moguntinus, & Madeburgen. archiepiscopus, &c. Item Bamburgen. & Herbipolen. episcopi: Marchio Misnen. Lantgravius Hassiæ. Item Fulden. & Herffelden. abbates Burchgravius, Nurenburch. Item illi de Hohenloch, de Werthen, de Brunecke, de Hanove, de Valkensteyn. Item civitates Erffordia, Mulenhusen, Nurenburch, Rotenburch & Wyndescheym.

¶ Et hi omnes, proximè nominati, Marchionem Brandenburgen. sacri imperii archicamerarium, similiter conducere tenebuntur.

¶ Volumus autē, & expresse statuimus, ut unusquisq; princeps elector, qui talē voluerit habere conductū, his à quibus ipsum postulare decreverit, hoc ipsum adeo tempestivè, viamq; qua fuerit transiturus, insinuet, & talē cōductū exposcat, ut illi, qui ad cōductū hujusmodi impēdēdū deputati, & taliter fuerint requisiti, ad hoc opportunè se valeant & cōmodè præparare.

¶ Præmissas vero constitutiōes circa materiā cōductus editas, ita sane debere declaramus intelligi, ut unusquisq; superius nominatus, vel forsitan nō expressus, à quo in casu præmisso, conductū requiri cōtigerit, & præstādū ipsū per suas dūtaxat terras & territoria, & etiā ultra quanto potest remotius, absq; dolo, sub pœnis contentis superius sit astrictus.

¶ Præterea statuimus, & etiā ordinamus, ut archiepiscopus Moguntinensis, qui fuerit pro tempore, singulis principibus coelectoribus suis ecclesiasticis & secularibus, electionem eandem, per suos nuncios patentibus debeat literis intimare, in quibus quidem literis talis dies & terminus exprimatur, infra quē eædem literæ, ad singulos eosdē principes, verisimiliter possint pervenire, hujusmodi vero literæ continebunt, ut à die in literis ipsis expressa infra tres menses continuos omnes & singuli principes electores, Franckfort super Moganum esse debeant, constituit, vel suos legales ad eundem terminū atq; locū nuncios destinare, cum plena & omnimoda potestate, suisq; patentibus literis, majori cujuslibet eorū sigillo signatis, ad eligendum Romanū regē, in Cæsarē promovēdum. Qualiter autem, & sub qua forma tales literæ confici debeant, & quæ in eis solennitas debeat immutabiliter observari, & in qua forma, & modo, principes electores nuncios suos, ad electionē hujusmodi destinandos, ad potestatem mandatū, seu procuratoria ordinare debuerint, ad finem præsentis libri conscriptum invenietur clarius & expressum. Et eandem formam illic traditam mandamus, & de imperialis potestatis plenitudine, usquequaque decernimus observari.

¶ Cum autem ad hoc perventum fuerit, quod de Imperatoris, vel regis Romanorum obitu, in diœcesi Moguntina constiterit, extunc infra unum mēsem, à die notitiæ obitûs hujusmodi continue numerandum, singulis principibus electoribus, obitum ipsum, & intimationem, de quibus præmittitur per archiepiscopū Moguntinen. jubemus & decernimus, suis patentibus literis declarari, quod si idem archiepiscopus in executione & intimatione hujusmodi negligens aut remissus fortasse existeret, extunc iidem principes motu proprio, etiā non vocati, pro fidei suæ virtute (qua sacrum prosequi tenentur imperium) post hoc infra tres menses, sicut in constitutione supra proxime positā continetur, in civitatem Franckfort sæpe dictam, veniant electuri regem Romanorum in Cæsarem promovendum.

¶ Debet autem unusquisque princeps elector, vel sui nuncii, dictam civitatem Franckfort, cum ducentis equitibus tantummodo præfatæ electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos, vel pauciores, secum introducere poterit, sed non plures.

¶ Princeps vero elector, ad electionē hujusmodi vocatus & requisitus, ad ipsam nō veniens vel

vel legales nuncios cum literis patentibus, sigillo suo majori sigillatis, plenamq; & liberã ac omnimodã potestatẽ continentibus, ad eligendũ Romanorũ regẽ, futurũ Imperatorem non dirigens, aut veniens, aut hujusmodi nuncios forte transmittens, si postea princeps ipse, aut prædicti nuncii, à prædicto electionis loco recederent, rege Romanorũ futuro Cæsare non electo, nec ad præmissa procuratore legitimo substituto solenniter & relicto, electionis voce, seu jure, quod in eadem electione habuit & tali modo deseruit, careat ea vice.

¶ Injungimus autem civibus de Franckfort,& mandamus, ut ipsi universos principes electores in genere, & quẽlibet eorũ in specie, ab invasione alterius, si quid inter eos adversitatis emergeret,& etiam ab omni homine, cũ omnibus eorũ hominibus, quos ipsi & eorum quilibet in præfato ducentorum equorum suorũ numero, ad præfatam duxerint civitatem, in virtute juramenti, quod super hoc ipsos ad sancta præstare statuimus Evangelia, fideli studio & solerti diligentia protegant & defendant. Alioquin perjurii reatum incurrant & nihilominus, omnia jura sua, libertates, privilegia, gratias & indulta, quæ à sacro obtinere noscuntur imperio, omnino amittant, bannũq; imperiale cum personis & bonis suis omnibus incidant eo ipso. Et liceat extunc omni homini authoritate propria, & sine judicio, cives eosdem, quos eo casu exnunc prout extunc omni jure privamus, tanquã proditores infideles & rebelles imperii, impunè invadere, ita quod invadentes hujusmodi, pœnã quamcunque à sacro imperio, vel quovis alio, nequaquam debeant formidare.

¶ Cives insuper antedicti de Franckfort per omne tempus illud,quo super electione prædicta tractari & agi contigerit, neminem in præfatam civitatem, cujuscunque dignitatis,conditionis vel status extiterit, intromittant, vel intrare quovis modo permittant, principibus electoribus,& eorum nunciis & procuratoribus antedictis duntaxat exceptis, quorũ quilibet cum ducentis equis debebit (ut prædicitur) intromitti. Si vero post ipsorum principum electorum introitum, seu in ipsorum præsentia, in præfata civitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum cives ipsi debebunt absque mora & cum effectu protinus ordinare, sub omnibus pœnis contra ipsos superius promulgatis, ac etiam in virtute juramenti, quod cives ipsi de Franckfort super eo virtute præsentis constitutionis præstare debebunt ad Evangelia, ut in præcedentibus est expressum.

¶ De electione Romanorum Regis.

POstquam autem sæpedicti electores seu nuncii civitatem Franckforden. ingressi fuerint, statim subsequenti diluculo in ecclesia sancti Bartholomæi apostoli, ibidẽ in omnium ipsorum præsentiã, missam de sancto spiritu faciant decantari ad finem, ut ipse sanctus spiritus corda ipsorũ illustret, & eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, quatenus ipsi suo fulti præsidio, hominem justum, bonum & utilem eligere valeant in regem Romanorum futurum Cæsarem, ac pro salute populi Christiani expedientem. Peractâ quoque missâ hujusmodi, omnes illi electores seu nuncii accedant ad altare in quo missa eadem extitit celebrata,ubi principes Electores ecclesiastici, coram Evangelio beati Johannis, In principio erat verbum, quod illic ante ipsos poni debebit,manus suas pectori cum reverentia superponant. Seculares vero principes electores dictum Evangelium corporaliter manibus suis tangant, qui omnes cum tota ipsorum familia, tunc ibi debebunt inermes assistere. Et Archiepiscopus Moguntinensis formam juramenti eis dabit, & unà cum ipsis, & ipsi vel absentium nuncii unà cum eo juramentum præstabunt vulgariter in hunc modum: Ego Archiepiscopus Moguntinen. sacri imperii per Germaniam archicancellarius ac princeps elector, juro ad hæc sancta dei Evangelia hic præsentialiter coram me posita, quod ego per fidem (quã ego deo & sacro Romano imperio sum astrictus) secundùm omnem discretionẽ & intellectum meum, cum dei adjutorio,eligere volo temporale caput populo Christiano, id est, regem Romanorũ in Cæsarem promovendũ, qui ad hoc existat idoneus, inquantum discretio & sensus mei me dirigunt, & secundùm fidem prædictam vocemq; meam, & votum seu electionem præfatam, dabo absq; omni pacto, stipendio, pretio vel promisso, seu quocunq; modo talia valeant appellari, sic me deus adjuvet & omnes sancti.

¶ Præstitò deniq; per electores seu nuncios in forma & modo prædictis hujusmodi juramento ad electionem procedant, nec amodo de jam dicta civitate Franckfort separentur, nisi prius major pars ipsorum temporale caput mundo elegerit, seu populo Christiano, regem videlicet Romanorum in Cæsarem promovendum. Quod si facere distulerint, infra triginta dies à die præsenti juramenti præfati continue numerandos, extunc transactis eisdem triginta diebus, amodo panem manducent & aquam, & nullatenus civitatem exeant antedictam, nisi prius per ipsos vel majorem partem ipsorum, Rector seu temporale caput fidelium electum præfuerit, ut præfertur.

¶ Postquã autẽ in eodẽ loco, ipsi vel pars eorũ major numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit,ac si foret ab ipsis omnibus,nemine discrepante,cõcorditer celebrata. Si vero per tempus aliquod abesse & tardare contingeret aliquem de electoribus seu

 nunciis

nunciis antedictis, dum tamen veniret antequã prædicta est electio celebrata, hunc ad electionem istã, in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa adventus sui tempore consistebat. Et quia de antiqua, approbata & laudabili consuetudine, tã inconcusse quã immutabiliter semper extitit hactenus observatũ; Ideoq; & nos constituimus, & de imperialis decernimus plenitudine potestatis, quod is, qui modo præmisso in regẽ Romanorũ fuerit electus, peracta statim electione hujusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis sive negotiis, virtute sacri imperii administret universis & singulis principibus electoribus ecclesiasticis & secularibus, qui propinquiora sacri imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorũ privilegia, literas, jura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, & etiã dignitates & quicquid ipsi ab imperio usq; ad diẽ electionis suæ obtinuerunt, possederunt absq; dilatione, & contradictione confirmare & approbare debeat per suas literas & sigilla, ipsisq; omnia præmissa innovare, postquã fuerit imperialibus insulis coronatus. Confirmationem autem hujusmodi, electus ipse cuilibet principi electori, in specie, primo suo nomine regali faciet: Et deinde, sub imperiali titulo innovabit, & in his ipsos principes omnes in genere, & quemlibet eorum in specie, nullatenus impedire, sed potius absque dolo, gratiose tenebitur promovere.

¶ In casu deniq; quo tres principes electores præsentes, seu absentium nuncii, quantum ex se, seu eorum consortio, videlicet principem electorem præsentem, vel absentem, in regem Romanorum eligerent, vocem illius electi, si præsens affuerit, aut nunciorum ipsius, si eum abesse contigerit, plenum vigorem habere, & elegentium augere numerum, partemque majorem decernimus constituere, ad instar cæterorum principum electorum.

¶ De sessione Treveren. Colonien. & Moguntinen. episcoporum.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis fæliciter. Amen. Carolus quartus, divina favente clementia Romanorum Imperator, semper augustus, & Bohemiæ rex, ad perpetuam rei memoriam. Decor & gloria sacrosancti Romani imperii, & honor Cæsareus, & reipublicæ grata compendia, venerabiliũ & illustriũ principũ electorum concordi voluntate foventur, qui velut columnæ proceres sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate sustentant, quorum præsidentia dextrã imperialis potentiæ roboratur. Et quanto mutui favoris ampliori benignitate stringuntur, tanto uberioris pacis & tranquillitatis commoda fæliciter perfluunt populo Christiano. Ut igitur inter venerabiles Moguntinen. Colonien. nec non Treveren. archiepiscopos, sacri imperii principes electores, omniũ litium & suspicionum, mala, quæ & de prioritate, seu dignitate sessionũ, in curiis imperialibus & regalibus, suboriri valeant in posterũ, perpetuis inantea temporibus amputentur, & ipsi in cordis & animarũ quieta conditione manentes, de opportunitatibus sacri imperii, concordi favore, & virtuosæ dilectionis studio convenientius meditari valeant, pro consolatione populi Christiani, habita deliberatione cũ omnibus principibus electoribus, tam ecclesiasticis quàm secularibus, & de ipsorum concilio, decernimus, & de imperialis potestatis plenitudine, hac edictali lege perpetuo valiturã sancimus, quod supradicti venerabiles archiepiscopi, Treveren. videlicet, ex opposito & lineari directione, versus Imperatoris faciẽ. Moguntinen. vero, in suis diœcesi & provincia, & extra provinciã suam, in toto cancellariatu suo Germanico, provincia Colonien. duntaxat exceptã: Et demum Colonien. in suis diœcesi & provincia, & extra provinciam suã, in tota Italia & Gallia, in dextro latere Romanorum Cæsaris sedere possint, valeant & debeant, in omnibus publicis actibus, imperialibus puta judiciis, collationibus feudorum, & refectionibus mensarum, & etiam in Conciliis, & in omnibus aliis agendis, propter quæ contingit, seu continget, eosdem pro honore seu utilitate imperiali tractandis, mutuo convenire, & hunc modum sessionis, sub omni eo ordine, sicut expressatur superius, ad prædictorum Colonien. Treveren. & Moguntinen. archiepiscoporum successores, perpetuo extendi volumus, ut nullo unquam tempore super his quævis dubietas generetur.

¶ De principibus electoribus in communi.

Alias, ex nunc.

STatuimus insuper, ut quotiescunq; imperialẽ curiã, extunc inantea, celebrari contigerit, in qualibet sessione, videlicet tam in consilio quã in curia, quàm in mensa & locis aliis quibuscunq; ubi Imperatorẽ, vel regẽ Romanorũ, cũ principibus electoribus sedere contigerit, à dextro latere Imperatoris vel regis Romanorum, immediatè post archiepiscopum Moguntinen. vel Colonien. illum videlicet quem tunc temporis, pro qualitate locorum & varietate provinciarum, juxta privilegii sui tenorẽ dicto lateri dextro Imperatoris assidere contigerit, rex Bohemiæ cum sit princeps coronatus & unctus, primum post eum continuò, comes palatinus Rheni, secundũ sedẽdi locũ debet obtinere, ad sinistrã vero partẽ, immediate post illũ, quẽ ex prædictis archiepiscopis in latere sinistro sedere contigerit, primũ locũ dux Saxoniæ, & post eũ marchio Brandeburgen. alterũ obtinebit. Cæterũ, quoties & quãdo deinceps sacrũ vacare contingeт imperiũ, extunc Moguntinen. archiepiscopus, potestatem

ſtatem habebit, ſicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur ab antiquo, cæteros principes antedictos ſuos, in dicta electione conſortes literatorie convocandi. Quibus omnibus, ſeu his, qui potuerint & voluerint intereſſe, in electionis terminis invicem congregatis, dictus archiepiſcopus Moguntinen. & non alter eorundem coelectorũ ſuorũ vota ſingulorũ habebit inquirere ordine ſubſequenti. Primo quidem interrogabit à Treveren. archiepiſcopo, cui primã vocẽ competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe. Secundo à Colonienſi archiepiſcopo, cui competit dignitas necnon officiũ, Romanorũ regi primũ diadema regium imponendi. Tertio à rege Bohemiæ, qui inter electores laicos ex regiæ dignitatis faſtigio, jure & merito obtinet primatum. Quarto à comite Palatino Rheni. Quinto à duce Saxoniæ. Sexto à Marchione Brandeburgen. Horũ omniũ vota, præmiſſo jam ordine, dictus archiepiſcopus Moguntinen. perquiret, quo facto, dicti principes ſui conſortes, ipſum viceverſa, ut & ipſe intentionem ſuam exprimat, & ipſis aperiat votum ſuum.

¶ Præterea in celebratione imperialis curiæ, Marchio Brandeburgen. aquã lavandis Imperatoris vel regis Romanorũ manibus miniſtrabit. Primũ vero potum rex Bohemiæ: quem tamen ſub corona regali, juxta privilegiorũ regni ſui continentiam, niſi libera voluntate voluerit, non tenebitur miniſtrare: Comes etiam Palatinus Rheni cibum afferre tenebitur: Dux Saxoniæ mariſcalcatus officiũ exercebit, ut ſolitum eſt fieri ab antiquo.

¶ De jure Comitis Palatini, & etiam ducis Saxoniæ.

QUoties inſuper (ut præmittitur) ſacrum vacare continget imperiũ, illuſtris comes Palatinus Rheni, ſacri imperii archidapifer, ad manus futuri regis Romanorum in partibus Rheni & Sweviæ, & in jure Franconico, ratione principatus ſeu comitatus Palatini, privilegio debet eſſe proviſor ipſius Imperii, cum poteſtate judicia exercendi, & ad beneficia eccleſiaſtica præſentandi, recolligendi redditus & proventus, & inveſtiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine ſacri imperii recipiendi, quæ tamen regem Romanorum poſtea electum ſuo tempore, omnia innovari & de novo ſibi ipſa juramenta præſtari debebunt, feudis principum duntaxat exceptis, & illis quæ **van lehen** vulgariter appellantur, quorum inveſtituram & collationem ſoli Imperatori vel regi Romanorum ſpecialiter reſervamus. Ipſe tamen Comes Palatinus, omne genus alienationis ſeu obligationis rerum imperialium, hujuſmodi proviſionis tempore, expreſsè noverit ſibi interdictum. Et eodem jure proviſionis illuſtrem Ducem Saxoniæ ſacri imperii archimariſcalcum frui volumus, in illis locis ubi Saxonica jura ſervantur, ſub omnibus modis & conditionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum.

¶ Et quamvis Imperator ſive rex Romanorũ, ſuper cauſis, pro quibus impetitus fuerit, habeat (ſicut ex cõſuetudine introductum dicitur) coram comite Palatino Rheni, ſacri imperii archidapifero electore principe reſpondere, illud tamen judicium comes ipſe Palatinus, non alibi præterquam in imperiali curia, ubi Imperator ſeu Romanorum rex præſens extiterit, poterit exercere.

¶ De comparatione principũ electorum ad alios principes communes.

DEcernimus ut in celebratione imperialis curiæ, quotieſcunq; illam deinceps perpetuò celebrari contigerit, antedicti principes electores eccleſiaſtici & ſeculares, juxta præſcriptum ordinem atq; modum à dextris & ſiniſtris immutabiliter teneant loca ſua, eiſque vel eorum alicui in quibuſcunq; actibus ad curiam ipſam ſpectantibus, eundo, ſedendo, vel ſtando, nullus princeps alius, cujuſcunq; ſtatus, dignitatis, præeminentiæ vel conditionis exiſtat, ullatenus præferatur, eo ſignanter expreſſe, quod nominatim rex Bohemiæ in celebratione curiarũ hujuſmodi, in omnibus & ſingulis actibus antedictis quẽcunq; regem alium, quacunq; etiam ſingulari dignitatis prærogativa fulgentem, quem quovis caſu ſeu cauſa venire vel adeſſe forte contingeret, immutabiliter antecedat.

¶ De ſucceſſione principum.

INter ſollicitudines illas innumeras, quibus pro fœlici ſtatu ſacri imperii, cum authore domino fœliciter præſidemus, cor noſtrum quotidie fatigatur, ad hoc præcipue meditatio noſtra dirigitur, qualiter deſiderata & ſalubris ſemper unio inter ſacri imperii principes electores, jugiter vigeat & eorum corda in ſinceræ charitatis concordiâ conſerventur. Quorum providentia ſuo tempore orbi fluctuanti tanto celerius, tanto facilius ſubvenitur, quanto inter eos nullus error ſurrepſerit, & purior fuerit charitas cuſtodita, obſcuritate ſuccisa, & jure cujuſlibet dilucidè declarato. Sane generaliter longe lateq; eſt publicũ & quaſi per totum orbem notorium & manifeſtum illuſtres regem Bohemiæ, necnon comitem Palatinũ Rheni, ducẽ Saxoniæ, & marchionem Brandeburgen. virtute regni & principatuum ſuorum, in electione regis Romanorum, in Cæſarem promovendi, cum cæteris principibus eccleſiaſticis ſuis coelectoribus jus, vocem & locum habere, & unà cum ipſis cenſeri & eſſe veros & legitimos ſacri imperii principes electores, ne inter eorundem principum ſecularium electorum filios ſuper jure, voce & poteſtate præfata, futuris temporibus ſcandalorum

& dissensionum possit materia suscitari,& sic bonum commune periculosis dilationibus impediri futuris,authore deo,cupientes periculis salubriter obviare. Statuimus,& imperiali authoritate,præsenti lege, perpetuis temporibus valitura decernimus, ut postquā iidem principes electores seculares,& eorū quilibet esse desierit,jus,vox & potestas electionis hujusmodi, ad filiū suū primogenitum, legitimum laicum, illo vero non extante, ad ejusdē primogeniti, primogenitum, similiter laicum libere, & sine contradictione cujuspiam devolvatur. Si vero primogenitus hujusmodi, absq; hæredibus masculis legitimis laicis, ab hac luce migraret, virtute præsentis imperialis edicti, jus, vox & potestas electionis prædictæ, ad seniorē fratrē laicum, per verā paternalē lineā descendentē. Et deinceps ad illius primogenitū laicū devolvatur, & talis successio in primogenitis & hæredibus principum eorundē jure, voce & potestate præmissis,perpetuis temporibus observetur, ea tamen conditione & modo, ut si principem electorē seu ejus primogenitū, aut filiū seniorē laicū mori, & hæredes masculos, & legitimos laicos, defectū ætatis patiētes,relinquere cōtigerit, tūc frater senior ejusdē primogeniti, tutor eorū & administrator existat, donec senior ad ejus legitimā ætatē attigerit,quā in principe electore 18 annos cōpletos, cēseri volumus & statuimus perpetuo haberi, quam dum attigerit, jus, vocē & potestatē, & omnia ab ipsis dependētia Tutor ipse sibi totaliter cū officio teneatur protinus assignare. Si vero aliquē ex hujusmodi principatibus eorū, imperio sacro vacare contigerit,tūc Imperator seu rex Romanorū,qui pro tēpore fuerit, de ipso providere debebit & poterit tanquam de re ad se, & imperiū legitime devoluta, salvis semper privilegiis, juribus & consuetudinibus regni nostri Bohemiæ super electione regis in casu vacationis, per regnicolas, qui jus habent eligendi regem Bohemiæ, faciendi juxta continentiam eorundem privilegiorum, & observatam consuetudinem diuturnam, à divis Romanorum imperatoribus, sive regibus obtentorum, quibus ex hujusmodi sanctione imperiali in nullo præjudicare volumus, imo ipsa decernimus, nunc & perpetuis futuris temporibus, in omni suo tenore & forma, indubiam tenere roboris firmitatem.

¶ De regis Bohemiæ & regnicularum ejus immunitate.

CUM per duos Romanorū Imperatores, & reges prædecessores nostros illustribus Bohemiæ regibus, progenitoribus & prædecessoribus nostris, necnon Bohemiæ regno, ejusdem regni coronæ olim concessum fuerit gratiosius & indultum, sitq; in regno eodem à tempore, cujus contrarii hodie non existit memoria, consuetudine laudabili inconvulsè servata diuturnitate temporum, & præscripta moribus utentium sine contradictionis aut interruptionis obstaculo introductum,quod nullus princeps, baro, nobilis, miles,cliens, burgensis, civis, nulla denique persona ejusdem regni, & pertinentiarum ejusdem ubicunq; existentiū, cujuscunque status, dignitatis, præeminentiæ, vel dignitatis conditionis existat, ad cujuscunque actoris instantiam, extra regnum ipsum ad quodcunque tribunal, seu alterius præterquàm regis Bohemiæ, & judicium regalis curiæ, sive judicum citare poterit, sive trahi nec vocari debeat, perpetuis inantea temporibus, sive possit. Ideo privilegium, consuetudinem, & indultum hujusmodi authoritate imperiali, & de imperialis potestatis plenitudine, ex certa scientia innovantes, & etiam confirmantes, ac præsenti nostra constitutione imperiali perpetuis temporibus valitura statuimus, ut si contra privilegium, consuetudinem, vel indultum præfatum, quispiam prædictorum, puta princeps, baro, nobilis, miles, cliens, civis, burgensis, seu rusticus aut alia quæcunque persona præmissa, ad quodcunque tribunal, extra regnum prædictum Bohemiæ in quacunque causa criminali, civili vel mixta, seu super quocunque negotio citatus fuerit, quocunque tempore vel citatus comparere, vel in judicio respondere,minime teneatur, & quod si adversus hujusmodi non cōparentes,vel non comparentē à quocunq; judice cujuscunq; authoritatis existat, extra regnū ipsū Bohemiæ constituto, judicialiter procedi, processus fieri, seu sententias interlocutorias vel diffinitivas, unam vel plures in quibuscunque prænominatis causis, seu negotiis quovis modo promulgari, & ferri contingeret,authoritate præmissa, de plenitudine insuper antedictæ imperatoriæ potestatis citationes,præcepta,processus &sententias hujusmodi, necnon executiones, & omnia quæ ex eis vel aliquo eorum quomodolibet sequi attentari possent vel fieri, irritamus penitus & cassamus. Adjicientes expresso & edicto imperiali perpetuo valituro, eadem authoritate, & de præmissæ potestatis plenitudine decernentes, ut quemadmodum in prædicto regno Bohemiæ à tempore (cujus contrarii non habetur memoria) jugiter observatum existit, ita nulli prorsus principi, Baroni, nobili, militi, clienti, civi, burgen. seu rustico, nulli demum personæ, seu incolæ regni Bohemiæ sæpedicti cujuscunque status, præeminentiæ, dignitatis vel conditionis existat, vel extiterit, à quibuscunque processibus, sententiis, interlocutoriis, vel diffinitivis, sive præceptis regis Bohemiæ, aut quorumlibet suorum judicum, necnon executionibus eorundem, contra se in regali judicio, seu coram regis, regni seu prædictorum judicum tribunalibus, aut locis habitis, vel ferendis inantea, seu fiendis ad quodcunque aliud judicium appellare, provocationes hujusmodi, si quas contra hoc interponi

terponi contigerit, eo ipso, viribus non subsistant & appellantes ipsi, pœnam perditionis causarum ipso facto se noverint incurrisse.

¶ De auri, argenti, & aliarum specierum mineris.

PRæsenti constitutione in perpetuum valitura statuimus, et de certa scientia declaramus, quod successores nostri Bohemiæ reges, necnon universi & singuli principes electores ecclesiastici & seculares, qui perpetuo fuerint, universas auri & argenti fodinas atq; mineras, stanni, cupri, ferri, plumbi, & alterius cujuscunque generis metalli ac etiam salis, tam inventas quàm inveniendas in posterum, quibuscunq; temporibus in regno prædicto, ac terris, & pertinentiis eidem regno subjectis, necnon supradicti principes, in principatibus, terris, dominiis, & pertinentiis suis, tenere juste possint, & legitime possidere cum omnibus juribus, nullo prorsus excepto, prout possunt, seu consueverunt talia possideri; necnon Judæos habere, telonia, in præterito statuta & indulta percipere. Quodq; progenitores nostri, reges Bohemiæ ferme ipsique principes electores ac progenitores, & prædecessores eorum legitime potuerunt, usque in præsens, sicut hoc antiqua, laudabili & approbata consuetudine, diuturnique ac longissimi temporis cursu præscripto noscitur observatum.

¶ De monetis.

STatuimus præterea, ut regi Bohemiæ successori nostro qui fuerit pro tempore, sicut constat ab antiquo, illustribus Bohemiæ regibus, nostris prædecessoribus licuisse & in possessione pacifica, continua ipsos fuisse juris subsequentis, videlicet monetas, auri & argenti, in omni loco & parte regni sui & subjectarum sibi terrarum, & pertinentiarum omnium, ubi rex ipse decreverit sibi quæ placuerit cudi, facere & mandare sub omni modo & forma in regno ipso Bohemiæ, in his ad hæc usque tempora observatis, quodque futuris perpetuo Bohemiæ regibus, hac nostra imperiali constitutione & gratia perpetuo valituris à quibuscunque principibus, magnatibus, comitibus, ac personis aliis quascunq; terras, castra, possessiones, prædia, sive bona liceat emere, comparare, seu in donum seu donationem, ex quacunq; causa, aut in obligationem recipere, sub talium terrarum, castrorum, possessionum, prædiorum, seu bonorum conditione consueta, ut videlicet propria recipiantur vel comparentur, ut propria, libera, velut libera, & ea quæ dependent in feudum, similiter emantur in feudum, seu comparata taliter teneantur, ita tamen quod ipsi reges Bohemiæ, de his qui hoc modo comparaverint vel receperint, & regno Bohemiæ duxerint applicanda, ad pristina & consueta jura, de talibus sacro explenda & reddenda imperio sint astricti. Præsentem nihilominus constitutionem & gratiam virtute præsentis legis nostræ imperialis ad universos principes electores, tam ecclesiasticos quàm seculares successores, & legitimos hæredes ipsorum plene extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus, ut præfertur.

¶ De immunitate principum electorum.

STatuimus etiam, ut nulli comites, barones, nobiles, feudales, vasalli, castren. milites, clientes, cives, burgenses, nullæque personæ Moguntinen. Treveren. & Colonien. ecclesiis subjecti vel subjectæ cujuscunq; status, conditionis vel dignitatis existant, ad cujuscunq; actoris instantiam, extra territorium, & terminos ac limites earundem ecclesiarum, & pertinentiarum suarum ad quodcunque aliud tribunal, seu cujuscunq; alterius, præterquàm archiepiscoporum, Moguntinensis, Treverensis & Coloniensis & judicium suorum judicum, citari poterunt, temporibus retroactis, vel trahi, seu vocari debeant, perpetuis inantea temporibus, sive possint, sive præteritis, invenimus temporibus observatum. Quod si contra præsens edictum nostrum prædictos ecclesiarum Treverensis, Moguntinensis, seu Coloniensis subditos, vel eorum aliquem, seu aliquos, ad cujuscunque instantiam, seu ad cujuscunque tribunal, pro quacunque causa criminali, civili vel mixta, seu quocunque negotio, extra territorum, limites seu terminos dictarum ecclesiarum, vel alicujus earum citari contingeret, comparere vel respondere minime teneantur, & citatio & processus & sententiæ interlocutoriæ, & diffinitivæ, contra non venientes à talibus judiciis extraneis latæ, vel factæ, fiendæ vel ferendæ, necnon præcepta, & præmissorum executiones, & omnia quæ ex eis, vel aliquo eorum quomodolibet sequi attentari possent, vel fieri, irrita decernimus eo ipso. Adjicientes expresse quod nulli comiti, baroni, nobili, feudali, vasallo, castren. militi, clienti, civi, rustico, nulli demum personæ ecclesiis hujusmodi subjectæ, seu ejus incolæ cujuscunq; status, dignitatis vel conditionis existant, à processibus, sententiis interlocutoriis, & diffinitivis sive præceptis Archiepiscoporum, & ecclesiarum hujusmodi, vel suorum officiatorum temporalium, aut executionibus eorundem contra se, in archiepiscopali seu officiatorum prædictorum judicio factis, aut latis, habitis, vel ferendis, inantea, seu fiendis ad quodcunque tribunal liceat appellare, quàmdiu in archiepiscoporum prædictorum, & suorum judicio querelantibus, non justitia denegata, appellationes contra hoc factas, non recipi statuimus, cassasque & irritas nunciamus. In defectum vero justitiæ, prædictis omnibus

bus ad imperialem duntaxat curiam, & tribunal, seu judicis immediatè in imperiali curiâ pro tempore præsidentis audientiam, & etiam eo casu non ad quemvis alium judicem, sive ordinarium, sive etiam delegatum, his quibus denegata fuerit justitia, liceat appellare. Quicquid vero contra præmissa factum fuerit, sit irritum, eo ipso, eandem constitutionem virtute præsentis legis nostræ imperialis, ad illustres comitem Palatinum Rheni, ducem Saxoniæ, & marchionem Brandeburgen. principes electores seculares, sive laicos hæredes successores, & subditos eorum, plenè extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus, ut præfertur.

¶ De Congregatione Principum.

INter illas multiplices Reipublicæ curas, quibus assiduè mens nostra distrahitur, multa consideratione necessarium fore prospexit nostra sublimitas, ut sacri imperii principes electores, ad tractandum de ipsius imperii, orbisq; salute, frequentius solito congregentur, qui solidæ bases imperii, & columnæ immobiles quemadmodum per longinquas ad invicem terrarum consistunt distantias, ita de incumbentibus regionum sibi cognitarum defectibus, referre simul & conferre noverunt sanisq; providentiæ suæ consiliis non ignorant, accommodis talium reformationibus salubriter opem dare: hinc est quod in solenni curia nostra, in Nurenberg cum venerabilibus ecclesiasticis, & illustribus secularibus, principibus electoribus, & multis aliis principibus, & proceribus per nostram celsitudinem celebratâ, habita cum eisdem principibus electoribus deliberatione, & de ipsorum consilio pro bono & salute communi, cum dictis principibus electoribus, tam ecclesiasticis quàm secularibus, duximus ordinandum, Quod iidem principes electores de cætero per singulos annos semel transactis à festo resurrectionis dominicæ quatuor septimanis continue numerandis, in aliqua civitatum sacri imperii personaliter congregentur, & idem tempus proxime affuturum seu anno præsenti, colloquium seu curia & congregatio hujusmodi in civitate nostra imperiali Meten. per nos & eosdem principes celebriter, ac tunc, & deinceps die quolibet congregationis hujusmodi, locus per nos quo sequenti anno conveniant, ipsorum consilio statuatur, hac nostra ordinatione, ad nostrum & ipsorum duntaxat beneplacitum duratura. Qua durante ipsos sub nostro imperiali conductu recipimus, ad dictam curiam accedendo, stando ac etiam recedendo. Præterea, ne tractatus communis salutis & pacis, per tractum, & moram solatii, seu excessivam frequentationem convivii, retardetur, ut aliquando fieri est consuetum, concordi voluntate duximus ordinandũ, ut deinceps curiâ, seu congregatione præfata durante, generales omnium principum celebrare alicui non liceat invitatas. Particulares vero quæ agendorum expeditionem non impediant, cum moderamine sint permissæ.

¶ Revocatoria Privilegiorum.

PRæterea statuimus, & hoc imperiali perpetuo sancimus edicto, quod universa privilegia & literæ quibuscunque personis, cujuscunque status, praeminentiæ, vel dignitatis existant, seu civitatum, oppidorum, & quorumlibet locorum universitatibus, super quibuscunque juribus, gratiis, immunitatibus, consuetudinibus, seu rebus aliis, etiam proprio motu, seu alias à nobis, vel recolendæ memoriæ divis Romanorum Imperatoribus, & regibus, prædecessoribus nostris, sub quibuscunque verborum tenoribus concessa & concessæ, seu à nobis vel successoribus nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus, futuris temporibus concedenda, seu etiam concedendæ, non debeant, aut possint libertatibus, jurisdictionibus, juribus, & honoribus, seu dominiis principum electorum sacri Imperii ecclesiasticorum & secularium, aut alicujus ipsorum in aliquo penitus derogare. Etiamsi in talibus privilegiis, & literis quarumlibet personarum cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, aut status extiterint, ut præfertur, seu universitatum hujusmodi expressarum sit, vel fuerit in futurum, quòd revocabilia, seu revocabiles esse non debeant, nisi de ipsis, & toto in eis comprehenso tenore, in tali revocatione fieret de verbo ad verbum, seriatim mentio specialis, hujusmodi namque privilegia & literas, si & in quantum libertatibus, jurisdictionibus, juribus, & honoribus, seu dominiis, quæ superius exprimuntur dictorum principum electorum, aut alicujus ipsorum derogare, vel obviare censentur, in aliquo, quoad hoc revocamus ex certa scientia, & cassamus, revocataq;, & revocatas intelligi, reputari, & haberi decernimus, de plenitudine imperatoriæ potestatis.

¶ De his, quibus ut indignis, auferuntur bona feudalia.

IN plerisque partibus, vasalli, & feudatarii dominorum feuda seu beneficia, quæ à dominis ipsis obtinent intempestive, verbaliter, & in fraude renunciant, seu resignant eadem, & facta resignatione hujusmodi, dominos ipsos malitiose diffidant, suasque inimicitias eis denunciant, damna ipsis subsequenter gravia inferendo, & beneficia, seu feuda

feuda, sic relicta prætextu guerræ, seu inimicitiæ iterũ invadunt & occupāt, & detinent occupata, eapropter præsenti constitutione in perpetuũ valitura sancimus, quod talis resignatio seu renunciatio haberi debeat pro non facta, nisi libere & realiter facta fuerit per eosdem, ita quod possessio beneficiorum & feudorum hujusmodi, dominis ipsis corporaliter & realiter assignetur, in tantũ, quod nullo unquam tempore diffidātes ipsi in bonis feudis seu beneficiis resignatis dominos ipsos perturbēt, per se vel alios, aut molestēt, nec ad hoc consiliũ præstēt auxiliũ vel favorē. Cōtrariũ faciens seu dominos ipsos in beneficiis, & feudis resignatis vel nō resignatis invadens, quomodolibet vel perturbans, vel damna ipsis inferens, seu cōsiliũ, auxiliũ præstās, talia faciētibus vel favorē, feuda & beneficia hujusmodi eo ipso amittat, infamis existat, & banno imperiali subjaceat, & nullus ad feuda vel beneficia hujusmodi pateat ei, de cætero quocũq; tempore, aditus vel regressus, nec de novo cōcedi sibi valeāt tullo modo, & facta eis contra hoc illorũ concessio, seu investitura sequuta viribus non subsistant. Postremo, omnes pœnas prædictas illos vel illum, qui prædicta resignatione non facta contra dominos suos fraudulentur agentes vel agens scienter eos invaserint vel invaserit, diffidatione quacunq; prævia, vel omissa, vigore præsentis sanctionis incurrere decernimus ipso facto.

¶ De conspirationibus.

DEtestandas præterea & sacris legibus reprobatas conspirationes & conventiculas seu colligationes illicitas, in civitatibus & extra, vel inter civitatē & civitatē, inter personā & personā, seu inter personā & civitatē, prætextu parentelæ, seu receptionis in cives vel alterius cujuscũq; coloris conjurationes, insuper confœderationes & pacta, necnon & consuetudinem citra hujusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, reprobamus, damnamus, & ex certa scientia irritamus, quas civitates seu personæ cujuscunq; dignitatis, seu conditionis, aut status, sive inter se, sive cum aliis absq; authoritate dominorum, quorũ subditi, vel ministeriales, seu in quorum districtu consistunt, eisdem dominis nominatim non exceptis, fecerint hactenus, & facere præsumpserint in futuro, sicut eas per sacras divorum augustorum prædecessorum nostrorum, leges prohibitas non ambigitur & cassatas, illis confœderationibus & legibus duntaxat exceptis, quas principes & civitates, ac alii super generali pace provinciarum atque terrarum inter se firmasse noscuntur. Illas enim nostræ declarationi specialiter reservatas, in suo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum personam singularem, quæ de cætero contra tenorem præsentis constitutionis nostræ, & legis antiquæ, super hoc editæ, confœderationes, colligationes, conspirationes & pacta hujusmodi inire præsumpserit, ultra pœnam legis ejusdem, notam infamiæ, & pœnam decem librarum auri; civitatem, vel universitatem in hanc legem nostram similiter committentem, centum librarum auri, necnon amissionis & privationis libertatum, & privilegiorum imperialium, pœnas incurrere decernimus, eo ipso medietatem pœnæ hujusmodi pecuniariæ fisco imperiali. Reliqua vero domino districtûs, in cujus præjudicium factæ fuerint, applicanda.

¶ De Psalburgeriis.

CÆterum, quia nonnulli cives & subditi principum, baronum, & aliorum hominum, sicut frequens ad nos querela perduxit, jugum originariæ subjectionis quærentes abjicere, imo ausu temerario contemnentes, in aliarum civitatum cives sæpe recipi se procurant, & frequentius in præterito procurarunt: Et nihilominus in priorum dominorum, quos tali fraude præsumpserunt vel præsumunt, deserere, terris, civitatibus, oppidis, & villis, corporaliter residerent, civitatum ad quas hoc modo se transferunt libertatibus gaudere, & ab eis defensari contendunt, qui in partibus Alman. Psalburgerii consueverunt vulgariter appellari. Quoniam igitur patrocinari non debent alicui, fraus & dolus, de imperatoriæ potestatis plenitudine, omnium principum electorum ecclesiasticorum & secularium sane accedente consilio, ex certa scientia statuimus & præsenti lege perpetuo valitura sancimus, quod prædicti cives & subditi eis, quibus subsunt, taliter illudentes in omnibus terris, locis, & provinciis sacri imperii à præsenti die imposterum, civitatum in quarum cives tali fraude recipi se procurant, vel hactenus procurarunt, juribus & libertatibus in nullo potiantur, nisi ad hujusmodi civitates corporaliter transeuntes, ibique larem foventes continuè, ac vere & non ficte, residentiam facientes debita onera & municipalia subeant in eisdem. Si qui vero contra præsentis nostræ legis tenorem recepti sint vel fuerint, in futurum illorum receptio omni careat firmitate, & recepti cujuscunque dignitatis, conditionis aut status existant, in nullo casu penitus sive causa civitatum, ad quas se recipi procurant, juribus aut libertatibus gaudeant quomodolibet, vel fruantur. Non obstantibus quibuscunque juribus, privilegiis, vel consuetudinibus observatis quantocunque tempore & obtentis. Quas, & quæ, in quantum præsenti nostræ legi obviant, præsentibus ex certa scientia revocamus, de prædictæ imperialis plenitudine potestatis, omnique carere decernimus robore firmitatis.

¶ Circa

¶ Circa præmissa omnia principum, dominorũ, & aliorum hominum, quos taliter deferi contingit, vel continget in posterum, juribus circa personas, & bona subditorum quorumcunq; ipsos supradicto modo deferentium semper salvis: hos nihilominus, qui sæpedictos cives, & subditos alienos recipere contra præsentis nostræ legis dispositionẽ præsumpserint, vel recipere in præterito præsumpserũt, si eos omnino non dimiserit infra mensem, post intimationẽ præsentiũ eis factã, centum marcas auri pro transgressione hujusmodi toties quoties deinceps factum fuerit, incurrere decernentes, quarum medietas imperiali fisco nostro, reliqua vero dominis illorum qui recepti fuerint, irremissibiliter applicetur.

¶ De Diffidationibus.

EOS qui de cætero adversus aliquos justam diffidationis causam se habere fingentes, ipsos in locis ubi domicilia non obtinent, aut ea communiter non inhabitant, intempestivè diffidant, declaramus damna quæcunq; per incendia, spolia, vel rapinas diffidatis ipsis cum honore suo inferre non posse. Et quia patrocinari non debent alicui fraus & dolus, præsenti constitutione in perpetuum valiturâ sancimus, diffidantes hujusmodi quibuscunq; dominis, aut personis cum quibus aliqui fuerint in societate, familiaritate, vel honesta quavis amicitia conversari, sic factas, vel fiendas in posterum, non valere, nec licere prætextu diffidationis cujuslibet, quempiam invadi per incendia, spolia, vel rapinas, nisi diffidatio per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter, vel in loco quo habitare consuevit, publicè fuerit intimata, possitq; de intimatione hujusmodi, per testes idoneos fieri plena fides. Quisquis secus quẽpiã diffidare, & invadere modo præmisso præsũpserit, infamiã eo ipso incurrat, ac si nulla diffidatio facta esset, quem etiam tanquã proditorẽ, per quoscunq; judices pœnis legalibus statuimus castigari. Prohibemus etiam & damnamus universas, & singulas guerras, & lites injustas, cuncta quoq; injusta incendia, spolia, & rapinas, indebita & inconsueta telonea, & conductus, & exactiones pro ipsis conductibus extorqueri consuetas, sub pœnis, quibus sacræ leges præmissæ & eorum quodlibet sanciunt punienda.

¶ Litera intimationis pro electione regis Romanorum fienda.

VObis illustri, & magnifico principi, N. marchioni Brandeburgen. sacri imperii archicamerario electori, & amico nostro charissimo. Electione Romanorum regis, quæ ex rationabilibus causis imminet, facienda, præsentibus intimamus, vosq; ex officii nostri debito, ad electionem præfatam rite vocamus, quoties â die tali, &c. infra tres menses continue numerandos, per vos, seu nuncios, aut procuratores vestros, unum vel plures, sufficiens mandatum habentes, ad locum debitum juxta formam sacrarum legum, super hoc editarum venire curetis, deliberaturi, tractaturi, & concordaturi, cum aliis co-principibus, & co-electoribus vestris, & nostris, de electione futuri regis Romanorum, in Imperatorem postmodum favente domino promovendi, in eodem mansuri usque ad plenam consummationem electionis hujusmodi, & aliàs facturi, & processuri, prout in sacris legibus, super hoc deliberatè editis invenitur expressum, aliàs non obstante vestrâ, seu vestrorum absentiâ in præmissis unà cum aliis co-principibus & co-electoribus vestris & nostris, prout legum ipsarum sanxerit authoritas, finaliter procedamus.

¶ Forma procuratorii mittendi per eum principem electorem, qui nuncios suos ad electionem faciendam duxerit destinandos.

NOS talis dei gratia, &c. sacri imperii, &c. notum facimus tenore præsentium universis, quod cum electio Romanorum regis ex rationabilibus causis imminet facienda, Nos de honore & sacri imperii solicitudine debita intendere cupientes, ne tam gravibus dispendiis periculose subjaceat, de fide & circumspectionis industria dilectorum nobis talis, &c. fidelium nostrorum obtinentes, ut præsumptionis indubiæ singularem fiduciam, ipsos & quemlibet ipsorum, in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod per unum eorum inceptum fuerit, per alium finiri valeat & licite terminari, omni jure, modo, & forma, quibus melius & efficacius possumus, seu valemus, nostros & veros legitimos procuratores, & nuncios speciales, facimus, constituimus, & ordinamus, ad tractandum ubilibet, unà cum aliis principibus & electoribus nostris, tam ecclesiasticis quàm secularibus, & cum ipsis concordandum, & conveniendum, & concludendum de persona quacunq; habili ac idonea in regem Romanorum eligendâ, ac ipsis tractatibus super electione talis personæ habendis, pro nobis loco, & nomine nostris interessendum, tractandum & deliberandum, necnon vice & nomine nostris eandem personam nominandum, & in ipsam consentiendum, ac etiam in regem Romanorum promovendum ad sacrum imperium eligendum, ac in animam nostram præstandum quodcunq; juramentum necessarium, debitum, seu consuetum fuerit circa præmissa, & quodlibet præmissorum, alium vel alios procuratores, in solidum substituendum & revocandum, & omnia alia & singula faciendum quæ in præmissis, & circa præmissa etiam usque ad consummationem tractatuum, nominationis, deliberationis, & electionis hujusmodi de præsenti faciendæ necessaria,

cessaria, aut utilia fuerint, seu etiam quomodolibet opportuna etiamsi præmissa, vel eorum quodlibet mandatum exigant speciale, etiamsi majora vel magis singularia fuerint supradictis, & quæ nosmetipsi facere possemus, si hujusmodi tractatuum, deliberationis, nominationis, & electionis futuræ negotiis præsentes, & personaliter adessemus, gratum & ratum habentes, & habere volentes, & nos perpetuò habituros firmiter promittentes, quicquid per antedictos procuratores, & nuncios nostros, necnon substitutos, aut substituendos ab ipsis, seu eorum altero in præmissis seu eorum quolibet actum, gestum, seu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

¶ De unione principatuum electorum, & jurium eis connexorum.

CUM universi & singuli principatus, quorũ virtute seculares principes electores, jus & vocem in electione regis Romanorũ in Cæsarem promovendi obtinere noscuntur, cum jure hujusmodi, necnon officiis, dignitatibus & juribus aliis, eis & cuilibet eorũ annexis, & dependentibus ab eisdem, adeo conjuncti & inseparabiliter sint uniti, quia jus, vox, officium ac dignitas, aliqua jura & quemlibet principatuum eorundem spectantia, cadere non possint in alium, præter illum, qui principatũ ipsum cum terra, vasallagiis, feudis & dominiis, ac ejus pertinentiis universis dignoscitur possidere, præsenti edicto imperiali perpetuò valituro sancimus, unũquẽq; principatuũ prædictorũ, cũ jure & voce electionis, ac officiis, cæterisq; omnibus dignitatibus, juribus & pertinentiis ad ipsum spectantibus ita perseverare, & esse debere, una cum perpetuis temporibus, indivisibiliter, & conjunctim, quod possessor principatus cujuslibet, etiã jure vocis, officii, dignitatis, & pertinentiarũ omniũ ad illũ spectãtiũ, quieta debeat & libera possessione gaudere, & princeps electus ab omnibus reputari, ipseq; & nemo alius per cæteros principes electores ad electionẽ & omnes actus alios, pro sacri imperii honore, vel opportunitate gerendos, omni tẽpore assumi sine contradictione qualibet, & admitti, nec aliquod præmissorũ ab altero, cum sint, & esse debeãt inseparabilia, dividi, vel ullo tempore debeat separari, aut in judicio, vel extra divisim repeti valeat, vel evinci, vel etiam per sententiã separari, nec aliquis unũ sine alio impetens audiatur, quod si per errorem vel aliàs auditus quis fuerit, aut processũ judiciũ, sententia, vel aliquod hujusmodi contra præsentẽ dispositionẽ nostrã emanaverit, seu quomodolibet attẽtare contigerit, hoc totum & omnia ex his, & quolibet eorum sequentia, eo ipso, viribus non subsistant.

¶ De ordine processionis inter archiepiscopos.

QUoniam autem superius in principio constitutionum nostrarum præsentium, circa ordinem sessionis ecclesiasticorum principum electorum, in Concilio & in mensa, & aliàs, quoties imperialẽ curiã celebrari, seu principes electores deinceps cũ Imperatore, vel rege Romanorũ cõgregari cõtigerit, sufficienter duximus providendum, super qua pristinis audivimus temporibus pluries disceptatum, expedire credimus, etiam processionis & deambulationis inter eos ordinem diffinire. Quapropter hoc perpetuo imperiali edicto decernimus, ut quotiescunq; in congregatione Imperatoris vel regis Romanorum, & principum prædictorum, Imperatore, vel rege ipso deambulante, insignia ante faciem ejus portari contigerit, archiepiscopus Treveren. in directa diametrali linea ante Imperatorem, vel regem transeat, illique soli medii inter eos ambulent, quos imperialia, vel regalia continget insignia deportare. Dum autem Imperator, vel rex, absque insigniis eisdem incesserit, extunc idem archiepiscopus Imperatorem, vel regem præfato modo præcedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus archiepiscopis electoribus, loca sua juxta distinctionem provinciarum suarum, circa sessionem superius declaratam, etiam circa processionem perpetuò servaturum.

¶ De ordine processionis principum electorum, & per quos insignia deportentur.

AD declarandum autem in Imperatoris, vel regis Romanorum deambulantis præsentia, processionis ordinẽ principũ electorũ (de quo supra fecimus mentionem) statuimus, ut quotiescumq; in celebratione imperialis curiæ principes electores cum Imperatore, seu rege Romanorum, in quibuscunq; actibus vel solennitatibus processionaliter ambulare contigerit, & imperialia, vel regalia debuerint insignia deportari, dux Saxoniæ imperialem, seu regalem ensem deferens, Imperatorem, seu regem immediate præcedat, & inter illum & archiepiscopum Treveren. medius habeatur. Comes vero palatinus pomum imperiale portans, à latere dextro, & marchio Brandenburgen. sceptrum deferens, à sinistro latere ipsius ducis Saxoniæ linealiter gradiantur. Rex autem Bohemiæ, Imperatorem, seu regem ipsum immediate, nullo interveniente, sequatur.

¶ De benedictionibus archiepiscoporum in præsentiâ Imperatoris.

QUoties insuper, in Imperatoris, vel regis Romani præsentiâ, missarum solennia celebrari, ac Moguntinen. Treveren. & Colonien. archiepiscopos, vel duos ex eis adesse contigerit in confessione, quæ ante missam dici consuevit, ac in porrectione evangelii osculandi, & pace post Agnus dei portandâ, necnon in benedictionibus, post finita missa-

ta missarum solennia,ac etiam ante mensam faciendis,& in gratiis post cibum acceptum agendis, is inter eos ordo servetur, prout de ipsorum Consilio duximus ordinandum, quod primâ die hæc omnia & singula à primo,secundâ die à secundo, Tertio verò die, à tertio peragantur: primum autem,seu secundum,vel tertium,hoc casu secundum quod prius, vel posterius quilibet eorum consecratus existit, debere intelligi declaramus: & ut se invicem honore condigno præveniant, & exemplum aliis præbeant invicem honorandi, is quem circa præmissa ordo tetigerit, ad hæc alterum convenienti & charitativâ inclinatione invitet, & tunc demum ad præmissa procedat seu quodlibet præmissorum.

¶ Si quis cum principibus, militibus, vel privatis, seu quibuscunq; personis plebeis, scelestam factionẽ, aut factionis ipsius inierit sacramentum vel dederit consiliũ in necẽ venerabilium & illustrium principum nostrorum & sacri Romani Imperii,tam ecclesiasticorum quàm secularium principum electorum, seu alterius eorundem, nam & ipsi pars corporis nostri sunt (eadem enim severitate voluntatem sceleris qua effectum puniri jura voluerunt) ipse quidem (utpote majestatis læsæ criminis reus) gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco nostro adjectis. Filii verò ejus, quibus vitam imperiali specialiter benignitate concedimus. (Paterno enim perire deberent supplicio,) in quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis metuuntur exempla, à maternâ, vel avitâ omnium etiam proximorum hæreditate & successione habeantur alieni. Ex testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuè egentes, & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullum unquam honorem, ad nulla prorsus sacramenta perveniant. Sint postremò tales ut his perpetuâ egestate sordentibus, sit & mors solatium & vita supplicium. Deniq; jubemus eos esse notatos sine venia, qui pro talibus unquam apud nos intervenire tentaverint. Ad filias sanè eorum, quolibet numero fuerint, Falcidiam tantùm ex bonis matris, sive testata sive intestata defecerit,volumus pervenire, ut habeant mediocrem potius filiæ alimoniam,quàm integrum emolumentum,ac nomine hæredis consequantur. Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexûs minus ausuras esse confidimus. Emancipationes quoq; quæ à prædictis, sive in filios post legem duntaxat latam, sive in filias fuerit collata. non valeant.

¶ Item Dotes, donationes quarumlibet, postremò item alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude, vel jure factas esse constiterit, quo primum memorati de ineundâ factione ac societate cogitaverint, nullius statuimus esse momenti. Uxores sane prædictorum recuperatâ dote, si in ea conditione fuerint, ut quæ à viris titulo donationis acceperint, seu accipiunt, filiis debeant reservare, tempore quo usuffructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ juxta legem filiis debebantur. Falcidia etiam ex his rebus, filiabus tantum, non etiam filiis deputetur. Id quod de prædictis eorumq; filiis cavimus, etiam de satellitibus consciis, ac ministris filiisq; eorum simili severitate censemus. Sanè, si quis ex his, in exordio initæ factionis, studio revelandi accensus, ipsam prodiderit factionem, & præmio à nobis & honore donabitur. Is verò qui usus fuerit factione, si vel serò, vel cum incognita adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolutione tamen ac veniâ dignus habebitur Statuimus insuper, ut si quid contra prædictos principes electores, ecclesiasticos vel seculares commissum dicatur, etiam post mortem rei, id crimen † insinuari posse. In hoc item crimine, quod ad læsam in principibus electoribus suis majestatem pertinet, etiam in caput domini, servi torquentur. Volumus insuper & præsenti imperiali sancimus edicto, ut etiam post mortem nocentium, hoc crimen inchoari possit, ut convicto mortuo memoria ejus damnetur, & bona ejus successoribus ejus eripiantur. Nam ex quo sceleratissimum quis ceperit consilium, exinde quodammodo suâ mente punitus est. Porro, ex quo quis tale crimen contraxit, neq; alienare, neq; manumittere eum posse, nec ei solvere jure debitorem decernimus. In hâc causâ in caput domini servos torqueri statuimus, id est, propter causam factionis damnandæ contra principes electores ecclesiasticos & seculares ut præmittitur: & si decesserit quis, propter incertam personam successoris bona serventur, si in causâ hujusmodi fuisse mortuus arguatur.

† Alias, instaurari.

¶ De integritate Principatuum Electorum servandâ.

SI cæteros principatus congruit in suâ integritate servari, ut corroborentur justitiâ, & subjecti & fideles pace gaudeant & quiete, multo magis magnifici principatus, dominia, honores & jura electorum principũ debent illæsa servari. Nam ubi majus incũbit periculũ, majus debet remedium adhiberi, ne columnis ruentibus basis totius ædificii collidatur. Decernimus igitur & hoc perpetuis temporibus valituro imperiali sancimus edicto, quòd exnunc inantea perpetuis futuris temporibus, insignes & magnifici principatus, videlicet Regnum Bohemiæ, Comitatus Palatini Rheni, Ducatus Saxoniæ, & Marchionatus Brandeburgen. terræ, districtus, homagia, vasallagia, & alia quævis ad ipsa spectantia scindi, dividi, seu quavis conditione dimembrari non debeant, sed ut potius in suâ perfectâ integrita-

integritate perpetuâ maneant. Primogenitus filius succedat in eis, sibique soli jus & dominium competat, nisi fortè mente captus, fatuus, seu alterius famosi & notabilis defectus existeret, propter quem non deberet, seu posset hominibus principari: in quo casu inhibita sibi successione, secundò genitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorem fratrem, seu consanguineum laicum, qui paterno stipiti in descendenti recta lineâ proximior fuerit, volumus successurum. Qui tamen apud alios fratres & sorores se clementem & pium exhibebit continuò, juxta datam sibi à Deo gratiam, & juxta suum beneplacitum & ipsius patrimonii facultates: divisione, scissione, seu dimembratione principatûs, & pertinentiarum ejus sibi omnibus modis interdicta.

¶ De curia imperiali & sessione.

DIE vero qua solennis curia imperialis, vel regia fuerit celebranda, venient circa horam principes electores, ecclesiastici & seculares, ad domum habitationis imperialis sive regalis, & ibi Imperator vel Rex ipse omnibus insigniis imperialibus induetur, & ascensis equis omnes vadant cum Imperatore vel rege ad locum sessionis aptatæ; & ibi quilibet eorum in ordine & modo supra in lege de ordine processionis principum electorum plenius definito. Portabit etiam archicancellarius, in cujus archicancellariatu hæc fuerint, super baculo argenteo,omnia sigilla & typaria imperialia & regalia: Seculares vero principes electores, sceptrum, pomum, & ensem, secundum quod superius exprimitur, deportabunt. Portabuntur etiam immediatè ante archiepiscopũ Treveren. suo loco transeuntem, primò Aquisgrani, secundò Mediolanen. corona, & hoc ante Imperatorem duntaxat, qui jam imperialibus est infulis decoratus, quas gestabunt aliqui principes inferiores, ad hoc per Imperatorem juxta placitum deputandi. Imperatrix etiam, vel regina Romanorum, suis augustalibus amicta insigniis, post regem vel Imperatorem & etiam post regem Bohemiæ (qui Imperatorem immediatè subsequitur) competentis spatii intervallo suis associata proceribus, suisque comitata virginibus, ad locum sessionis procedat.

¶ De officiis principum electorum in solennibus curiis Imperatorum vel regum Romanorum.

STatuimus, ut quandocunq; Imperator vel Rex Romanorum solennes curias suas celebraverit, in quibus principes electores sua deservire seu exercere debent officia, subscriptus in his ordo servetur. Primò enim, Imperatore vel rege ipso in sede regia seu solio imperiali sedente, dux Saxoniæ officium suum agat hoc modo, Ponetur enim ante ædificium sessionis imperialis vel regis acervus avenæ tantæ altitudinis, quòd pertingat usque ad pectus vel sellam equi, super quo sedebit ipse dux & habebit in manu baculum argenteum, & mensuram argenteam, quæ simul faciant in pondere duodecem marcas argenti, & sedens super equo, primo mensuram eandem de avena plenam accipiet, & famulo primitus venienti ministrabit eandem: quo facto, figendo baculum in avenam recedet, & vicemariscallus ejus, puta de Pappenheim, accedens, vel, eo absente, mariscallus curiæ, ulterius avenam ipsam distribuat. Ingresso vero Imperatore vel rege ad mensam, principes electores ecclesiastici, videlicet archiepiscopi, stantes ante mensam cum cæteris prælatis, benedicant eandem secundum ordinem qui circa hæc eis in superioribus est præscriptus; & benedictione completa, iidem archiepiscopi omnes si adsint, alioquin duo vel unus sigilla & typaria imperialia sive regalia à cancellariis curiæ recipient,eoque, in cujus archicancellariatu curiam ipsam celebrari continget, in medio procedente, & aliis duobus ex alterutro latere sibi junctis sigilla & typaria ipsa, omnes quidem baculum in quo suspensa fuerint manibus contingentes ea portabunt,& ante Imperatorem vel regem reverenter ponent in mensa. Imperator vero sive Rex, eadem ipsis statim restituat, & in cujus archicancellariatu hæc fuerit (ut præfertur) is majus sigillum collo appensum, usque in finem mensæ gestabit,& deinceps donec ad hospitium suum perveniat, ab imperiali sive regali curia equitando. Baculus vero (de quo præmittitur) esse debebit argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere, cujus tam argenti quàm pretii partem tertiam unusquisq; archiepiscoporum ipsorum persolvet, & baculus ipse protinus unà cum sigillis & typariis debet cancellario imperialis curiæ assignari, in usus suos placitos convertendus Postquã autem is,quem ordo tetigerit portando sigillum majus,ab imperiali curia ad hospitiũ suum redierit (ut præfertur) statim sigillum ipsum per aliquẽ de suis familiaribus prædicto imperialis curiæ cancellario remittet super equo, quem juxta propriæ dignitatis decentiam & amorem, quem ad cancellariũ curiæ gesserit, ipsi cancellario tenebitur elargiri. Deinde Marchio Brandeburgen. archicamerarius accedat super equo, habens argenteas pelves cum aquâ in manibus, ponderis duodecim marcarum argenti & pulchrũ manutergium, & descendens ab equo, dabit aquam Imperatori vel regi Romanorum manibus abluendis. Comes Palatinus Rheni intrabit similiter super equo, habens in manibus quatuor

tuor ſcutellas argenteas cibis impletas, quarum quælibet tres marcas habeat in ſtatera, & deſcendens ab equo portabit & ponet ante Imperatorem vel regem in menſa. Poſt hoc Rex Bohemiæ archipincerna veniat ſimiliter ſuper equo, portans in manibus mappam ſeu ſcyphum argenteum ponderum duodecim marcarum co-opertum,aqua & vino permixtum,impletum; & deſcendens de equo, ſcyphum ipſum Imperatori vel regi Romanorum porriget ad bibendum. Sicut autem hactenus obſervatum fuiſſe comperimus, ita ſtatuimus, ut peractis per principes electores ſeculares prædictis ipſorum officiis, Ille de Falkenſtein ſubcamerarius, equum & pelves Marchionis Brandenburgen. pro ſe recipiat, magiſter coquinæ de Nurenburg. equum & ſcutellas Comitis Palatini, vicepincerna de Lymburch equum & ſcyphum regis Bohemiæ, vicemariſcalcus de Pappenheim, equum, baculum, & menſuram prædictam ducis Saxoniæ: Si tamen ipſi in tali imperiali ſeu regali curia præſentes exiſtant, & eorum quilibet in officio ſuo miniſtret: Si vero ipſi, vel aliqui eorum à præfata curia ſe duxerint abſentandos, extunc imperialis vel regalis curiæ quotidiani miniſtri vice abſentium, puta quilibet in loco ejus abſentis, cui in vocabulo ſeu in officio communicat, ſicut gerit officium, ſic tollat in præmiſſis & fructum. Imperialis inſuper menſa vel regia ſic debet aptari,ut ultra alias aulæ tabulas ſive menſas in altitudine ſex pedũ ſit altius elevata, in qua præter Imperatorem duntaxat vel regem Romanorum, die ſolennis curiæ nemo penitus collocetur. Sedes vero & menſa imperatricis ſive reginæ præparabitur à latere in aula,ita quòd ipſa menſa tribus pedibus imperiali ſive regali menſa ſit baſſior,& totidẽ pedibus eminentior ſupra ſedes principum electorum; qui principes ſuas inter ſe in una eademque altitudine ſedes habebunt,& menſas. Infra ſeſſionem imperialem menſæ pro ſeptem principibus electoribus eccleſiaſticis & ſecularibus præparentur, tres videlicet à dextris, & tres aliæ à ſiniſtris, & ſeptima directè verſus faciem Imperatoris vel regis, ſicut ſuperius in capitulo de ſeſſionibus & ordine principum electorum per nos eſt clarius definitum; ita etiam quòd nullus alius, cujuſcunque dignitatis vel ſtatus exiſtat, ſedeat inter ipſos vel ad menſas eorum. Non liceat autem alicui prædictorum ſecularium principum electorum, peracto officii ſui debito, ſe locare ad menſam ſibi paratam, donec alicui ſuorum co-principum electorum ejus officium reſtat agendum, ſed cum aliquis eorum, vel aliqui miniſterium ſuum expleverint, ad præparatas ſibi menſas tranſeant, & juxta illas ſtando expectent, donec cæteri miniſteria ſua expleverunt ſupradicta, & tunc demum omnes & ſinguli pariter ad menſas ſibi paratas ſe locabunt. Invenimus etiam ex clariſſimis relatibus & traditionibus antiquorum illud à tempore cujus contrarii jam non habetur memoria, per eos, qui nos præceſſerunt, fœliciter eſſe jugiter obſervatum,ut regis Romani, Imperatoris futuri, in civitate Franckfordiæ celebretur electio, & prima coronatio Aquiſgrani, & in oppido Nurenbergenſi prima ſeu regalis curia haberetur. Quapropter certis ex cauſis etiam futuris præmiſſa ſervari debere temporibus declaravimus, niſi præmiſſis omnibus, ſeu eorum alicui impedimentum legitimum obviaret. Quantumcunque inſuper aliquis princeps elector eccleſiaſticus vel etiam ſecularis juſto impedimento detentus, ad imperialem curiam vocatus, venire non valens, nuncium vel procuratorem cujuſcunque ſtatus vel dignitatis tranſmiſerit, miſſus ipſe, licet loco mittentis, juxta datum ſibi ab eo mandatum admitti debeat, in menſa tamen vel ſede, quæ illi, qui ipſum tranſmittit, deputata fuerit, non ſedebit. Præterea, conſummatis his quæ in imperiali qualibet curia vel regali fuerint pro tempore diſponenda, recipiet magiſter curiæ pro ſe totum ædificium ſive ligneum apparatum imperialis ſive regiæ ſeſſionis, ubi ſederit Imperator vel Rex Romanorum, cum præſentibus electoribus ad celebrandas ſolennes curias vel feuda (ſicut præmittitur) principibus conferenda.

¶ De juribus officialium, dum principes feuda ab Imperatore vel rege Romanorum recipiunt.

DEcernimus hoc imperiali edicto, ut principes electores eccleſiaſtici vel etiam ſeculares, dum feuda ſua ſeu regalia ab Imperatore vel rege recipiunt, ad dandum vel ſolvendũ aliquid nulli penitus ſint aſtricti,nam pecunia quæ tali prætextu perſolvitur,officiatis debetur. Cum ergo ipſi principes electores cunctis imperialis curiæ præſint officiis, ſuos etiam habentes in officiis hujuſmodi ſubſtitutos, datos ad hoc à Romanorum principibus, & dotatos, videtur abſurdum quòd ſubſtituti officiales à ſuis ſuperioribus quocunque quæſito colore xenia poſtularent, niſi forte ipſi principes electores ſponte & liberaliter his aliquid largirentur. Porro cæteri principes imperii, eccleſiaſtici vel ſeculares, dum prædicto modo eorum aliquis feuda ſua ab Imperatore Romanorum ſuſcipit vel à rege, dabit officialibus imperialis ſive regalis curiæ ſexaginta ſex marcas cum uno fertone argenti, niſi eorum aliquis privilegio ſeu indulto imperiali vel regali ſe tueri poſſet, & probare ſe ſolutum, vel exemptum à talibus, aut etiam aliis quibuſcunque, quæ ſolvi in ſuſceptione feudorum hujuſmodi conſueviſſent, prædictarum inſuper ſexaginta ſex marcarum

&

& fertonis, divisionem faciet magister curiæ imperialis sive regalis, hoc modo:

¶ Primò enim, decem marcas pro semetipso reservans, dabit cancellario imperialis sive regalis curiæ, decem marcas; magistris, notariis, & dictatoribus tres marcas, & sigillatori pro cerâ & pergameno unum fertonem, ita videlicet, quòd cancellarius & notarii principis recipienti feudum, non ad aliud quàm ad dandum sibi testimoniale recepti feudi, seu simplicis investituræ literam sint astricti. Item dabit magister curiæ pincernæ de Lymburch de præfata pecuniâ decem marcas, magistro coquinæ de Nurenberch decem marcas, vicemariscalco de Pappenheim decem marcas, & camerario de Falkenstein decem marcas. Tali tamen cum conditione, si ipsi & eorum quilibet in hujusmodi curiæ solennitatibus præsentialiter adsint in suis officiis ministrando. Si vero ipsi vel eorum aliqui absentes fuerint, extunc officiales imperialis sive regalis curiæ, qui talibus præsunt officiis, eorum quorum supplent absentiam, singuli singulorum, sicut vocem nomenque & laborem sufferunt, sic lucra & commoda reportabunt. Dum autem princeps aliquis, equo vel alteri bestiæ insidens, feuda sua ab Imperatore recipit vel rege, equus ille seu bestia, cujuscunque speciei sit, debetur superiori mariscalco, i. e. duci Saxoniæ si præsens adfuerit, alioquin illi de Pappenheim ejus vicemariscalco, aut illo absente, imperialis sive regalis curiæ mariscalco.

¶ Cum sacri Romani celsitudo imperii diversarum nationum moribus, vita & idiomate distinctarum leges habeat & gubernacula moderari, dignum est & cunctorum sapientum judicio censetur expediens, quòd electores principes, ipsius imperii columnæ & latera, diversorum idiomatum & linguarum differentiis instruantur, ut plures intelligant, & intelligantur à pluribus, qui plurimorum necessitatibus relevandis Cæsareæ majestati assistant, in partem solicitudinis constituti. Quapropter statuimus, ut illustrium principum, puta regis Bohemiæ, Comitis Palatini Rheni, Ducis Saxoniæ, & Marchionis Brandeburgen. electorum filii, vel hæredes, & successores, cum verisimiliter Teutonicum idioma sibi naturaliter inditum scire præsumantur, & ab infantia didicisse, incipiendo à septimo suæ ætatis anno, in grammaticâ, Italica ac Slavica linguis instruantur, ita quòd infra quartumdecimum ætatis annum existant in talibus juxta datam sibi à Deo gratiam eruditi, cum illud non solum utile, imò ex causis præmissis summè necessarium habeatur, eo quòd illæ linguæ, ut plurimum ad usum & necessitatem sacri imperii frequentari sint solitæ, & his plus ardua ipsius imperii negotia ventilentur. Hunc autem proficiendi modum in præmissis ponimus observandum, ut relinquatur optioni parentum in filios, si quos habuerunt, seu proximos quos in principatibus sibi credunt verisimiliter successuros ad loca dirigant, in quibus de hujusmodi possint linguis edoceri, vel in propriis domibus pædagogos instructores, & pueros consocios in his peritos eis adjungant, quorum conversatione pariter & doctrina in linguis ipsis valeant erudiri.

¶ Finis aureæ bullæ Caroli quarti Romani Imperatoris.

AD LECTOREM.

QUoniam de electione regis Rom. in Imperatorē subinde promovēdi, deq; ejus majestate & gloria, aliorumq; principū electorū celsitudine, quædā in præcedentibus, omnium literis atq; linguis celebranda, commemorata sunt, tuq; eadem proculdubio, diligenter perlegeris, non indecorū erit, si summi etiam & hoc loco pontificis Silvestri, aliorumq; successorū in terris dominationē, divitiasq; ac Midæ opes, à Constantino magno, per totū illi occidentale imperium concessas, & præclara regnorum diademata, in perpetuam pontificiæ dignitatis ac potentiæ memoriam (modo res ipsa sic acta sit) per eundem ultro concessa, diligenter discutere, & ad amussim perpendere, tuumque tandem super his omnibus judicium ferre non dedigneris. Obstupenda enim & digna relatu, cunctisque veritatis amatoribus cognitu summopere necessaria, & in hæc fermè tempora multis (vel doctissimis etiam quibusdam) incognita reperies. De Constantini igitur donatione, quæ vulgo, tum per subsequens ipsum, tum per aliud, simile huic (quod diu apud latinos fuit) diploma, in sedis apostolicæ gratiam circumfertur, melius est tacere (ut de Cartha. Salust. scriptum reliquit) quàm pauca dicere. Itemq; quamvis multi circa eam varient, doctissimi tamen ac veteres (quibus indubitata semper fides adhibenda est) illam à Constantino factam, constanter pernegant, idq; vero verius ac luce lucidius probant. Viderit hic ergo sibi Bartholomæus iste Pincernus de Monte arduo, ne rem arduam aggressus, probare eam non possit. Insignis hic Pincernus Vallam insigniter taxat. Egregius adulator & rudis disputator: Valla fuit ausus tam ipsum Aristotelem (quem divus Augustinus, rarò aut nunquam dignatus est suis operibus inserere) quàm illatinè loquentem redarguere; ergo hujusce prædictæ donationis veritatem describere non potuit. Constantinus minime leprosus, non à Silvestro, sed ab episcopo Nicomediensi, in fatali-

bus suæ vitæ diebus, baptizatus fuit. Cæterum, concedamus Constantinum leprosum fuisse & à Silvestro baptizatum, ex hoc tamen non sequitur, innocentum sanguinem tam misere requisitum, aut orbis imperium fuisse divisum, Romanoque (qui tunc fortasse nondum summus erat) pontifici concessum. Nam constat Constantini successores, potentissimos in Italia principes fuisse. Et sicut Franciscus Petrarcha testatur, Phocas, longo post tempore Imperator, primus obtinuit, ut episcopus Romanus caput ecclesiæ diceretur. De donatione ergo Constantini, quid sentire debeas, ex subsequentibus fideliter accipe, ne contra Ciceronis prohibitionem, incerta habeas pro certis, & falsa pro veris. Vale feliciter, & quæ suo sese nunc ordine subsequuntur, diligenter revolve.

DONATIONIS QUÆ CONSTANTINI

dicitur (primi inter Imperatores Christiani) privilegium, Bartholomæo Picerno de monte Arduo, ad Julium II. Pont. Max. interprete.

Bartholomæi Picerni de monte arduo, ad Julium II. pontificem maximum præfatio edicti sive donationis divi Constantini, quam è Græco in Latinum se asseverat convertisse.

Multi asserunt falsam esse donationem Constantini.

QUUM inter legendum in hac tua celeberrima bibliotheca, beatissime pater, occurrisset mihi libellus quidam Græcus, qui donationem Constantini continebat: æquum mihi visum est, illum è Græco in Latinum convertere, & eum tibi, sanctissime pater, inscribere debere, qui vicarius Christi, & Petri ac Silvestri successor existis. Quippe, quum multi sint, qui falsam Constantini donationem esse asseruerint: inter quos est Laurentius Vallensis, vir haud sane ineruditus, qui librum de falsa donatione Constantini scribere ausus sit: Cujus opinionibus optimè refragatur reverend. Cardinalis Alexandrinus, juris utriusque consultissimus & illius objecta diligentissime confutat. Existimabat vir ille fortasse, ut quod ipse non legerat, non posset apud alios reperiri. Nec mirum, quum tantæ mordacitatis extiterit, ut Aristotelem philosophorum principem carpere non dubitarit: & omnes linguæ latinæ authores ita taxare, ut nemini pepercerit. Sed ne longior sim, Constantinum ipsum audiamus.

EDICTUM (UT FERTUR) CONSTAN.

IN nomine sanctæ & individuæ trinitatis, patris videlicet & filii & Spiritus Sancti. Imperator Cæsar Flavius Constantinus in Christo Jesu unico ejusdem trinitatis salvatore Domino & Deo nostro, fidelis, mitis, beneficus, Alemanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannnicus, Hunnicus, pius, felix, victor ac triumphator semper Augustus: Sanctissimo & beatissimo patri patrum Silvestro episcopo & papæ, magnæ urbis Romæ, & omnibus pontificibus successoribus ejus in cathedra beati Petri usq; ad consummationẽ seculi sedentibus. Itẽ omnibus reverendissimis & religiosis catholicis episcopis, huic sacræ & sanctæ Romanæ ecclesiæ per hanc nostrã imperialẽ constitutionẽ subjectis. Gratia, pax, amor, lætitia, magnanimitas, misericordia ab omnipotente Deo & patre, & Jesu Christo filio ejus, & Spiritu Sancto cum omnibus vobis. Quæ à redemptore & salvatore nostro domino Jesu Christo, qui est filius altissimi patris, per sanctos apostolos ejus Petrum & Paulum, mediante patre nostro Silvestro summo pontifice & catholico papa admirabiliter circa nos miserationibus illius facta sunt, manifesta narratione per hanc imperialem nostram scripturam, deinceps omnibus studuimus tradere ad cognitionem omnium qui sunt

sunt in orbe terrarum populorum. Mansuetissime enim nostræ apparitionis ab intus, & ab ipso corde procedit confessio. Primum quidem nostram fidem præ se fert, quam à prædicto beatissimo patre & intercessore nostro Silvestro catholico hierarcha didicimus, ad documentum intelligentiæ omnium nostrum. Deinde & effusam super nos Dei misericordiam omnibus nunciat. Scire enim vos omnes volumus, sicut per prædictam nostram pragmaticam constitutionem vobis declaravimus, nos ab idolorum cultu, quæ muta & surda & manufacta sunt, diabolicisque fictionibus, & ab omni Satanæ pompa desiliisse, & ad integram Christianorum fidem, quæ lux vera est & vita æterna, descendisse, sicut nos ipse excelsus & summus pater noster & magister Silvester admonuit: in deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, Et in Jesum Christum filium ejus unigenitum dominum nostrum, per quem omnia facta sunt, Et in spiritum sanctum dominum, & vivificantem omnem creationem, præcipiens credere.

Constan. fidem catholicam à Silvestro didicit.

Nos patrem, filium & spiritum sanctum sic confitemur, tanquam in perfecta trinitate, & perfectionem divinitatis esse, & unitatem potentiæ, deus pater, deus filius, deus spiritus sanctus, & tres unum sunt: tres igitur formæ, sed una potentia. Perfectis igitur cœlestibus virtutibus & omnibus terrenis materiis misericordi nutu ipsius sapientiæ, primo ex limo terræ hominem formans secundum imaginem & similitudinem sui ipsius, in paradiso hunc posuit delitiarum: cui invidens serpens, antiquus inimicus & diabolus, amarissimo gustu inexperti ligni exulem fecit lætitiæ illius. Illumque cum expulisset, non cessat sui ipsius mortiferis sagittis multis modis alios sagittare, ut abstrahens humanum genus à via veritatis, idolorum cultui, videlicet creaturæ & non creatori, servire omnes persuadeat: ut quos possibilis fuit sui ipsius machinationibus colligare, hos æterno supplicio tradat puniendos. Sed deus propriæ formationis miserationem capiens, misit sanctos ejus prophetas, & per hos vitæ lucem, adventum videlicet filii ejus, domini autem nostri, & salvatoris Dei Jesu Christi annuncians. Novissime autem misit & unigenitum ejus filium, & verbum sapientiæ: qui à cœlis descendit propter nostram salutem, & genitus est ex Spiritu Sancto & Maria virgine. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: non deponens quod fuit, sed incipiens esse quod non fuit: deus perfectus, & homo perfectus: tanquam deus miracula perficiens, & tanquam homo humanas passiones ferens: sic verbum hominem, & deum verbum intelligimus. Doctrinis nostri patris Silvestri summi pontificis tanquam deum verum, & hominem verum eundem esse nequaquam est ambigendum. Eligens igitur duodecim apostolos, hosque innumerabiles populos antea supernaturalibus miraculis illustravit. Confitemur ipsum dominum nostrum Jesum Christum adimplevisse leges & prophetas, passum & crucifixum esse secundum scripturas, tertia die à mortuis resurrexisse, assumptum esse in cœlos, sedere à dextris patris, illinc venturum judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Hæc est nostra orthodoxa fides à beatissimo patre nostro Silvestro nobis antea lata.

Admonemus igitur omnem populum, & diversa gentium genera, hanc fidem detinere, colere, prædicare, & in sanctæ trinitatis nomine baptismatis gratiam assequi: & dominum nostrum & salvatorem Jesum Christum, qui cum patre & Spiritu Sancto in infinita secula regnat, reverenti corde adorare: quem beatissimus pater noster Silvester catholicus hierarcha prædicat. Ipse enim dominus noster mei peccatoris misertus, misit sanctos apostolos suos nos visitaturos, & luce splendoris ejus nos illustravit, & tenebras attrahens, ad veritatis cognitionem me pervenire dignatus est. Quoniam gravis turpitudo lepræ omni mei corporis carni insiliit, multisque convenientibus medicis cura mihi adhibita est, & horum nullius studio sanitatem assequi potui. Ad hæc accesserunt & sacerdotes Capitolii, oportere mihi dicentes cisternam in Capitolio fieri, & hanc innocenti sanguine & calido impleri, illicque lavari, sic mundationem assequi posse. Secundum documenta igitur ipsorum, cum multi innocentes infantes congregati essent, & vellent impii & sacrilegi sacerdotes ipsos jugulare, & illorum sanguine cisternam implere, lachrymis matrum illorum nostra serenitas intendens, statim rem nefandam exhorruit. Illasque tunc ego miseratus, matribus tradi filios jussi, vehiculaque exhibens, & dona concedens, gaudentes ad propria remisi.

Mandatum Constanti. de fide catholic.

Impia sacerdotum persuasio de sanguine innocentum.

Hic dies cum præteriisset, & nocturna quies succederet, & ad somnum opportunitas invitaret, adsunt sancti apostoli Petrus & Paulus, mihi dicentes, Quoniam ad peccata procedere non permisisti, & innocentis sanguinis effusionem es abominatus, à Christo domino & Deo nostro missi sumus, dantes tibi consilium, per quod sanitatem resumes. Audi igitur nostrum mandatum, & fac quod te admonemus: Hujus urbis episcopus Silvester tuas persequutiones fugiens, in cavernis lapidum cum propriis clericis occultatur in monte Sorate, Hunc ad teipsum accersens, demonstrante illo, veram religionis cisternam addisces; in qua cum tertio immersus fueris, omnis vis lepræ te derelinquet. Quo facto, hanc retribu-

Petrus & Paulus Constan. apparuerunt.

retributionem è contra metire ſalvatori tuo, ut tuis mandatis omnes in orbe terrarum eccl ſias renoves: & tu in hac parte teipſum purga, ut omnem idolorum infelicitatem reli quens, ſolum viventem & verum deum, qui ſolus eſt verus deus, colas & adores, & illi voluntatem adimpleas. Expergefactus igitur, ſecundum quæ ordinata fuerant ab apoſto lis, operatus ſum: accerſenſq; præcipuum & præclarum patrem Silveſtrum catholicum pa pam, qui nos illuminavit, omnia ipſi à ſanctis apoſtolis mandata mihi verba declaravi, quæ ſiviq; ab ipſo qui dii eſſent, Petrus & Paulus qui appellantur. Dixitq; ille, Non verè dec hos appellari, apoſtolos autem ſalvatoris noſtri & domini Jeſu Chriſti eſſe aſſeveravit. Ru ſus incœpi interrogare beatiſſimum papam, ſi quæ manifeſtæ horum apoſtolorum eſſent ima gines, ut ex pictura igitur poſſumus cognoſcere, ſi poſſibile eſt, illos eſſe quos à revelation didicimus. Tunc ille omni reverentia dignus pater, divinorum horum apoſtolorum imagi nes per proprium diaconū afferri juſſit: quas aſpiciens, & aſpectus illorum quos in ſomn videram, in imaginibus perdiſcens, magna voce coram meis ſatrapis confeſſus ſum, hos illo eſſe in ſomnis mihi viſos. Ad hæc beatiſſimus hic pater noſter Silveſter urbis Roma epiſcopus, tempus nobis pœnitentiæ terminavit in uno cilicio, intra noſtrum Lateranenſ palatium: ut omnia quæ à nobis impiè operata ſunt, & injuſte perpetrata, jejuniis, vigi liis, lachrymis, & orationibus apud dominum deum & ſalvatorem noſtrum placaremus Deinde clericis imponentibus mihi manus, uſque ad ipſum pontificem perveni. Illic au tem renuncians ſatanæ pompas, & opera ejus, & omnia idola manufacta, credere in unum deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium & in unum dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, dominum noſtrum, qui ge nitus eſt ex Spiritu Sancto & Maria virgine, ſpontanea voluntate coram omni populo con feſſus ſum. Benedicto autem lavacro, illic menſurabili demerſione ſalutarem aquam mun davit. In ſinu autem lavacri poſitus, manum tangentem me à cœlo propriis oculis aſpexi ſub qua mundus reſurgens ab omni lepræ turpitudine, meipſum mundatum eſſe cognovi ablatum autem me à venerando lavacro, albis palliis induerunt, ſeptiformeque Spiritus Sancti ſignaculum præbuit beati chriſmatis unctione, & ſignum Sanctæ Crucis meæ front ſignavit, dicens: Sigillat te deus fidei ejus ſignaculo, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, omniſq; clerus reſpondit. Amen. Et addidit pontifex, Pax tibi. Primo igitur die poſtquam cœpi myſterium divini baptiſmatis, & poſt medelam mei corporis à lepra, cognovi non eſſe alium deum, præter patrem & filium & ſpiritum ſanctum: quem beatiſſimus pater Silveſter prædicat, trinitatem in unitate, unitatem in trinitate. Omnes enim dii gentiū, quos ſuperius colui, dæmonia opera manuum hominum manifeſte demonſtrantur. Ad hæc, quantam poteſtatem ipſe ſalvator noſter proprio apoſtolo beato Petro præbuit in cœlo & in terra, manifeſte nobis ipſe venerandus pater expoſuit, quando illum fidelem inveniens in interrogatione dixit, Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Conſiderate potentes, & auribus cordis attendite, quid bonus magiſter & dominus proprio diſcipulo adjunxit, dicens, Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis. Admirabile verbum & glorioſum, & ſuper terram ligare & ſolvere, & in cœlis ligatum eſſe & ſolutum. Hæc igitur beato Silveſtro docente, cognoſcens, & beneficentiis ipſius beati Petri integerrimè ſanitatem ſentiens corpori redeuntem, dignum judicavimus, cum omnibus noſtris ſatrapis, & univerſo ſenatu & optimatibus, & cuncto Romani imperii ſubjacenti populo, ut ſicut beatus Petrus vicarius apparet conſtitutus in terra à filio Dei, ſic à nobis & à noſtro regno locum tenentes principis apoſtolorum ſuſcipiant, datum ipſis poteſtatis principatum majorem, quàm noſtra in terra ſerenitas & regnum ab omnibus habere cognoſcitur. Elegimus enim ipſum apoſtolorum principem, & ejus ſucceſſores proprios nobis ipſis ad deum eſſe patronos: & ſicut noſtram in terra imperialem poteſtatem, ſic & illius ſacram & ſanctam eccleſiam Rom. decrevimus colere cum reverentia: & ſacratiſſimam cathedram beati Petri magis quàm noſtrum regnum & terrenam ſedem exaltare: tradentes ipſi poteſtatem & gloriæ dignitatem, vigorem & efficaciam, & honorificentiam imperialem. Atq; decernentes ſancimus principatum habere ſuper quatuor præcipuas ſedes, Antiochiæ, Alexandriæ, Conſtantinopoleos, & Hieroſolymorum. Item ſuper omnes in univerſo orbe terrarum Dei eccleſias: & pontificem pro temporibus exiſtentem, ipſius ſacræ & ſanctæ Rom. eccleſiæ excelſiorem eſſe, & principem omnium ſacerdotum, qui ſunt in univerſo orbe terrarum. Et omnia quorum curam habere oportet ad divinum cultum vel robur Chriſtianorum fidei, hujus judicio gubernari. Juſtum enim eſt, caput principatus ſanctam habere legem, ubi ſanctarum legum legiſlator ſalvator noſter beatum Petrum mandavit apoſtolatus habere cathedram, ubi crucis lignum, & ipſe ſuſtinens beatæ mortis piaculum bibit, imitator proprii magiſtri & domini factus. Illic uſquè ad finem & continue

Imagines ſanctorum Petri & Pauli.

Conſtan. baptiſmi lavacro mundatus à lepra.

Conſtan. conſtituit pontificem ſuper omnes ſacerdotes principem.

continue

tinue magiſtrum quærant, ubi ſanctum magiſtri corpus quieſcit. Illic gentes pro confeſſione nominis Chriſti colla inclinent, ubi horum magiſter beatus Paulus Apoſtolus pro Chriſto collum extendens, corona martyrii coronatus eſt. Illic ſupini & humiliati cœleſtis regis & Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti officio ſerviant, ubi ſuperbæ terreni regis poteſtati ſerviebant. Quorum gratia ſcire volumus omnes in orbe terrarum Gentium populos, quod nos intra Lateranenſe noſtrum palatium templum ereximus ipſi Salvatori noſtro, & Deo & domino Jeſu Chriſto, ab ipſis fundamentis cum baptiſterio. Sciatiſque & duodecim cophinos terræ illinc nos propriis humeris extuliſſe, æquales numero duodecim Apoſtolis: ædificavimuſque eccleſias, & beatis Petro & Paulo primis Apoſtolis, quas argento & auro decentes & ornatas conſtituimus: ubi & ſacratiſſima ipſorum corpora ſepelientes magna cum reverentia thecas ipſis ex electro, cujus nulla elementi potentia eſt fortior, conſtruximus: crucemque auri puriſſimi, & ex margaritis pretioſis factam per utranque thecam impoſuimus, aureis clavis affigentes: quibus eccleſiis pro continuatione luminariorum poſſeſſiones & agros contulimus, & noſtro imperiali & divino mandato in oriente & occidente, ſeptentrionali & meridionali climate, in Judæa videlicet, Aſia, Thracia, Græcia, Africa, Italia, & in diverſis inſulis noſtram ipſis libertatem conceſſimus: Sic videlicet, ut per manus beatiſſimi patris noſtri Pontificis Silveſtri & ejus ſucceſſorū omnia diſponantur. Exultet igitur nobiſcum omnis populus, omnia in orbe terrarū Gentium genera admonemus, ut nobiſcum & ſalvatori noſtro Jeſu Chriſto infinitas gratias confiteatur: quoniam ipſe Deus in cœlo ſuperius, & in terra inferius, per ſanctos Apoſtolos cum nos viſitaſſet, ſanctum myſterium baptiſmatis & corporis ſanitatem nos dignos fecit ſuſcipere. Pro quibus etiam præbemus ipſis ſanctis Apoſtolis, & dominis meis beatiſſimis Petro & Paulo, & per hos beato Silveſtro noſtro patri, & ſummo Pontifici, & Catholico urbis Romæ Papæ, & omnibus Pontificibus ſucceſſoribus ejus uſque ad conſummationem mundi, in Cathedra beati Petri ſedentibus, & inpræſentiarum tradimus, primum quidem Lateranenſe noſtri regni palatium, quod omnibus in orbe terrarum palatiis præfertur & eminet.

Conſtantinus dedit pontifici authoritatem ſuper omnem terram.

Deinceps diadema, id eſt, coronam capitis noſtri. Similiter autem & Phrygium, id eſt, mitram, nec non ſuperhumerale, videlicet lorum, quod imperiale collum circumdare conſuevit. Item purpuream clamydem & coccineam tunicam, & imperialia omnia indumenta, & imperialium præſidentium equitum dignitatem: conferentes ei imperialia ſceptra, ſimulq; cuncta ſigna atque banna, & diverſa ornamenta imperialia, & omnem in proceſſionibus imperialis culminis gloriam & poteſtatem. Reverendiſſimis autem viris clericis ſecundum diverſos ordines huic ſacræ & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſervientibus, illam circumſpectionem & proprietatem potentiæ & præexcellentiæ habere ſancimus, cujus ampliſſimus Senatus noſter videtur gloria adornari, id eſt, patricios & conſules ipſos effici, nec non & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari, & ſicut imperialem exercitum, ſic & clerum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ adornari decrevimus. Et quemadmodum imperialis potentia diverſis officiis, cubiculariorum, oſtiariorum, & excubitorum decoratur, ita & ſanctam Ro. eccleſiam decorari volumus, & ut ampliſſime Pontificale decus præfulgeat, decernimus, & ut clerici ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ mappulis & linteaminibus, id eſt, candidiſſimo colore decoratos equos equitent: & ſicut noſter ſenatus calciamentis utitur cum ulonibus, id eſt, candidiſſimo linteamine illuſtrentur, & ita cœleſtia ſicut terrena, ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus ipſi ſanctiſſimo patri noſtro Silveſtro, urbis Romæ Epiſcopo Papæ, & omnibus poſt ipſum in ejus ſucceſſionem venturis per ſupervenientia ſecula beatiſſimis Pontificibus, pro honore, & gloria domini noſtri Jeſu Chriſti, in magna hac Catholica poteſtate, ſi aliquem circumſpecti noſtri Senatus voluerit inter religioſos clericos connumerare, nullum eorum qui ad hoc vocantur, propter ſuperbiam ordinem hunc excuſare. Sancimus etiam hoc omni reverentia dignum, patrem Silveſtrum ſummum Pontificem, & omnes Pontifices, ſucceſſores ejus, diademate, videlicet, corona quam ex capite noſtro ipſi præbemus, ex auro puriſſimo, & lapidibus pretioſis, & margaritis conſtructam, uti debere, & in capite geſtare, ad gloriam Dei, pro beati Petri reverentia. Quoniam autem ipſe beatiſſimus Papa, in corona clericatus, in tonſura capitis, quam pro reverentia beati Petri habet, non verecundatus eſt ex auro uti corona: nos Phrygium in hoc candidiſſimo colore ſplendidam domini reſurrectionē ſignantes, ſacratiſſimo ejus vertici propriis manibus impoſuimus, & frena equi hujus detinentes pro reverentia beati Petri, ſtratoris officium illi exhibuimus, ſtatuentes eodē phrygio omnes ejus ſucceſſores ſingulariter uti in proceſſionibus ad imitationem imperii noſtri. Unde ne pontificalis apex vileſcat, ſed magis quàm terrenum regnum ipſe dignus & gloria & potentia decoretur, ecce palatium noſtrum (ut antedictum eſt) & urbem Romam, & totius Italiæ & occidentalium regionum

Conſtantinus dedit Silveſtro poteſtatem ſuper omnia.

Romana Eccleſia æquiparatur imperiali potentiæ.

Conſtantinus præbuit pontifici coronam.

gionum provincias, loca, civitates, sæpenumero prædicto beatissimo patri nostro Silvestro Catholico Papæ tradentes, & cedentes hujus & successoribus ejus Pontificibus potestati & judicio, & per divinum nostrum pragmaticum edictum decrevimus disponenda, atque juri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permanenda. Unde congruum judicavimus nostrum regnum & hujus gloriam ad orientales regiones transferre: & in urbe Bizantio optimo loco in nostro nomine urbem ædificantes, illic nostrum imperium constituere: ubi sacerdotum principatus, & Christianæ religionis caput à cœlesti rege est constitutum non esse justum illic potestatem habere terrenum regem. Hæc igitur per hanc nostram sacram scripturam, & alia divalia decreta determinata & roborata, usque ad mundi consummationem illibata, & inconcussa permanere decrevimus. Unde coram vivente Deo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili ejus judicio obtestamur omnes nostros successores imperatores, vel cunctos optimates, satrapas, etiam amplissimum Senatum & universum populum in toto orbe terrarum, nunc & in posterum nulli eorum, quoquo modo licere, aut confringere, vel in quoquam convelli. Si quis autem (quod non credimus) in hoc temerator aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus subjaceat innodatus, sentiatque sibi ipsi contrarios sanctos Dei & principes Apostolorum Petrum & Paulum, in infimo inferno cruciandus: deficiatque cum diabolo & omnibus impiis. Hujus autem imperialis decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus principis Apostolorum beati Petri manibus propriis imposuimus. Illic Dei Apostolo promittentes, illibata nos hæc omnia conservare, & nostris successoribus & Imperatoribus per nostra mandata conservanda relinquere: & beato patri nostro Silvestro, & Catholico Papæ, & per ipsum omnibus ejus successoribus pontificibus, Domino & Deo & Salvatore nostro Jesu Christo placide annuente, æterne & feliciter his hæc in possessionem futura, imperiali subscriptione, divinitas vos conservet in multis annis, sanctissimi & beatissimi patres. Datum Romæ, tertio Calendas Aprilis, domino nostro Flavio Constantino Augusto & Gallicano, viris consulibus & clarissimis.

Mandatum contra posteros.

Constantinus confirmavit suum mandatum.

FINIS.

ULRICI HUTTENI IN LIBELLUM

Laurentii Vallæ contra effictam & ementitam Constantini donationem, ad Leonem decimum pontificem maximum

PRÆFATIO.

TAndem eorum, qui à divulgando Laurentii Vallæ in Constantini donationem libello deterrebant opinionem, tua pervicit splendida & consolationis plena promissio, pontificatûs tui initio, jubente te, expressa, pater beatissime. Postquàm tu semel enim, conticescente jam bellica Julii secundi tuba, veluti pacis percusso cymbalo, orbem Christianum ad spem libertatis erexisti, omnia omnes quæ licere sciunt, usurpanda sibi putant. Ego vero etsi ante persuasus eram, si te contingeret summæ rerū præesse (quandoquidē sic coluisti optima semper studia, ut tuus in iis profectus, cum eruditissimorū hoc tempore virorum doctrina æquari facile mereatur) non passurū, ut ex veterū monumentis quicquam te pontifice depereat: Tamen ubi illā legi, publice in Italia propositā inscriptionem, Leoni decimo Pontifici Maximo, restauratori pacis, exilui repente, quodam concitatus mirifice inopinato gaudio, mihiq; redditus, ex diuturna prius animi commotione, quod viderem indigna multa sub tyrannis Pontificibus perpeti nationem hanc. Itaq; gratulor huic ætati, quæ te auspicatissimo pacis suborto sydere, ex diuturna tyrannidis caligine, ad novam libertatis lucem respicit. Te verè pontificem autem, qui pacem adfers, quam qui non habuerunt antecessores tui, Pontifices non fuerunt. Neq; enim sequebantur Christum, qui pacem suis dedit, eandemq; hæreditariā reliquit, Pacem (inquiens) meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Igitur & vicarii ejus non fuerunt, cujus vicem non tenuerunt.

Pontifex pacem non diligens, Christi vicarius non est.

Dei

Dei enim regnare, est pacem tenere. Immo alienissimi fuerunt à Christo, cujus aspernati studia, diversum vitæ genus sequuti sunt. Illius pax est enim, hi bella sequebantur. Ille servare docendo homines studuit. hi perdere armis satagebant. Ille suum cœleste regnum esse ostendit, hi primo loco mundi imperia quæsiverunt. Ergo nec beati fuerunt, quia pacifici non fuerunt. Nec filii Dei fuerunt: quia beati (Christus inquit) pacifici, quoniam vocabuntur filii Dei. En per te restauratam pacem igitur, quæ istorum perversitate collapsa ferebatur. Atque hanc literati imprimis homines magno acceperunt, exhibente te, gaudio.

Deinde ii quoque, à quibus injustè ablata per fraudem multa fuerant, cupidissimè complexi sunt. Venit enim cum pace una, restituente te, justitia: quoniam juxta Prophetæ verbum, hoc potissimum tempore, justitia & pax osculatæ sunt. Venit & fides, & illa venit temporis filia Veritas: ac regiæ abunde virtutes, clementia & mansuetudo. Vides quot simul bonorum author fueris, Leo decime? Tu pacem adferens, pacis simul, hoc est, optimarum artium invexisti studia. Et justitiam reddidisti: quia in pace leges sunt, ex legibus vero justitia est. Et libertatem reduxisti: quam comitata veritas magno & ipsa temporum tuorum hominibus emolumento fuit. Pax etenim esse in tyrannide nulla potest, quia fides non est. Nec justitia esse potest, quia suum cuique non est, & quia leges opprimunt tyranni: nec verum dicere licet, quia libertas non est. At nunc verè liberi sumus, quia pacem habemus: quam habentes, pacis quoq; adhibebimus studia. Quod sub Julio igitur, bellorum authore, non licuit, ut esset hæc tranquillitas, id sub te pacis restauratore usurpabimus, ut in literis conquiescamus. Proinde in lucem prodeat, si quid diu latuit: & eo majori cum fiducia prodeat, quanto quidque verius, quantoque sincerè magis scriptum est: Qualis hic est liber: quem alii idcirco non tulerunt Pontifices, quia verum audire noluerunt: tu idcirco amabis, quia veritatis jam ante poculum nobis propinasti. Nam ad te meliore conscientia Pontificem, quid pertinet, quod contra Ecclesiastici statûs dignitatem scriptus ab illis ferebatur? Aut quod in Pontifices maledicum esse dicebant? Profecto enim neque fuerunt Pontifices illi, qui finxerunt Constantini donationem, quia pastores non fuerunt. Neq; ecclesia fuit quæ eam accepit, quia Christi fidelium conventus non fuit. Si fuissent pastores enim, pavissent oves Christi, non devorando invasissent. Et si ecclesia fuisset, utique vocasset ad vitam & libertatem Gentes, non sub jugum traxisset imperia & nationes. Sic illa enim loquitur: Venite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.

Leo decimus bonorum author.

Tyranni opprimunt leges.

Julius bellorum author.

Constantini donationem fingentes, pontifices non fuerunt.

Certe implet quos accepit hæc: ille malignantium conventus inanibat, & exhauriebat. Tum pastores esse bonos vicarios suos jussit Christus, non voraces lupos. Sic Petro dixit enim: Petre, amas me? pasce oves meas: Pasce (dixit) oves meas, non devora plebem meam, sicut escam panis. Et in Apostolatum vocans, Faciam vos (inquit) piscatores hominum, hoc est, faciam ut prædicando, & bona exempla edendo, alliciatis ad veritatem errantes à fide. Quod quia tu sequeris, ad officium rediisse hunc ordinem, te id efficiente, te pacem, te libertatem, te justitiam, & veritatem revocante, gaudemus & exultamus. Quæ lætior namque audiri vox potuit? Quod suavius verbum? Itaque parvo negotio, puta uno proposito verbulo, magnam sustulisti è medio hominum vestrorum indignationem, vehementeis composuisti animorum motus, exitia intervertisti, tumultus compescuisti. Quod futurum igitur fuit, si in malum aliquem Pontificem incidissent hæ hominum cogitationes, ut vi & violentia eriperemus ab injustis possessoribus multa: hoc per te factum est, ut citra turbam quiescendo consequamur omnia. Vides quale tuum factum interpretor, vere Pontifex Leo? Quod armis persequendum erat, id beneficentiæ acceptum tuæ referre licet. Quapropter desinant quidam metuere, ne tu ægre feras, si datur hic denuo liber: quod illi ante præposteri Pontifices, ne haberetur in manibus, vetuerunt. Nihil est tibi enim commune cum illis, quia nihil fuit ipsis cum Christo. Nam illi sub fraudis fuco secularia ad se imperia traxerunt; tu in sincero veritatis splendore cœlestem dominationem, id est, pacis regnum aperuisti. Per te illa igitur Christiana reviviscit veritas: quæ cum oppressa diu fuerit, nunc se colligit, & captiva jampridem ab illo reducta obscuritatis carcere, lucem revidere meretur. Qua fiducia elatus audet ab inferis exurgens Valla, in hominum aures atque oculos recipere sese, ob id magis etiam quod fuit tuis olim majoribus charus: à quibus ut hanc veluti hæreditariam accepisti virtutem, ita in aliis minime degeneras. Nam sicut eruditione illum magistrum tuum Politianum refers, ita moribus ab atavo Cosmo alienus minime videris. Cujus quemadmodum prima laus fuit, quod in sua civitate unus omnia potuit, non omnia voluit: ita tuum quoque encomion esto, quod cum regnare ut Imperator posses, custodire ut pastor mavis. Sed in Cosmo fuit hoc imprimis admirandum, quod ineruditus ipse coluit eruditos, undique ad sese accersens, & ope atque opibus juvans. Laurentius vero pater & coluit doctos, & fuit ipse doctrina inter primos suæ ætatis commemorandus. Felicem hanc igitur domum, quæ juvandis instituta est literis. Cui alteri enim debentur seculi hujus dotes? Cujus

Utinam id hoc tempore servaretur.

Leo restaurator pristini ordinis.

Cujus alterius beneficio revocatæ ab interitu Græcæ pariter ac Latinæ sunt literæ? Ut soli sint in Italia Florentini, quos, tanto accepto commodo, tyrannorum pœnitere non debeat. Scilicet charus fuit majoribus tuis Valla, cum viveret: tibi ob illorum reverentiam, ne mortuus quidem negligendus est. Ubi sunt illi itaque metuendum qui putabant, ut ferres tu operis hujus divulgationem? Quasi vero unquam ab animo tuo recepta sit fraus eorum, qui scelerate mentiti sint de Constantino: aut non is sit libellus hic, qui legi ab omnibus non possit tantum, sed necessariò debeat etiam: cum permagnus sit ex eo fructus, dum veritas pernoscitur. At maledicus est: Immo verò idcirco bonus, quia in malos acerbus est. At in Pontifices impius est: immo in tyrannos ejus. Nam si præmia debentur apud Græciæ civitates tyrannicidis, quid iis dabimus, qui tyrannidem quoque ipsam impugnant? Aut si pietas est amare patriam, quomodo impiè agit qui hostem illius odit? An non fuerunt Christianorum hostes illi Pontifices, qui omnium ad se opes traxerunt, omnibus liberis servitutem moliti sunt? Qui imperio Reges, pecuniâ cives dispoliabant? Qui palliatos nobis ab urbe tanto patrimoniorum nostrorum dispendio, episcopos mittebant? Aut vicarii fuerunt Christi, qui illius vicem non gesserunt: de quo scriptum est: In pace factus est locus ejus? Vel si tyranni sunt qui in liberos imperium sibi desumunt: quis hoc magis facit, quàm is, qui libertatis conservatorem, hoc est, Romanorum principem in servitutem asserit? Ergo non maledicit Pontificibus Valla, sed in tyrannos vera dicit: ob idque tibi valdè placere putari debet. Tibi (inquam) hoc genere, his majoribus edito, hac eruditione, hoc etiam nomine prædito, Non debet ex Medicibus uni convenire mendacium: Et in tantam doctrinam perversitas non admittitur. Nec fraudis humilitatem ad sese accepit Leonina magnitudo, quæ hanc versat in ore Græci poetæ sententiam:

Ψεῦδος ἀπελαθεῖν, ἀλήθεια φυλάττειν.

Præterea hoc in libello, si usquam, ostendit Laurentius, qui vir, quanto præditus animo fuerit: qui maximo etiam proposito, ut illâ tempestate, periculo, veritatem deserere noluit. Quanto rectiùs & christianè magis, quàm ille nuper asinus, qui Julio secundo pulchræ illius donationis privilegium, quod è Græco transtulisse dicit se, cum nos græcè scriptum esse ignoraremus, non citra doctissimi viri, & se per omnia melioris contumeliam dedicavit. Assentiebatur ille enim ut uni placeret: hic verum dixit, ut multis prodesset. Quid ad Christiani hominis & boni viri perfectionem deest? Quàm te non noverunt igitur, qui metuunt ingratum hunc fore tibi Vallæ laborem. Si nossent enim, non ex prædonum Pontificum moribus tuam æstimarent vitam. A quibus ego multum dissentio, & cum tuam prædicari famam audio, & hanc optimæ opinionis plenam promissionem ubi considero.

Donatio Constantini græcè non extat.

Restauras tu enim pacem. At pax esse inter raptores, & eos à quibus rapitur, nisi suum reddatur, nulla potest. Neque tu, nisi rem ipsam præstare velles, inania nobis proponeres verba. Itaque sic opinor, valdè succensuisses tu mihi, si non tam contra animi sententiam mei, quàm etiam contra communem omnium sensum (quis est enim qui ita sentiat?) probassem apud te piacularе figmentum, quod de Constantino mentiti sunt illi Pseudopontifices, qui occidentis imperium cum urbe Roma, Gentium dominâ, concessum ab hoc sibi contenderunt. Quorum in hoc potissimùm audaciam miror, quod veriti non sunt id affirmare, quod crediturum neminem scirent. Sed Germanis persuasuros se putabant, utpote quos cerebrum non habere fama est, atque igitur ingenio usi non sunt. Quippe si fuisset cum aliis sibi Gentibus negotium, utiq; non sic frigida esset hæc effictio, & cautiùs moliti hoc commentum essent: nisi reperitur qui ostendat ex Imperatoribus ulli, antequam ad Germanos perveniret imperii nomen, intentatam fuisse hanc fraudem. Nimium me ergo, nimium, proh Christe! pœnitet ibi majorum nostrorum: qui sic obtusi fuerunt, ut eos falleret captio, pueris etiam cognitu facilis. Sed eo majori fraus illorum odio digna est, quo deterius simplicitate abusi sunt nostrâ. Tuam vero, beatissime Leo, quis satis admirari potest fœlicitatem: in quo istam verti contigit in melius Pontificum mutationem? Habebit enim meliores ab hoc tempore Pontifices ecclesia, nisi non ex anima fiat ista promissio: sed ex animo fit. Atque igitur quædam est hæc injuria tua ab iis, qui vel dubitant, contra impudentissimè effictam Constantini donationem scribentes, an laturus sis. In illos vere detestandi sceleris commentores Pontifices, omnia acerbissima dicta, omniaque ferocissima facta conveniunt. Quid ni? in depeculatores, in fures, in tyrannos, in latrones. Quis violentior enim latro est, quàm qui ita rapit, ut rapiendi modum nullum statuat? Hi fuerunt qui in minimo, arreptâ occasione, ad immensum progressi sunt diripiendi licentiâ: Qui gratias venum exposuerunt: qui condonationes, qui dispensationes, & infiniti generis bullas, qui vendiderunt tanto jam tempore. Qui in peccatorum remissione pretium statuerunt, & in pœnis inferorum invenerunt sibi lucrum. Qui sacerdotia hic, eleemosynam parentum nostrorum passi sunt à se mercari.

Pseudopontifices approbantes Constantini donationem.

Miranda hic enarrantur.

Qui

Qui Germanis persuaserunt episcopos non esse, qui ab se pallia non emerint, multis aureorum millibus. Qui contenti non sunt exigere extra ordinem quotannis semel, sed mittebant, quoties in mente venisset, qui colligerent alii aliis de causis: nonnulli quasi bellū apparaturi contra Turcas: alii ut templum, quod perfici non curant, Romæ divo Petro extruant. Qui cum hæc omnia facerent, tamen salutari se vulgo beatissimos & sanctissimos volebant: nec aliquid in suos mores dici patiebantur, nedum fieri. Si quis vero libertatis meminisset aut si quis rapientibus impedimentum, aut moram si quis omnino objecisset, in ejus sæviebant animam, perdentes actutùm. His talibus jam insatiandis latronibus, tam immitibus tyrannis, nonne inimicum tibi valde putas, si quis te inferat, Leo maxime: Aut non optimè de statu pontificio meritus videtur, qui te magna voce, quia nihil cum illis commune habeas, prædicet: illis contra omnia quæ ad successionem Petri attinent, detrahat? Vel non benedices illi pacis restaurator, qui his maledixerit bellorum & seditionum authoribus? Quinimo te novi, maledices his ipse, ut in quemlibet eorum conveniat propheticum hoc: Dilexit maledictionem, & venit ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Sic maledicendo perdebant illi, enim animas hominum, quasi non esset Deo chara hæc possessio. Ergo non fuerunt pastores: quia non custodiebant animas, sed perdebant: & circumeuntibus dominicum gregem lupis objiciebant Christi oves. Non pastores fuerunt illi, inquam, sed lupi: Non custodes, sed proditores & fures. Quamobrem jure optimo maledicere illis licet: quia Deo curæ non sunt, quibus pax Dei curæ non fuit. Tamdiu igitur Pontifex in Ecclesia non fuit, quamdiu pax non fuit. Quinetiam nec dicere bene, nec facere licebat, quamdiu quidem illi grassabantur per ovile Dei voraces lupi. Illæ devastabant vineam domini singulares feræ: Illi dominabantur orbi Christiano incomparabiles tyranni: de quibus Hieremias dicit: Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcaverunt partem meam. Nam si tanto quisque pejor tyrannus est, quanto ex civium corporibus plura, ut tutus ipse grassetur, necaverit; Quid de illis dicendum est, qui ut opes haberent, animarum passim cædem instituebant? Qui ob assertam veritatem, non corpora hominum trucidare contenti erant, sed illam perimebant etiam amicam Dei animam, sponsam Dei, illud nobile inferorum spolium, illam tanti laboris mercedem, illud sanguine Christi quæsitum præmium pessundabant, occidebant, devorabant. Quibus nos vicissim non invidebamus, quia potentes erant: sed oderamus, quia nocentes. Tui vero amorem profundissimè insitum jam Christianorum animis, quæ satis erit alacritas, beatissime Leo, ut ostendamus? Tu ille orbis amor, illud humani generis delicium, restaurator pacis, bellorum extinctor, author securitatis, turbarum sedator, pater studiorum, fomes literarum, optimarum artium, fœlicis ingeniorum cultus reparator: de quo scriptum est per Prophetam, Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis. Quanto solidiorem hæc laudem complectuntur, quàm illa nuper de suis bellis, suis triumphis decantata Julio: Sunt enim laudabilia Pontificis opera: illa ferocissima erant tyranni facta. Scilicet Pontifex nemo fuit, qui secularia ad se regna quomodocunque etiam pertraxit: nec vicarius Christi, aut Petri successor fuit, quisquis piacularem Constantini donationem, quæ nec facta unquam est, nec fieri potuit, asseruit. Cujus ego improbationem, tantum abest ut impiam putem, ut vehementer pontificiæ dignitati detrahere eos existimem, qui hanc probent: Tibi vero gratissimum facere me confidam, qui rejectum nuper & damnatum hac de re Vallæ libellum, veluti ex tenebris in lucem, ab interitu ad vitam revocem. Quinetiam ipsum tibi illum dedico, ut testatum sit, quàm, te Pontifice, renata libertate, verum dicere licuerit omnibus, verumque scribere. Quod etsi non dubitem, quin valde tibi placeat: tamen ubi hoc publico aliquo testimonio approbatum abs te intellexero, dabo operam ut sæpe aliquid tale inveniam. Interea Christus optimus maximus sic bonum te, sic verum Pontificem nobis diu incolumem servet. Ex arce Steckelberg. Calen. Decemb. Anno post millesimum & quingentesimum, decimoseptimo.

Contra Leonis orationem ad principes.

Laus Leonis.

FINIS.

LAURENTII

LAURENTII VALLENSIS, PATRITII Romani, de falsò creditâ & ementitâ Constantini donatione Declamatio.

PLures à me libri, compluresque emissi sunt in omni ferè doctrinarum genere. In quibus quod à nonnullis magnisque & longo jam ævo probatis authoribus dissentio, cum sint qui indignè ferant, meque ut temerarium sacrilegumque criminentur; Quid tandem nunc facturi quidam putandi sunt? quantopere in me debacchaturi? & si facultas datur, quàm avidè me ad supplicium festinanterque rapturi? qui non tantum adversus mortuos scribo, sed adversus etiam vivos, nec in unum alterumve, sed in plurimos: nec contra privatos modò, verum etiam contra magistratus. At quos magistratus? Nempe summum Pontificem: qui non temporali solum armatus est gladio, regum ac principum more, sed ecclesiastico quoque: ut ab eo neque subter ipsum, ut sic loquar, clypeum alicujus principum protegere te possis, quo minus excommunicatione, anathemate, execratione feriare. Quod si prudenter, ut dixit, sic fecisse existimatus est, qui inquit, Nolo scribere in eos, qui possunt proscribere: quanto mihi magis idem faciendum esse videtur in eum qui ne proscriptioni quidem reliquerit locum, quique invisibilibus me potestatis suæ jaculis persequatur: ut jure possim dicere, Quo ibo à spiritu tuo, & quo à tua fugiam facie? Nisi forte putemus, patientius hæc esse laturum summum sacerdotem, quàm cæteri facerent. Nihil minus: siquidem Paulo, quod bonâ se conscientiâ conversatum esse diceret, Ananias princeps sacerdotum coram tribuno, qui judex sedebat, jussit obverberari: & Phassur eadem præditus dignitate, Hieremiam ob loquendi libertatem conjecit in carcerem. Sed illum tribunus ac præses, hunc Rex adversus injuriam Pontificis tutari, & potuit & voluit. Me vero quis tribunus, quis præses, quis Rex è manibus summi sacerdotis, si me rapuerit ille, etiam ut velit, eripere poterit? Verum non est causa cur me duplex hic periculi terror conturbet, arceatque à proposito. Nam neque contra jus fasque summo Pontifici licet aut ligare quippiam, aut solvere, & in defendenda veritate atq; justitia profundere animam, summæ virtutis, summæ laudis, summi præmii est. An vero multi ob terrestrem patriam defendendam mortis adiêre discrimen: ego ob cœlestem patriam assequendam (assequuntur autem eam, qui Deo placent, non qui hominibus) mortis discrimine deterrebor? Facessat igitur trepidatio, procul abeant metus, timores excidant. Forti animo, magna fiducia, bona spe, defendenda est causa veritatis, causa justitiæ, causa Dei. Neq; enim is verus habendus est orator qui bene scit dicere, nisi & dicere audeat. Audeamus igitur accusare, quicunq; digna committit accusatione. Et qui in omnes peccat, unius pro omnium voce carpatur. At non debeo palam objurgare fratrem, sed inter me & ipsum. Imo publicè peccans, & qui privatum consilium non admitteret, publicè arguendus est, ut cæteri timorem habeant. An non Paulus, cujus verbis modo sum usus, in os Petrum coram ecclesiâ reprehendit, quia reprehensibilis erat? & hoc ad nostram doctrinam scriptum reliquit. At non sum Paulus, qui Petrum possum reprehendere. Immo Paulus sum, qui Paulum imitor: Quemadmodum, quod multo plus est, unus cum Deo spiritus efficior, cum studiosè mandatis illius obtempero. Neq; aliquem sua dignitas ab increpationibus tutum reddidit, quæ Petrum non reddidit, multosque alios eodem præditos gradu: ut Marcellum, quòd diis libasset: ut Celestinum, quod cum Nestorio hæretico sentiret, ut quosdam etiam nostrâ memoriâ, quos ab inferioribus (Quis enim non est inferior papâ?) reprehensos scimus, ut taceam condemnatos. Neque verò id ago, ut quempiam insectari cupiam, & in eum, quasi Philippicas scribere: hoc enim à me facinus procul absit: sed ut errorem à mentibus hominum convellam, ut eos à vitiis sceleribusque vel admonendo vel increpando summoveam. Non ausim dicere ut alii per me edocti, luxuriantem nimiis sarmentis papalem sedē, quæ Christi vinea est, ferro coerceant: & plenas uvas, non graciles labruscas ferre compellant. Quod cum facio, num quis erit, qui aut mihi os, aut sibi aures velit occludere, ne dicam supplicium mortemq; proponere? Hunc ego si hoc faciat, etiamsi papa sit, quid dicam esse? Bonum ne pastorem, an aspidem surdam? quæ nolit exaudire vocem incantantis, velit ejusdem membra morsu præstringere venenoq;? Scio jamdudum expectare aures hominum, quodnam pontificibus Romanis crimen impingam: profecto ingens, sive supinæ ignorantiæ, sive immanis avaritiæ, quæ est idolorum servitus, sive imperandi vanitatis, cui crudelitas semper est comes. Nam aliquot jam sæculis aut non intellexerunt donationem Constantini

Duplex periculi causa.

stantini commentitiam fictamq; esse, aut ipsi finxerunt: sive posteriores in majorum suorum dolis vestigia imprimentes pro vera, quàm falsam cognoscerent, defenderunt: dedecorantes pontificatûs majestatem, dedecorantes veterum pontificum memoriam, dedecorantes religionem Christianam, & omnia cædibus, minis, flagitiisq; miscentes. Suam esse aiunt urbem Romã, suum regnum Siciliæ, Neapolitanumq;: suam universam Italiam, Gallias, Hispanias, Germanos, Britannos; suum deniq; occidentẽ. Hæc enim cuncta in ipsa donationis paginâ contineri. Ergo hæc omnia tua sunt, summe pontifex? omnia tibi in animo est recuperare? omnes reges ac principes occidentis spoliare urbibus, aut cogere ut annua tibi tributa pensitent, sententia est? At ego contrà existimo, justius licere principibus spoliare te imperio omni quod obtines. Nam ut ostendã, donatio illa, unde natũ esse suũ jus summi pont. volunt, Silvestro pariter & Constantino fuit incognita. Verũ antequam ad confutandã donationis paginã venio, quod unum istorum patrocinium est, non modò falsum, verum etiam stolidũ, ordo postulat, ut altius repetam. Et primũ dicam, non tales fuisse Constantinũ Silvestrumq;: Illum quidẽ qui donare vellet, qui jure donare posset: qui, ut in manum alteri ea traderet, in sua haberet potestate: Hunc autem, qui vellet accipere, quiq; jure accepturus foret. Secundo loco, si hæc non essent, quæ verissima atq; clarissima sunt, neq; hunc acceptasse, neq; illum tradidisse possessionem rerum, quæ dicuntur donatæ, sed eas semper in arbitrio & imperio Cæsarum permansisse. Tertiò, nihil datũ Silvestro à Constantino, sed priori pontifici, ante quem & baptismum acceperat: donáque illa mediocria fuisse, quibus papa degere vitam posset. Quartò, falsò dici, donationis exemplũ aut apud Decreta reperiri, aut ex historiâ Silvestri esse sumptum: quod neque in illâ, neque in ullâ historiâ invenitur: In eo quædam contraria, impossibilia, stulta, barbara, ridicula contineri. Præterea loquar de quorundam aliorum Cæsarum vel simulatâ, vel frivolâ donatione. Ubi ex abundanti adjiciam, si Silvester possedisset, tamen sive illo, sive quovis alio pontifice à possessione dejecto, post tantam temporis intercapedinem, nec divino nec humano jure posse repeti. Postremò, ea quæ à summo pontifice tenentur, nullius temporis longitudine posse præscribi. Atq; quod ad primam partem attinet (loquamur autem de Constantino prius, deinde de Silvestro) non est committendum, ut publicam quasi & Cæsaream causam, non majore quàm privatæ solent, ore agamus. Itaq; quasi in concione Regum ac Principum orans, ut certè facio (nam mea hæc oratio in manus eorum ventura est) libet tanquam præsentes & in conspectu positos alloqui. Vos appello, Reges ac Principes (Difficile est enim privatum hominem animi regii concipere imaginem) vestram mentem inquiro, conscientiam scrutor, testimonium postulo. Nunquid vestrûm quispiam si fuisset Constantini loco, faciendum sibi putasset, ut urbem Romam patriam suam, caput orbis terrarum, reginam civitatum potentissimam, nobilissimam, ditissimam populorum, triumphatricem nationum, & ipso aspectu sacram, liberalitatis gratiâ donaret alteri, & se ad humile oppidum conferret, deinde Byzantium? Donaret præterea, unà cum Româ, Italiam, non provinciam, sed provinciarum victricem: donaret tres Gallias, donaret duas Hispanias, donaret Germanos, donaret Britannos: totum donaret occidentem & se altero ex imperii oculis orbaret? Hoc ego, ut quis faciat compos mentis, adduci non possum ut credam. Quid enim vobis expectatius, quid jucundius, quid gratius contingere solet, quàm imperiis accessionem vestris vos regnisque adjungere, & longè latéque quàm maximè proferre ditionem? In hoc, ut videre videor, omnis vestra cura, Omnis cogitatio, omnis labor diesque noctesque consumitur: Ex hoc præcipua spes gloriæ: propter hoc voluptates relinquitis: propter hoc mille pericula aditis: propter hoc charissima pignora: propter hoc partem corporis æquo animo amittitis: Siquidem neminem vestrûm aut audivi aut legi à conatu ampliandi imperii fuisse deterritum, quod aut luminis, aut manûs, aut cruris, aut alterius membri jacturam fecisset. Quin ipse hic ardor, atque hæc latè dominandi cupiditas, ut quisque maximè potens est, ita eum maximè angit atque agitat. Alexander non contentus deserta Lybiæ pedibus peragrasse, Orientem ad extremum usque oceanum vicisse, domuisse Septentrionem, inter tot vulnera, tot casus, recusantibus jam detestantibusque tam longinquas tam asperas expeditiones militibus, ipse sibi nihil effecisse videbatur, nisi & Occidentem & omnes nationes aut vi aut nominis sui authoritate, sibi tributarias reddidisset. Parum dico. Jam Oceanum transire, & si quis alius orbis esset expoliare, ac suo subjicere arbitrio destinaverat. In cœlum tandem, ut opinor, tentasset ascendere. Talis ferè est omnium regum voluntas, etsi non omnium talis audacia. Taceo quanta scelera, quot abominanda propter imperium assequendum ampliandumve admissa sunt: ut nec fratres à fratrum, nec filii à parentum, nec parentes à filiorũ sanguine nefarias abstineant manus. Adeo nusquã magis, nusquã atrocius grassari solet humana temeritas: & quod mirari possis, non segniores ad hoc videas animos senum quàm juvenum, orborum quàm parentum, regum quàm tyrannorum.

Donatio Silvestro & Constantino incognita.

Alexander magnus.

Quòd si tanto conatu dominatus peti solet, quantò majore necesse est, conservetur? Neque enim tantopere miserū est non ampliari imperium, quàm imminuere: Neq; tam deforme tibi alterius regnum non accedere tuo, quàm tuum accedere alieno. Nam quod ab rege aliquo aut populo legimus, nonnullos præpositos regno aut urbibus, id factum est non de primâ, nec de maximâ, sed de postremâ quodammodo ac minimâ imperii parte: Atq; ea ratione, ut donantem, qui donatus est, quasi dominum, & se ministrum illius semper agnosceret. Nunc quæso, nonne abjecto animo & minime generoso videntur esse, qui opinantur Constantinum meliorem à se imperii alienasse partem? Non dico Romam, Italiamq; &c. sed Gallias; ubi ipse prælia gesserat, ubi solum diu dominatus fuerat, ubi suæ gloriæ suique imperii rudimenta posuerat: Hominem, qui cupiditate dominandi, nationibus bella intulisset: socios affinesq; bello civili persequutus imperio privasset: Cui nondum perdomitæ ac profligatæ reliquiæ essent alterius factionis: Qui cum multis nationibus bella gerere non modo soleret spe gloriæ imperiiq;, sed & necesse haberet, utpote à Barbaris quotidie lacessitus: Qui filiis, qui conjunctis sanguine, qui amicis abundaret: Qui senatum, populūq; Roman. huic facto repugnaturū nosset: Qui expertus esset instabilitatem victarū nationū, & ad omnem ferè Rom. principis mutationem rebellantium: Qui se meminisset more aliorum Cæsarum, non electione patrum consensuq; plebis, sed exercitu, armis, bello, dominatum occupasse. Quæ tam vehemens causa & urgens aderat, ut ista negligere & tantâ liberalitate uti vellet? Aiunt, quia effectus erat Christianus. Ergone imperii optimâ parte se abdicaret? Credo, scelus erat, flagitium, nefas jam regnare, nec cum Christianâ religione conjungi poterat regnum. Qui in adulterio sunt, qui usuris rem auxerunt, qui aliena possident, hi post baptismum alienam uxorem, alienam pecuniam, aliena bona reddere solent. Hanc cogitationem si habes, Constantine, restituere urbibus libertatem, non mutare dominum debes. Sed non id in causâ fuit, tantum in honorem religionis, ut faceres, adductus es. Quasi religiosum sit magis, regnum deponere quàm pro tutelâ religionis illud administrare. Nam quod ad accipientes attinet, neq; honesta erit illis, neq; utilis ista donatio. Tu vero si Christianum te ostendere, si pietatē indicare tuam, si consultum non dico Romanæ ecclesiæ vis, sed ecclesiæ Dei, nunc præcipuè, nunc principē agas, ut pugnes pro his qui pugnare non possunt nec debent. Ut eos tuâ authoritate tutos reddas qui insidiis injuriisq; obnoxii sunt. Nabuchodonosori, Cyro, Assuero multisq; aliis principibus sacramentum veritatis Deus aperire voluit: à nullo tamen eorum exegit, ut imperio cederet, ut partem regni donaret, sed tantum libertatem Hebræis redderet, eosq; ab infestantibus finitimis protegeret. Hoc satis fuit Judæis, hoc sat erit & Christianis. Factus es, Constantine, Christianus: At indignissima res est, Christianum te nunc Imperatorem minorem esse principatu, quam fueras infidelis. Est enim principatus præcipuum quoddam Dei munus, ad quem Gentiles etiam principes à Deo eligi existimantur. At erat lavatus à leprâ, ideo vero simile est referre gratiam voluisse, & majore mensurâ reddere quod acceperat. Itane? Naaman ille Syrus ab Helisæo curatus, munera tantum offerre voluit, non dimidium bonorum: Constantinus dimidium imperium obtulisset? Piget me impudenti fabellæ, tanquam indubitatæ historiæ respondere. Sic enim hæc fabula, ex historiâ Naaman & Helisæi, ut altera draconis, ex fabuloso dracone Beli adumbrata est. Sed ut ista concedam, nunquid in hâc historiâ de donatione fit mentio? Minimè. Verùm de hoc commodius postea. Lavatus est à leprâ, cepit ob id mentem Christianam, dei timore, dei amore imbutus est, illi honorem habere voluit. Non tamen persuaderi possum eum tanta donare voluisse. Quippe cum videam neminem, aut Gentilem in honorem deorum, aut fidelem in honorem dei viventis, imperium deposuisse, sacerdotibusq; donasse. Siquidem ex regibus Israel nemo adduci potuit, ut pristino more ad templum Hierusalem populos sacrificaturos ire permitteret, eo videlicet timore, ne fortè ad regem Judæ, à quo defecerant, redirent, sacro illo cultu religionis admoniti ac templi majestate. At quanto hoc magis est, quod fecisse dicitur Constantinus? Ac ne quid tibi propter curationem lepræ blandiaris, Hieroboam primus à Deo in regem Israel electus est, & quidem ex infimâ conditione, quod meâ sententiâ plus est, quàm esse leprâ lavatum: & tamen is non est ausus regnum suum Deo credere, & tu vis Constantinum regnum deo donasse, quod ab illo non accepisset? Qui præsertim, id quod in Hieroboam non cadebat, offenderet filios, deprimeret amicos, negligeret suos, læderet patriam, mœrore omnes afficeret, suiq; oblivisceretur. Qui si etiam talis fuisset, & quasi in alium hominem versus, certè non defuissent qui eum admonerent, & imprimis filii, propinqui, amici. Quos quis est qui non putet protinus Imperatorem fuisse adituros? Ponite igitur illos ante oculos, mente Constantini auditâ, trepidos, festinantes, cum gemitu lachrymisq; ad genua principis procumbentes & hac voce utentes.

¶ Itane pater antehac filiorū amantissime, filios privas, exhæredas, abdicas? Nam quòd te optimâ maximâq; imperii parte exuere vis, non tam querimur, quàm miramur. Querimur autem

Non minuit imperium Constantinus.

Deus neminem unquam imperio suo cedere jussit.

Oratio filiorum ac necessario.

autem, quòd eam ad alios defers, cum nostrâ & jacturâ & turpitudine. Quid enim causæ est, quod liberos tuos expectatâ successione imperii fraudas; qui ipse unà cũ patre regnasti? Quid in te commisimus? quâ in te, quâ in patriam, quâ in nomen Romanũ, ac majestatem imperii impietate digni videmur, quos præcipuâ optimâque prives principatûs portione? qui à patriis laribus, à conspectu natalis soli, ab assuetâ aurâ, à vetustâ consuetudine relegemur? Penates, fana, sepulchra exules relinquemus, nescio ubi aut quâ terrarum regione victuri? Quid nos propinqui, quid nos amici, qui tecum toties in acie stetimus: qui fratres, parentes, filios hostili mucrone confossos, palpitantesq; conspeximus, nec alienâ morte territi sumus, & ipsi parati pro te mortem oppetere, nunc abs te universi destituimur? Qui Romæ gerimus magistratus, qui urbibus Italiæ, qui Galliis, qui Hispaniis, qui cæteris provinciis præsumus, aut præfuturi fuimus: omnesne revocamur, omnes privati jubemur esse? An jacturã hanc aliunde pensabis? Et quomodo pro merito ac pro dignitate poteris, tantâ orbis terrarũ parte alteri traditâ? Num qui præerat centum populis, eum tu Cæsar uni præficies? Quomodo tibi istud in mentẽ venire potuit? quomodo subita tuorũ te cœpit oblivio: ut nihil te misereat amicorũ, nihil proximorũ, nihil filiorũ? Utinam nos, Cæsar, salvâ tua dignitate atq; victoriâ, in bello contigisset occumbere potius, quàm ut ista cernamus. Et tu quidẽ de imperio tuo ad tuum arbitratũ agere potes, atq; etiam de nobis, uno duntaxat excepto: in quo vel ad mortem usq; erimus contumaces, ne à cultu deorum immortaliũ desistamus, magno etiam aliis exemplo: ut scias tua ista largitas quid mereatur de religione Christianâ. Nam si non largiris Silvestro imperium, tecum Christiani esse volumus, multis factũ nostrum imitaturis. Sin largiris, non modò Christiani fieri non sustinebimus, sed invisum, detestabile, execrandũ nobis hoc nomen efficies: Talesq; reddes, ut tandem tu & vitæ & mortis nostræ miserearis: nec nos, sed teipsum duritiæ accuses. Nonne hâc oratione Constantinus, nisi extirpatam ab eo volumus humanitatem, si suâ sponte non movebatur, motus fuisset? Quid si hos audire noluisset? Nõne erant qui huic facto & oratione adversarentur & manu? An S. P. Q. R. sibi tantâ in re nihil agendũ putasset? Nonne oratorem, ut ait Virgilius, gravẽ pietate & meritis, advocasset, qui apud Constantinum hanc haberet orationem? rum Constantini, ad illum.

¶ Cæsar, si tu tuorum immemor es, atq; etiam tui, ut nec filiis hæreditatẽ, nec propinquis opes, nec amicis honores, nec tibi imperium esse integrum velis: non tamen S. P. Q. R. immemor potest esse sui juris, suæq; dignitatis. Etenim quomodo tibi tantum permittis de imperio Rom. quod non tuo, sed nostro sanguine partum est? Tune unum corpus in duas secabis partes? & ex uno duo efficies regna, duo capita, duas voluntates? & quasi duobus fratribus gladios, qui de hæreditate decernant, porriges? Nos civitatibus, quæ de hâc urbe bene meritæ sunt, jura civitatis damus, ut cives Rom. sint: tu à nobis dimidium imperii aufers, ne hanc urbem parentem suam agnoscat? Et in alveis quidem apium, si duo reges nati sint, alterum qui deterior est, occidimus: Tu in alveo imperii Rom. ubi unus & optimus princeps es, alterum, & hunc deterrimum, & non apem, sed fucum collocandum putas? Prudentiam tuam vehementer desideramus, Imperator: Nam quid futurum est, si vel te vivo, vel post tuam mortem, aut huic parti quam alienas, aut alteri quam tibi relinquis, bellum à Barbaris nationibus inferatur? Quo robore militum, quibus copiis occurremus? Vix nunc totius imperii viribus possumus, tunc poterimus? An perpetuò membrum hoc cum illo in concordia erit? Ut reor, nec esse poterit: quum Roma dominari velit, nolit pars illa servire. Quin & te vivo, breve intra tempus, revocatis veteribus præsidiis, suffectis novis, te in tuum regnum profecto & longè agente, hic altero dominante, nonne omnia nova, id est, diversa atq; adversa erunt? Regno ferè inter duos fratres diviso, protinus & populorum animi dividuntur: & prius à seipsis, quàm ab externis hostibus bellum auspicantur. Idem eventurum in hoc imperio quis non videt? An ignoras hanc olim in primis fuisse causam optimatibus, cur dicerent citius se in conspectu Pop. Rom. esse morituros, quàm rogationem illam ferri sinerent, ut pars Senatûs ac pars plebis ad incolendum Vejos mitteretur, duasque urbes communes Pop. Rom. esse? Si enim in unâ urbe tantum dissensionum esset, quid in duabus urbibus futurum? Ita hoc tempore, si tantum discordiarum in uno imperio, testor conscientiam tuam, ac labores, quid in duobus imperiis fiet? Age verò, putasne hinc fore, qui tibi bellis occupato, esse auxilio aut velint, aut sciant? Ita ab armis atq; ab omni re bellicâ abhorrentes erunt, qui præficientur militibus atq; urbibus, ut ille qui præficit. Quid? nonne hunc tam imperitum regnandi, & injuriæ facilem, aut Rom. legiones, aut ipsæ provinciæ spoliare tentabunt? ut quẽ sperabunt vel non repugnaturum, vel pœnas non repetiturum. Credo mehercule, ne unum quidem mensem illos in officio mansuros, sed statim & ad primum profectionis tuæ initium rebellaturos. Quid facies? Quid consilii capies, quum duplici atq; adeo multiplici bello urgebere? Nationes, quas subegimus, continere vix possumus: quomo-

Oratio populi Rom. ad Constantinũ.

Pulchra comparatio.

do illis accedente ex liberis gentibus bello resistetur? Tu Cæsar, quid ad te spectet, ipse videris. Nobis autem hæc res non minus, quã tibi curæ esse debet. Tu mortalis es: Imperiũ populi Rom. decet esse immortale, & quantũ in nobis est, erit; neq; imperiũ modò, verum etiam pudor. Scilicet, quorum religionem contemnimus, eorum accipiemus imperium? & principes orbis terrarum huic contemptissimo homini serviemus? Urbe à Gallis captâ, Romani senes demulceri sibi barbam à victoribus passi non sunt. Nunc sibi tot senatorii ordinis, tot prætorii, tot tribunitii, tot consulares triumphalesq; viri, eos dominari patitur, quos ipsi tanquam servos malos omni contumeliarum genere suppliciorumq; affecerunt? Istine homines magistratus creabunt? provincias regent? bella gerent? de nobis sententias capitis ferent? Sub his nobilitas Romana stipendia faciet? honores sperabit? munera assequetur? Et quod majus, quodq; altius penetret, vulnus accipere possumus? Non ita putes Cæsar Ro. degenerasse sanguinem, ut istud passurus sit æquo animo, & non quavis ratione devitandum existimet, quod mediusfidius neq; mulieres sustinerent, sed magis se unà cum dulcibus liberis sacrisq; penatibus concremarent. Ut non Carthaginenses fœminæ fortiores fuerint, quã Romanæ. Etenim, Cæsar, si regem te delegissemus, haberes tu quidem magnum de imperio Ro. agendi arbitrium; sed non ita, ut vel minimum de ipsius imminueres majestate. Alioqui te fecissemus regem, eadem facultate te regno abdicare juberemus, nedum posses regnum dividere, nedum tot provincias alienare, nedum ipsum regni caput peregrino atq; humillimo homini addicere. Canem ovili præfecimus: quem, si lupi mavult officio fungi, aut ejicimus, aut occidimus. Nunc tu cum diu canis officio in ovili Romano defendendo sis functus, ad extremum in lupum nullo exemplo converteris? Atq; ut intelligas, quandoquidẽ nos pro jure nostro coges asperius loqui, nullum tibi in populi Ro. imperio jus est. Cæsar vi dominatum occupavit, occupavit Augustus, & in vitium successit, & adversariorũ partium profligatione se dominum fecit. Tiberius, Cajus, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, cæteriq; aut eadem aut simili viâ libertatem nostram prædati sunt. Tu quoq;, aliis expulsis aut interemptis, dominus effectus es. Sileo, quòd ex matrimonio natus non sis. Quare ut tibi nostram mentem testificemur, Cæsar, si non libet tibi Romæ principatum tenere, habes filios quorũ aliquẽ in locum tuum, nobis quoq; permittentibus ac rogantibus, naturæ lege substituas. Sin minus, nobis in animo est publicam amplitudinẽ cum privatâ dignitate defendere. Neq; enim minor hæc injuria quiritum, quàm olim fuit violatâ Lucretiâ. Neq; nobis deerit Brutus, qui contra Tarquinium se ad libertatem recuperandam huic populo præbeat ducem: Et in istos primum quos nobis præponis, deinde & in te ferrum stringemus: Quod in multos imperatores, & quidem leviores ob causas, fecimus.

Imperium non posse dividi.

¶ Hæc profectò Constantinũ, nisi lapidẽ eum aut truncum existimamus, permovissent. Quæ si populus non dixisset, tamen dicere apud se, & his passim verbis fremere, credibile erat. Eamus nunc, & dicamus Constantinum gratificari voluisse Silvestro, quem tot hominum odiis, tot gladiis subjiceret, ut vix, quantum sentio, unum Silvester diem in vitâ facturus fuisset. Nam eo, paucisq; aliis absumptis, videtur omnis sublatum iri de pectoribus Romanorum, tam diræ injuriæ contumeliæq; suspicio. Age porrò, si fieri potest, concedamus, neq; preces, neq; minas, neq; ullam rationem aliquid profecisse, perstareque adhuc Constantinum, nec velle à susceptâ semel persuasione discedere. Quis non ad Silvestri orationem si res vera fuisset, unquam commotum assentiatur? quæ talis haud dubiè fuisset.

Oratio Silvestri ad Constantinum.

¶ Princeps optime ac fili, Cæsar, Pietatem quidẽ tuam tam pronam tamq; effusam, non possum non amare atq; amplecti: veruntamen quod in offerendis Deo muneribus, immolandisq; victimis nonnihil erres, minime demiror, quippe qui adhuc es in Christianâ militiâ tyro. Ut non decebat olim à sacerdote omnem pecudẽ feramq; & ovem sacrificari, ita non omne ab eodem accipiendum est munus. Ego sacerdos sum ac pontifex, qui dispicere debeo, quid ad altare patiar offerri: Ne fortè, non dico immundum animal offeratur, sed vipera aut serpens. Itaq; sic habeas. Si foret tui juris, partẽ imperii cum reginâ orbis Româ, alteri tradere quàm filiis, quod minimè sentio; si populus hic, si Italia, si cæteræ nationes sustinerẽt, ut quos oderunt, & quorũ religionem adhùc respuunt, capti illecebris seculi, eorũ imperio obnoxii esse vellent, quod impossibile est, tamen si quid mihi credẽdum putas, fili amantissime, ut tibi assentiar, ullâ adduci ratione non possum? nisi vellem mihi ipsi esse dissimilis & conditionẽ meam oblivisci, ac propemodum dominum Jesum abnegare. Tua enim munera, sive, ut tu vis, tuæ remunerationes, & gloriã & innocentiam & sanctimoniam meã atq; omniũ qui mihi successuri sunt, polluerent ac prorsus everterent, viamq; iis qui ad cognitionẽ veritatis venturi sunt, intercluderent. An vero Helisæus à Naaman Syro, à lepra curato, mercedẽ accipere noluit, ego te curato accipiam? Ille munera respuit, ego regna mihi dari sinam? Ille personam prophetæ maculare noluit, ego personam Christi quam in me gero, maculare potero? Cur autẽ ille accipiẽdis muneribus personam prophetæ maculari putavit?

tavit? Nempe quod videri poterat vendere sacra, fœnerare donum Dei, indigere præsidiis hominum, elevare atq; imminuere beneficii dignitatem. Maluit ergo sibi principes ac reges beneficiarios facere, quàm ipse beneficiarius illorum esse: imò ne mutuá quidem beneficentiâ uti. Beatius est enim multò, ut inquit dominus, dare quàm accipere. Eadem mihi atq; adeo major est causa, cui etiam à domino præcipitur dicente: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date. Egone tantū flagitium admittā, Cæsar, ut Dei præcepta non exequar? ut gloriam meā polluam? Melius est, ut inquit Paulus, mihi mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet. Gloria nostra est, apud Deum honorificari ministerium, ut idem inquit: Vobis dico gentibus, quamdiu ego quidem sum gentium Apostolus, glorificabo ministerium meum. Ego, Cæsar, aliis quoq; sim & exemplum & causa delinquendi, Christianus homo, sacerdos dei, pontifex Romanus, vicarius Christi? Jam verò innocentia sacerdotum quomodo incolumis erit inter opes, inter magistratus, inter administrationem secularium negotiorū? Ideone terrenis renuntiamus, ut eadem uberiora assequamur? Et privata abjecimus, ut aliena possideamus, & publica? Nostræ erunt urbes, nostra tributa, nostra vectigalia. Et cur clericos, si hæc fecerimus, nos vocari licebit? Pars nostra, sive sors, quæ græcè dicitur κλῆρος, dominatus est, non terrenus, sed cœlestis. Levitæ, qui iidem clerici sunt, partē cum fratribus non fuere sortiti: & tu nos jubes etiam fratrū sortiri portionem? Quò mihi divitias atq; opes, qui domini voce jubeor nec de crastino esse solicitus? & cui dictum est ab illo: Nolite thesaurizare super terram, nolite possidere aurū, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris. Et, Difficilius est divitem introire in regnum cœlorum, quàm camelum per foramen acûs transire. Ideoq; pauperes sibi ministros elegit, & qui omnia reliquerunt, ut eum sequerentur: & paupertatis ipse fuit exemplum. Usq; adeo divitiarum pecuniarumq; tractatio innocentiæ inimica est; non modò possessio illarum atque dominatus. Unus Judas, qui loculos habebat, & portabat quæ mittebantur, prævaricatus est: & amore pecuniæ, cui assueverat, magistrum, dominum, Deum, & reprehendit & prodidit. Itaq; vereor, Cæsar, ne me ex Petrò facias Judam. Audi etiam quid Paulus dicat: Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociva: quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem homo Dei hæc fuge: Et tu me accipere jubes, Cæsar, quæ velut venenum effugere debeo? & quis præterea (pro tua prudentia, Cæsar, consideres) quis inter hæc divinis rebus faciendis locus? Apostoli quibusdam indignantibus, quod viduæ ipsorum in ministerio quotidiano despicerentur, responderunt, non esse æquum relinquere se verbum dei, & ministrare mensis: & tamen viduis ministrare, quanto aliud est quàm exigere vectigalia? curare ærarium? stipendium numerare militibus? & mille aliis curis hujusmodi implicari? Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, inquit Paulus. Nunquid Aaron, cum cæteris Levitici generis, aliud quàm domini tabernaculum procurabat? Ejus filii, quia ignem alienum in thuribula sumpserant, igni cœlesti conflagraverunt. Et tu jubes nos ignem secularium divitiarum, vetitum ac prophanum, in sacrata thuribula, id est, in sacerdotalia opera sumere? Num Eleazar, num Phinees, num cæteri pontifices ministriq;, aut tabernaculi aut templi, quicquam, nisi quod ad rem divinam pertineret, administrabant, dico imò, administrare poterant, si officio suo satisfacere volebant? Quod si nolint, audiant execrationem domini dicentis, Maledicti qui opus domini faciunt negligenter. Quæ execratio quum in omnes, tum in pontifices maximè cadit. O quantum est pontificale munus? Quantum est caput esse ecclesiæ? Quantum est præponi pastorem tanto ovili: è cujus manu uniuscujusque agni ovisq; amissæ sanguis exigitur? Cui dictum est: si amas me plus quàm alii, ut fateris, pasce agnos meos. Iterum: si amas me, ut fateris, pasce oves meas. Tertiò: si amas me, pasce oves meas. Et tu jubes, Cæsar, capras etiam pascere & porcos: qui nequeunt ab eodem pastore custodiri. Quid, quòd me regem facere vis, aut potius Cæsarem, id est, regum principem? Dominus Jesus Christus deus & homo, rex & sacerdos, quum se regem affirmaret, audi de quo regno loquutus est: Regnum meum (inquit) non est de hoc mundo. Si enim de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarent. Et quæ fuit prima vox, ac frequenter clamor prædicationis ejus? Nonne hæc? Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Appropinquavit regnum Dei, cui comparabitur regnum cœlorum. Nonne cum hæc dixit, regnū seculare nihil ad se pertinere declaravit? Eoque non modò regnum hujusmodi non quæsivit, sed oblatum quoque accipere noluit. Nam cum intelligeret aliquando, populos destinasse, ut eum raperent, regemque facerent, in montium solitudines fugit. Quod nobis, qui locum ipsius tenemus, non solū exem-

Ex Petro facere Judam.

Christus rex esse noluit.

exemplo dedit imitandum, ſed etiam præcepto, inquiens: Principes gentium dominantur eorũ, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, ſed quicunq; voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit primus inter vos eſſe, erit veſter ſervus. Sicut filius hominis non venit ut miniſtretur ei, ſed ut miniſtret, & det animam ſuam redemptionem pro multis. Judices olim deus, ut ſcias Cæſar, conſtituit ſuper Iſrael, non reges, populumq; ſibi nomen regium poſtulantem deteſtatus eſt. Nec aliter ob duritiam cordis illorum regem dedit, quàm quod repudium permiſerat, quod in novâ lege revocavit. Et ego regnũ accipiã, qui vix judex eſſe permittor? An neſcitis, inquit Paulus, quod ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis. Neſcitis quod angelos judicabimus? quanto magis ſæcularia? Secularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in eccleſiâ eos conſtituite ad judicandum. At qui judices de rebus controverſis tantummodo judicabant, non etiam tributa exigebant. Ego exigam, qui ſcio à domino interrogatum Petrum, à quibuſnam reges terræ acciperent tributum cenſúmve, à filiis an ab alienis? Et quũ hic reſpondiſſet, ab alienis, ab eodẽ dictũ, ergo liberi ſunt filii. Quòd ſi omnes filii mei ſunt, Cæſar, ut certè ſunt, omnes liberi erunt, nihil quiſquam ſolvet. Igitur non eſt opus mihi tuâ donatione, qua nihil aſſecuturus ſum, præter laborem, quem ut minime debeo, ita minime poſſum ferre. Quid quod neceſſe haberem, poteſtatem exercere ſanguinis, punire ſontes, bella gerere, urbes diripere, regiones ferro igniq; vaſtare? Aliter non eſt quod ſperem, poſſe me tueri quæ tradidiſſes. Et ſi hæc fecero, ſacerdos, pontifex, Chriſti vicarius ſum? Ut illum in me tonantem audiam atq; dicentem, Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus, & tu feciſti eam ſpelũcam latronum. Non veni in mundũ (inquit dominus) ut judicem mundũ, ſed liberẽ eum, & ego qui illi ſucceſſi, cauſa mortium ero? Cui in perſonâ Petri dictum eſt, Converte gladium tuum in locum ſuum, Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Ne defendere quidem nobis ferro nos licet, ſiquidem defendere dominum Petrus volebat, cum auriculam abſcidit ſervo. Et tu divitiarum aut comparandarum aut tuendarum cauſâ, uti ferro nos jubes? Noſtra poteſtas eſt poteſtas clavium, dicente domino, Tibi dabo claves regni cœlorum: Quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eas. Nihil ad hanc poteſtatem, nihil ad hanc dignationem, nihil ad hoc regnum adjici poteſt. Quo qui contentus non eſt, aliud ſibi quoddam à diabolo poſtulat, qui etiam domino dicere auſus eſt, Tibi dabo omnia regna mundi, ſi cadens in terram adoraveris me. Quare, Cæſar, cum pace tuâ dictum ſit, noli mihi diabolus effici, qui Chriſtum, id eſt me, regna mundi à te data accipere jubeas. Malo enim illa ſpernere quàm poſſidere. Et ut aliquid de infidelibus, ſed ut ſpero, futuris fidelibus loquar, noli me de angelo lucis reddere illis angelum tenebrarum, quorum corda ad pietatem inducere volo, non ipſorum cervici jugum imponere, & gladio, quod eſt verbum dei, non gladio ferri mihi ſubjicere, ne deteriores efficiantur, ne recalcitrent, ne cornu me feriant, ne nomen Dei meo irritati errore blaſphement. Filios mihi chariſſimos volo reddere, non ſervos: adoptare, non emere: generare, non manucapere: animas eorum offerre ſacrificium Deo, non diabolo corpora. Diſcite à me (inquit dominus) qui mitis ſum, & humilis corde. Capite jugum meum, & invenietis requiem animabus veſtris: Jugum enim meum ſuave, & pondus meum leve. Cujus ad extremum, finem faciam: illam in hac re ſententiam accipe, quam quaſi inter me & te tulit: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Quo fit, ut nec tu Cæſar tua relinquere, neque ego quæ Cæſaris ſunt, accipere debeam, quæ vel ſi millies offeras, nunquam accipiam.

¶ Ad hanc Silveſtri orationẽ apoſtolico viro dignam, quid eſſet, quod amplius Conſtantinus poſſet opponere? Quod quũ ita ſit, qui aiũt donationẽ factã eſſe, nonne injurioſi ſunt in Cõſtantinũ, quẽ ſuos privare, imperiũq; Ro. voluiſſe cõvellere: Injurioſi in S. P. Q. R. Italiam, totũq; occidentẽ, quẽ contra jus faſq; imperiũ mutari permiſiſſe: Injurioſi in Silveſtrum, quẽ indignã ſancto viro donationẽ acceptã habuiſſe: Injurioſi in ſummũ pont. cui licere terrenis potiri regnis & Rom. moderari imperiũ, arbitrantur? Hæc tamen omnia eo pertinent, ut appareat Conſtantinum, inter tot impedimenta, nunquam fuiſſe facturum, ut rem Romanã Silveſtro ex maxima parte donaret, quod iſti aiunt. Age porrò, ut credamus iſtã donationẽ, de qua facit pagina veſtra mentionẽ, debet conſtare etiam de acceptatione Silveſtri. Nunc de illâ non conſtat. At credibile eſt, dicitis, ratam hunc habuiſſe donationem. Ita credo, nec ratã habuiſſe modò, verũ etiam petiſſe, rogâſſe, precibus extorſiſſe credibile eſt. Quid vos credibile, quod præter opinionem eſt hominũ, dicitis? Nec quia in paginâ privilegii de donatione ſit mentio, putandum eſt fuiſſe acceptatã. Sed è contrario, quia non fit mentio de acceptatione, dicendũ eſt non fuiſſe donatũ. Ita plus contra vos facit, hunc donũ reſpuiſſe, quã illũ dare voluiſſe, & beneficiũ in invitũ non confertur. Neq; verò

tan-

tantum donata respuisse Silvestrũ suspicari debemus, sed tacitè etiam indicasse, nec illum dare justè nec se jure accipere posse. Sed ô cœcam semper inconsultamq; avaritiã! Demus, ut tabulas quoque de assensu Silvestri proferre possitis, veras, incorruptas, sinceras: num protinus donata sunt, quæ in tabulis continentur? Ubi possessio? Ubi in manus traditio? Nam si chartam modo Constantinus dat, non gratificari Silvestro voluit, sed illudere. Verisimile est, dicitis, qui donat quippiã, eum & possessionẽ tradere. Videte quid loquamini, quũ possessionẽ non esse datã constet, & an datũ sit jus ambigitur. Verisimile est, qui possessionẽ non dedit, eum ne jus quidẽ dare voluisse. An non constat possessionẽ nunquã traditam fuisse? quod negare impudentissimũ est. Nunquid Silvestrũ Constantinus in Capitolium, quasi triumphantẽ, inter frequentiũ quiritũ, sed infideliũ, plausum duxit? In sellâ aurea, simul assistente universo Senatu, collocavit? Magistratus pro sua quẽq; dignitate regem salutare & adorare jussit? Hæc erga novos pincipes fieri solent, non tantum aliquod palatium velut Lateranense tradi. Num postea per universam Italiam circumduxit? Adiit cum illo Gallias? Adiit Hispanias? Adiit Germanos, cæterumq; occidentem? Aut si gravabantur ambo tantum obire terrarum, quibusnam tam ingens officium delegarunt, qui & Cæsaris vice traderent possessionem & Silvestri acciperent? Magni hi viri,atq; eximiæ authoritatis esse debuerunt, & tamen qui fuerint, ignoramus. Nostrâ memoriâ, ut exempla vetusta omittam, nunquã aliter factitatum vidimus, quum quis aut urbis,aut regionis, aut provinciæ dominus factus est, ita demum traditam existimari possessionem, si magistratus pristini summoveantur, noviq; subrogentur. Hoc si tunc Silvester fieri non postulasset, tamẽ magnificẽtiæ Constantini intererat, ut declararet non verbo se, sed re possessionem tradere, suos præsides amovere, aliosq; ab illo substitui jubere. Non traditur possessio, quæ penes eosdem remanet qui possidebant, & novus dominus illos summovere non audet. Sed fac istud quoque non obstare, & nihilomnius putari Silvestrum possedisse, atq; omnia præter morem præterq; naturam tunc esse dicamus administrata. Postquàm ille abiit, quos provinciis urbibusq; rectores Silvester præposuit? quæ bella gessit? quas nationes ad arma spectantes oppressit? per quos hæc administravit? Nihil horum scimus, respondetis. Ita puto, nocturno tempore hæc omnia gesta sunt, & ideo nemo vidit. Agè fuit in possessione Silvester? Quis eum de possessione dejecit? Nam perpetuò in possessione non fuit, neque successorum aliquis, saltem usque ad Gregorium magnum, qui & ipse caruit possessione. Qui extra possessionem est, nec se ab ea dejectum probare potest, is profecto nunquam possedit: & si se possedisse dicat, insanit. Vides ut te insanum etiam probo? Alioquin dic quis Papam dejecit? ipsene Constantinus, an ejus filii, an Julianus, an aliquis alius Cæsar? Profer nomen expulsoris, profer tempus, unde primum, unde secundo, ac deinceps expulsus est. Num per seditionem & cædes, an sine his? conjurarunt in eum pariter nationes, an quæ prima? Quid? nemo omnium auxilio fuit? Ne illorum quidem qui per Silvestrum aliumve Papam præpositi urbibus ac provinciis erant? Uno die universa amisit, an paulatim & per partes? Restitit ipse suique magistratus, an ad primum tumultum se abdicarunt? Quid? ipsi victores non in eam fæcem hominum, quam indignam imperio ducebant, ferro grassati sunt? In ultionem contumeliæ, in tutelam occupatæ dominationis, in contemptum religionis nostræ, in ipsum etiam posteritatis exemplum. Omnino eorum qui victi sunt, nemo fugam cœpit? nemo latuit, nemo timuit? O admirabilem casum! Imperium Romanum tantis laboribus, tanto cruore partum,tã placidè, tã quietè à Christianis sacerdotibus vel partum est,vel amissum, ut nullus cruor, nullum bellum, nulla querela intercesserit. Et quod non minus admirari debeas, per quos hoc gestum sit, quo tempore, quomodo,quamdiu, prorsus ignotum. Putes in silvis inter arbores regnasse Silvestrum, non Romæ, & inter homines, & ab hybernis imbribus frigoribusq;, non ab hominibus ejectum. Quis non habet cognitum, qui paulo plura lectitarit, quot reges Romæ, quot consules, quot dictatores, quot tribuni plebis, quot censores, quot ædiles creati fuerint? nemoq; ex tanta hominum copiâ, ex tantâ vetustate nos fugit. Scimus item quot Atheniensiũ duces,quot Thebanorum,quot Lacedæmoniorum extiterint;pugnas eorum terrestres, navalesq;universas tenemus. Non ignoramus qui reges Persarum, Medorum, Chaldæorum, Hebræorum fuerint, aliorumq; plurimorum. Et quomodo horum quisq; aut acceperit regnum, aut tenuerit, aut perdiderit aut recuperavit. Romanum autem sive Silvestrianum imperium, qua ratione inceperit, qua desierit, quando, per quos, in ipsâ quoq; urbe nescitur. Interrogo, num quos harum rerum testes, authoresque proferre possitis? nullos respondetis. Et non pudet vos, non tam homines quàm pecudes, dicere verisimile esse Silvestrum possedisse? Quod quia vos non potestis, ego é contrario docebo, ad ultimum usque diem vitæ Constantinum, & gradatim deinceps omnes Cæsares possedisse, ut ne quid habeatis quod hiscere possitis. At perdifficile est, & magni (ut opinor) operis hoc docere. Evolvantur omnes latinæ græcæq; historiæ: citẽtur cæteri authores,qui de illis meminêre temporibus,at neminẽ reperies,

reperies, in hâc re ab alio discrepare. Unum ex mille testimoniis sufficiat, Eutropius, qui Constantinum, qui tres Constantini filios à patre relictos, dominos orbis terrarum vidit, qui de Juliano filio fratris Constantini ita scribit: Hic Julianus, qui fuit Diaconus in Romanâ ecclesiâ, Imperatorq; effectus apostatavit in idolorum cultu, rerum potitus est ingentiq; apparatu Parthis intulit bellū. Cui expeditioni ego quoq; interfui. Nec de donatione imperii occidentis tacuisset: nec paulò post de Joviano, qui successit Juliano, ita dixisset, Pacem cum Sapore necessariam quidem, sed ignobilem fecit, mutatis finibus, ac nonnullâ imperii Romani parte traditâ: quod antè, ex quo Rom. imperium conditum erat, nunquam accidit. Quinetiam legiones nostræ apud Claudium Propontum Telestinum, & in Hispaniâ apud Numantiam, & in Numidiâ sub jugo missæ sunt, ut nihil tamen finium traderetur. Hoc loco libet vos, qui nuperrimè defuncti estis, convenire Pont. Rom. & te, Eugeni, qui vivis, cum Fœlicis tamen veniâ. Cur donationem Constantini magno ore jactitatis, frequenterq; vos ultores erepti imperii quibusdam regibus principibusq; minamini: & confessionem quandam servitutis à Cæsare, dum coronandus est, & à nonnullis aliis principibus extorquetis? Veluti ab rege Neap. atque Siciliæ, id quod nunquam aliquis veterum Romanorū pontificū fecit: non Damasus apud Theodosiū, non Syrinus apud Arcadium, non Anastasius apud Honorium, non Johannes apud Justinianū, non alii apud alios sanctissimi Papæ apud optimos Cæsares, sed semper illorum Romam Italiamque cum provinciis, quos nominavi, fuisse professi sunt. Eoq; numismata aurea, ut de aliis monumentis sileam, templisq; urbis Romæ circumferuntur, non Græcis sed Latinis literis inscripta, Constantini jam Christiani, & deinceps cunctorum fermè Imperatorum, quorum multa penes me sunt: cum hâc plerumque subscriptione, subter imaginē crucis, Concordia orbis: qualia infinita reperirentur summorū Pontificū si unquā Romæ imperassetis, quæ nulla reperiuntur, neq; aurea, neq; argentea, neq; ab aliquo visa memorantur: & tamen necesse erat illo tempore propriū habere numisma, quisquis imperium Romæ teneret, saltem sub imagine Salvatoris aut Petri. Proh imperitiam hominum! non cernitis si donatio Constantini vera est, Cæsari, de Latino loquor, nihil relinqui? En qualis Imperator, qualis rex Rom. erit, cujus regnum si quis habeat, nec aliud habeat, omnino nil habeat. Quod si itaq; palam est Silvestrum non possedisse, hoc est, Constantinum non tradidisse possessionem: haud dubium erit, ne jus quidem, ut dixi, dedisse possidendi: nisi dicitis, jus quidem datum, sed aliquâ causâ possessionem non traditam. Ita planè dabat, quod minimè futurum intelligebat, dabat, quod tradere non poterat: dabat, quod non prius venire in manus ejus, cui dabatur, possibile erat, quàm esset extinctū? dabat donum quod ante quingentos annos, aut nunquam valiturum foret. Verum hoc loqui aut sentire, insanum est. Sed jam tempus est, ne longior fiam, causæ adversariorū jam concisæ atq; laceratæ lethale vulnus imprimere, & uno eam jugulare ictu. Omnis fere historia, quæ nomen historiæ meretur, Constantinum à puero cum patre Constantio Christianū refert, multo etiā ante pontificatum Silvestri: ut Eusebius ecclesiasticæ scriptor historiæ, quem Rufinus non in postremis doctus, in latinum interpretatus, duo volumina de ævo adjecit: quorū uterq; pene Constantini temporibus fuit. Adde huc etiam testimoniū Romani Pontificis qui his rebus gerendis non interfuit, sed præfuit: non testis, sed author: non alieni negotii, sed sui narrator. Is est Melchiades Papa, qui proximus fuit ante Silvestrū, qui ita ait: Ecclesia ad hoc usq; pervenit, ut non solū Gentes, sed etiam Romani principes, qui totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi & ad fidei sacramenta concurrerent. E quibus vir religiosissimus Constantinus, primus fidem veritatis patienter adeptus, licentiā dedit per universum orbē sub suo degentibus imperio, non solū fieri Christianos, sed etiā fabricandi ecclesias & prædia constituit tribuenda. Deniq; præfatus princeps dona immensa contulit, & fabricā templi primæ sedis beati Petri instituit: adeo ut sedem imperialem relinqueret & beato Petro suisq; successoribus profuturam concederet. En nihil Melchiades à Constantino donatum ait, nisi palatium Lateranense & prædia, de quibus Gregorius in registro facit sæpissime mentionem. Ubi sunt qui in dubium vocari non sinunt, donatio Constantini valeat, necne, cum illa donatio fuerit & ante Silvestrum, & rerum tantūmodo privatarum? Quæ res quanquā plana & aperta sit, tamen de ipso, quod isti stolidi proferre solent, privilegio disserendum est. Et ante omnia non modo ille, qui Gratianus videri voluit, qui nonnulla ad opus Gratiani adjecit, improbitatis arguendus est, verum etiam inscitiæ, qui opinatur paginam privilegii apud Gratianum contineri, quod neque docti unquam putarunt, & in vetustissimis quibusq; codicibus Decretorum non invenitur. Et siquo in loco hujus rei Gratianus meminisset, non in hoc ubi isti collocant, seriem ipsam orationis abrumpentes, sed in eo ubi agit de Ludovici pactione, meminisset.

Præterea, duo millia locorum in decretis sunt, quæ ab hujus loci fide dissentiant. Quorum unus est ubi, quæ superius retuli, Melchiadis verba ponuntur. Nonnulli eum qui hoc capitulum adjecit, aiunt vocatum Paleam, vel vero nomine, vel ideo, quòd quæ de suo adjunxit, ad

ad Gratianum comparata, inſtar palearum juxta frumenta exiſtimentur. Utcũq; ſit, indigniſſimum eſt credere, quæ ab hoc adjecta ſunt, ea Decretorum collectorem, aut ignoraſſe; aut magni feciſſe, habuiſſeq; pro veris. Bene habet, ſufficit, vicimus. Primũ quod hoc Gratianus non ait, ut iſti mentiebantur, imò adeo ut ex infinitis locis datur intelligi, negat atq; confutat. Deinde, quod unũ & ignotum, & nullius authoritatis ac nauci hominem afferunt, ita etiam ſtolidum, ut ea Gratiano affinxerit, quæ cum cæteris illius dictis congruere non poſſent. Hunc ergo vos authorem profertis? Hujus unius teſtimonio utimini? Hujus chartulam ad tantæ rei confirmationem, contra ſexcenta probationum genera recitatis? At ego expectaverã, ut aurea ſigilla, marmoratos titulos, mille authores oſtenderetis. Sed ipſe, dicitis, Palea authorem profert, fontem hiſtoriæ oſtendit, & Gelaſium Papam cum multis epiſcopis in teſtimonium citat. Ex geſtis, inquit, Silveſtri, quæ beatus Gelaſius in Concilio lxx epiſcoporum, à catholicis legi commemorat, & pro antiquo uſu multas hoc dicit eccleſias imitari. In quibus legitur, Conſtãtinus, &c. Multo ſuperius, ubi de libris legẽdis & non legendis agitur, etiã dixerat, Actus beati Silveſtri præſulis, licet ejus qui ſcripſit nomen ignoramus, à multis tamen in urbe Româ catholicis legi cognovimus, & pro antiquo uſu imitantur eccleſiæ. Mira hæc authoritas, mirum teſtimonium, inexpugnabilis probatio.

¶ Dono vobis hoc, Gelaſium dum de Concilio lxx epiſcoporũ loquitur, id dixiſſe. Num id dixit, paginam privilegii in beatiſſimi Silveſtri geſtis legi? Is vero tantùm ait, geſta Silveſtri legi, & hoc Romæ; cujus eccleſiæ authoritatem multæ aliæ ſequuntur. Quod ego non nego, concedo, fateor; Me quoq; unà cum Gelaſio teſtem exhibeo. Verum quid vobis iſta res prodeſt, niſi ut in adducendis teſtibus mentiri voluiſſe videamini? Ignoratur nomen ejus, qui hoc decretis adſcripſit, & ſolus hoc dicit. Ignoratur nomen ejus qui ſcripſit hiſtoriam, & ſolus is & falsò teſtis affertur. Et vos boni viri atq; prudentes, hoc ſatis ſuperq; eſſe ad tantæ rei teſtimonium exiſtimatis? At videte, quantum inter meum interſit veſtrumq; judicium. Egone, ſi hoc quidem apud geſta Silveſtri privilegiũ contineretur, pro vero habendũ putarem, cum hiſtoria illa non hiſtoria ſit, ſed poetica & impudentiſſima fabula (ut poſteriùs oſtendam) nec quiſquam alius, alicujus duntaxat authoritatis, de hoc privilegio habeat mentionem? Et Jacobus Voraginenſis propenſus in amorem clericorum, ut archiepiſcopus, tamen in geſtis ſanctorum, de donatione Conſtantini, ut fabuloſâ, nec dignâ quæ inter geſta Silveſtri poneretur, ſilentium egit; latâ quodammodo ſententiâ contra eos, ſiqui hæc literis mandaviſſent. Sed ipſum falſarium, ac verè paleam, non triticum, obtorto collo in judicium trahere volo. Quid ais, falſarie? Unde fit, quod iſtud privilegium inter Silveſtri geſta non legimus? Credo rarus hic liber eſt difficiliſque inventu, nec vulgò habetur, ſed tanquàm faſti olim à pontificibus aut libri Sibyllini à decem viris cuſtoditur. Linguâ græcâ aut Syriacâ aut Chaldaicâ ſcriptus eſt. Teſtatur Gelaſius à multis catholicis legi, Voraginenſis de eo meminit. Nos quoq; mille & antiquè ſcripta exemplaria vidimus, & in omni ferè cathedrali eccleſiâ, cum adeſt Silveſtri natalis dies, lectitantur, & tamen nemo ſe illic legiſſe iſtud ait, quod tu affingis, nemo audiſſe, nemo ſomniâſſe. An alia quædam fortaſſis hiſtoria eſt? Et quænam iſta erit? Ego aliam neſcio, nec abs te aliam dici interpretor. Quippe de eâ tu loqueris, quam Gelaſius apud multas eccleſias lectitari refert. In hac autem tuum privilegium non invenimus. Quod ſi iſtud in vitâ Silveſtri non legitur, quid tu ita legi tradidiſti? Quid in tantâ re jocari es auſus? & levium hominum cupiditatem eludere? Sed ſtultus ſum, qui illius potius inſector audaciam, quàm iſtorum dementiam qui crediderunt. Si quis apud Græcos, apud Hebræos, apud Barbaros diceret, hoc eſſe memoriæ proditum, nonne juberetis nominare authorem, proferri codicem? & locum ab interprete fideli exponi, antequàm crederetis? Nunc de linguâ veſtrâ, de notiſſimo codice fit mentio, & vos tam incredibile factum, aut non inquiritis, aut cum ſcriptum non reperiatis, tam pronâ eſtis credulitate, ut pro ſcripto habeatis, atq; pro vero. Et hoc titulo contenti, terras miſcetis & maria, & quaſi nullum ſubſit dubiũ, eos qui vobis non credunt, terrore bellorũ aliiſq; minis proſequimini. Bone Jeſu, quanta vis, quanta divinitas eſt veritatis! Quæ per ſeſe, ſine magno conatu, ab omnibus dolis ac fallaciis ſeipſa defendit, ut non immeritò, cum eſſet apud Darium regem exorta contentio, quid foret maxime validum, & alius aliud diceret, tributa ſit palma veritati. Quia cum ſacerdotibus, non cum ſecularibus mihi res eſt, eccleſiaſtica magis, quàm ſecularia ſunt exempla repetenda. Judas Maccabæus, cum dimiſſis Romam Legatis, fœdus amicitiamq; à Senatu impetraſſet, curavit verba fœderis in æs incidenda, Hieroſolymamq; portanda. Taceo de lapideis decalogi tabulis, quas deus Moyſi dedit. Iſta vero tam magnifica Conſtantini & tam inaudita donatio, nullis neq; in auro, neq; in argento, neque in ære, neque in marmore, neq; poſtremò in libris, probari documentis poteſt, Sed tantùm, ſi iſti credimus, in chartâ ſive membrana. Jobal primus Muſices author, ut eſt apud Joſephum, cum eſſet à majoribus tradita per manus opinio, res humanas ſemel aquâ,

Gelaſius.

Darius.

aquâ, iterum igni delendas: doctrinam ſuam duabus columnis inſcripſit, lateritiâ contra ignem, lapideâ contra aquas: quæ ad Joſephi ævum,ut idem ſcribit, permanſit: ut ſuum in omnes beneficium ſemper extaret. Et apud Romanos, ruſticanos adhuc & agreſtes, cum parvæ & raræ literæ eſſent,tamē leges duodecī tabularū in æs fuerint inciſæ,quæ in captâ atq; incensâ à Gallis urbe, incolumes poſtea ſunt repertæ. Adeo duo maxima in rebus humanis, diuturnitatem temporis & fortunæ violentiam, vincit circumſpecta providentia. Conſtantinus vero, orbis terrarum donationem, papyro tantum & atramento ſignavit: cum præſertim machinator fabulæ, quiſquis ille fuit faciat Conſtantinum dicentem, ſe credere, non defore, qui donationem hanc impiâ aviditate reſcinderent. Hoc times, Conſtantine, & non caves, ne ii qui Romam Silveſtro eriperent, chartulam quoque ſurriperent? Quid ipſe Silveſter? Pro ſe nihil agit? Ita omnia Conſtantino remittit? Ita ſecurus ac ſegnis eſt? In tanto negotio nihil ſibi, nihil eccleſiæ ſuæ, nihil poſteritati proſpicit? En cui imperium Romanum adminiſtrandum committis: qui tam magnæ rei, tantoq; aut lucro aut periculo indormit: Siquidem ſublata chartulâ, privilegii donatio, utiq; ætate procedente, probari non poterit.Paginâ privilegii appellat homo veſanus:Privilegiumne tu(libet velut præſentem inſectari) vocas donationem orbis terrarū, & hoc in paginâ vis eſſe ſcriptum, & iſto genere orationis uſum eſſe Conſtantinum? Si titulus abſurdus eſt, qualia cætera exiſtimemus?

Verba commentitii privilegii.

'CONSTANTINUS Imperator,quarto die ſui baptiſmatis privilegium Romanæ Eccleſiæ Pontifici contulit: ut in urbe Româ ſacerdotes, ita hunc caput habeant, ſicut judices regem. Hoc in ipsâ Silveſtri hiſtoriâ continetur.

Ex quo dubitari non poteſt, ubinam ſcriptum ſignificetur privilegium. Sed more eorum qui mendacia machinantur, à vero incepit, ut ſequentibus, quæ falſa ſunt, conciliet fidem. Ut Sinon apud Virgilium, Cuncta equidem tibi, rex, fuerint quæcunq; fatebor Vera (inquit) nec me Argolicâ de gente negabo. Hoc primùm, deinde falſa ſubjecit. Ita hoc loco noſter Sinon facit: qui quum à vero incepiſſet, adjecit,

'In eo privilegio ita inter cætera legitur: Utile judicavimus unà cum omnibus ſatrapis noſtris & univerſo ſenatu, optimatibus etiam & cuncto populo, Imperio Romanæ Eccleſiæ ſubjacenti: ut ſicut beatus Petrus in terris vicarius dei videtur eſſe conſtitutus, ita & Pontifices ipſius principis Apoſtolorum vicem, principatûs poteſtatem, amplius quàm terrenæ imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere videretur, conceſſam à nobis noſtroque Imperio obtineant.

O ſcelerate atque malefice,eadem, quam affers in teſtimonium, refert hiſtoria, longo tempore neminem ſenatorii ordinis voluiſſe accipere religionem Chriſtianam, & Conſtantinum pauperes ſolicitaſſe pretio ad baptiſmum. Et tu ais, intra primos ſtatim dies, ſenatum, optimates,ſatrapas,quaſi jam Chriſtianos,de honeſtandâ eccleſiâ Romanâ cum Cæſare decreviſſe.Quid quòd vis interfuiſſe ſatrapas? O cautes, ô ſtipes! Sic loquuntur Cæſares? Sic concipi ſolent decreta Romana? Quis, inquam, ſatrapas in conſiliis Romanorum nominari audivit? Non teneo memoriâ unquam legiſſe me ullum, non modò Romanum, ſed ne in Romanorum quidem provinciis ſatrapam nominatum. At hic Imperatoris ſatrapas vocat, eoſq; ſenatui præponit: quum omnes honores, etiam qui principi deferuntur, tantum à ſenatu decernantur, adjuncto [populoq; Romano.]Hinc eſt, quòd in lapidibus vetuſtis, aut tabulis æreis, aut numiſmatis duas literas videmus S. C. id eſt, Senatus conſulto: vel quatuor S. P. Q R. hoc eſt Senatus populuſq; Romanus. Et ut Tertullianus meminit, quum Pontius Pilatus de admirandis Chriſti actionibus ad Tiberium Cæſarem, non ad Senatum ſcripſiſſet (Siquidem magiſtratus ad ſenatum de magnis rebus ſcribere conſueverant.) Senatus hanc rem indignè tulit, Tiberioq; prærogativam ferenti, ut Jeſus pro Deo coleretur, repugnavit, ob tacitam tantummodo indignationem offenſæ ſenatoriæ dignitatis. Et ut ſcias quantum ſenatûs valeat authoritas, ne pro Deo coleretur, obtinuit. Quid, quòd ais optimates? quos aut primarios in Rep. intelligimus viros, qui cur nominantur, quum de cæteris magiſtratibus ſilentium ſit? aut eos qui populares non ſunt, benevolentiā populi aucupātes, ſed optimi cujuſq; & bonarū partiū ſtudioſi, ac defenſores, ut Cicero quadā oratione demōſtrat. Ideoq; Cæſarē ante oppreſſam Rempub. popularē fuiſſe dicimus, Catonē ex optimatibus, quorū differētiā Saluſtius explicavit. Neq; hi optimates magis quā populares,aut cæteri boni viri,dicuntur in conſilio adhiberi. Sed quid mirū ſi adhibentur optimates, ubi cūctus populus, ſi homini credimus,cū ſenatu & Cæſare judicavit? Et is quidē Ro. eccleſiæ ſubjacēs?& quis iſte eſt populus? Ro. ne? Ac cur non dicitur populus Ro.potius quā populus ſubjacēs?Quæ nova iſta cōtumelia eſt in Quirites,de quibus optimi poetæ elogiū eſt: Tu regere imperio populos Rom. memēto? Qui regit alios populos,ipſe vocatur populus ſubjacēs? quod inauditū eſt.Nā in hoc,ut in multis epiſtolis Gregorius teſtatur, differt Rom. Pōtifex à cæteris, quòd ſolus eſt princeps liberi populi. Cæterū ita ſit, ut vis. Nōne & alii populi ſubjacent?An alios quoque ſignificas?Quomodo fieri iſtud triduò poterat,ut omnes populi

puli subjacentes Romanæ ecclesiæ, illi decreto adessent? Tametsi non omnis fæx populi judicabat. Quid, antequàm subjecisset Romano pontifici populum Constantinus, subjectum vocaret? Quid, quòd hi qui subjacētes vocātur, faciēdo dicūtur præfuisse decreto? Quid, quòd hoc ipsū dicūtur decrevisse, ut sint subjacentes, & ut ille cui subjacet, hos habeat subjacentes? Quid agis aliud, infælix, nisi ut judices te voluntatē fallendi habere, facultatē non habere?

'Eligentes nobis ipsum principem apostolorum, vel ejus vicarios, firmos apud deum esse 'patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, ita ejus sacrosanctā Romanæ ec-'clesiæ decrevimus veneranter honorare, & amplius quàm nostrum imperium terrenumque 'thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriosè exaltare, tribuentes ei potestatem & glo-'riam & dignitatem, atq; vigorem & honorificentiam imperialem.

Reviviſce paulisper Firmiane Lactanti, resisteq; huic asino tam vastè immaniterque rudenti. Ita verborū turgentiū strepitu delectatur, ut eadem repetat & inculcet, quæ modò dixerat. Huncne in modum hoc ævo loquebantur Cæsarū scribæ, ne dicā agasones? Elegit sibi illos Constantinus, non patronos, sed [esse patronos] Interposuit illud [esse] ut numerū redderet concinniorem. Honesta ratio, barbarè loqui, ut venustiùs currat oratio: si modò quid in tanta scabritiā venustū esse potest. [Eligens principē apostolorū, vel ejus vicarios] Non eligis Petrū & ejus deinceps vicarios, sed aut hunc, exclusis illis, aut illos, hoc exclusо. Et pontifices Rom. appellat vicarios Petri, quasi vel vivat Petrus, vel minori dignitate sint cæteri quàm Petrus fuit. Nonne & illud barbarū est [à nobis nostroq; imperio?] quasi imperiū habeat animū concedendi & potestatem. Nec fuit contentus dicere [obtineant] nisi etiam diceret [concessam] quū satis alterum esset. Et illud [firmos patronos] perquā elegans est. Scilicet firmos vult, ne pecuniā corrumpantur, aut metu labantur. Et illud [terrena imperialis potentia] duo adjectiva sine copula: & illud [veneranter honorare] & illud [nostræ imperialis serenitatis mansuetudo] Lactantianam eloquentiam redolet, quū de potentiā agatur imperii, serenitatē nominare & mansuetudinē, non amplitudinem & majestatem. Quod etiam tumidā superbiā inflatum est, ut in illo quoq; [gloriosè exaltare per gloriā & potestatem & dignitatē & vigorē & honorificētiā imperialē] quod ex Apoc. sumptū videtur, ubi dicitur: Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutē & dignitatē & sapientiā & fortiudinē & honorem & benedictionē. Frequenter, ut posterius liquebit, titulos Dei sibi arrogare fingitur Constantinus & imitari velle sermonem sacræ scripturæ, quem nunquàm legerat.

Deridetur hic fictidæ donationis author.

'Atque decernētes sancimus, ut principatum teneat, tam super quatuor sedes, Alexandrinā, 'Antiochenam, Hierosolymitanā, Constantinopolitanam, quā etiā super omnes, in univer-'so orbe terrarū, dei ecclesias. Etiā pontif. qui per tēpora ipsius sacrosanctæ Ro. ecclesiæ ex-'titerit, celsior & princeps cūctis sacerdotibus & totius mūdi existat: & ejus judicio, quæ 'ad cultum dei & fidē Christianorum vel stabilitatem procurandam fuerint, disponantur.

Omitto hic barbariem orationis, quòd [princeps Sacerdotibus] pro sacerdotū dixit, & quòd in eodem loco posuit [extiterit & existat] & quum dixerit [in universo orbe terrarū] iterum addit [totius mundi] quasi quiddam diversum, aut cœlum, quæ mundi pars est, complecti velit: quum bona pars orbis terrarū sub Romā non esset: & quòd fidem Christianorū, vel stabilitatē procurandā, tanquam non possint simul esse, distinxerit: & quòd decernere & sancire miscuit, & veluti prius cum cæteris Constantinus non judicasset, decernere eum, & tanquam pœnam proponat sancire, & quidem unà cum populo sancire facit. Quis hoc Christianus pati queat, & non papam, qui hoc patitur, ac libens audit & recitat, censoriè severeq; castiget, quod quum à Christiano primatum acceperit Romana sedes, & id Gratiano testante, multisq; Græcorum octava synodus declararit, accepisse dicatur à Constantino, vix dum Christiano, tanquam à Christo? Hoc ille modestissimus princeps, hoc piissimus pontifex audire voluisset? Absit tam grave ab utroq; eorū nefas. Quid, quod multo est absurdius, capitne rerū natura, ut quis de Constantinopoli loqueretur, tanquam unâ patriarchalium sedium, quæ nondum esset, nec patriarchalis nec sedes nec urbs Christiana, nec sic nominata, nec condita, nec ad condendum destinata? Quippe privilegium concessum est triduo quam Constantinus esset effectus Christianus, quum Byzantium adhuc erat, non Constantinopolis. Mentiar, nisi hoc quoque confiteatur hic stolidus: Scribit enim prope calcem privilegii,

'Unde congruum prospeximus, nostrum Imperium & Regiam potestatem, orientalibus 'transferri regionibus, & in Byzantiæ provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatē ædi-'ficari, & illic nostrum constitui imperium.

Sic ille aliò transferre volebat imperiū, nondū trāstulerat. Si ille volebat constituere imperiū, nondū cōstituerat. Sic si volebat ædificare urbē, nōdū ædificârat. Non ergo fecisset mētionē de patriarchali, de unâ quatuor sediū, de Christiāa, de sic nominatâ, de cōditâ: de qua cōdēda (ut historiæ placet, quā Palea in testimoniū affert) ne cogitaret quidē. A quâ nō videt hæc bellua, sive is Palea sit, sive alius quē Palea sequitur, se dissentire. Ubi Cōstātinus, nō suâ

sponte,

ſponte, ſed inter quietem, admonitu dei, non Romæ, ſed Byzantii; non intra paucos dies, ſed poſt aliquot annos, dicitur decreviſſe de urbe condenda, nomenq; quod in ſomnis edoctus fuerat, indidiſſe. Quis ergo non videt, qui privilegium compoſuit, eum diu poſt tempora Conſtantini fuiſſe? & quum vellet adornare mendacium, excidiſſe ſibi quòd ante dixiſſet, hæc geſta eſſe Romæ tertio die, quàm ille fuiſſet baptizatus: ut in eum decentiſſimè cadat tritum vetuſtate proverbium, Mendaces memores eſſe oportere. Quid,quòd Byzantiam provinciam vocat, quod erat oppidum, nomine Byzantium, haudquaquam capax tantæ urbis condendæ? Namq; muris complexa eſt Conſtantinopolis vetus Byzantium, & hic in ejus optimo loco ait urbem eſſe condendam. Quid, quod Thraciam, ubi poſitum erat Byzantium, vult eſſe in Oriente,quæ vergit ad Aquilonem? Opinor ignorabat Conſtantinus locum quem condendæ urbi delegerat, ſub quo cœlo eſſet: urbſque, an provincia, quanta ejus menſura foret.

'Eccleſiis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, pro continuatione luminariorum, poſ-'ſeſſionum prædia contulimus, & rebus diverſis eas ditavimus, & per noſtram imperialem 'juſſionem ſacram, tam in Oriente,quàm in Occidente,quàm etiam à Septentrione & Meri-'dionali plagâ, videlicet & in Judæâ,Græciâ, Aſiâ, Thraciâ, Africâ & Italiâ,vel diverſis in-'ſulis, noſtrâ largitate. Et conceſſimus, eâ prorſus ratione,ut per manus beatiſſimi patris no-'ſtri Silveſtri, ſummi pontificis, ſucceſſorumq; ejus omnia diſponantur.

Miranda hic referuntur de templis.

O furcifer! Eccleſiæne,id eſt, templa Romæ erant Petro & Paulo dicatæ? Quis eas extruxerat? quis ædificare auſus fuiſſet quum nuſquam foret, ut hiſtoria ait, Chriſtianis locus niſi ſecreta & latebræ? aut ſiqua templa Romæ fuiſſent, illis dicata Apoſtolis, non erant digna in quibus tanta luminaria accenderentur: ædiculæ ſacræ, non ædes: ſacella, non templa: oratoria inter privatos parietes, non publica delubra: Non ergo antè cura gerenda erat de luminaribus templorum, quàm de ipſis templis. Quid ais tu, qui facis Conſtantinum dicentem Petrum & Paulum beatos: Silveſtrum verò, cum adhuc vivit, beatiſſimum: & ſuam, qui paulò ante fuiſſet Ethnicus, juſſionem ſacram? Tantáne conferenda ſunt, pro continuandis luminaribus, ut totus orbis terrarum fatigetur? At quæ iſta prædia ſunt, præſertim poſſeſſionum? prædiorum poſſeſſiones dicere ſolemus, non poſſeſſionum prædia. Das prædia, nec quæ prædia explicas. Ditâſti diverſis rebus, nec quando, nec quibus rebus oſtendis. Vis plagas orbis à Silveſtro diſponi, nec pandis quo genere diſponendi. Conceſſiſti hæc antea, cur te hodie incepiſſe ſignificas honorare eccleſiam Romanam, & ei privilegium concedere? Hodie concedis? Hodie ditas? Cur dicis, conceſſimus, & ditavimus? Quid loqueris, aut quid ſentis, beſtia? Cum fabulæ machinatore mihi ſermo eſt, non cum optimo principe Conſtantino. Sed quid in te ullam prudentiam, ullam doctrinam requiro, qui nullo ingenio, nulla literaturâ es præditus? Qui ais [luminariorum] pro [luminarium] & [orientalibus transferri regionibus] pro eo quod eſt [ad orientales transferri regiones]. Quid porrò? Iſtæne ſunt quatuor plagæ? quam orientalem numeras? Thraciamne? An (ut dixi) vergit ad Septentrionem? an Judæam? At magis ad meridiem ſpectat, utpote vicina Ægypto. Quam item occidentalem? Italiamne? At hæc in Italiâ gerebantur, quam nemo illic agens, Occidentalem vocat: quum Hiſpanias dicamus eſſe in occidente: & Italia hinc ad meridiem, illinc ad Arcton magis quàm ad occidentem vergit. Quam ſeptentrionalem? An Thraciam? At ipſe ad orientem eſſe vis. An Aſiam? At hæc ſola totum poſſidet orientem, ſeptentrionem vero communem cum Europâ. Quam meridionalem? Certe Africam. At cur non aliquam nominatim provinciam proferebas? Niſi fortè Æthiopes Romano imperio ſuberant. Et nihilominus non habent locum Aſia & Africa: quum orbem terrarum in quatuor dividimus partes, & nominatim regiones ſingularum referimus. Sed cur in tres, Aſiam, Africam, Europam: niſi Aſiam pro Aſiaticâ provinciâ, Africam pro eâ provinciâ, quæ prope Getulos eſt, appellas? Quæ non video, cur præcipuè nominentur. Siccine locutus eſſet Conſtantinus, quum quatuor orbis plagas exequitur, ut has regiones nominaret, cæteras non nominaret? & à Judæâ inciperet, quæ pars Syriæ numeratur, & quæ amplius Judæa non erat, everſâ Hieroſolymâ, fugatis, ac prope extinctis Judæis? ita ut credam vix aliquem in ſuâ patriâ tunc permanſiſſe, ſed alias habitaſſe nationes. Ubi tandem erat Judæa, quæ nec Judæa amplius vocabatur, ut hodie videmus illud terræ nomen extinctum? Et ſicut exterminatis Cananæis, Cananæa regio deſiit appellari, commutato nomine in Judæam à novis incolis: ita exterminatis Judæis, & convenis Gentibus eam incolentibus deſierat Judæa nominari. Nuncupas Judæam, Thraciam inſulas: Hiſpanias verò, Gallias, Germanos non putas nuncupandos: & cum de aliis linguis loquaris, Hebræâ, Græcâ, Barbarâ, de ullâ provinciarum latino ſermone utentium, non loqueris. Video: has igitur omiſiſti, ut poſtea in donatione complectereris. Et quid? non tanti erant tot provinciæ occidentis, ut continuandis luminaribus ſuppeditarent ſumptus, niſi reliquus orbis adjuvaret? Tranſeo, quòd

quod hæc concedi ais per largitatem: non ergo, ut isti aiunt, ob lepræ curationem. Alioquin insolens sit, quisquis remunerationem loco munerum ponit.

'Beato Silvestro ejusq; vicario, de præsenti tradimus palatium imperii nostri Lateranense, 'deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulq; phrygium, necnon superhumerale, 'videlicet lorum, quod imperiale circundare solet collum: verum etiam chlamydem pur'puream, atq; tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, seu etiam dignitatem im'perialium præsidentium equitum: conferentes ei etiam Imperialia sceptra, simulq; cuncta 'signa, atq; banna, & diversa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis cul'minis, & gloriam potestatis nostræ. Viris etiam diversi ordinis reverendissimis clericis, 'sanctæ Rom. ecclesiæ servientibus, illud culmen singularis potentiæ & præcellentiæ ha'bere sancimus, cujus amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est, patritios, con'sules effici. Necnon in cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgavimus decorari. 'Et sicut imperialis extat decorata militia, ita clerum sanctæ Rom. ecclesiæ adornari decre'vimus. Et quemadmodum Imperialis potentia diversis officiis, cubiculariorum nempe, & 'ostiariorum, atq; omnium concubitorum adornatur, ita & sanctam Rom. ecclesiam deco'rari volumus. Et ut amplissimè pontificale decus præfulgeat, decernimus, & ut clerici 'sancti ejusdem sanctæ Rom. ecclesiæ mappulis & linteaminibus. i. candidissimo colore de'coratos equos equitent: & sicut noster senatus calceamentis utitur cum udonibus. i. can'dido linteamine illustrentur: & sicut cœlestia, ita terrestria ad laudem Dei decorentur.

O sancte Jesu, ad hunc sententias volventem sermonibus imperitis, non respondebis de turbine? non tonabis? non in tantam blasphemiam ultricia fulmina jaculabere? tantumne probrum in tua familia sustines? Hoc audire, hoc videre, hoc tamdiu conniventibus oculis præterire potes? Sed patiens es, & multæ misericordiæ. Vereor tamen, ne patientia hæc tua sit potius ira & condemnatio, qualis in illos fuit, de quibus dixisti: Et dimisi eos secundum desiderium cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Et alibi: Tradidi eos in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt: quia non probaverunt se habere notitiam mei. Jube me, quæso, domine, ut exclamem adversus eos, & fortè convertentur. O Romani pont. exemplum facinorum omnium cæteris pontificibus! ô improbissimi scribæ & pharisæi! qui sedetis super cathedram Moysi, & opera Dathan & Abyron facitis. Itane vestimenta apparatus, pompæ equitatus, omnis deniq; vita Cæsaris vicarium Christi decebit? Quæ communicatio sacerdotis ad Cæsarem? Istane Silvester vestimenta sibi induit? Eo apparatu incessit? Ea celebritate ministrantium domi vixit atq; regnavit? Sceleratissimi homines non intelligunt Silvestro magis vestes Aaron, qui summus Dei sacerdos fuerat, quàm gentilis principis fuisse sumendas. Sed hæc aliàs erunt exagitanda vehementius. Impræsentiarū autem de barbarismo cum hoc sycophantâ loquamur: cujus ex stultiloquio impudentissimum ejus patescit suâ sponte mendacium. [Tradimus, inquit, palatium imperii nostri Lateranense] quasi malè hoc loco inter ornamenta donum palatii posuisset, iterum postea ubi de donis agitur, replicavit. [Deinde diadema] & quasi illi non videant, qui adsunt, interpretatur [videlicet coronam.] Verum hic non addidit, ex auro, sed posterius eadem inculcans inquit [ex auro purissimo & gemmis pretiosis] ignoravit homo imperitus diadema è panno esse, aut fortè è serico. Unde sapiens illud regis dictum celebrari solet: quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse: O nobilem magis quàm felicem pannum! quem si quis penitus agnosceret, quàm multis solicitudinibus periculisque & miseriis sis refertus, ne humi quidem jacentem vellet tollere. Iste non putat illud nisi ex auro esse, cui circulus aureus nunc cum gemmis apponi à regibus solet. Verùm non erat Rex Constantinus, nec regem appellare, nec regio se ritu ornare fuisset ausus. Imperator Rom. erat, non Rex. Ubi Rex est, ibi resp. non est. At in rep. multi fuerunt etiam uno tempore Imperatores. Nam Cicero frequenter ita scribit: M. Cicero Imperator illi vel illi Imperatori salutem. Licet postea peculiari nomine Romanus princeps, ut summus omnium, Imperator appellaretur. [Simulque phrygium, necnon superhumerale, videlicet lorum, quod imperiale circundare solet collum] Quis unquam phrygium latinè dici audivit? Tu mihi, dum barbarè loqueris, videri vis Constantini aut Lactantii esse sermonem? Plautus in Menæchmeis, Phrygionem pro concinnatore vestium posuit. Plinius Phrygiones appellat vestes acu pictas, quod earum Phryges fuerunt inventores. Phrygium vero quid significet, hoc non exponis, quod obscurum: exponis quod est clarius. Superhumerale ais esse lorum, nec quid sit lorum tenes. Non enim cingulum ex corio factum, quod dicitur lorum, sentis circundari pro ornamento Cæsaris collo. Hinc est quod habenas & verbera vocamus lora. Quòd si quando dicantur lora aurea, non nisi de habenis, quæ auratæ collo equi aut alterius pecudis circundari assolent, intelligi potest: quæ te res, ut mea fert opinio, fefellit: & quum lorum circundare collo Cæsaris atque Silvestri vis, de homine, de Imperatore, de summo pont. equum

Exemplum facinorum.

Phrygium.

aut asinum, aut canem facis. [Verùm & chlamydem purpuream, atq; tunicam coccineam] Quia Matthæus ait chlamydem coccineam, & Johannes vestem purpuream, utrumq; voluit hic eodem loco conjungere. Quòd si idem color est, ut Evangelistæ significant, quid tu non fuisti contentus alterum nominasse, ut illi contenti fuerunt? Nisi accipis purpuram, ut nunc imperiti loquuntur, genus panni serici colore albo. Est autem purpura piscis, cujus sanguine lana tingitur. Ideoq; à tincturâ datum est nomen panno, cujus color pro rubro accipi potest, licet sit magis nigricans, & proximus colori sanguinis concreti, & quasi violaceus. Inde ab Homero atq; Virgilio purpureus dicitur sanguis, & marmor porphyricum, cujus color est simillimus amethysto: Græci enim purpuram porphyram vocant. Coccineum pro rubro accipi fortè non ignoras: sed cur faciat coccineum, quum nos dicamus coccũ, & chlamys, quod genus sit vestimenti, jurarem te planè nescire. Atq; ut ne se, longius persequendo singulas vestes, mendacem proderet, uno semel verbo complexus est, dicens [omnia imperialia indumenta] Quid? Etiamne illa, quibus in bello, quibus in venatione, quibus in ludis, quibus in conviviis amiciri solet? Quid stultius quàm dicere omnia Cæsaris indumenta convenire Pontifici? Sed quàm lepidè addit [Seu etiam dignitatem imperialium præsidentiũ equitum] Seu, inquit, distinguere duo hæc invicem voluit, quasi multum inter se habeant similitudinis: & de imperatorio habitu ad equestrem dignitatem dilabitur, nescio quid loquens. Mira quædam effari vult, sed deprehendi in mendacio timet, eoq; inflatis buccis & turgido gutture, dat sine mente sonum. [Conferentes ei etiam imperialia sceptra] Quæ structura orationis? qui nitor? qui ordo? Quænam sunt sceptra ista imperialia? unum est sceptrum, non plura; Si modò sceptrum gerebat Imperator. Num & pontifex sceptrum manu gestabit? Cur non ei dabimus & ensem, & galeam, & jaculum? [Simulq; cuncta signa atq; banna.] Quid tu signa accipis? Signa sunt aut statuæ (unde frequenter legimus, signa ac tabulas, pro sculpturis & picturis: Prisci enim non in parietibus pingebant, sed in tabulis) aut vexilla, unde illud: Signa pares aquilas. A priore significato, sigilla dicuntur parvæ statuæ atque sculpturæ. Num ergo statuas, aut aquilas suas Silvestro dabat Constantinus? Quid hoc absurdius? At banna quid sibi velit non invenio. Deus te perdat, improbissime mortalium, qui sermonem barbarum attribuis seculo erudito. [Et diversa ornamenta Imperialia] Quia dixit banna, satis putavit significatum esse, & ideo cætera sub verbum universale conclusit. Et quàm frequenter inculcat Imperialia, quasi propria quædam sint ornamenta Imperatoris magis quàm consulis, quàm dictatoris, quàm Cæsaris. [Et omnem processionem Imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ] Projicit ampullas & sesquipedalia verba. Rex regum Darius, consanguineusque deorum, nunquam nisi plurali numero loqueris. Quæ est ista processio, Imperialis cucumeris, per herbam torti, & crescentis in ventrem? Triumphasse existimas Cæsarem quoties domo prodibat, ut nunc solet Papa, præcedentibus albis equis, quos stratos ornatosque famuli dextrant? quo, ut taceam alias ineptias, nihil est vanius, nihilque à pontifice Romano alienius. Quæ etiam ista gloria est? Gloriamne, ut Hebreæ linguæ mos est, pompam & apparatûs illum splendorem homo latinus appellasset? Ut illud quoq; militiam pro milites, quod ab Hebræis sumus mutuati, quorum libros Constantinus, aut ipsius scribæ nunquam aspexerant. Verùm quanta est munificentia tua, Imperator, qui non satis habes ornasse summum pontificem, nisi ornes & omnem clerum? culmen singularis potentiæ & præcellentiæ ais effici patritios, consules. Quis audivit Senatores, aliosve homines effici patritios? consules efficiuntur, non patritii: ex domo vel patritia, quæ eadem senatoria dicitur, siquidem Senatores patres conscripti sunt, vel ex equestri, vel ex plebeiâ, plusque est Senatorem quàm patritium esse. Nam Senator est unus è delectis consiliariis reipublicæ: patritius vero qui è domo senatoriâ ortum ducit. Ita qui Senator, aut ex patribus conscriptis, non protinus & patritius est. Ridiculéq; Romani mei hoc tempore faciunt, qui prætorem suum Senatorem vocant, quum neque Senatus ex uno homine constare possit, necesseque sit Senatorem habere collegas: & is, qui Senator nunc dicitur, fungatur officio prætoris. Et dignitas patritiatûs in multis libris invenitur, inquies: Audio, sed in his, qui de temporibus post Constantinum loquuntur; ergo post Constantinum privilegium confectum est. Sed nunquid clerici fieri consules possunt? Conjugio sibi interdixere Latini clerici, & consules fient? Habitoque delectu militum, cum legionibus & auxiliis in provincias, quas fuerint sortiti, se conferent? Ministrine & servi consules fient, aut militaria ornamenta gestabunt, nec bini, ut solebant, sed centeni & milleni ministri, qui Rom. ecclesiæ servient, dignitate afficientur Imperatoria? Et ego stolidus mirabar, quòd Papa effici diceretur. Ministri Imperatores erunt, clerici verò milites. Militesne clerici fient, aut militaria ornamenta gestabunt? nisi Imperialia ornamenta universis clericis impertis. Nam nescio quid dicas. Et quis non videt hanc fabulam ab his excogitatam esse, qui sibi omnem vestiendi licentiam esse voluerunt? Ut existimem siqua inter dæmones, qui aerem incolunt, ludorum genera exercentur, eos exprimendo clericorum

corum

corum cultu, fastu, luxu, exerceri, & hoc scænici lusûs genere maxime delectari. Utrum magis insequar? sententiarum an verborum stoliditatem? Sententiarum audistis. Verborum hæc est, ut dicat Senatum videri adornari, quasi non utique adornetur: & quidem adornari gloriâ: & quod fit, factum esse velit, ut promulgavimus, pro promulgamus. Illo enim modo sonat jucundius oratio, & eandem per præsens & per præteritum enuntiet: Velut decernimus, & decrevimus. Et omnia sint referta his vocibus: Decernimus, decoramus, imperialis, imperatoria, potentia, gloria. Et [extat] pro [est] posuerit, quum [extare] sit supereminere, vel superesse: & [nempe] pro [scilicet] & [concubitores] pro [contubernales] Concubitores sunt qui concumbunt, & coeunt: nimirum scorta intelligenda sunt. Addit cum quibus dormiat, ne timeat, opinor, nocturna phantasmata: addit cubicularios, addit ostiarios. Non otiosum est, quare hæc ab eo minuta referuntur: pupillū instituit, aut adolescentem filium, non senem: cui omnia quibus necesse habet tenera ætas, ipse velut amantissimus pater præparat, ut David Salomoni fecit. Atque ut per omnes numeros fabula impleatur, dantur clericis equi, ne asinario illo Christi more super asellos sedeant: & dantur non operti, sive instrati operimentis coloris albi, sed decorati colore albo. At quibus operimentis? non stragulis, non Babylonicis, aut quo alio genere, sed mappulis & linteaminibus. Mappæ ad mensam pertinent, linteamina ad lectulos. Et quasi dubium sit, cujus sint hæc coloris, interpretantur, i. candidissimo colore. Dignus Constantino sermo, digna Lactantio facundia: quum in cæteris, tum vero in illo [equos equitent.] Et quum de vestitu Senatorum nihil dixerit, non de laticlavo, non de purpura, non de cæteris: de calceamentis sibi loquendum putavit. Nec lunulas appellavit, sed udones, sive cum udonibus: quos, ut solet homo ineptus, exponit. i. candido linteamine, quasi udones linteamen sint. Non occurrit in præsentiarum ubi repererim udones, nisi apud Martialem Valerium; cujus distichon, quod inscribitur udones cilicini, hoc est: Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti, Cyniphio poterit planta latere sinu. Ergo non linei utiq; nec candidi sunt udones, quibus hic bipes asellus non calceari pedes Senatorum ait, sed Senatores illustrari. Atq; per hoc [sicut cœlestia, ita terrestria ad laudem Dei decorentur.] Quæ tu cœlestia vocas? Quæ terrena? Quomodo cœlestia decorantur? Quæ autem Deo laus ista sit, tu videris. Ego, siqua fides mihi est, nihil puto, nec Deo nec cæteris hominibus magis esse invisum, quàm tantam clericorum in rebus secularibus licentiam. Verum quid ego in singula impetum facio? dies me deficiet, si universa, non dico amplificare, sed attingere velim.

'Præ omnibus autem licentiam tribuimus beato Silvestro & successoribus ejus, ex nostro 'indictu, ut quem placatus proprio consilio clericare voluerit & in religioso numero religio-'sorum clericorum connumerare, nullus ex omnibus præsumat superbè agere.

Quis est hic Melchisedec, qui patriarcham Abraham benedicit? Constantinusne vix Christianus, facultatem ei, à quo baptizatus est, & quem beatum appellat, tribuit clericandi? Quasi prius nec fecisset hoc Silvester, nec facere potuisset. Et quâ comminatione vetuit, ne quis impedimento esset? [Nullus ex omnibus præsumat superbè agere.] Quâ etiam elegantiâ [Connumerare in numero religiosorum] [clericare] [clericorum] & [indictu & placatus?] Atque iterum ad diadema revertitur.

'Decrevimus itaque & hoc, ut ipse & successores ejus diademate, videlicet coronâ, quam 'ex capite nostro illi concesserimus, ex auro purissimo & gemmis pretiosis, uti debeant, pro 'honore beati Petri.

Iterum interpretatur diadema. Cum barbaris enim & obliviosis loquebatur: & adjicit [de auro purissimo] ne fortè aliquid æris, aut scoriæ crederes admixtum. Et gemmas cum dixit, addit pretiosas: eodem timore, ne viles forsan suspicareris. Cur tamen non pretiosissimas, quemadmodum aurum purissimum? Plus namq; interest inter gemmam & gemmā, quàm inter aurum & aurum. Et cum dicere debuisset distinctum gemmis, dixit [ex gemmis.] Quis non videt ex eo loco sumptum, quem princeps gentilis non legerat, Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso? Sic locutus est Cæsar vanitate quâdam coronæ suæ jactandæ, si modo Cæsares coronabantur, in seipsum contumeliosus, qui vereretur, ne opinarentur homines, eum non gestare coronam ex auro purissimo, cum gemmis pretiosis, nisi indicasset? Accipe causam, cur sic loquatur, [pro honore beati Petri] quasi Christus non sit summus angularis lapis, in quo templū ecclesiæ constructū est, sed Petrus: quod iterū postea facit. Quem si tantopere venerari volebat, cur non templum Episcopale illi potius, quàm Johanni Bapt. Romæ dicavit? Quid illa loquendi barbaries? nonne testatur non seculo Constantini, sed posteriori cantilenam hanc esse confictam? [Decrevimus quod uti debeant] pro eo quod est, decrevimus ut utantur. Sic nunc barbari homines vulgò loquuntur, & scribunt, jussi quod deberes venire, pro eo quod est, jussi ut venires: Et decrevimus, & concessimus, quasi non tunc fiant illa, sed alio quodam tempore facta sint.

'Ipse verò beatus Papa super coronam clericatûs, quam gerit ad gloriam beatissimi Petri,

N 2

'tri, ipſa ex auro non eſt paſſus uti corona.

O tuam ſingularẽ ſtultitiã Conſtantine! modò dicebas coronam ſuper caput Papæ ad honorem facere beati Petri; nunc ais non facere, quia Silveſter illam recuſat, & quum factum recuſantis probes, tamen jubes eum aureâ uti coronâ. Et quod hic non debere ſe agere exiſtimant, id tu ipſius ſucceſſores dicis agere debere. Tranſeo, quod raſuram, coronam vocas, & Papam pontificem Romanum, qui nondum peculiariter ſic appellari erat cœptus.

'Phrygium vero candidiſſimo nitore ſplendidum, domini reſurrectionẽ deſignantes, ejus 'ſacratiſſimo vertici manibus noſtris impoſuimus, & tenentes frænum equi, pro reverentia 'beati Petri Apoſtoli, dextratoris officium illi exhibuimus, ſtatuentes eodem phrygio omnes 'ejus ſucceſſores ſingulariter uti in proceſſionibus, ad imperii noſtri imitationem.

Nonne videtur hic author fabulæ, non per imprudentiam, ſed conſultò & deditâ operâ prævaricari, & undiq; anſas ad ſe reprehendendum præbere? In eodẽ loco ait, phrygio & dominicam reſurrectionem repreſentari, & imperii Cæſarii eſſe imitationem, quæ duo inter ſe maxime diſcrepant. Deum teſtor, non invenio quibus verbis, quâ verborum atrocitate confodiam hunc perditiſſimum nebulonem. Ita omnia verba plena inſaniæ evomit. Conſtantinum non tantum officio ſimilem Moyſi, qui ſummum ſacerdotem juſſu Dei ornavit, ſed ſecreta myſteria facit exponentem, quod difficillimum eſt his, qui diu in ſacris literis ſunt verſati. Cur non feciſti etiam Conſtantinum pontificem maximum, ut multi Imperatores fuerunt, ut commodius ipſius ornamenta in alterum ſummum pontificem transferrentur? Sed neſciſti hiſtorias. Ago itaq; Deo etiam hoc nomine gratias, quod iſtam nefandiſſimam mentem, non niſi in ſtultiſſimum hominem cadere permiſit. Quod etiam poſteriora declarant. Namq; Aaron ſedenti in equo, Moyſen inducit dextratoris exhibuiſſe officium, & non hoc per medium Iſrael, ſed per Chananæos atq; Ægyptios, id eſt, per infidelem civitatem, ubi non tam imperium erat orbis terrarum quàm dæmonum, & dæmones colentium populorum.

'Unde ut pontificalis apex non vileſcat, ſed magis quàm imperii terreni dignitas, gloria '& potentia decoretur, ecce tam palatium noſtrum, quàm Romanam urbem & omnes 'Italiæ ſive occidentalium regionum provincias, loca, civitates, beatiſſimo pontifici & 'univerſali Papæ Silveſtro tradimus atque relinquimus: & ab eo & ſucceſſoribus ejus 'per pragmaticum conſtitutum decrevimus diſponendas, atque juri ſanctæ Rom. eccleſiæ 'permanendas.

De hoc in oratione Romanorum & Silveſtri multa diſſeruimus. Hujus loci eſt, ut dicamus neminem fuiſſe facturum, ut nationes uno cunctas verbo donationis involveret, & qui minutiſſima quæq; ſuperius eſt executus, lorum, calceos, linteamina, equorum ornamenta, non referret nominatim provincias, quarum ſingulæ non ſingulos reges nunc aut principes regibus pares habent. Sed ignoravit videlicet hic falſator, quæ provinciæ ſub Conſtan. erant, quæ non erant. Nam certè cunctæ ſub eo non erant. Alexandro extincto, videmus ſingulas regiones in ducum partitione numeratas. A Xenophonte terras, principeſq; nominatos, qui vel ultro, vel armis ſub imperio Cyri fuerunt. Ab Homero Græcorum Barbarorumq; regum nomen, genus, patriam, mores, vires, pulchritudinem, numerum navium, & prope numerum militum, catalogo comprehenſum. Cujus exemplum quum multi Græci, tum vero noſtri Latini, Ennius, Virgilius, Lucanus, Statius, aliique nonnulli imitati ſunt. A Joſue & Moyſe in diviſione terræ promiſſionis, viculos quoque univerſos fuiſſe deſcriptos. Et tu gravaris etiam provincias recenſere? Occidentales tantùm provincias nominas. Qui ſunt fines occidentis? ubi incipiunt? ubi deſinunt? Num ita certi conſtitutique ſunt termini occidentis, & orientis, meridieique & ſeptentrionis, ut ſunt Aſiæ, Africæ, Europæ? Neceſſaria verba ſubtrahis, ingeris ſupervacua. Dicis provincias, loca, civitates: Nonne & provinciæ & urbes loca ſunt? & quum dixeris provincias, ſubjungis civitates, quaſi hæ ſub illis non intelligantur. Sed non eſt mirum, qui tantam orbis terrarum partem à ſe alienat, eundem urbium provinciarumq; nomina præterire, & quaſi lethargo oppreſſum, quid loquatur, ignorare. [Italiæ ſive occidentalium regionum] Tanquàm aut hoc aut illud, quum tamen utrumq; intelligat, appellans [provincias regionum] quum ſint potius regiones provinciarum, & [permanendas] dicens pro [permanſuras.]

'Unde congruum proſpeximus, noſtrum imperium & regiam poteſtatem orientalibus 'transferri regionibus, & in Byzantiæ provinciæ optimo loco, nomini noſtro civitatem 'ædificari, & illic noſtrum conſtitui imperium.

Taceo quod dixit civitates ædificari, cum urbes ædificentur, non civitates, & Byzantiam provinciam. Si tu es Conſtantinus, redde cauſam, cur illum potiſſimum locum condendæ urbis delegeris? Quod enim te aliò transferas poſt Romam traditam, non tam congruum quàm neceſſarium eſt: Nec te appelles Imperatorem, qui Romam amiſiſti, & de nomine Romano, quod diſcerpis, peſſimè meritus es: Nec regem, quod nemo ante te fecit, niſi ideo te regem appelles, quia Romanus eſſe deſiiſti. Sed affers cauſam ſanè honeſtam.

Quo-

'Quoniam ubi princeps sacerdotum & Christianæ religionis caput constitutum est ab Im'peratore cœlesti, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem.

O stultum David, stultum Salomonem, stultum Hezekiam Josiamque, & cæteros reges stultos ac parum religiosos, qui in urbe Hierusalem cum summis sacerdotibus habitare sustinuerunt, nec totâ illis urbe cesserunt. Plus sapit Constantinus triduo, quàm illi totâ vitâ sapere potuerunt. Et Imperatorem cœlestem appellas, quia terrenum accepit imperium, nisi Deum intelligis: nam ambiguè loqueris: à quo terrenum principatum sacerdotum, super urbe Romana cæterisque locis constitutum esse mentiris.

'Hæc verò omnia, quæ per hanc imperialem sacram scripturam, & per alia divalia decreta 'statuimus & firmavimus, usq; in finem mundi illibata & inconcussa permanere decrevimus.

Modò terrenum te vocaveras, Constantine, nunc divum sacrumq; vocas: ad gentilitatem recidis & plus quàm gentilitatem. Deum te facis, & verba tua sacra, & decreta immortalia: nam mundo imperas, ut tua jussa conservet illibata & inconcussa. Non cogitas quis tu es. Modò è sordidissimo impietatis cœno lotus, & vix perlotus. Cur non addebas, iota unum, aut apex unus de privilegio hoc non peribit, ut non magis pereat cœlum & terra. Regnum Saul a Deo electi ad filios non pervenit: regnum David in nepote discerptum est, & postea extinctum. Et tu ad finem usque mundi regnum, quod tu summo Deo tradis, permansurum tuâ authoritate decernis. Quis etiam te tam citò docuit mundum esse periturum? Nam poetis, qui hoc etiam testantur, non puto te hoc tempore fidem habere. Ergo hoc tu non dixisses, sed alius tibi affinxit. Cæterùm qui tam magnificè superbéque loquutus est, timere incipit sibique diffidere, eóque obtestationibus agit.

'Unde coram Deo vivo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili ejus judicio obtesta'mur omnes nostros successores Imperatores, & cunctos optimates, satrapas etiam amplissi'mumque Senatum, & universum populum in universo orbe terrarum, necnon & in poste'rum, nulli eorum quoquo modo licere, hoc aut confringere vel in quoquam convelli.

Quàm æqua, quàm religiosa adjuratio! Nō secus, ac si lupus per innocentiā & fidē obtestatur cæteros lupos atq; pastores, ne oves quas sustulit, interq; filios & amicos partitus est, aut illi adimere, aut hi repetere tentent. Quid tantopere extimescis, Constantine? Si opus tuum ex Deo non est, dissolvetur; Sin ex Deo, dissolvi non poterit. Sed video, voluisti imitari Apocalypsim, ubi dicitur, Contestor autem audienti omnia verba prophetiæ libri hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sanctâ. At tu nunquam legeras Apocalypsim, ergo non sunt hæc verba tua. **Apocalypsis.**

Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator extiterit, æternis condemnationibus subjaceat condemnatus: & sanctos Dei apostolos Petrum & Paulum sibi in præsenti & in futurâ vitâ sentiat contrarios. Atque in inferno inferiori scilicet concremandus, cum diabolo & omnibus deficiat impiis.

Hic terror, atque hæc comminatio non Cæsaris aut secularis principis solet esse, sed priscorum sacerdotū ac flaminū & nunc ecclesiasticorū. Itaq; non est Constantini oratio hæc, sed alicujus clericuli stolidi, nec quid dicat, aut quomodo dicat scientis, saginati & crassi, ac inter crapulā, interq; fervorē vini, has sententias & hæc verba ructantis. Quæ non in alium transeunt, sed in ipsum convertuntur authorem. Primum ait [æternis condemnationibus subjaceat] Deinde, quasi plus addi queat, alia addere vult: & post æternitatem pœnarum, adjungit pœnas vitæ præsentis: & cum Dei condemnatione nos terreat, adhuc quasi majus quiddā sit, terret nos odio Petri: Cui Paulū cur adjungat, aut cur solum, nescio. Iterum solito lethargo ad pœnas æternas redit, veluti nō hoc ante dixisset. Quòd si minæ hæ execrationesq; Cōstantini forent, invicem execrarer, ut tyrannum & profligatorem reipub. meæ, & illi me Romano ingenio minarer ultorem. Nunc quis existimat execrationem avarissimi hominis, & ritu histrionum verba simulantis, ac sub personâ Constantini alios deterrentis? hoc est propriè hypocritam esse, si græcam vocem exquirimus, sub alienâ persona abscondere tuam.

'Hujus vero imperialis decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerandum 'corpus beati Petri posuimus.

Chartane, an membrana fuit pagina, in qua scripta sunt hæc? Tametsi paginam vocamus alteram faciem (ut dicunt) folii: veluti quinternio habet folia dena, paginas vicenas. O rem inauditam & incredibilem! cum essem adolescentulus, interrogasse me quendam memini, quis librum Job scripsisset? cumq; ille respondisset, ipse Job: tunc me subjunxisse, quo pacto igitur de suâ ipsius morte faceret mentionē? Quod de multis aliis libris dici potest, quorum ratio huic loco non convenit. Nam quomodo verè narrare potes id, quod nondum esset administratū: & in tabulis contineri id quod post tabularū (ut sic dicam) sepulturā factū esse ipse fateatur? Hoc nihil aliud est, quàm paginam privilegii ante fuisse mortuam & sepultam, quàm natam: Nec tamen unquam à morte atque sepulturâ reversam, præsertim antequam **Liber Job.**

conscripta esset, reboratam: nec id unâ tantum, sed utraque Cæsaris manu. Et quid istud est, roborare illam? chirographone Cæsaris, an annulo signatorio? Magnum nimirum robur majusq; multo, quàm si tabulis æreis mandavisset. Sed non est opus scriptura æreâ, cum supra corpus beati Petri charta reponatur. Cur hic Paulum retices, qui simul jacet cum Petro, & magis custodire possent ambo, quàm si afforet tantummodo corpus unius? Videtis artes malitiamque nequissimi Sinonis. Quia donatio Constantini doceri non potest, ideo non in tabulis æreis, sed charteis privilegium esse: ideo latere illud cum corpore sanctissimi apostoli dixit. Ne aut auderemus è venerabili sepulchro inquirere: aut si inquireremus, carie absumptum putaremus. Sed ubi tunc erat corpus beati Petri? Certè nondum in templo, ubi nunc est: non in loco sanè munito ac tuto. Ergo non illic Cæsar paginam collocasset. An beatissimo Silvestro paginam non credebat, ut parum sancto, parum cauto, parum diligenti? O Petre, ô Silvester, ô sanctæ Romanæ ecclesiæ pontifices, quibus oves domini commissæ sunt, cur vobis commissam paginam non custodistis? Cur à tineis illam rodi, aut cur situ tabescere passi estis? Opinor, quia corpora quoque vestra contabuerunt. Stultè igitur fecit Constantinus. En redacta in pulverem paginâ, jus simul privilegii in pulverem abiit. Atqui, ut videmus, paginæ exemplar ostenditur. Quis ergo illam de sinu sanctissimi apostoli temerarius accepit? Nimirum aliquis antiquorum scriptorum debet afferri, nec posterior Constantini temporibus. At is nullus affertur, sed fortè aliquis recens. Unde hic habuit? Quisquis enim de superiori ætate historiam texit, aut Spiritu Sancto dictante loquitur, aut veterum scriptorum, & eorum quidem, qui de suâ ætate scripserunt, sequitur authoritatem. Quare quicunque veteres non sequitur, is de illorum numero erit, quibus ipsa vetustas præbet audaciam mentiendi. Quod si quo in loco ista res legitur, non aliter cum antiquitate consentit, quàm illa glossatoris Accursii, de legatis Rom. ad leges accipiendas dimissis in Græciam, plusquam stulta narratio cum Tito Livio, aliisque præstantissimis scriptoribus convenit.

Datum Romæ tertio Calend. Aprilis, Constantino Augusto quarto consule, & Gallicano quarto consule.

Diem posuit penultimâ Martii: ut sentiremus hoc factum esse, sub tempus sanctorū dierum, qui illo plerunq; tempore solent esse. Et Constantino quartùm consule, & Gallicano quartùm consule. Mirum si uterq; ter fuerat consul, & in quarto consulatu forent collegæ. Sed mirandum magis, Augustum leprosum elephantiâ, qui morbus inter cæteros, ut elephas inter belluas, eminet, velle etiam accipere consulatū, cum Rex Azarias simulac leprâ tactus est, in privato se continuerit, procuratione regni ad Jonatham filium relegata, ut fere omnes leprosi fecerunt. Quo uno argumento totum prorsus privilegium confutatur, profligatur, evertitur. Ac ne quis ambigat, ante leprosum esse debuisse, quàm consulem, sciat & ex medicina, paulatim hunc morbum succrescere: & ex notitia antiquitatis, consulatum iniri Januario mense, magistratumq; esse annuum, & hæc Martio proximo gesta referuntur. Ubi neq; silebo, in epistolis scribi solere [datum] non autem in cæteris, nisi apud indoctos. Dicuntur enim epistolæ dari, vel illi, vel ad illum. Illi quidem, qui perfert, ut puta, tabellario, ut reddat & in manum porrigat homini cui mittuntur. Privilegium autem, ut aiunt, Constantini, quod reddi alicui non debebat, nec dari debuit dici: ut appareat eum, qui sic loquutus est, mentitum esse, nec scisse fingere, quod Constantinum dixisse ac fecisse verisimile esset. Cujus stultitiæ atq; vesaniæ affines se ac socios faciunt, quicunque hunc vera dixisse existimant atq; defendunt. Licet nihil jam habeant quo opinionem suam, non dico defendere, sed honeste excusare possint. An honesta erroris excusatio est, cum patefacta n videas veritatem, nolle illi acquiescere, quia nonnulli mali homines aliter senserunt? Magni, inquam, dignitate, non sapientiâ nec virtute. Unde tamen scis, an illi, quos tu sequeris, si eadem audissent, quæ tu, mansuri in sententiâ fuerint, an à sententia recessuri? & nihilominus indignissimum est, plus homini velle tribuere quàm veritati, id est, Deo. Ita enim quidam, omnibus defecti rationibus, solent respondere: cur tot summi pontifices donationem hanc veram esse crediderunt? Testificor vos, me vocatis quò nolo, & invitum me maledicere summis pontificibus cogitis: quos magis in delictis suis operire vellem.

Sed pergamus ingenuè loqui, quandoquidem aliter agi nequit hæc causa. Ut fatear eis ita credidisse, & non malitia fecisse: quid mirum si ista crediderunt, ubi tantum lucri blanditur: cum plurima, ubi nullum lucrum ostenditur, per insignem imperitiam credant? Nonne apud Aram coeli, in tam eximio templo, & in loco maxime Augusto, cernimus pictam fabulam Sibyllæ & Octaviani, ut ferunt, ex authoritate Innocentii tertii hæc scribentis? Qui etiam de ruinâ templi pacis, sub natale salvatoris, hoc est in partu virginis, scriptum reliquit. Quæ ad evertendam magis fidem, quia falsa, quàm ad stabiliendam, quia miranda sunt, pertinent. Mentirine ob speciem veritatis, pietatis, audet vicarius veritatis: & se scientem hoc piaculo obstringere? An non mentitur? Imo vero à sanctissimis viris se, cum hoc facit, dissen-

dissentire non videt? Tacebo alios. Hiero. Varronis testimonio utitur, decem Sibyllas fuisse, quod opus Varro ante Augustum condidit. Idem de templo pacis ita scribit: Vespasianus & Titus, Romæ templo pacis ædificato, vasa templi & universa donaria in delubro illius consecrarunt: quæ Græca & Rom. narrat historia. Et hic unus indoctus plus vult libello suo, etiam barbarè scripto credi, quàm fidelissimis veterum prudentissimorum hominum historiis. Quia Hieronymum attigi, non patiar hanc contumeliam ipsius tacitè præteriri. Romæ ex authoritate Papæ ostenditur codex Bibliæ, tanquam reliquiæ sanctorum, luminaribus semper accensis, quod dicunt scriptum chirographo Hieronymi. Quæres argumentum? Quia multum (ut inquit Virgilius) est pictai vestis & auri. Resq; magis Hieronymi manu indicat scriptum non esse. Illum ego diligentius inspectum comperi scriptum esse jussu regis, ut opinor, Roberti, chirographo hominis imperiti. Huic simile est, quanquam decem millia hujusmodi Romæ sunt, quod inter religiosa demonstratur in tabella effigies Petri & Pauli: quam Silvester Constantino, ab eisdem apostolis in somnis admonito, in confirmationem visionis exhibuit. Non hoc dico, quia negem effigies illas esse Apostolorum, utinamque tam vera esset epistola, nomine Lentuli missa de effigie Christi, quæ non minus improbè ementita est, quàm privilegium, quod confutavimus; Sed quia tabella illa à Silvestro non fuerit exhibita Constantino. In quo non sustineo admirationem animi mei continere. Disputabo enim aliquid de fabulâ Silvestri; quia & omnis in hoc quæstio versatur: & mihi cum sermo sit cum pontificibus Rom. de pontifice Romano potissimum loqui decebit, ut ex uno exemplo, facile aliorum conjectura capiatur. Et ex multis ineptiis, quæ ibi narrantur, unam tantum de dracone attingam, ut doceam Constantinum non fuisse leprosum. Etenim gesta Silvestri ab Eusebio quodam Græco homine, ut interpres testatur, composita sunt, quæ natio ad mendacia semper promptissima est. Ut Juvenalis Satyrica censurâ ait, Quicquid Græcia mendax audet in historia. Unde draco ille venerat? Romæ dracones non gignuntur. Unde etiam illi venenum? In Africa tantum pestiferi dracones, ob ardorem regionis, esse dicuntur. Unde præterea tantum veneni, ut tam spaciosam civitatem peste corrumperet: præsertim cum in tam alto specu demersus esset, ad quem centum quinquaginta gradibus descenderetur? serpentes, excepto forsan basilisco, non afflatu sed morsu virus inspirant atq; interimunt. Nec Cato Cæsarem fugiens, cum tanta hominum manu, per medias Africæ arenas dum iter faceret ac dormiret, ullum sociorum ac comitum suorum serpentis afflatu vidit extinctum. Neq; illi populi ob id aerem sentiunt pestilentem. Et si quid fabulis credimus, & Chimera, & Hydra, & Cerberus, sine noxâ vulgo conspecti sunt, ac tacti. Adhuc quin eum Romani potius occidissent. Non poterant, inquis. At multo grandiorem serpentem in Africa, ad ripam Bragadæ Regulus occidit. Hunc vero vel obstructo ore specus facile erat interimere. An nolebant? Ita opinor pro Deo colebant, ut Babylonii fecerunt. Cur ergo, ut olim Daniel dicitur occidisse, non & Silvester hunc potius occidisset? Quin canabaceo filo alligasset & domum illam in æternum perdidisset? Ideo commentator fabulæ, noluit draconem interimi, ne plane Danielis narratio referri videretur: quod si Hieronymus, vir doctissimus ac fidelissimus interpres, Apollinarisque & Origenes, atque Eusebius & nonnulli alii narrationem Beli fictam esse affirmant, si eam Judæi in veteris instrumenti archetypo non agnoscunt, id est, si doctissimi quique latinorum, plerique Græcorum, singuli Hebræorum, illam ut fabulam damnant: ego non hanc, adumbratam ex illa, damnabo, quæ nullius scriptoris authoritate fulcitur, & quæ magistram multo superat stultitiâ? Nam quis belluæ domum subterraneam ædificaverat? Quis illic eam collocaverat, & ne prodiret atq; avolaret (volant enim dracones, ut quidam aiunt, etsi alii negat) imperaverat? Quis genus illud cibi excogitaverat? Quis fœminas, easq; virgines, ac sanctimoniales descendere præceperat, nec nisi calendis? An tenebat draco quis esset dies calendarum? & tam parco raroq; erat cibo contentus? Nec virgines tam altum specum, tam immanem, & esurientem belluam exhorrebant? Credo blandiebatur eis draco, ut fœminis, ut virginibus, ut cibaria efferentibus. Credo etiam cum illis fabulabatur. Quidni, honor dicto, etiam coibat? Nam & Alexander & Scipio ex draconis, serpentisve cum matre concubitu geniti dicuntur. Quid de negato postea victu? Non potius aut prodiisset, aut fuisset extinctus? O miram hominum dementiam, qui his anilibus deliramentis fidem habent! Jam vero quamdiu hoc factitatum est? Quando fuit cœptum? Ante adventum salvatoris, An postea? nihil horum scitur. Pudeat nos, pudeat harum næniarū & levitatis plusquam inimicæ. Erubescat Christianus homo, qui veritatis se ac lucis filium nominat, proloqui quæ non modo vera non sunt, sed nec verisimilia. At enim inquiunt, hanc dæmones potestatem in gentibus obtinebant, ut eas diis servientes illuderent. Silete, impudentissimi homines, ne dicam, sceleratissimi, qui fabulis vestris tale semper velamentum obtenditis. Non desiderat sinceritas Christiana patrocinium falsitatis. Satis per se superque suâ ipsius luce ac veritate defenditur, sine istis commentitiis ac præstigiosis fabellis, in deum, in Christum,

Christum, in spiritum sanctum contumeliosissimis. Siccine Deus arbitrio dæmonum tradiderat genus humanum, ut tam manifestis, tam imperiosis miraculis seduceretur? ut propemodum posset injustitiæ accusari, qui oves lupis commisisset: & homines magnum errorum suorum haberent excusationem. Quod si tantum olim licebat dæmonibus, & nunc apud infideles vel magis liceret, quod minimè videmus. Nec ullæ ab eis hujusmodi fabulæ proferuntur. Tacebo de aliis populis, dicam de Romanis: apud quos paucissima miracula feruntur, eaque vetusta atq; incerta. Valerius Maximus ait, Hiatum illum terræ in medio foro, cum se in eum Curtius armatum adacto equo immisisset, iterum coiisse, inq; pristinam formā continuò revertisse. Item Junonem Monetam cum à quodam milite Rom. captis Veiis, per jocum interrogata esset, an Romam migrare vellet? respondisse, velle. Quorum neutrum Titus Livius sentit, & prior author & gravior. Nam & hiatum permansisse vult, nec tam fuisse subitum quàm vetustum & ante conditam urbem, appellatumq; Curtium lacum, quod in eo delituisset Curtius Metius Sabinus, Romanorum fugiens impressionem: Et Junonem annuisse, non respondisse: Adjectum fabulæ postea, vocem reddidisse. Atq; de nutu quoq; palàm est illos esse mentitos, vel quod metum simulacri, avellêbant autem illud, interpretati sunt, sua sponte esse factum; vel qua lasciviâ hostilem & victam & lapideam deam interrogabant, eadem lasciviâ annuisse finxerunt. Tametsi Livius inquit non annuisse, sed milites quòd annuisset exclamasse. Quæ tamen boni scriptores non defendunt facta, sed dicta excusant. Nam prout idem Livius ait, datur venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Et alibi: Sed in rebus tam antiquis, si qua similia veritati sunt, pro veris accipiantur. Satis habeam: hæc ad ostentationem scenæ gaudentis miraculis aptiora, quàm ad fidem, neq; affirmare, neq; refellere est operæ pretium. Terentius Varro, his duobus & prior & doctior, &, ut sentio, gravior author, ait triplicem historiā de lacu Curtio à totidem authoribus proditā. Unam à Proculo, quod is lacus ita sit appellatus à Curtio, qui se in eum dejecit: Alterā à Pisone, quod à Metio Sabino: Tertiā à Cornelio, cujus rei socium addit Luctatium, quod à Curtio consule, cui collega fuit M. Genutius. Neq; vero dissimulaverim Valerium non planè posse reprehendi, quòd ita loquatur: cum paulo post graviter & severè subjiciat, Nec me præterit, de motu & voce deorum immortalium, humanis oculis auribusq; percepto, quàm in ancipiti opinione æstimatio versetur; Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem authores vendicent. De voce deorum dixit, propter Junonem monetā, & propter simulachrum Fortunæ, quod bis locutum fingitur his verbis: Ritè me matronæ vidistis, ritè dedicastis. At verò nostri fabulatores passim inducunt idola loquentia quod ipsi Gentiles & idolorum cultores non dicunt: & sincerius negant, quàm Christiani affirmant. Apud istos paucissima miracula, non fide authorum, sed veluti sacrâ quadam ac religiosâ vetustatis commendatione nituntur. Apud istos recentiora quædam narrantur, quæ illorum homines temporum nescierunt. Neq; ego admirationi sanctorum derogo, nec ipsorū divina opera abnuo, quum sciam tantum fidei, quantum est granum sinapis, montes etiam posse transferre. Imo defendo illa & tueor, sed misceri cum fabulis non sino. Nec persuaderi possum hos scriptores alios fuisse quàm aut infideles, qui hoc agerent in derisū Christianorum, si hæc figmenta, per dolosos homines in manus imperitorum delata acciperentur pro veris: aut fideles, habentes æmulationē Dei, sed non secundū scientiā; qui non modò de gestis sanctorum, verum etiam Dei genetricis, atq; adeo Christi improba quædam & pseudevangelia scribere non reformidarunt. Et summus Pontifex hos libros appellat apocryphos: quasi nihil vitii sit, quod eorum ignoratur author, quasi credibilia sint quæ narrantur, quasi sancta & ad confirmationem religionis pertinentia, ut jam non minus culpæ sit penes hunc qui mala probat, quàm penes illum, qui mala excogitavit. Nummos reprobos discernimus, separamus, abjicimus: doctrinam reprobam non discernemus, sed retinebimus? sed cum bonâ miscebimus? sed pro bonâ defendemus? Ego vero ingenuā ferā sententiā: Gesta Silvestri nego esse apocrypha: quia, ut dixi, Eusebius quidem fertur author: sed falsa atq; indigna quæ legātur existimo, cum in aliis, tum verò in illo, quod narratur de dracone, de tauro, de lepra, propter quā refutādа tanta repetii. Neq; enim si Naamā leprosus fuit, continuò & Constantinū leprosum fuisse dicemus. De illo multi authores meminerunt, de hoc principe orbis terrarum nemo, ne suorū quidē civiū scripsit, nisi nescio quis alienigena, cui non aliter est habenda fides, quàm alteri cuidā, de vespis intra nares Vespasiani nidificantibus, & de ranâ partu à Nerone emissa, unde Lateranū vocitatū locū dicūt, quòd ibi rana lateat in sepulchro. Quòd nec vespæ ipsæ, nec ranæ, si loqui possent, dixissent: nisi ad deos capitolinos hoc referunt, quasi illi loqui consuêssent, & hoc fieri jussissent. Sed quid mirer hæc non intelligere pontifices cum nomen ignorent suū? Cephas enim dicunt vocari Petrū, quia caput Apostolorū esset, tanquā hoc vocabulū sit græcū ἀπὸ τῆς κεφαλῆς & non Hebraicū, sed potius Syriacū, quod Græci κηφᾶς scribunt, quod apud eos interpretatur Petrus, non caput. Est enim Petrus & petra græcum vocabulum, stulteq; per etymologiam latinam exponitur petra, quasi pede trita. Et metropolitanum ab archiepiscopo

archiepiscopo distinguunt, voluntq; illum à mensurâ civitatis dictū, cum Græcè dicatur non metropolis, sed μητρόπολις, id est, mater civitatis sive urbis, & patriarcham quasi patrem patrum, & papam ab interjectione papæ dictum, & fidem orthodoxam quasi recta gloria, & Simonem media correpta, cum legendum sit media longa, ut Platonem & Catonem ita legendum Simonem. Et multa similia, quæ transeo, ne culpâ aliquorum, omnes summos pontifices videar insectari. Hæc dicta sint, ut nemo miretur, si donationem Constantini commentitiam fuisse Papæ multi non potuerunt deprehendere, tametsi ab aliquo eorum ortam esse hanc fallaciam reor. At dicitis, cur Imperatores, quorum detrimento res ista cedebat, donationem Constantini non negant, sed fatentur, affirmant, conservant? Ingens argumentum, mirifica defensio! Nam de quo tu loqueris Imperatore? si de Græco, qui verus fuit Imperator, negabo confessionem, sin de Latino, libenter etiam confitebor. Etenim quis nescit Imperatorem latinum gratis factum esse à summo pont. ut opinor Stephano qui Græcum Imperatorem, quod auxilium non ferret Italiæ, privavit, latinumq; fecit, ita ut plura Imperator à Papâ, quàm Papa ab Imperatore acciperet. Sanè Trojanas opes quibusdam pactionibus soli Achilles & Patroclus inter se partiti sunt. Quod etiam mihi videntur indicare Ludovici verba, cum ait, Ego Ludovicus Imperator Ro. Augustus statuo, & concedo, per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi beato Petro principi apostolorum, & per te vicario tuo, domino Paschali summo pont. & successoribus ejus in perpetuum, sicut à prædecessoribus nostris usque nunc in vestrâ potestate & ditione tenuistis, Romanam civitatem, cum ducatu suo & suburbanis atq; viculis omnibus & territoriis ejus, montanis, atque maritimis littoribus & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac villis, in Thusciæ partibus, &c. Tune Ludovice cum Paschale pacisceris? Si tua, id est, imperii Rom. sunt ista, cur alteri concedis? Si ipsius, & ab ipso possidentur, quid attin[illegible]e illa confirmare? Quantulum etiam ex imperio Rom. tuum erit, si caput ipsum imperii amisisti? A Roma dicitur Romanus Imperator. Quid cætera quæ possides, tuane an Paschalis sunt? Credo tua dices. Nihil ergo valet donatio Constantini, si ab eo pontifici donata tu possides. Si valet, quo jure tibi Paschalis cætera remittit, retentis tantum sibi quæ possidet? Id sibi vult tanta, aut tua in illum, aut illius in te de imperio Ro. largitio? Meritò igitur pactum appellas, quasi quandam collusionem. Sed quid faciam inquies? Repetam armis quæ Papa occupat? At ipse jam factus est me potentior. Repetam jure? At jus meum tantum est, quantum ille esse voluerit. Non enim hæreditario nomine ad imperium veni, sed pacto, ut si Imperator esse volo, hæc & hæc invicem Papæ promittam. Dicam nihil donasse ex imperio Constantinum? At isto modo causam agerem Græci Imp. & me omni fraudarem imperii dignitate. Hac enim ratione Papa se dicit facere Imperatorem me, quasi quendam vicarium, & nisi promittam, non facturum: & nisi paream, me abdicaturū. Dummodo mihi det, omnia fatebor, omnia pacifcar. Mihi tamen crede, si Romam ego aut Thusciam possiderem, tantum abest, ut facerem, quæ facio, ut etiam frustra mihi Paschalis donationis, sicut reor falsæ caneret cantilenam. Nunc concedo, quæ nec teneo, nec habiturum me esse spero. De jure Papæ inquirere non ad me pertinet, sed ad Constantinopolitanum Augustum. Jam apud me excusatus es Ludovice, & quisquis alius Ludovici similis. Quid de aliorum Imperatorum cum summis pontificibus pactione suspicandum est, cum sciamus quid Sigismundus fecerit, princeps alioqui optimus & fortissimus, sed jam affecta ætate minus fortis? Quem per Italiam paucis stipatoribus septum, in diem vivere vidimus, Romæ etiam fame periturum: nisi eum, sed non gratis (extorsit enim donationem) Eugenius pavisset. Is cum Romam venisset, ut pro Imperatore Romanorum coronaretur, non aliter à Papâ coronari potuit, quàm ut Constantini donationem ratam haberet, eademq; omnia de integro donaret. Quid magis contrarium, quàm pro Imperatore coronari, qui Romæ ipsi renuntiasset? & coronari ab illo, quem & confiteatur, & quantum in se est, dominum Rom. imperii [illegible]aciat? ac ratam habere donationem, quæ vera si sit, nihil Imperatori de imperio reliqui fiat? Quod (ut arbitror) nec pueri fecissent. Quo minus mirum, si Papa sibi arrogat Cæsaris coronationem, quæ populi Rom. esse deberet. Si tu, Papa, & potes Græcum Imperatorem privare Italiâ provinciisque occidentis, & Latinum Imp. facis, cur pactionibus uteris? Cur bona Cæsaris partiris? Cur in te imperium transfers? Quare sciat quisquis est Imperator Rom. me judice, se non esse nec Augustum, nec Cæsarem, nec Imperatorem, nisi Romæ imperium teneat, & nisi operam det, ut urbem Romam recuperet, plane esse perjurum. Nam Cæsares illi priores, quorum fuit primus Constantinus, non adigebantur jusjurandum interponere, quo nunc Cæsares obstringuntur, sed quantum humanâ ope præstari potest, nihil imminuturos esse de amplitudine imperii Rom. eamque sedulò adaucturos. Non eâ re tamen vocati Augusti, quòd imperium augere deberent, ut aliqui sentiunt, latinæ linguæ imperiti: Est enim Augustus quasi sacer, ab avium gustu dictus, quæ in auspiciis adhiberi solebant, Græcorumque testante linguâ, apud quos Augustus σεβαστὸς dicitur.

Unde

Unde Sebastia vocata. Melius summus pontifex ab augendo Augustus diceretur, nisi quòd dum temporalia auget, spiritualia minuit. Itaque videas, ut quisque pessimus est summorum pontificum, ita maximè defendendæ huic donationi incumbere. Qualis Bonifacius octavus, qui Celestinũ tubis parieti insertis decepit. Hic & de donatione Constantini scribit, & regem Franciæ privavit, regnumque ipsum, quasi donationem Constantini exequi vellet, ecclesiæ Romanæ fuisse & esse subjectum judicavit: Quod statim successores ejus Benedictus & Clemens, ut improbum injustumque revocarunt. Verum quid sibi vult ista vestra, pontifices Romani, solicitudo, quòd à singulis Imperatoribus donationem Constantini exigitis confirmari, nisi quod juri diffiditis vestro? Sed laterem lavatis, ut dicitur. Nam neq; illa unquam fuit, & quod non est, confirmari non potest: & quicquid donant Cæsares, decepti exemplo Constantini faciunt, & donare imperium nequeunt. Age vero demus Constantinum donasse, Silvestrumque aliquando possedisse: sed postea vel ipsum, vel aliquem ipsorum à possessione dejectum: Loquor nunc de his quæ papa non possidet, postea loquar de his quæ possidet. Quid possum vobis magis dare, quàm ut ea quæ nec fuerunt, nec esse potuerunt, fuisse concedam? Tamen dico, vos nec jure divino, nec jure humano, ad recuperationem agere posse. In lege veteri Hebræus supra sextum annum Hebræo servire vetabatur, & quinquagesimo quoq; anno omnia redibant ad pristinum dominum. Tempore gratiæ, Christianus à vicario Christi, redemptoris nostræ servitutis, premetur servitio æterno? Quid dicam, revocabitur ad servitutem, postquàm liber factus est, diuq; potitus libertate? Sileo, quàm sævus, quàm vehemens, quàm barbarus dominatus frequenter est sacerdotum. Quod si ante ignorabatur, nuper est cognitum, ex monstro illo, atque portento, Johanne Vitelesco Cardinale & patriarchâ qui gladium Petri quo auriculam Malcho abscidit, in Christianorum sanguine lassavit, quo gladio & ipse periit. An verò populis Israel à domo David & Salomonis, quos prophetæ à Deo missi unxerant, tamen propter graviora onera desciscere licuit, factum q; eorum probavit Deus, nobis ob tantam tyrannidem desciscere non licebit? ab his præsertim qui nec sunt reges, nec esse possunt, & qui de pastoribus oviũ, id est, animarum, facti sunt fures ac latrones. Et ut ad jus humanum veniam, quis ignorat nullum jus esse bellorum? aut si quod est, tamdiu valere, quamdiu possideas quæ bello parasti? Nam quum possessionem perdis, & jus perdidisti. Ideoq; captivos, si fugerint, nemo ad judicem repetere solet: etiam nec prædas, si eas priores domini receperint. Apes & quædam alia volucrum genera, si è privato meo longius evolaverint & in alieno desederint, repeti non queunt. Tune homines, non modo liberum animal, sed dominum cæterorum, si se in libertatem manu & armis asserant, non manu & armis repetes, sed jure? quasi tu homo sis, illi pecudes? Neque est quod dicas: Romani justè bella nationibus intulerunt, justéq; libertate illas exuerunt. Noli me ad istam vocare quæstionem, ne quid in Romanos meos cogar dicere. Quanquam nullum crimen tam grave esse potuit, ut æternam mererentur populi servitutem: Cum eò, quod sæpe culpâ principis, magnive alicujus in Republicâ civis, bella gesserunt, & victi immerita servitutis pœnâ affecti sunt. Quorum exemplis plena sunt omnia. Neque verò lege naturæ comparatum est, ut populus sibi populum subigat. Præcipere aliis eosque exhortari possumus, imperare illis ac vim afferre non possumus, nisi relictâ humanitate, velimus ferociores belluas imitari, quæ sanguinariũ in infirmiores imperium exercent, ut leo in quadrupedes, aquila in volucres, delphinus in pisces. Veruntamen hæ belluæ non in suum genus sibi jus vendicant, sed inferius. Quod quanto magis faciendum nobis est, & homo homini religioni habendus? quum, ut M. Fabius inquit, nulla supra terras adeo rabiosa bellua, cui non imago sua sancta sit. Itaque quatuor ferè causæ sunt, ob quas bella inferuntur. Aut ob ulciscendam injuriam defendendosque amicos: aut timore accipiendæ postea calamitatis, si vires aliorum augeri sinantur: aut spe prædæ: aut gloriæ cupiditate. Quarum prima nonnihil honesta, secunda parum, duæ posteriores nequaquàm honestæ sunt. Et Romanis quidem illata fuere frequenter bella: sed postquam se d[illegible]nderant, & illis & aliis ipsi intulerunt, nec ulla gens est, quæ ditioni eorum cesserit, nisi bello victa & domita: quàm rectè, aut quâ causâ, ipsi viderint. Eos ego nolim nec damnare, tanquàm injustè pugnaverint: nec absolvere tanquàm justé. Tantum dicam, eâdem ratione Romanos cæteris bella intulisse, qua reliqui populi regesq;. Atque ipsis qui bello lacessiti victique sunt, licuisse deficere à Romanis, ut ab aliis dominis defecerunt. Ne fortè, quod nemo diceret, imperia omnia ad vetustissimos illos, qui primi domini fuere, id est, qui primi præripuere aliena, referantur: & tamen melius in victis bello nationibus populo Rom. quàm Cæsaribus Rempublicam opprimentibus jus est. Quocirca si fas erat Gentibus à Constantino, & quod plus est, à populo Romano desciscere, profectò & ab eo jus erit, cuicunq; cesserit ille jus suum. Atque ut audacius agam, si Romanis licebat, Constantinum aut exigere, ut Tarquinium, aut occidere ut Julium Cæsarem, multò magis eum, vel Romanis vel provinciis licebit occidere, qui in locum Constantini utcunq; successit. Hoc etsi verum, tamen ultra causam meam

Quatuor bellorum causæ.

meam est, & idcirco me reprimere volo, nec aliud ex his colligere, quæ dixi, nisi ineptum esse, ubi armorum vis est, ibi jus quenquam afferre verborum. Quia quod armis acquiritur, idem rursus armis amittitur. Eò quidem magis, quod aliæ novæ gentes, ut de Gothis accepimus, quæ nunquam sub imperio Rom. fuerunt, fugatis veteribus incolis, Italiam & multas provincias occuparunt, quas in servitutem revocari, in qua nunquam fuerunt, quæ tandem æquitas est? præsertim victrices, & fortè à victis. Quo tempore, si quæ urbes ac nationes, ut factum fuisse scimus, ab Imperatore desertæ, ad Barbarorum adventum necesse habuerunt deligere sibi regem, sub cujus auspiciis victoriam reportarunt, nunquid hunc postea à principatu deponerent? Aut ejus filios tum commendatione patris, tum propriâ virtute favorabiles juberent esse privatos, ut iterum sub Romano principe essent, maximè cum eorum operâ assiduè indigerent, & nullum aliunde auxilium sperarent? Hoc si Cæsar ipse, aut Constantinus, ad vitam reversus, aut etiam Senatus Populusque Rom. ad commune judicium, quale in Græciâ Amphitryonum fuit, vocaret: prima statim actione repelleretur, quòd à se olim custode desertos, quòd tamdiu sub alio principe degentes, quòd nunquam alienigenæ regi subditos, quòd deniq; homines libertati natos & in libertatem robore animi corporisque assertos, ad famulatum servitiumque reposceret. Ut appareat, si Cæsar, si Pont. Rom. à repetendo exclusus est, multò vehementius Papam esse exclusum. Et si licet aliis nationibus, quæ sub Roma fuerunt, aut regem sibi creare, aut remp. tenere, multo magis id licere populo Rom. præcipuè adversus novam Papæ tyrannidem. Exclusi à defendendâ donatione adversarii, quod nec unquam fuit; & si qua fuisset, jam temporum conditione intercidisset, confugiunt ad alterum genus defensionis, & velut relictâ urbe, in arcem se recipiunt, quam statim deficientibus cibariis dedere cogentur. Præscripsit, inquiunt, Romana ecclesia in his quæ possidet. Cur ergo, quæ major pars est, ea reposcit in quibus non præscripsit, & in quibus alii præscripserunt? Nisi id non licet aliis in hunc, quod huic licet in alios. Præscripsit Romana ecclesia. Cur ergo ab Imperatoribus toties curat sibi jus confirmandum? Cur donationem, confirmationemque Cæsarum jactat, si hoc unum satis est? Injuriam ei facis, si de altero quoque jure non sileas. Cur igitur de altero non siles? Nempe, quia hoc sibi non sufficit. Præscripsit Romana ecclesia. Et quomodo potest præscripsisse, ubi de nullo titulo, sed de malæ fidei possessione constat? Aut si malæ fidei possessionem neges, profectò stultæ fidei negare non posses. An in tantâ re, tamque apertâ excusata debet esse & facti & juris ignorantia? Facti quidem, quod Romam provinciasque non dedit Constantinus, quod ignorare idiotæ hominis est, non summi pontificis. Juris autem, quod illa nec donari potuere, nec accipi, quod nescire vix Christiani est. Itane stulta credulitas dabit tibi jus in his, quæ, si prudentior fores, tua nunquam fuissent? Quid? Nonne nunc saltem, postquam te per ignorantiam atque stultitiam possedisse docui, jus istud, si quod erat, amittes? & quod inscitia malè contulerat tibi, nonne id rursum cognitio bene adimet? Mancipiumque ab injusto ad justum dominum revertetur, fortassis etiam cum usufructu? quod si adhuc possidere pergis, jam inscitia in malitiam fraudemque conversa est, planeque effectus es malæ fidei possessor. Præscripsit Romana ecclesia. O imperiti! ô divini juris ignari! Nullus quantumvis annorum numerus verum abolere titulum potest. An verò captus ego à Barbaris credituſq; periisse, post centum annos, quibus captivus fui postliminio reversus, paternæ hæreditatis repetitor excludar? Quid hac re inhumanius? Atq; ut aliquod afferam exemplum, num Jephthe dux Israel reposcentibus filiis Ammon terram à finibus Arnon, usque in Jabuc atq; in Jordanem, respondit, præscribit Israel jam per trecentos annos? An quod nunquam illorum, sed Amorrhæorum fuisset terra, quam reposcerent, ostendit? & hoc argumentum esse, ad Ammonitas illam non pertinere, quod nunquam intra tot annorum circulum repoposcissent? Præscripsit Romana ecclesia. Tace, nefaria lingua. Præscriptionem, quæ fit de rebus mutis atque irrationabilibus, ad hominem transfers: cujus quò diuturnior in servitute possessio, eò est detestabilior. Aves ac feræ in se præscribi nolunt, sed quantolibet tempore possessæ, cum libuerit, & oblata fuerit occasio, abeunt: homini ab homine possesso non licet abire? Accipe, unde magis fraus dolusque quàm ignorantia Romanorum pont. appareat, utentium judice bello, non jure. Cui simile quiddam primos pontifices, in occupandâ urbe cæterisque oppidis, credo fecisse: Parum ante me natum (testor eorum memoriam, qui interfuerunt) per inauditum genus fraudis Roma papale accepit imperium, seu tyrannidem potius, cum diu libera fuisset. Is fuit Bonifacius nonus; octavo in fraude & nomine par: si modò Bonifacii dicendi sunt, qui pessimè faciunt. Et cum Romani deprehenso dolo apud se indignarentur, Bonifacius Papa, in morem Tarquinii, summa quæque papavera virgâ decussit. Quod cum postea, qui ei successit, Innocentius imitari vellet, urbe fugatus est. De aliis pontificibus nolo dicere, qui Romam vi semper oppressam armisque tenuerunt, licet quoties potuit rebellavit, ut sexto abhinc anno, cum pacem ab Eugenio obtinere non posset, nec pax esset

esset hostibus, qui eam obsidebant: & ipsa papam intra ædes obsedit, non permissura illum abire, priusquàm aut pacem cum hostibus faceret, aut administrationem civitatis relegaret ad cives. At ille maluit urbem deserere, dissimulato habitu, uno fugæ comite, quàm civibus gratificari, justa & æqua petentibus. Quibus si des electionem, quis ignorat libertatem magis quàm servitium electuros? Idem suspicari libet de cæteris urbibus, quæ à summo Pontifice in servitute retinentur, per quem à servitute liberari debuissent. Longum esset recensere, quot urbes ex hostibus captas populus Romanus liberas fecit: adeò ut T. Flamminius omnem Græciam, quæ sub Antiocho fuisset, liberam esse & suis uti legibus juberet. At Papa, ut videre licet, insidiatur sedulò libertati populorum. Ideoq; vicissim illi quoq; oblatâ facultate (ad Bononiam modò respice) rebellant. Qui siquando sponte, quod evenire potest, aliquo aliunde periculo urgente, in papale imperium consenserunt: non ita accipiendum est, consensisse, ut servos se facerent: ut nunquam subtrahere à jugo colla possent: ut postea nati non & ipsi arbitrium sui habeant: Nam hoc iniquissimum foret. Sponte ad te, summe Pont. ut nos gubernes venimus; sponte nunc rursus abs te, ne gubernes diutius, recedimus: siqua tibi à nobis debentur, ponatur calculus datorum & acceptorum. At tu gubernare invitos vis, quasi pupilli simus: qui teipsum forsitan sapientius gubernare possemus. Adde huc injurias, quæ aut abs te, aut à tuis magistratibus huic civitati frequentissimè inferuntur: Deum testamur, injuria cogit nos rebellare, ut olim Israel à Roboam fecit. Et quæ tanta fuit illa injuria, quanta portio nostræ calamitatis, graviora solvere tributa? Quid enim si Rempublicam nostram exhaurias? Exhausisti. Si templa spolies? Spoliasti. Si virginibus matribusq; familiæ stuprum inferas? Intulisti. Si urbem sanguine civili perfundas? Perfudisti. Hæc nobis sustinenda sunt? An potius, cum tu pater nobis esse desieris, nos quoque filios esse obliviscemur? Pro patre, summe Pontifex, aut si hoc te magis juvat, pro domino hic te populus advocavit, non pro hoste atque carnifice. Patrem agere aut dominum non vis, sed hostem & carnificem. Nos sævitiem tuam impietatémque etsi jure offensæ poteramus, tamen quia Christiani sumus, non imitabimur: Nec in tuum caput ultorem stringimus gladium: sed te abdicato atque summoto, alterum patrem dominumve adoptabimus. Filiis à malis parentibus, è quibus geniti sunt, fugere licet: nobis à te, non vero patre, sed adoptivo, & pessimè nos tractante, non licebit? Tu vero, quæ sacerdotii operis sunt cura: & noli tibi ponere sedem ad Aquilonem, & illic tonando fulgurantia fulmina in hunc populum cæterosq; vibrare. Sed quid plura opus est in re apertissimâ dicere? Ego non modò Constantinum non donasse tanta, non modò non potuisse Romanum Pontificem in eisdem præscribere, sed etiam si utrumq; esset, tamen utrumq; jus sceleribus possessorum extinctum esse contendo: cum videamus totius Italiæ, multarumque provinciarum cladem ac vastitatem ex hoc uno fonte fluxisse. Si fons amarus est, & rivus. Si radix immunda & rami. Si delibatio sancta non est, nec massa. Ita è diverso, si rivus amarus, fons obstruendus est: si rami immundi, è radice vitium venit: si massa sancta non est, delibatio quoque abominanda est. An possumus principatum potentiæ papalis pro jure proferre, quem tantorum scelerum, tantorumque omnis generis malorum cernimus esse causam? Quamobrem dico, & exclamo (neque enim timebo homines, Deo fretus) neminem meâ ætate in summo pontificatu fuisse, aut fidelem dispensatorem, aut prudentem: qui tantum abest, ut dederit familiæ Dei cibum & escâ panis ut Papa & ipse bella pacatis populis infert & inter civitates principesq; discordias serit. Papa & alienas sitit opes & suas exorbet, ut Achilles in Agamemnonem, δημοβόρος βασιλεύς· Papa non modo Rempublicam, quod non Verres, non Catilina, non quispiam peculator auderet: sed etiam rem ecclesiasticam, & spiritum sanctum quæstui habet, quod Simon ille magus detestatur. Et cum horum admonetur, & à quibusdam bonis viris reprehenditur, non negat, sed palàm fatetur, atque gloriatur licere ei quavis ratione patrimonium ecclesiæ, à Constantino donatum, ab occupantibus extorquere. Quasi eo recuperato, religio Christiana futura sit beata, & non magis omnibus flagitiis, luxuriis, libidinibusque oppressa, si modo opprimi magis potest, & ullus est sceleri ulterior locus. Ut igitur recuperet cætera membra donationis, malè ereptas à bonis viris pecunias prius effundit, militumque equestres pedestresque copias, quibus omnia infestantur, alit: cum Christus in tot millibus pauperum, fame ac nuditate moriatur. Nec intelligit, ô indignum facimus! cum ipse secularibus auferre quæ ipsorum sunt, laborat, illos vicissim sive pessimo exemplo induci, sive necessitate cogi, licet non est vera necessitas, ad auferenda quæ sunt ecclesiasticorum. Nulla itaque unquam religio, nulla sanctitas, nullus Dei timor: &, quod referens quoque horresco, omnium scelerum impii homines à papâ sumunt excusationem. In illo enim comitibusque ejus est omnis facinoris exemplum: ut cum Esaiâ & Paulo, in papam & papæ proximos dicere possumus. Nomen Dei per vos blasphematur inter Gentes. Qui alios docetis, vos ipsos non docetis. Qui prædicatis non furandum, latrocinamini. Qui abominamini idola, sacrilegium facitis. Qui in lege & in pontificatu gloriamini, per prævaricationem legis Deum verum

rum

rum pontificem inhonoratis. Quod si populus Rom. ob nimias opes, verã illam Romanitatem perdidit; si Salomon ob eandem causam in idololatriam, amore fœminarũ lapsus est, nonne idem putamus fieri in summo pont. ac reliquis clericis? Et postea putamus deum fuisse permissurum ut materiam peccandi Silvester acciperet? Non patiar hanc injuriam fieri sanctissimo viro. Non ferã hanc contumeliam fieri pontifici optimo; ut dicatur imperia, regna, provincias accepisse: quibus renuntiare etiam solent qui clerici fieri volunt. Pauca possedit Silvester, pauca cæteriq; summi pont. quorũ aspectus apud hostes quoq; erat sacrosanctus: veluti illius Leonis, qui trucem Barbari regis animũ terruit ac fregit, quẽ Romanæ vires nec frangere nec terrere potuerant. Recentes vero summi pont. id est divitiis ac delitiis affluentes, id videntur laborare, ut quantum prisci fuere sapientes & sancti, tantũ ipsi & impii sint & stulti, & illorũ egregias laudes omnibus probris vincãt. Hæc quis Christiani nominis queat æquo animo ferre? Verũ ego in hac primâ nostrâ oratione nolo exhortari principes ac populos, ut papã effrænato cursu volitantem inhibeant, eumq; intra suos fines consistere compellant; sed tantũ admoneant, qui forsitan jam edoctus veritatẽ, sua sponte, ab alienâ domo in suam, & ab insanis fluctibus sævisq; tempestatibus in portum se recipiet. Sin recuset, tunc ad alteram orationem multo truculentiorẽ accingemur. Utinam utinam aliquando videam: nec enim mihi quicquam est longius, quàm hoc videre, & præsertim meo consilio effectum, ut papa tantum vicarius Christi sit, & non etiam Cæsaris: Nec amplius horrenda vox audiatur, partes contra ecclesiam, ecclesia contra Perusinos pugnat, contra Bononienses. Non contra Christianos pugnat ecclesia, sed papa. Illa pugnat contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Tunc papa & dicetur & erit pater sanctus, pater omnium, pater ecclesiæ: nec bella inter Christianos excitabit, sed ab aliis excitata, censura apostolicâ & papali majestate sedabit. DIXI.

NICOLAI DE CUSA CARDINALIS

Tit. Sancti Petri ad vincula, sententia de donatione Constanstini, quam scripsit ad Concilium Basiliense, de concordantia catholicâ, lib. III. Capite II.

UNum præterire nequeo, quoniam pene omnium sententia indubitata est, Constantinum Imperatorem, occidentis imperium Rom. pont. Silvestro, ac ejus in ævum successoribus perpetuo dono tradidisse: & ideo etiamsi ratio de unitate principantis scilicet adversari bono & recto ordini duo capita fore non concluderet, pateret tamen in occidente Imperatorem nullum, nisi à papâ dependenter imperium cognosceret, justè esse posse. Hanc radicem quoad potui investigavi, præsupponens hoc etiam indubitatum esse, Constantinum talem donationem facere potuisse. Quæ tamen quæstio nec soluta est hactenus, nec solvetur verisimiliter unquam. Sed in veritate supra modum admiror, si res ita est: eò quod in authenticis libris, & in historiis approbatis non invenitur. Relegi omnia quæ potui gesta imperialia ac Romanorũ pont. historias: sancti Hieronymi, qui ad cuncta colligendum diligentissimus fuit, Augustini, Ambrosii, ac aliorum opuscula peritissimorum: revolvi gesta sacrorum Conciliorum, quæ post Nicænum fuere: & nullam invenio concordantiam ad ea, quæ de illâ donatione leguntur. Sanctus Damasus papa, ad instantiam beati Hieronymi, actus & gesta prædecessorum dicitur annotasse: in cujus opere de Silvestro papâ non ea inveniuntur quæ vulgò dicuntur. Legitur in certis historiis, Constantinum à Silvestro baptizatum: Et ipsum Imperatorem tres illas, sancti Johannis, sanctorum Petri & Pauli ecclesias mirificè ornasse, ac annuos multos redditus è diversis massis terrarum, in diversis provinciis & insulis, pro continuando ornatu lampadarum balsami & nardi pistici, ac cæterorum donasse. De quibus omnibus particularem mentionem in pontificum libro reperies. Sed de donatione temporalis dominii, aut imperii occidentis, nihil ibi penitus continetur. Verum quod postquàm Astulfus rex Longobardorum exarchatũ Ravennatem occupavit cum aliis multis locis, & Stephanus secundus natione Romanus ex patre Constantino, multis legatis ad Astulfum missis rogaret imperiali ditioni loca restitui, & facere non vellet Astulfus, Stephanus Pipinum adiens, eum cum duobus filiis in reges unxit. Fuit etiam cum eodem Stephano orator missus Imperatoris, & à Pipino impetrarunt, ut Astulfum induceret, quòd imperio loca restitueret. Misit Pipinus, nec profecit. Unde cum non posset sic ab Astulfo restitutionem impetrare, pomisit Stephano se vi ablaturum ab eo, & sancto Petro daturum. Hoc audito, revertitur imperialis missus. Pipinus quæ promiserat explevit.

vit. Forma vero hujus donationis, in gestis præfati Stephani, cum nominatione particulari omnium bonorum continetur. Zacharias papa monarchiam regni Franciæ in Pipinum transtulit, Ludovico rege deposito: de quo legitur 28. q. 6. alius. & in gl. venerabilem. Ex illo puto Pipinum sedi apostolicæ favisse. Post hoc Desiderius rex iterum illas civitates, aut earũ aliquas, tempore Adriani vi cepit. Adrianus papa multis missis ad eum legatis, repetiit jus sancti Petri, impetrare non potuit: tunc Carolus magnus invocatus per Adrianum, recuperavit & iterũ donavit sancto Petro solenni donatione, quæ in gestis ejusdem Adriani papæ continetur. Ex istis constat, Constantinũ imperium per exarchatum Ravennatem, urbem Romam & occidentem minimè papæ dedisse. Unde continuè legitur, Imperatores usq; ad tempora præfata sicut prius, pleno jure Romã, Ravennam & Marchiam cum aliis locis possedisse: & probat tex. 96. distin. bene quidam. ubi dicit de Patritio præfecto nomine Adoacris regis: & 63. distin. Agatho. 96. dist. cum ad verũ. cum similibus. Et Romanos pontifices legimus Imperatores fateri dominos. Scribit enim Agatho papa ad Imperatorem Constantinum, qui sextam synodũ congregavit, & multis annis sequutus est primum, quo modo urbs Roma sit ipsius Imperatoris servilis urbs. Et Bonifacius papa ad Honorium, qui dicit quod ecclesiæ Romanæ ipse habet regere sacerdotiũ, sed Imperator humanas res. Et in fine dicit, Romam esse urbem suæ mansuetudinis. Hic textus habetur. 91. dist. ecclesiæ. Et ut breviter dicam, nullibi contrarium legi, quin usq; ad illa præfati Pipini tempora Imperator remanserit in possessione locorũ prætactorũ. Nec unquã legi aliquem Romanorũ pontificum usq; ad tempora Stephani secundi, in illis locis nomine sancti Petri aliquid juris præsumpsisse habere. Hæc credo vera esse, non obstante famigerâ opinione de contrario, quæ in Palea habetur, Constantinus 96. dist. Quoniã absq; dubio, si non fuisset illud dictamen apocryphum, Gratianus in veteribus codicibus & canonũ collectionibus invenisset: & quia non invenit, non posuit. Unde quæ postea addidit, pro Palea ita illam confictam scripturã posuit, sicut multa alia inveniuntur ex aprocryphis libris nostris inscripta. Ego etiam ad longum hanc scripturam in quodam libro inveni, quæ multo plus continet, quàm ea quæ in decreto ponitur loco prærallegato: & diligenter eam examinans, reperi ex ipsamet scripturâ argumenta manifesta confictionis & falsitatis, quæ pro nunc longum & inutile foret his inserere. Etiam est advertendum, quod tex. Constantinus. 96. distin. est ex legendâ sancti Silvestri extractus: & fundat ille qui imposuit decreto, authoritatem ipsius textûs in approbatione Gelasii in synodo. Rogo videatur. 15. distin. sancta Romana illa approbatio; & invenietur pauci roboris: quia dicit authorem ignorari & tamen per catholicos legi, & ea propter legi posse. Qualis sit approbatio, quisq; considerare potest. Multæ enim sunt historiæ sancti Silvestri. Una, in quo hoc non invenitur, quam sanctus Damasus ponit. Alia, cujus author ignoratur: quam textus non dicit veram, sed legi posse, neq; dicit in illâ hoc contineri. Etiam antiqua decreta nõn habent textũ, nisi usq; ad §. Item decreta Romanorũ pontificum, inclusive: & sic non invenitur in illis libris iste. §. de historia Silvestri. Quinta etiam universalis synodus, quæ de approbatis doctorũ omnium & scripturarum approbatarum libris mentionem facit: ac etiam ipsa synodus Martini papæ, quæ fuit contra asserentes unam voluntatem in Christo, scilicet contra Petrum & Sergium, renovans approbatas scripturas, ut egomet vidi, nullam de istis historiis faciunt mentionem: nec quisquam approbatus, aut nominatus inter veridicos, quem unquam vidi. Ego legi in Vincentio historiarum 24. libro, in fine, secundum sanctum Hieronymum, Constantinum uxorem Faustam & filium Crispum crudeliter occidisse, & in extremo vitæ ab Eusebio Nicomediæ episcopo baptizatum, in Arrianam hæresim declinasse. A quo tempore, inquit Hieronymus, ecclesiarum rapinæ, & totius orbis discordia sequuta est usq; in præsens tempus. Ista libro de actibus Silvestri, quem Vincentius dicit à quodam, cujus nomen ignorat, è græco translatum, ut eodem libro cap. 9. habetur, manifestè contradicunt. Quis non crederet potius Hieronymo approbato, quàm ignoti authoris scripturis, quæ apocryphæ dicuntur, quando author ignoratur? Textus etiam qui ascribitur Melchiadi papæ, qui habetur 12. q. 1. futuram, qui videtur huic dicto aliquantulum obstare, non est Melchiadis papæ, secundum glossam quandam & etiam rei veritatem: quia Melchiades præcessit Silvestrum, ut patet in catalogo Romanorũ pontificum. Et si Constantinus fuit baptizatus à Silvestro secundum commune dictum, tunc patet titulum illius textûs falsum, quia loquitur de baptismo Constantini. Et etiamsi Melchiadis foret ille textus, adhuc non haberetur argumentum ex eo contra præmissa: quia non dicit aliud, quàm Constantinum sedem Romanam imperialem reliquisse & Petro & successoribus concessisse: hoc est, quòd ubi fuit sedes imperialis, quòd ibi sit modò papalis: quod non negatur. Et verum est Constantinum Imperatorem tempore Melchiadis papæ fuisse, & tunc Christianum: ut per Augustinum in multis locis hoc habetur, & maximè in epistola ad Glorium & Elusium, & quibus hoc gratum est, quæ incipit: Dixit quidem

Jus pontificũ quando cepit esse.

Multæ sunt hist. Silvestri.

quidem apostolus, & hoc concordat cum Hieronymo. Vidi etiam decretum Leonis papæ in synodo Romanâ, cum subscriptione episcoporum & clericorum, & civium Romanorũ: ubi Leo papa Othoni primo restituit omnia loca per Pipinum & Carolum & Robertum Reges sancto Petro data; & nominantur in eodem decreto omnia loca: & nullam facit de donatione Constantini mentionem. Sunt meo judicio illa de Constantino apocrypha.

ANTONINUS ARCHIEPISCOPUS

Florentinus primæ partis historialis ti. 8. c. 2. §. 8. sic inquit

TErtium dubium est de donatione factâ ecclesiæ à Constantino, de quâ habetur in decretis dist. 96. Constantinus. Sed illud cap. non habetur in antiquis decretis. Quid ergo & quantum donaverit, non est bene certum: videtur tamen saltem illud quod Ludovicus rex Francorum & Imperator promittit sub jurejurando Paschali papæ & successoribus ejus, de quo habetur distin. 65 Ego Ludovicus. Et Otto Teutonicorum primus Imperator confirmat. Johannes papa distinctione eadem, Tibi. Sed & quæstio adhuc agitur inter Canonistas & Legistas, utrum illa tenuerit donatio? Quod Canonistæ omnino firmant, & Theologi magis confirmant. Et quia non fuit simplex donatio, sed potius restitutio ecclesiæ facta juris sui, cum omnia sint de Christi dominio, cujus papa est vicarius in terris: cætera vero dimisit dominis temporalibus.

RAPHAEL VOLATERRANUS IN VITA

Constantini magni sic scribit

DE dono Constantini, aut concessione apud nullos extat authores, præterquam in libro Decretorum: idq; in antiquis voluminibus minimè contineri, author est Antoninus præsul Florentinus in Chronicis.

R.P.D. HIERONYMUS PAU. CATTHALANUS.

Canonicus Barcinonensis, juris utriusq; doctor, ac cubicularius Alexandri. VI. pontificis Max. vir fide digniss. in libello, quem vocant practicam Cancellariæ Apostolicæ, sic scribit

QUòd donatio Constantini etiam de facto non fuerit, lege Laurentium Vallam & Papam Pium in dialogo: nec de tali donatione quicquam legi apud probatum historicum, præsertim eos qui scripserint illâ ætate, vel illi proximâ. Nam nec Eusebius, qui fuit diligentissimus scrutator & narrator rerum Christianarum meminit, quod tamen nullo modo videbatur omittendum: nec Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Johannes Chrysostomus, nec Ammianus, nec historia tripartita, nec ipsemet Damasus papa in suâ Chronicâ, nec Beda, nec Orosius meminerunt. Et constat per plures quàm CCC. annos post Constantinum, Imperatores tenuisse gubernacula urbis & Italiæ per duces, præsides & exarchos, & urbis Romanæ usq; ad tempora Innocentii. II. ut patet apertè in Chronicis & historiis: & de Justiniano patet, l. 1. & 2. de offi. præfec. prætor. Africæ & in prooemio instit. & in epistolâ, inter claras. ibi, nostrum firmat imperium, & in l. fin. C. de vet. jur. enucl. & in l. bene à Zenone. & in aut: ut etiam Romana ecclesia ibi, ad ecclesias nostras, & usq; ad oceani recessus & in aut: ut proprio nomine Imperato. Et in vitâ Phocæ Imperatoris legitur impetrasse Pantheon Bonifacium papam ab eo. ¶ Unde ergo habuerit terras ecclesia, vide gesta Caroli magni, & Pipini, & Pium in dicto dialogo, & collecta novissimè per dominum Bartholomæum de Platina bibliothecarium, qui omnia instrumenta pertinentia ad statum ecclesiæ in temporalibus, præsertim circa acquisitionem terrarum, & aliorum jurium & censuum, collegit in valdè magno volumine: ad cujus collectionem etiam operam nostram præbuimus in revidendo. Et de dictâ donatione & curatione lepræ Constantini, lege quæ latè scribit Renus episcopus Paduanus in historiâ sua de vitis pontificum.

Papa Pius dialogum scripsit contra donationem Constantini.

Argumentum forte.

Car. mag. & Pipinus spoliatis veris imperatoribus, ecclesiam Romanam ditarunt.

AD LECTOREM.

Legisti Vallam, lector studiose, qui ob suâ mordacitatem non leves pœnas dedit: Patritius enim fuit Romanus, & ecclesiæ divi Johannis Lateranensis canonicus; verùm, quû nimis acerbè contra donationem Constantini scripsisset, suasq; in pontifices invectivas, plus æquo graves edidisset, exilium passus est. Nam ab Alfonso Neapolitanorû rege exceptus servatusq; fuit. Vixit enim anno domini M.CCCC.XX. tempore Nicolai quinti, cui & sex elegantiarû libros dedicavit. Floruit quoq; sub Eugenio IV. attamen, quia mediocritati studere non didicit, minus sapiens ac circumspectus in suis invectivis est habitus. Aurea igitur servanda est mediocritas, & omnibus in rebus quidam semper est modus. Nam difficile est in illum scribere qui novit proscribere. Quod quia neglexit (quanquâ fortasse & ferrea veritas pro ipso dimicet) non ab omnibus commendatur. Cæterû hæc missa faciamus. Norunt enim viri boni, religiosi, eruditi quoq; & sapientes, quid in hac rē (ne aliquē offendisse videamur) credendû sit. Itemq;, non esse articulû fidei, Constantinum dedisse Silvestro occidentale Imperium, omnibus est notissimû. Nihil etiam in his omnibus sacrosanctæ sedi apostolicæ decrescit. Nam clarissimû est, beatû Silvestrû & successores ejus potentissimis Imperatoribus, armatâ manu ac bello nihil surripere potuisse. Quid igitur hujusce rebus diutius immorabimur? Legamus veteres, legamus & neotericos, remq; ipsam quæ Constantini donationem contingit, paucissimis absolvamus. Variant authores ipsi ut supra ad lectorem diximus. Quapropter, ne hæc prædicta quispiam mali consulat, assignamus hoc loco varias doctorum juris opiniones, quas quû ritè revolveris, tibiipsi judicium esto. Expedit enim atq; perutile est omnia scire, & quod verum est tueri: quoniam quidem non abs re fuerit, candidissime lector, in hac ipsa re, cum opiniones extent doctissimorum virorum plurimæ, quorum pars aliqua hanc donationem & contigisse olim ac valuisse affirmat. Nonnulli verò, eam quidem ipsam contigisse nunquam, asserere non dubitent. Quidam deniq; eandem tametsi factam, jure tamen fieri haud licuisse contendant. Quas ob res si cuipiam hujusmodi rerum studioso latius privatim differere secû libuerit, idq; uberioris eruendæ veritatis gratiâ (licet hæc plerumq; odium pariat) citra tamen majorum nostrorum indignationem seu offensionem, is, ultra memoratos hoc in libello authores, juris etiam professores, quorum in arduis, est de apicibus juris disputare, cognoscere, ac definire, necnon in his quæ in puncto juris versantur justum ab injusto, æquumque ab iniquo æquâ lance discernere passim sparsimq; perlustrare poterit.

Apud Canonistas.

Videre est textû seu Paleam in c. Constantinus, 96. dist. & in c. ego Lotharius. 63. dist. Glo. in clemen. prima. §. cæterum, de jurejurando. Doctores quidē in generali, In c. translato de consti. In c. ex ore, de his quæ fiunt à majo. parte ca. In c. 1. de jurejurand. In c. per venerabilem. qui filii sint legitimi. In c. ex insinuatione, de Simo. In c. fundamenta de electione. lib. sexto. In speciali vero, Innocentius tractat in c. quod in dubiis, & c. finali de resti: in integrû. Item Speculator in tit. de instrumentorû editione. §. Nunc aut, & in §. 11. versi. quid si Imperator. Johannes Andreæ in additionib. ad Speculatorem in titulo de jurisdic. omniû judi. §. 1. Abbas Panor. in dic. c. per venerabilem. Idem libro consiliorû secûdo, consilio. 84. Felinus in c. solitæ de majori & obedien. Cardinalis Alexandrinus in clementina prima de sum. trini. & fide catho. Idē in clemen. Romani versi. porrò de jurejurando. Andreas de Iservia in c. 1. (sexta columna) qui feu. dare possunt, &c.

Apud Legisperitos.

Diversim ac variè legitur hac eadē de re seu materiâ, apud eosdē princip. quidē apud Cynum in l. cōpetit C. de præscriptio. XXX. annorû. In l. penul. C. de bonis quæ libe. Gl. & doctores in l. 1. in prin. & §. 1. ff. de offi. præsid. Glo. in autentico, quommodo oporteat episcopos post pri. colla. ii. Gl. in auten. ut eccle. Roma. centum annorum gaudeat præscriptione. colla. ii. Bartholus plerisq; in locis, puta in prima constitutione pandectarum quarta columna. In l. omnib. ff. ad Sancta juscon. Trebel. In l. prohibere. §. plane ff. quod vi aut clam. In l. 1. §. doctrina ff. de acquirenda poss. Præterea Baldus in dic. l. penul. Idē in prima consti. codi. Idē in prælud. lib. feud. 12. colû. Idē in l. Barbarius ad fi. ff. de offi. præsi. Idem in c. 1. & c. in generali. Si de feudo fuerit controversia. Jacobus Butrigarii in dic. consti. prima cod. Angelus Perusinus in l. Si certarum ff. de testamento mil. Ludovicus Rom. in l. is qui hæres, in prin. ff. de acqui. hæred. Paulus de castro in consi. 72. Alexander de Imola, in dic. 1. const. digestorum. In dic. l. omnibus. Idem in l. legatariis. ff. de off. præsi. Idem in Rubrica. ff. de verborum obliga. Idem in dic. l. prohibere. Idem in l. filio quem pater ff. de libe. &. posth. Idem in quarta parte consiliorum, consi. 95. Idem in quinto consiliorum volumine, consi. 24. in fine, &c. Vale lector, & hæc omnia diligenter perpende.

AD

AD LECTOREM.

O Tu lector diligens, qui perlustras omnia, & nihil intentatum relinquis, lege obsecro & hæc quæ de Constantino referuntur, sive ipsius baptismum, sive imperii Romani divisionem, donationemve contingant.

Pomponii Læti libro secundo verba hæc sunt.

Quoniam Constantinus fidei Christianæ plurimũ faverat, mirumq; est, quòd cum deditissimus fuerit, lavacrum renascentis vitæ in extremũ vitæ suæ tempus distulerit,ut existimo, volens id in Jordane, iturus contra Persas, efficere, baptizatusq; est ab episcopo Nicomedien.

Iterum subjungit Pomponius.

Quidam tradunt Constantinũ orbẽ hæredibus testamento divisisse, quidam filios sorte fecisse. Constantino obvenere Galliæ, Hispaniæ, & alpes Cottiæ, Britanniæ, Orcades, Hibernia, Thyle. Constanti, Italia & Africa cum insulis, &c. Tu lector, reliqua ibidem require.

Socratis Græci in historia tripartita lib. 3. cap. ult. hæc sunt, traductore latino Epiphanio & Cassiodoro senatore auspicante.

Cumq; religiosissimus Imperator potitus Christianitate gauderet & veri dei testimonio fidem Nicænam roborari cognosceret, in his quæ fuerant de Arrio gesta lætabatur. Qui cum tres habuisset filios, eos Cæsares appellavit, & singulos eorum per decenn osannos imperii sui principes esse constituit. Primum quidem filium, sui nominis Constantinum Hesperiarum partium, in decennali suo fecit habere principatum. Secundum vero avi nomine nuncupatum Constantium in vicennalibus suis Cæsarem in oriente constituit. Juniorem vero Constantem in suis tricennalibus ordinavit. Anno verò post hæc transacto, ingressus LXV. annum ætatis, ægritudine captus ex urbe Constantinopolitanâ, quasi ad calidas aquas egressus est.

Jam Theodorici verba eodem in loco quo præcedentia, in hunc modum subsequuntur.

Qui (videlicet Constantinus) cum in Nicomediâ degeret, languore gravatus, nec ignorans vitæ hujus incertum, gratiam sacri baptismatis est adeptus. Distulerat enim usq; ad illud tempus, in Jordane fluvio hoc promereri desiderans. Porrò autem tres filios imperii hæredes & Athanasium reverti præcepit, &c.

Verba Zozomeni de eodem, ibidem.

Nicomediæ in suburbano, sacri baptismatis donis initiatus est, &c.

Johannes Baptista Egnatius Venetus de imperatoribus scribens, sic ait de Constantino.

Tres liberos & Dalmatium fratris filium successores reliquit,XXX. & amplius annos imperans ; XIII. vero ex his solus. De ejus quoq; baptismate uti variant authores, sic constanti fide, quæ de imperii donatione circumferuntur, uti minus similia veri non probant, &c.

Idem de tribus Constantini filiis.

Hi tres imperium, quod per manus à patre acceperunt, ita partiti sunt, ut Constantinus maximus natu Gallias & Hispanias, Britanniamq; insulam obtineret. Constanti Italia cum Illyrico & Græcia cederet. Byzantium & Oriens Constantii esset : qui Dalmatium socium imperii haberet, &c.

Sextus Aurelius Victor de gestis Imperatorum hæc de Constantino scribit.

Ad tres, orbis Romani dominatio redacta est, Constantinũ & Constantiũ ac Constantẽ, filios Constantini. Hi singuli, has partes regendas habuerunt. Constantinus trans Alpes, Constantius à freto Propontidis, Asiam atq; Orientem. Constans Illyricum Italiamq; & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamq; & Achaiam, &c.

O. G.

¶ Collige lector fidelis ex his omnibus, quidnam Silvestro magnus ipse dederit Constantinus. Perlustra quoq; omnium nobilium scripta authorum, & de Constantini donatione nihil fortasse quod approbari à doctis possit, reperies. Postremò, ut paucis rem ipsam absolvamus, lege Volaterranum, lege Nauclerum, lege etiam ac perlege Capnionem ipsum Johannem Reuchlin Phorcensem, virum doctissimum, qui in suo opusculo de Constantini vitâ quod è Græco in latinum vertit, nullam prædictæ donationis mentionem facit, quanquam tamen (ut Græcus vult codicillus authore vero carens) illum à Silvestro baptizatum opinetur. Tu igitur, lector studiose, diligenter omnia revolves, ut è manu tandem Herculis clavam eripias. Vale fæliciter.

Finis de donatione Constantini.

AD LECTOREM.

DE Waldensibus, qui à Petro Waldensi, rerum (ut fertur) mundanarum contemptore, nomen habent, multa sæpe tum legimus, tum etiam audivimus: deq; his ipsis, apud Sylvium juxta ac reliquos scriptores non pauca. Quales autem fuerint, non est nostrum judicare. Nam ut deus ait per prophetam, Impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate suâ. Christi enim nos ecclesiam non solum hac in re, sed in cunctis fideliter imitabimur. Sanctorū quoq; patrum decreta, & quæ in bonis, ab optimis. quibusq;, tum pro dei gloriâ, tum pro communi omnium bono, decisa sunt, nemo non ultro amplexabitur ac sequetur. Qui contrarium docuerit, is proculdubio, à patrum nostrorum recto judicio ac fideli sentimento & diutinâ consuetudine è diametro pugnat. Quid multa? Expurgant se Waldenses super objectis coram Regiâ majestate, seq; hæreticos esse constanter pernegant: Quæ igitur ad Hungariæ regem scripta ac missa sunt, & per eundem sive ipsius consiliarios in Christianū orbem divulgata, tu ad amussim ac perpendiculum lege.

ORATIO EXCUSATORIA, ATQUE Satisfactiva Fratrum Waldensium, Regi Uladislao ad Hungariam missa.

Clarissime rex, domineq; noster gratiose,

NOS homines depressi, ac Vestræ Majestati humiliter subjecti, contemptibili quoque nomine falsò amicti, humilem nostram orationem, diuturnæ quoq; valetudinis cum cujusvis boni incremento, privationeq; mali in fælici vestro imperio æquum vestræ celsitudini præmittimus affectum. Notum facimus dignitati vestræ, quòd retroactis temporibus scriptum vestræ gratiæ ad nos usq; pervenit, nedum rumore hominum, verùm etiam in multis nostrûm actuali impletione comprobatum. Quo scripto, juxta delationem inimicorum nostrorum iniquè & injustè nos pravo judicio sententiantium, malos & impios, ignariq; vulgi seductores, dæmonis astutiâ nocentiores esse, quam perfida gens Turcarum fuerit, Talium hostium calumniis acquiescentes, nos tales esse, ex ignorantiâ vestrâ manifestastis, deniq; officialibus Amplitudinis vestræ nos ex ditionis vestræ urbibus pellere, magistratibus abdicare, conciones nostras (in quibus pro bono utili vestro Deum oramus) intermittere, atq; contra nostrâm conscientiam aliorsum, quàm credulitate solitâ tenere valemus, cogere: cæterum utriusq; partis presbyteris pro hujusmodi nefariis nos habendos esse, qui de deo, sacramentis ecclesiæ, de communione corporis & sanguinis Christi, diabolicâ capti nequitiâ malè tenemus, sentimusque pravè, necnon condemnamus, floccipendimus, ludibrio habemus. Insuper, ut homines omnem nobiscum conversationem fugiant, vestris literis publicè jussistis. Hoc ipsum nos audientes, atque plurimi nostrum re ipsa plenè experti, orationibus nostris ad deum confugimus, pietatem ejus obsecrantes, quatenus benignitate suâ, meritoq; ac intercessione dilectissimi filii sui vos à sanguinis humani effusione, tristique afflictione hominum illorum, qui divinæ placere benignitati, voluntatem quoque ejus agnitam æmulari conantur, conservare velit. Simulque deinceps verentes ne in personam vestram, & regnum vestrum, iram atque furorem suum Deus ex alto immittat. Postremò etiam magno desiderio fuimus, si se facultas obtulerit, de religionis nostræ arcanis (quorum causâ, diversas angustias sustinemus) simpliciter rationem regulamque pandere, quo suffulti auxilio, omnium etiam calumniatorùm objectis delationibus, mansuetum & pium semper experiamur regem, atque clementi vestro imperio sæva quævis in nos turbulentaque tempestas illicò conquiescat. Quapropter submissè, gratia dei justitiæ & misericodiæ ejus (quam à deo vobis dari assiduè optatis) rogamus à Vestra pietate patienter audiri. Nam quod scripturi sumus, ex cordis æquitate singula oritura esse haud dubitetis, quod enim corde coram deo credimus, idipsum ore, tali pacto nunc profitemur. Hoc primum credulâ mente pro fide verâ suscepimus, in qua etiam jam aliquandiu versati, stabili animo, intentioneque libera ob animarum nostrarum salutem immobiliter perseverare proposuimus:

Omnem

Omnem videlicet fidei veritatem ſpiritu ſancto revelatam, in ſcripturis deinde ſacris eodem ſpiritu ſancto repoſitam, atq; in Apoſtolorum ſymbolo ſummatim recollectam: ſimulque à primitivâ eccleſia re ipſa cuſtoditam, virtutibus, prodigiis, ſincero dogmate, martyrio quoque certificatam. Poſtremò, Concilio Nicæno, ac ab epiſcopo Athanaſio, plurimiſq; dogmatiſtis in hæreticos ſtudio explanatam, neceſſariam eſſe ad animarum ſalutem præcipuè hoc ævo, pari fide fatemur. Viva itaque fides univerſale eſt fundamentum ſalutis humanæ, quæ fides dono ſpiritûs ſancti, meritoq; gratiæ Chriſti principaliter largitur, in eccleſia verò voce evangelicâ, ac veritatis verbo miniſterialiter annunciatur, ſacramentis quoque eccleſiaſticis exemplariter confirmatur. Symbolum Apoſtolorum. Fides.

PROFESSIO FIDEI TRINITATIS BENEDICTÆ.

Eodem fidei fonte ſtabiliter quoad ſpiramus, credimus, & fatemur: Satorem atq; fidei ſalutis datorem eſſe Deum omnipotentem, in deitatis ſubſtantiâ unum: in perſonis vero trinum, patrem, filium, ſpiritumq; ſanctum, unum deum perpetuò benedictum. Qua fide de deo patre, deo patri, & in deum patrem integrè credimus. De deo patre credimus, filium ſuum unicum perenniter generare, quem miſericordiâ ſua motus in redemptionem & ſalutem mundo dedit, cujus merito ſolus genitor ſecundum propoſitum electionis ſuæ ſalutem operatur. Genitori deo eadem fide credimus, quando teſtimonio ejus integrè acquieſcimus, quod ab eo cœlitus de gratiſſimo ejus nato delapſum eſt. Hic eſt (inquit) filius meus dilectus, ipſum audite. Quod etiam beata & ſemper inviolata virgo Maria, concordi ſententia protulit, Quodcunq (ait) vobis filius meus dixerit, facite. Vera etiam atq; fidelia mandata ejus pari fide dicimus eſſe à deo, ut qui in fide adultâ ætate vivens ea reliquerit, ipſum ſalutem in Chriſto nequaquam fore adepturum. In deum patrem credimus, quando cunctipotentem cœli orbiſq; creatorem eſſe ſcientes, ipſum corde diligimus atq; opere juxta notitiam virtutemq; mandata ejus cuſtodimus. Trinitas. Genitor.

DE VERBO INCARNATO SINCERA FIDES.

Catholica fides, quam ſemel ſuſcepimus à deo, nos eadem de Chriſto, Chriſto domino, & in Chriſtum facit credere, profiteriq;. De Chriſto, ſapientiâ æterna, credimus, verum unicum Deum, æqualem in divinitate patri ac ſpiritui ſancto, poteſtate, ſapientia, & bonitate vitam æternam eſſe, perpetuâ generatione ex patre procedere, per quem feciſſe & ſecula haud ambigimus. Qui ut promiſſa patrum impleret, in Gentium ſalutem ab alto perſonaliter deſcendit cœlo, thalamo virginali incluſus: plenitudine temporum in terra viſus eſt, in cruce atrociter diſtentus, Pilato tunc in Judæa præſidente, cum ſanguine puriſſimo animam exhalavit: ligno depoſitus, ſaxeo reconditus eſt ſepulchro, luce tertiâ placido expergefactus eſt ſomno: Noviſſimè quadrageſima die ſerenâ ſublatus nube, In dexterâ patris, loco videlicet eo digniſſimo, nobiliſſimo reſidentem, regnare credimus, ut omne cordis noſtri deſiderium, quævis ſimul noſtræ ſpei fiducia ſurſum in gloriam ſanguine ipſius paratam tollatur: qui in throno gratiæ reſidens, fidelis advocatus interpellat pro his, qui hæreditatem gloriæ percepturi ſunt. Eccleſiam ſuam pro qua ſeipſum obtulit ad mortis ſupplicium, gratia, virtute auxilioque, dono gratuito, non deſerit, quam in diebus carnis ſuæ vehementer obſervavit: cui omne genus viventium, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum ea lege eſt ſubditum, ut quemadmodum patrem deum, ita filium pari gloria, æquo honore, ſimilique majeſtate colant, venerenturque: linguaque ſuâ ipſum in gloria, ſedeq; majeſtatis patris ſcilicet ſui reſidere fateantur. Neq; cœlo aliquando deſcenſurum niſi omnium Gentiũ adverſitas ſubdita ipſius pedibus, tandem damnatione conteratur æternâ. Chriſto Jeſu annuimus dummodo juſſa ejus, quæ nos ad credendum in eum, fidendum, diligendumq; pro vitâ gloriæ adeunda obligant, vera ac fidelia dicimus eſſe. In Chriſtum autem credimus, quando deum & ſalvatorem noſtrum cognoſcentes, omnes ejus ſermones plenâ fide amplectimur: ipſum quoque perfectâ charitate diligentes, cum fidis ejus membris in fide, amore copulamur. Filius.

DE SPIRITU SANCTO VERA EIDES.

Ejuſdem poſtremò fidei virtute tenaciter credimus, quam uſque exitum tenere decrevimus, de ſpiritu ſancto, ſpiritui ſancto, & in ſpiritum ſanctum. De ſpiritu ſancto quod eſt unus verus Deus, cum patre, verboq; unigenito: in hoc duntaxat diverſus, quod ab utroq; emanat. Cujus munere fidei vivificantis, renovantis & reformantis ad Chriſti participationẽ merito- Spiritus ſanctus.

meritoriæ gratiæ justificationis, veritatis, fortitudinis, perfectæq; salutis, unusquisq; pervenit. Quo etiam ecclesia sancta in Christi fide cui portæ inferni resistere non valent, fundatur: quam similiter eodem spiritu in membris fidei veræ lavat, justificat, sanctificat, ordinat, gubernat, congregat, roborat, fructificat. Simulq; divinæ literæ eodem spiritu sunt inspiratæ, atque cognitæ. Eo quoq; membra ecclesiæ uniuntur, ab eo pariter dona regiminis ecclesiæ procedunt, atq; alia quamplura eodem spiritu sancto in vitam gloriæ perficiuntur. Spiritui sancto credimus, quando divinis scripturis aut Apostolis dei, plenè consentimus. In spiritum sanctū credimus, dum clara ejus notitia, & fide haud fictâ ipsum diligimus, & cum membris eo afflatis omnes ejus veritates revelatas in gloriam æternam custodimus.

DE ECCLESIA SANCTA, PROFESSIO.

Ecclesia. Eadem formatæ fidei plenitudine credimus, sanctam Catholicam Ecclesiam, ratione fundamenti fidei vivæ, esse numerū omniū electorū à mundi exordio usq; ipsius consummationem, quos Deus pater in Christo spiritu suo eligit, justificat, vocat in gloriam salutis, magnificat: extra quā nulla salus hominibus est. Ratione autē ministeriorū, dispensatorumq; ipsius sanctam Ecclesiam Catholicam credimus esse congregationem omnium ministrorum ac populi obedientiâ subjugati, ab initio usque ad consummationem omnium temporum divinæ voluntati obsequentium, quos solus Deus spiritu sancto inspiratos mittit, dans eis verbum fidei, pacis, reconciliationis, ut fructū in unitate ecclesiæ salutis afferant, & labor eorum salutifero non fraudetur præmio: quorū nomina numerumq; ille solus scit, qui ea in vitæ libro exaravit. Prima paulò ante ecclesia neminem damnandū continet, profecto altera mixta servat ad tempus præfinitum judicii extremi, Ecclesia malignantium eos, qui ex maligno prodierunt, ambit, quos diabolus in perditionem mundi, & in probationē electorū mittit, hoc temporū curriculo quo nos spiramus. In hanc ecclesiam omnia acerba tristiaq; quæ Christus atque Apostoli ejus vaticinati sunt cumulatim devoluta sunt, videlicet ut hi, qui honore Ecclesiastico sunt indigni, sua potestate ei dominentur. Renovationis etiā promissa jam eidē completa esse. Neq; autē nos tantum nobis arrogamus, ut Catholica ecclesia dici fieriq; velimus, apud quos duntaxat salus reposita fuerit, verum solicitâ diligentiâ laboramus ecclesiasticæ veritatis participes effici, rectoribus demum ejus in obedientia ordine stantes, intimo amore subjici. Malis vero operariis, quos hostes sponsæ veritatisq; ejus deprehendimus, timore æternæ damnationis, obedientiâ denique Christi, ecclesiæ quoque ejus in his quæ contra legem sentiunt, loquuntur aguntve, subesse parereq; veremur. Quapropter angustias, ludibria, calumnias, gratiâ salutis animarum nostrarum patienter ferimus. Nisi enim timor sanctus nos detineret, horror quoq; gehennæ, libertatem seculi in quo datur facultas vivere quemadmodum velis, cum vanitatibus ipsis amplecteremur. Sed viam arctam, tristem, irrisam maluimus eligere, quam ipse Redemptor Christus, ecclesia denique sponsa ejus à mundo damnata abjectaq;, vestigia Christi signata sequens ambulavit, quàm momentaneas seculi blanditias degustare sectarique.

DE MINISTERIIS ECCLESIÆ.

Ecclesiæ ministeria. Primum & potissimum ministerium ecclesiæ Catholicæ est evangelium Christi, quo gratia & veritas crucis tormento laboriose acquisita manifestatur, quæ gratia electis vocatis dono fidei à spiritu sancto, deoq; patre in salutem largitur. Alterum deinceps necessarium ecclesiæ Christi ministeriū, verbū sani dogmatis innotescimus esse, quo veritas salutifera in sensu fidei cognoscitur: ex qua notitiâ, homini boni desiderii vita gratiæ gloriæque administratur. Similiter sacramenta septenario inclusa numero ecclesiæ Christi utilia esse pandimus, quibus populo credulo promissa dei impleta esse significantur: ingressus etiam in ecclesiam dei ad servandam unitatem in ea conversantium, in gloriam per ea ministratur.

Septem sacramenta.

BAPTISMUS.

Baptismus. Fides à Deo data, talia de baptismate primo sacramento cogit sentire: Quicunque maturâ jam ætate auditu verbi Dei fidem adeptus, qua in anima renatus, illuminatusq; vim nactus fuerit, talis exteriori lavacro in argumentum interioris munditiæ per fidem acquisitæ baptizari tenetur in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, in unitatem ecclesiæ sanctæ. Professio ista nostra etiam in pueros extenditur, qui Decreto Apostolorum (prout Dionysius scribit) baptizari debent, post, ductu compatrum in Christi lege eruditorum, ad vitam fidei invitandos esse assuescendosque.

De

DE CONFIRMATIONE.

Fide ex divinis scripturis sumptâ profitemur temporibus Apostolorum istud observatum fuisse, quicunque in pubescentiæ annis promissa donorum spiritûs sancti non acceperunt, hujusmodi per orationem manûsq; impositionem, in fidei confirmationem suscipiebant. Eadem quoque de infantibus sentimus, quicunq; baptizatus ad veram accesserit fidem: quã imitari re ipsa in adversitatibus & contumeliis proposuerit, hac ipsa ratione, ut nova regeneratio in spiritu ejus, vitaq; gratiarum revelata videatur, talis ad episcopum, aut sacerdotem duci statuiq; debet, qui interrogatus de fidei veritatibus præceptisq; divinis, simulque voluntate bona, intentione stabili, ac veritatis operibus illa omnia sic se habere fatendo testabitur, talis confirmandus est in spe veritatis consequutæ: deniq; orationibus ecclesiarum juvandus est, quatenus ei incrementum munerum spiritûs sancti ad stabilitatem militiamq; fidei accedat; Manûs postremò impositione ad firmanda promissa dei, veritatisq; habitæ in virtute nominis Patris & Verbi ejus, Flatûs quoque almi, ecclesiæ societur. Confirmatio.

DE EUCHARISTIA.

Fide ipsa, quam scripturarum sanctarum ministerio hausimus, credimus, linguâ quoque nostrâ resonamus, Ubicunque dignus sacerdos cum fido populo juxta sensum & Christi intentionem Ecclesiæq; ordinationem orationem faciens hujusmodi verbis, videlicet, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, testificatus fuerit: confestim præsens panis est corpus Christi in mortem pro nobis oblatum. Vinum similiter præsens est sanguis ejus effusus in peccatorum remissionem. Hæc fidei nostræ professio verbis Christi firmatur ab Evangelistis & à sancto Paulo conscriptis. Ad hanc professionem etiam istud accedat, Hoc corpus Christi & sanguis ejus, juxta Christi & Ecclesiæ quoque ejus institutionem, sub panis viniq; speciebus utrisque in commemorationem ejus mortis, sanguinis etiam effusionem ipsius, quemadmodum ait, Hoc facite in meam commemorationem, sumi debet. Deinde mors Christi, verbo Evangelii, atque bona utilia morte ejus disposita, annuncianda sunt. Similiter spes fusi sanguinis, ut Apostolus testatur: Quotiescunque (ait) manducabitis panem hunc, & calicem domini bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat. Tertiò, pro veritatis spiritalis notitiâ, de qua Johannes Evangelista scribit: In certificationem similiter donationis, sumptionis, usûs, acceptionis, veritatis, per fidem in spe, sicut ait dominus, Accipite & comedite: Accipite & bibite. Quartò, propter simultaneum usum; namque ex Christi & primitivæ ecclesiæ institutione atque praxi, tunc sacerdos ministrare debet, quando fidelium necessitas fuerit, qui cum eis simul accipere tenetur, ut dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Paulus etiam, Calix cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? Namque unus panis & unum corpus multi sumus, qui de uno pane & de uno calice participamus. Quintò, ob fidelium ab infidelibus & indignis discretionem, & propter excommunicationem & correptionem eorum, qui labe vitiorum fœdati, pœnitentiam agere recusant. De eo Paulus scribit, Nolo vos (inquit) socios esse dæmoniorum, non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum: Non potestis participes esse mensæ domini, & mensæ dæmoniorum. Rursus: Auferte (inquit) malum ex vobismetipsis: nam si is qui frater dicitur inter vos & est avarus, fornicator, aut idolis serviens, aut ebrius, seu maledicus, aut fur, cum hujusmodi nequecibum accipite. En fides nostra, gratiosissime Rex, de corpore & sanguine Christi, erga quam quemadmodum mutare aut auferre ea ipsa quæ dominus Jesus verbis dignatus est testificari, ad quem similiter usum tradere, formidamus: neque etiam apponere quicquam audemus, quod institutor sacramenti non addidit, simulq; primitiva Ecclesia, quæ Christum in paupertate, labore, sequens, suâ simplicitate edicta legis non violavit. De isto profectò sacramento, quod dominus ex magnâ gratiâ instituit in charitatem & amorem electorum, multa dissidia ex sensu, opinionibus, & sanctionum additamentis emerserunt, adeo quòd contra intentionem institutionis domini, alii in alios insaniâ capti homicidia perpetrant. Nos verò tanti causâ mali evitandi, ad Christi fidem, verba, intentionem, sensum ejus verbis inculcatum confugimus, ut quod credere jusserit, simpliciter credamus: quod deniq; facere mandaverit, fideliter operemur. Revera non modò de pane accepto, benedicto, fracto, testificato esse corpus suum nos credimus corpus ejus esse: verùm etiam si lapidem accipiendo dixisset ipsum corpus suum esse, plenè ita credidissemus. Gratiâ hujus simplicis nostræ fidei, quia opinione hominum nos abduci ab eâ non patimur, hæreticamur: pro usu etiam actuali, ad quem nos sermo Christi Apostolorumq;, & exemplum operis ejusdem sacramenti invitat, quia ita agimus, utimur fide integrâ in mortis Christi memoriam, condemnamur, judicamur, captivamur & affligimur. Christũ enim redẽptorẽ nostrũ vetitu ejus dissuasi, atq; præcepto ejus astricti,

Eucharistia.

Primitiva Ecclesia.

cti, cultu, honore sibi digno colimus: aliud venerari quemadmodum ipsum solum in dexterâ residentem, cum patre & spiritu sancto vehementer metuimus. Quapropter, benignissime Rex, sciat serenitas vestra hoc nos non contumaciâ neque contemptu ullo facere: sed timore Dei & obedientiâ ejus. Nobis autem pro Christi fide damnatis, sublimitas vestra compati velit precamur: optamus quoque, ut Deus excelsus gratiâ sua dignitatem vestram ab irâ sua custodire conservareq; dignetur.

DE SACERDOTII ORDINE.

Ordo sacerdotalis.

Ipsâ fide nostrâ credimus ordinationem sacerdotum à summo Episcopo Sacerdoteque magno in veritate prodire, ut in loco legationis Christi ministerium, evangelizatio, doctrina, judicium, oblatio orationum ab hominibus, gratiarum actiones, laudes deo ab eis peragantur. Similiter à Deo fiat ad homines, ut dei promissa in spe habitæ fidei veræ verificentur, & excommunicatione ab hoc bono mali arceantur. Deniq; hoc etiam fide fatemur, quod ii qui alios ordinare intendunt, Christũ æmulari tenentur & legationem ejus recto animo absque personarum acceptione, avarâ demum cupidine vacui & simoniâ, consummare tenentur. Eadem fide proponimus, quod ordinandi majoribus, aut minoribus ordinibus promovendi, vita virtuosâ in Christi fide alios fideles debent excellere. Viva enim fides sanctificat & idoneitatem omnibus muneribus tribuit, benedictionem vitamq; possidet. Bona enim opera honestæ conversationis, indumentum sunt sacerdotis atque ornamentum, in gloriam patris cœlestis & ad exemplum populi, virtutemq; verbi: Etiam dona spiritûs sancti uberiora tenentur habere, amorem scilicet ardentiorem in Christum, salutis suæ proximorumq; confidentiam, in deum fiduciam, intentionis æquitatem, sensum fidei sanum in conscientia bonâ, præparatos pedes in evangelium pacis, prudentiam spiritûs, legis divinæ scientiam, discretionem spirituum, & sic de aliis. Quicunque clericus tali ordinatione evehitur in sacerdotium, talem ordinationem sacramentum esse profitemur: quoniam quidem signum sunt veritatis sacerdotii summi Christi Jesu ejusq; ordinationis à patre deo, formaque ministerii tanquam capitis Ecclesiæ suæ ad adolendum deo incensum veritatis in Christo. Ad plenam presbyteri gradationem tria esse necessaria approbamus. Primum probatio vitæ, fidei, donorum, fidelitatis quoque in exilioribus negotiis creditis: Alterum orationes cum jejuniis. Postremum, contributio potestatis aptis ad hoc verbis & manuum impositio ad corroborationem.

DE MATRIMONIO.

Matrimonium.

Fide attestamur matrimonium esse duarũ personarũ utriusque sexus, maris & fœminæ, legitimam, honestam & decentem in Christo unionem, castum torum cum indissolubilitate custodientium. Et est signum magnæ veritatis, copula scilicet Christi cum ecclesiâ & fideli animâ.

DE POENITENTIÂ LAPSORUM.

Pœnitentia.

Ex fide affirmamus, Peccatori lapso, Deus si cor contritum & humiliatum in vitia largitus fuerit, fidem Christi veram habenti, & si animo, intentione, opere, à retroactis vitiis resipuerit, talis in veritate constitutus, si presbyterum scientem discernere malum à bono, cujus labia scientiam divinæ legis custodierint, invenerit: hujusmodi sacerdoti rectâ intentione scelera confessione revelare debet, quo veluti judice in loco dei præsidente & ecclesiæ, jure legis domini, culpæ ejus gravitas (qua rubore perfundatur) rectè dijudicetur, & correctus consilium pœnitentiæ ad reformationem sui habeat. Christi clavibus, aut solutus, aut ligatus humiliter obsequatur. Talem cordis submissam contritionem pœnitentiæ sacramentum, hoc est signum veritatis gratiæ largitæ pœnitenti. Sin autem cor depressum, contritum, ac flagitia ex fide abhorrens spiritus contribulatusq;, voluntatem dei amplectens defuerit, simulq; confessio cum relaxatione culpæ, atque satisfactio simulata ad hæc accesserit, vanum signum vacuum gratiâ Christi esse pronunciamus.

UNCTIO EXTREMA INFIRMORUM.

Unctio extrema.

Ægrotantium unctio duo in se tenet. Primum, causam facilioris accessûs ad languentes. Hac re sacramentum non est. Alterũ est res ipsa signata tali unctione, quæ tribuitur à deo in Christo: pro qua re in rectâ fide ut languenti fideli id condonetur præcipuè orandũ est, beati Jacobi præcepto. Infirmatur quis (ait) in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super

per eum, ungentes eum oleo in nomine domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Fide ægrotantis signum unctionis certificat scelerum remissam.

COMMUNIO SANCTORUM.

Habitâ fidei Ecclesiæ Catholicæ, veritatisq; ejus, ex qua veritate sanctitas ei datur, enunciatione, jam superest eadem fidei firmitate de sanctorum communione fateri. Sanctorum communio est, quando membra Ecclesiæ sanctæ bona, gratuita, salutiferâ administratoriâq; omnibus gratiâ Dei, sine pœnitentiâ largita, mutuò in communi utuntur, atque secundum donationis gratiam Dei seipsos exhibent ad communem aliorum utilitatem. Palàm itaque est, quod tantummodo electi, veræ fidei, gratiæ, justitiæ in Christo, merito ad gloriam salutis æternæ participes sunt: quemadmodum & sacramentis communicant in fidei evidentiam, tametsi in seductione fuerint, damnatio tormenti non eos apprehendet. At mali informis fidei, quanquam sacramentis, dignitatibus, administrationibus publicisque moribus in veritate communicaverint, dummodo veræ fidei exortes fuerint, indignè quemadmodum hypocritæ, participant: qui si erroneos æmulati fuerint, eorundem ductu in seductionem & deceptionem corruunt. Communio sanctorum.

DE REMISSIONE PECCATORUM.

Credulitate Christi gratiæ liberè enuntiamus, quòd qui vivaci fidei communicat, eâ ipsâ veritatem relaxationis vitiorum in Christo assequitur: simulq; quia sacramentis Ecclesiæ participat, solutionem criminum in eadem fide atque certitudine adipiscitur; qui si in finem vitæ perduraverit, vitam gratiæ hic, extremi quoq; tempore judicii in beata resurrectione glorificationem animæ consequetur. Amen. Remissio peccatorum.

Ista est, Rex clarissime, fidei nostræ professio, quam corde Catholicam tenemus: quæ suũ stabilimentum in fidei scripturis habet, quas scripturas fastidiosa prolixitas, vestræ quoque mentis diversa occupatio non patitur adducere: quippe cum multis sacrarum literarum argumentis, amplis quoque rationibus causas similiter interserentes discessionis nostræ à Romanâ Ecclesiâ scriptum aliud ante hoc confecimus: verùm pondus negotiorum vestrorum vestræ Celsitudini illud mittere videndum legendumque distraxit: quodque ipsum si Dignitati vestræ mens ea habendi fuerit, præstò sumus edere. Ceterùm vestra Majestas sciat ausam dissidii, non esse species religionis, aut superstitiosos ritus, sola impedimenta sanctissimæ fidei, mysteriis quoq; ejusdem potissimum fuisse. Eâ profectò fide Catholica disgregamur, ut suffragia sacramentaque ejus à Christo ordinata liberè exequamur. Quàmobrem à vestra regiâ clementiâ humillimè precamur audiri, quatenus scriptum istud tanquàm à rectis simplicibusque hominibus missum æquâ accipiatis mente. In quo si minus plenè Honori vestro, decentiæque vestræ tributum fuerit, veniam ignorantiæ nostræ benignitas dabit vestra. In quo etiam scripto, si nonnullas sententias celsitudini vestræ duras acerbasque deprehenderitis, mansueta mente ferenda esse optamus, quanquam verâ in fide stabilitatem & immobilitatem quærimus, tamen certior veritas agnita execrabilem fugat pertinaciam. Stamus quoque eruditioni humanæ, docerique volumus ex sacratis legis traditionibus, ad sanumque sensum Christianæ religionis duci affectamus. Neq; sanè vanus ingratus quoque ejus labor erga nos videbitur, neque etiam nos quispiam tam temeraria pertinaciâ captos esse putet, ut perspicuæ veritati haudquaquam cedamus. Neq; etiam hæreticos appellare nos justè audebit quisquam: Non enim error in mente, sed voluntatis pertinaciâ hæreticum efficit. Nos omni hæresi renuntiantes emendationi indies vacamus. Nova quippe dogmata, recentes quoq; religionis Christianæ adinventiones contra legem Dei non cudimus, ut exinde honorem, opes, dignitates auramq; popularem nanciscamur: quoniam quidem idipsum non veri cultoris hominis est, sed ipsius hæretici, qui non sanam fidem, neque verum cultum Dei sapit, sed terrena potius & caducas divitias quærit: quas ad vocem domini sponte suâ relinquere recusat; verùm ad multorum hominum sanguinis effusionem defendit. At nobis longè alia mens est, qui nedum ab cruore humano fundendo studiosè abstinemus, sed etiam divino jussu vitam nostram, fluxas opes, orantes pro persequutoribus, patienter ob vitæ æternæ adeptionem abjicimus: simul etiam in dignitatum potestatibus constitutis subjecti, imperata servamus omneq; opus justum paratâ mente exequimur, neminem etiam blasphemantes, pacem, concordiam cum omnibus habere contendimus. Gratiam insuper vestram, causâ dei justitiæque ipsius obnixè obsecramus, ut placido favore nobis compatientes, nos sub imperio vestro vitam

Quis verè hæreticus.

vitam mansuetam tranquillamq; agere non dedignemini: namq; Deum pro diuturnâ vitæ vestræ sospitate & inclytâ sobole vestra, sub dominio vestro piè innocenterq; viventes, assiduè orare non cessamus. Quòd si immotâ mente, tenacive edicto persistentes, nos urbes principatûs vestri incolere non patimini, clementiam vestram sedulò flagitamus, ut modestiâ vestrâ hostium nostrorum immanitas moderetur, vinctis denique nostris, qui jam diu cæco servantur carcere, jussu vestro exeundi libertas condonetur, oramus, atque lege fidejussoriâ astrictis, ut eis intervallum ad expediendum cum bonis suis illæsis facultas detur, vehementer petimus. Neq; etiam Dignitatem vestram pontificium jus latere existimamus, ad fidem videlicet cogendum esse neminem, quanto magis ad bona opera? utrumque voluntarium Deus ab homine exigit: quodq; etiam apud homines vulgò observatur, nullum servum habendum esse, nisi voluntarium: multo magis Deus libertatis non coactū aliqua necessitate, sed electione liberi arbitrii verioribus acquiescentem exposcit. Soluto itaque arbitrio ducti quod verius, certius indies noverimus, non solùm coacti, sed amore ad id bonum allecti ferimur: cuiq; bono tantâ stabilitate hæremus, ut neq; horror mortis, sæva gladii acies, duraq; tormenta, atque alia plura nos distrahere valeant. Imperio quoque vestræ majestatis illud fieri fratribus nostris, qui sub ditione dominorum odientium nos incolunt, intimè poscimus, ut libertas mutandi locum eis detur, manendiq; sub placidiori domino. Idipsum si annueritis, Deus, largitor omnis boni, regno vestro pacem, concordiam & scelerum relaxationem vestrorum benignè infundet: quoniam arma nos tuendi nulla nobis sunt alia, quàm desideria cordintima orationum nostrarum ad Deum protectorem validum semper missa, quatenus facilem vobis mentem animumq; humanum tribuat sua virtute, inflectatq; ad nos homines ignominiosè contumeliâ affectos. Idcirco à te Rege justo pioq; defendi, protegiq; tanquàm orphanos pressuras sustinentes, optamus: quibus in angustiis præter pientissimum Deum, nullum alium quærimus quàm vestram Amplitudinem, neque alium appellare præter Majestatem vestram animus est noster. Æquo ergo animo sub tuo principatu nos vivere, deiq; cœli in Christo Jesu, virtute quoque spiritûs sancti religiosum piumq; cultum æmulari jube ac sine: quoniam adest dominus, & cum eo, ecce! merces copiosa. Sin autem nos deserueris in tantis angustiis abjecerisq;, hostibus etiam nostris affligi, excruciarive permiseris, uti velint: quid aliud superesset nobis agendum cogitandumque, quàm dolenter in nostris continuis orationibus pro defensione, tuitione, provisioneq; sine intermissione ad dominum vociferari, fidentes inexhaustæ ejus bonitati, quod juxta fida promissa nos homines ei ipsi veritatiq; ejus tenaciter inhærentes non derelinquet, sed auxilio valenti, ut salvari possimus, suffragabitur?

Cæterùm Deus ex alto magnificentiæ vestræ istius compendii acceptabilem tribuat amplectentiam; suâ postremò benignitate cor vestrum emolliat ad tuendum populum abjectum humiliatumq;. Proq; tali defensione à Deo benedictionem, faustamq; regni administrationem, nunc in gratiâ Christi, tandem in justorum remuneratione, vitæ glorificationem perennis adipiscemini. Amen.

CONFESSIO FRATRUM WALDENSIUM
Regi Uladislao ad Hungariam missa.

HUmilem nostram subjectionem cum supplici obsecratione majestati vestræ Celsitudinis, nos fratres in Christi nomine congregati præmittentes, hoc scripto nostro notum facimus, quemadmodum enim Serenitas vestra literas nomine suo jampridem ad Bohemiæ hoc regnum in nos fidos vestros sparsim misit, quibus atrocius fortasse quàm liceat, nostris quibus mancipamur dominis, præcepit nos in urbe Pragensi, die videlicet celebritatis divi Johannis Apostoli, coram utriusq; status rectoribus spiritualium scilicet & secularium constitui. His denique ipsis studiosè jussistis ut illic nomine Amplitudinis vestræ nos ab opinionibus nostris, quibus tenaciter hærere consuevimus, desciscere cogant, & alterutram partem inter se dissidentem, qua moderandi essemus pro nostro arbitrio asciscere, atque demum talibus prælatis, in quorum cœtum jam sponte nostrâ concesserimus, plenè instructi ac eruditi, nos credere eo pacto, ut instituerit juxta ritum orthodoxæ fidei sanctorumque doctorum sanctiones mandastis. Quodque si idipsum facere nobis minus videatur, tunc nos veluti condemnatos latrones, ac pertinaces hæreticos regno pellere, atque alia plura præfatis vestris scriptis nobis inferre mala, sævitiæ eorum frena laxantes palam indulsistis, quæ amoris studio illa prætergredimur. Nos verò solo hominum rumore, quibus literas vestræ Majestatis, non modò

modò legere, ſed neque etiam videre datum eſt, paſſim volante attoniti, illicò mentis noſtræ cogitatio percita eſt, veſtræ nimirum manſuetudini & humanitati, qua vos ſemper ut hujus regni ſceptra tenere cœpiſtis, præſtare cognovimus, qui juſtitiæ, paci, tranquillitatique aſſiduè incubuiſtis. Ac modò tantâ in nos atrocitate ſævire, minime convenire cenſuimus: quoniam quidem veſtram Celſitudinem longo jam experimento didicimus, magis clementi juſtitiâ, quàm ſeverâ æquitate veſtros ſubditos frænare conſueviſſe. At verò quia veſtram manſuetudinem nunc à lege humanitatis clementiæq; deſciviſſe perſpicimus, idcirco vehementer Amplitudini veſtræ compatimur, quandoquidem rem gubernationi veſtræ adverſam maluiſtis amplecti: nos deniq; hoc ipſum à veſtrâ Majeſtate penſandum eſſe velimus, æquũne illud, an iniquum fuerit, veſtra diſcutiat Serenitas rogamus: Nos tanquam ſicarios & hæreticos à vobis condemnatos, de natali ſolo præter jus terræ abigendos eſſe. Atq; ut tales nos infames eſſe, omne genus mortalium credat, fateaturq;, literis veſtris publicè promulgari admiſſum eſt, quibus nec ulla unquam patens audientia ritè præſtita eſt. Quinetiam, quod longè abſurdius videtur eſſe, neque ſatisfactioni ſive rationi noſtræ fidei, quam jam pridem veſtræ Majeſtati Regiæ apertè exhibuimus, rectene an impiè crediderimus, ſenſerimus quoque catholicè haudquaquam reſponſum eſt, ſed ſilentio ſuppreſſum: qui quidem emendare, nedum pravè credita, ſed etiam impiè ſenſa ſemper proni ac voluntarii fuimus. At jam modò diram condemnationis ſententiam, quæ nuper jam in nos illata eſt, jure ferendum eſſe quiſque arbitrabitur, annon potius ſingula hujuſcemodi præter legem humanitatis eſſe nobiſcum acta fatebitur? Qua nempe radice univerſa iſta in nos mala & adverſa pullulent, & unde exoriantur, optimè callemus: excubant enim ſtudioſè hac in re noſtri calumniatores, qui quidem vetuſto in nos odio ſævientes exterminare, & perire magis quàm emendare malunt. Illi revera ſunt criminatores permoleſti, qui ſuis nefandis flagitiis perditi, clementem animum veſtræ Serenitatis ac mitem perturbant: quibus ne aures benignitatis veſtræ pateant, magnopere oramus. Namque omni juſtitiâ & probitate vacui ſingula quævis hujus regni injurioſis machinamentis, ac tumultuoſis ſeditionibus ad uſque horrendas cædes complere moliuntur. Talibus ſane efficacius ſcribendum eſſet, ut à tantis cœptis negotiis deſciſcerent. Cæterùm illud Magnificentiam veſtram cur à Romanâ cohorte jam pridem deſcivimus minus latere volumus. Execranda profectò ſpiritualium prælatorum malignitas authore diabolo cujus potiſſimum opus eſt ſerere inter fratres diſcordias & diſſidia, nos à Romanæ eccleſiæ cœtu deſciſcere compulit. Hi quidem cæcâ malevolentiâ & inſolenti poteſtatis tenebrarum faſtu, mutuò debacchantes, pacis atque eccleſiaſtici amoris jura ruperunt: ſimulque omni humanitate deſtituti, non modo ſe infami ſermone, ſed etiã mordacibus ſcriptis & contumelioſis palàm laceſſebant: namq; alteri alteros impudenter quadam Antithei malignitate perciti, poteſtate clavium eccleſiaſticarum, ſalutiferâ veritate, religioſo cultu, gratuitâ pietate, orthodoxâ fide, chariſmatum munere, omni denique bono opere ceſſaverunt. In concionatoriis præterea fanorum ſuorum cathedris, magnâ hominum multitudine aſſiſtente, tum authoritate divinarum vocum, tum rationibus validiſſimis, tumque argumentorum exemplis firmiſſimis, demum paternorum canonum aſtructionibus & minacibus cenſuris ſe ſchiſmaticos, hæreticos, ſacrilegos, pſeudoprophetas, lupos rapaces, belluamque ac meretricem Apocalypticam profanè notantes & concionantes, argutè approbare moliebantur: Atque tantâ inſolentiâ debacchati univerſum regnum illâ tempeſtate turbaverunt, eo uſque ut armis certare mutuò ejuſdem regni incolas, clade deinde cruentâ tam ſolum quàm undas tingere, diſſidiaque oriri neceſſarium fuit. Sicque veterum ſeculorum placida & aurea mutata eſt fælicitas. Quapropter noſtri anteceſſores pacis ac concordiæ maximopere cupidi, hæc mala in iſto regno verſari lugubri mente contuentes, & quæ tunc ab eccleſiaſticis viris orta ſunt, triſti gemitu his malis anxii lamentabantur. Deum tandem propitium, ut hujus regni ſtatum in melius commutaret aſſiduâ precatione ſolicitabant. Deniq; ut ipſi qui tantorũ malorum videbantur eſſe, Chriſti eccleſiæ duces paſtoreſque exiſtunt, quibus etiam verbum reconciliationis annunciandum à Chriſto vero paſtore commiſſum eſſet, ut ſpecioſis pedibus pacem eccleſiæ evangelizarent, quam inſolenter ſuſtulerunt, de his ipſis vehementer diffiteri cœperunt: ac ab hujuſmodi prælatis, & ſale infatuato, qui quidem neque talia probroſa convitia, quibus ſunt obſcœnè notati diluerunt, neque etiam publicâ ſatisfactione ſeſe coram vulgi multitudine patulè purgaverunt, jure deſciverunt. Et niſi inſuper faſtidioſa prolixitas impediat, ſingula obſcœna prælatorum convitia hoſtileſque calumnias, & nefandas criminationes quas alteri in alteros ignominioſè evomebant, literis compendioſè demandata veſtræ moderationi videnda legendaque afferremus: atque ſi vobis ardor ea habendi fuerit, præbere ipſa veſtræ moderationi, proni ſumus. Hi ſunt profectò ſimiliter qui ſuis flagitiis contaminati ac perditi, nos non ſolum condemnare, ſed etiam injuſtè calumniari hæreſiq; notare coram veſtra Majeſtate improbè moliuntur. Talibus eorum nugis ne fidem abhi-

Cur deſ. cœ-rint à ſede Romanâ.

Vide quid boni naſcatur ex convitioſis diſputationibus coram populo.

P buerits

bueritis obnixè gratiâ Dei æqui censoris ac justitiæ admodum obsecramus. Testamur siquidem coram Deo vivo,qui orbem terræ judicaturus est in æquitate,nihil nos unquam hæreticum ac blasphemum, neq; in Deum,nec in orthodoxam fidem, neq; in Eucharistiam corporis & sanguinis Christi, neque demum in Beatam Virginem, nec prorsus in sanctos Dei quicquam astruere blaterareq; reperti sumus. Quòd si pertinax opinio à Vobis hac professione nostrâ divelli & explodi nequit, & si gratiâ nostræ congregationis id ipsum facere displiceret: at verò causâ justitiæ, quam omnis innocens cupidè invocat, hoc efficite, ut Vobis quisquam nos hujusmodi loqui facereq; uspiam benignè ostendat, approbetq; quod impium & irreligiosum de Christi eucharistiâ, illibatâ virgine & Sanctis beatis à nobis quicquam falsum esset. Siquidem harum criminationum quibus crebrò culpamur, nihil conscii sumus. Quòd nempe de Deo, Deo scilicet ipso,& in Deum patrem,filium spiritumq; sanctum simplicis ousiæ,& in personis trinū ritè crediderimus, Apologia nostra, quâ jam pridem magnificentiæ vestræ misimus, planè ostendit: charitativa deinde mandatorum Dei impletio, certo & ineffabili argumento est, nos orthodoxam fidem tenere sequiq;: cujus omnia hæc dura & adversa patienter toleramus. Pari etiam credulitate de ecclesiâ Catholicâ & de sacramentis ejus, præcipuè de sacramento corporis sc. & sanguinis Christi integrè credimus: quando enim presbyter ritè ordinatus, verba testimonii Christi expresserit, continuò panis est corpus Christi, verum, naturale, ex castissimâ virgine sumptum, quod erat traditurus: quemadmodum vivus panis testatur: Hoc est (inquit) corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter vinum, sanguis est naturalis corporis ejus, qui fundendus erat in remissionem peccatorum pro multis: & non solum credimus fatemurq; panem esse corpus naturale,& vinū sanguinem naturalem sacramentaliter: verumetiam panem pariter esse corpus spiritale, & vinū sanguinem spiritalē asseveramus. Simulq; ad id credendū,suffragatur nobis Pauli apostoli sententia: Panis (inquit) quem frangimus, nonne participatio est corporis Christi? & calix cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi? quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, qui de uno pane & de uno calice participamus. Simulq; sacramentum illud ex Christi institutione & jussu ejus,exemplo deniq; ecclesiæ primitivæ sub geminâ rerū specie distribui ac percipi debere fatemur, & hoc ex fide & necessitate ordinatæ salutis per filium Dei,quoniam in substantiâ utriusq; veritatis dignitas salutifera consistit,quæ sacramento ad conscientiā & spem figuranda est. Porrò, quoniam pleriq; hominum hanc fidei nostræ professionem nequaquam suscipere pro verâ dignantur, intima cordis nostri temerè discutientes, nos ea (aiunt) ore fateri, quæ nunquam in corde nostro versata sunt. Qui quidem nobis coram Deo patulam injuriam inferunt, cui manifesta ac patens est cordis nostri directio & simplicitas, quoniam lingua nostra haud aliud promere audet, nisi quod cor nostrum suggesserit. Alii deinceps, quia à sacerdotibus Romanæ ordinationis sacramenta non percipimus, nos eâ ratione infidos esset censent. Ignorant hi profectò nos habere suos presbyteros, à quibus ritè instituti sacramento potimur. Alios ob id revera respuimus,quoniam quidem sacramentis ad aliud, quàm Christi intentio fuit,ministrant: quemadmodū opera eorum ministerii, quæ contra fidem sunt,palàm arguunt. Ea similiter ratione nobis non creditur,quia illud quod nobis ab authore Christo jussū est observare, hoc nos erga illud sacramentū duntaxat facimus,& quod minus est imperatū,in eo nos morem gerimus. Siquidē à redemptore hominū mandatū est credere,accipere,manducare,eoq; ipso memoriā beneficiorum ipsius facere: colere autem sacramentalem subsistentiam corporis Christi & sanguinis nullum est jussum credentibus traditū. Namq; discipulis Christus discumbentibus dedit utendum, cui obtemperantes comederunt & biberunt sine cultu ejusdem sacramenti. Porrò apostoli & successores eorum per longum temporis intervallum per domos fidelium incedentes,panē frangentes cum lætitiâ suscipiebant. Hi sane nullâ tali sacramēto veneratione exhibuerunt,quodq; sic facientes nequaquam erraverunt,neq; hæretici dicebantur. Quin potius personalē Christi subsistentiam in dexterâ summi Patris venerati sunt. Quapropter veris cultoribus Majestatis divinæ mandatum est utroq; testamento, vetusto videlicet & recenti,Christum verum Deum & hominem non in sacramentali existentiâ, sed in naturali subsistentiâ & personali in dexterâ genitoris sui colere adorareq;: Vetus nimirum testimonium est,cujus triumphator satanæ tentantis eum meminit: Scriptum est (inquit) Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Novum vero,vas electionis explanat, Propter quod, inquit,& Deus exaltavit illū, & dedit illi nomen,quod est super omne nomen,ut in nomine Jesu omne genu flectatur,cœlestium,terrestrium & infernorum,& omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Jesus est in dexterâ Dei patris. Hoc quoq; ipsum incarnata veritas corroborat, ut, inquit, homines sicut honorant patrem, ita & filiū honorent: quippe patrem nemo hic in creaturâ,sed in cœlis veneratur, ut oratio edita à Christo testatur: Pater (inquit) noster, qui es in cœlis. Quem etiam doctor gentium in hoc æmulatur: Flecto (ait) genua mea ad patrem domini nostri Jesu Christi. Pari idcirco honore & cultu cum patre atq; filium quisq; veneraturus est, quodque faciendum

Marginal notes: De Eucharistiâ. — Sacramentaliter. — Sub utraque specie communicandum. — ☞ — Eucharistia. — Usus Eucharistiæ in primitiva ecclesiâ.

faciendum esse tali admonemur ratione: quanquam enim Christus in terris obversans, quovis honore dignus, homines,ut eum hic colerent, minimè cogebat: sed suam clarificationem apud patrem suum in cœlo optavit, quam ante mundi constitutionem habuisse enunciavit: ut illic à veris cultoribus post suam ascensionem fateatur residere, atq; illic etiam adoretur. Verum si qui aliter se in eo ipso habere contenderint, eos utroq; testamento ita facturos prohibet. Vetus namq; prohibitio est: Non facies (ait Deus) tibi sculptile, neq; imaginem ullam earum rerum, quæ sunt in cœlo, neq; in terris, neq; in aquis: non adorabis ea,neq; coles. Novum autem vetitum à Christo legislatore præfatum est: Venient (inquit) multi, & dicent: Hic est Christus, aut illic: ne credatis,neq; exeatis, nec sequimini: quoniā personaliter in naturali suâ substantiâ nunquam est descensurus, nisi ad judicium. Quam sententiam catholica fides his approbat verbis: Ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Dei patris, inde venturus est judicare vivos & mortuos. Universis itaq;, Rex humanissime, constat, quod nos haud secus credimus & facimus, atq; præceptum Christi nos credendum & ita faciendū admonet, & ecclesiæ primitivæ exempla comprobant. Simili præterea pacto, hujus regni gratiosissime moderator, de pudicissimâ virgine Mariâ credimus, & ad usq; vitæ extremum stabiliter credituri sumus, quòd plena gratiâ ex inspiratione Spiritûs Sancti electa est ad id, ut sit verbi incarnati immaculata genitrix.Namq; in ejus castissimo alvo filius Altissimi verus Deus humanam naturam sine vitii labe, opere pneumatis almi in unam suam personam univit: in cujus quoq; pudicâ aulâ ventris,verus Deus & homo personaliter habitavit, ex qua & in lucem hujus mundi prodiit,quem alendo reliqua educationis opera erga eum peregit: quæ quidem electissima virgo uti ante filii Dei incarnationem, ita eo tempore & post, usque ad mortem nunquam virum cognovit, sed perpetuâ virginitate integra, casta, tam animo quàm corpore permansit. Hoc reverà ordo nostræ salutis exigebat: nam quemadmodum seductio perditionis in paradiso per virginem perpetrata est, sic & salutis reparatio in virginitate consummaretur. Et ut denique protaplastus in horto delitiarum constitutus, in innocentiâ & puritate à solo Deo figuratus est: ita & filium Dei decuit sinceram naturam segregatam à vitio, & lege peccati assumere. Atq; jure hâc ratione virgo gratiarum refertissima, & in sui naturâ sanctificata dicitur adeò, ut ex ejus honestissimâ naturâ supremum verbum humanitatem mystico spiramine indueret, simulque in eâ veluti præstantissimo in thalamo supra omnes mortales requiescendo habitaret. Hæc sanè sunt illa magna, de quibus ad anum Elisabeth profata est. Fecit (ait) mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Demum, quemadmodum homo per inobedientiam in mortis pœnam & diversas calamitates prolapsus est, hoc sacrum spiramen in semine virginalis pudoris dignatus est relinquere, hoc autem ipsum filius Dei ex incontaminatâ virgine assumere voluit, quo nostram perficeret redemptionem. Quamobrem non solùm ex fide sacrarum literarum de matris Christi integritate credere cogimur, sed etiam ex sensu veræ fidei id ipsum tenere obligamur, quod impossibile erat penitus ut ipsa gloriosissima puerpera usque ad mortem suâ integritate aliquando ob humanæ redemptionis arcanum destitui queat. Illud quoque etiam de illibatâ virgine Mariâ nos jubet credere, quod divinæ literæ credendum esse hortantur, & quod antehac filii ecclesiæ verè credebant, æqua credulitate etiam nos modò credimus & profitemur: verum quicquid homines vani in contrarium fidei superstitiosè credunt adversus fidei & mandatorum excelsi veritatem, illud de eâ vel sanctis Dei, aut de aliis pietatis operibus credere nequaquam audemus. Quinimò tunc vivæ fidei satisfacere videmur, dummodo taliter de eâ credentes sentientesque beatam cum omni fidâ natione fatemur, observamus quoque, & eidem obedimus, præsertim in eo ipso ubi nos monet nato suo obtemperare: quodcunque (inquit) dixerit vobis, facite. ¶ De sanctis deinceps Dei quid senserimus, nostram (ô magnifice Rex) jam modò accipe mentem. Illum siquidem sanctum pronuntiamus esse, qui gratiam Dei in Christi merito & effusione innocentis sanguinis ejus, ac dona charismatum pneumatis almi gratuitæ videlicet fidei, charitatis non fictæ, & spei veræ adeptus est, atque in his ipsis virtuosè vivendo usque ad mortem perseveraverit. Deinde quicunque peculiaria divinarum scripturarum testimonia habuerunt, hos potissimum Sanctos esse ex fide profitemur. De aliis autem spes magis, vel opinio est. Idcirco taliter de sanctis credentes, ut scripturarum divinarum est veritas,in qua fundati beatos Dei decenti cultu honoramus, diligimus, obsequimur & æmulamur. Hac itaq; nostrâ (Rex justissime) professione perspectum est, nos hæreticos non esse, ex quo nullum dogma sacræ scripturæ contrarium pertinaciter tenuerimus: neque denique malorum repertores, aut authores unquam fuimus, cum omne nostrum studium & vigilans quivis conatus noster sit credere ac operari quicquid catholica fides docuerit & exempla philotheorum suaserint. Quâ de re Vestram claritatem magnopere precamur, ne calumniatoribus nostris eo usque in nos sævire patiamini, ut atroci suâ potestate nos ad ea ipsi, de quibus rectè sentire nequimus quòd sint divina, sed magis veritati dissona esse censemus, cru-

Attende.

De virgine Mariâ.

Superstitiosa credulitas.

De sanctis.

 deliter

Christus neminem coegit ad fidem.

deliter cogant. Namq; salutis author Christus dominus ad suam salutiferam salutem, ut ea credatur, neminem hominum liberi arbitrii coegit, sed ut eis acceptior, gratior, certiorq; videatur esse, miraculis ac stupendis prodigiis, similiter benignâ & mansuetâ sermocinatione eos ad eam credendam alliciebat. Hujus ergo ævi homines ad ea, quæ caro & sanguis excogitavit, minus pellere deberent; nisi enim quippiam voluntarium fuerit, stabile ac firmum esse nequit. Neq; præterea tales homines sumus, ut pertinaciter obstinati cedere salutiferæ veritati recusemus, sed semper faciles ad omnem Dei voluntatem, quæ se nobis duntaxat perspectè obtulerit, inventi sumus. Nempe hujus rei Majestas vestra evidens argumentum de nobis istud potest habere: Ex quo enim in hac præsenti angustiâ agnitam Christi veritatem exercere satagimus, ut & vitam istam fluxam discrimini meticulosæ mortis ob hujusmodi veritatem salutiferam adipiscendam sponte offerre non vereamur: multò nempe magis uberiori perspectâ Christi voluntate, in libertate degentes, promptiores ad implendum eam inveniremur. Igitur nostrum talem animum in iis omnibus scientes humiliter gratiam vestram flagitamus, quatenus nobis tanquam fidelibus compati velitis, & in diras hostium nostrorum manus tradere nos ne festinetis. Quoniam quidem ipsi juxta humanitatis jura in Christi Evangelio explanata, & à priscis viris ecclesiasticis rite observata, reformationem nobis haudquaquam facient, verùm plus suâ crudeli vi, quæ ad salutem minus attinet, ad sinistra nostræ conscientiæ compellere machinabuntur. Porrò si animi vestri decretum vestris literis editum temperare nolueritis, jam in tali re nihil aliud restat nobis, nisi ad pium nostrum liberatorem & defensorem summum confugere, atque in patientiæ virtute animas nostras, Christi suasu, possidere. Deus autem benignus & placabilis ingerat vestri cordis mutationem, atq; nobis indignis servis suis det gratiam in oculis vestris invenire, ut clementiores nobis inveniamini. Ne de cætero in sese, ac in regnum istud iram excelsi Dei provocetis, ob id quidem ipsum voluntati divinæ, quam vult Deus hâc nostrâ tempestate fieri, adversamini.

EXCUSATIO FRATRUM WALDENSIUM,

contra binas literas doctoris Augustini, datas ad Regem.

NOtum fiat omnibus, sicut scripsimus ad Regiam Majestatem binas literas, dedimus ibi in primis literis rationem solum apostolicæ & universalis fidei, satisfacientes cum hoc super eo cujus nos accusabant, quoniam apud nos non fuit, neque est, & confidimus Deo quòd non erit. Præter id, non diu est, missæ fuerunt per provincias literæ Regiæ Majestatis, in quibus nos dixerunt hæreticos & erroneos, & quod rebellia verba diceremus contra virginem Mariam, & sanctos, quodque Barones, sub quorum dominio sumus, Pragæ nos sisterent ad diem sancti Johannis ad revocationem. Hoc ut rescivimus, scripsimus iterum Regiæ Majestati super eas res, ut non solum rationem daremus fidei, sed & intelligentiam, præcipuè de corpore Christi, & de rebus aliis, notum facientes secundum scripturas fidei, non solum Regiæ Majestati, sed omnibus in communi (quæ literæ redditæ sunt Pragæ in prætorium) notum in his facientes, apertas & puras causas salutis nostræ, & super quid stat salus & fides, ex quibus rebus culpam demus sacerdotibus, propter quam non audeamus in divino servitio eis uti, & quare venerationem corpori & sanguini Christi non facimus. Et de aliis articulis multis ex quibus nos accusarunt, dedimus rationem, ad hunc finem, quòd libenter voluissemus (si esset possibile) quòd illæ & hujusmodi contumeliæ & oppressiones quæ contra nos surrexerunt, cessarent, & propter illas divinam iram super se & hoc regnum non suscitarent, & dissensionum in hâc provinciâ quies fieret aliquanta. In primis literis quas Regiæ Majestati misimus, oravimus gratiam suam, quòd vellet nobis dare clementem audientiam, & non vellet permittere, ut extra ipsum illi nos compellerent vi ad præsumptam eorum voluntatem. Deinde responsum dans nobis Regia Majestas per scripturam generosæ virginis Marthæ de Bozckovitz, pro clementi responso illam severitatem, quam dominis prius commisit, reddidit: cui rei nescivimus quippiam dicere. Hoc ergo suscepimus, quòd oculos nostros ad Deum converteremus in humili oratione & lachrymis credentes planè, quòd potens est nos liberare de omnibus si volet, confidimus in eum in quamcunque partem faciet, ad clarificationem nominis sui & justitiæ, & salutem nostram perducet, atq; suæ Gratiæ honor sit pro omnibus rebus semper in secula seculorum. Amen. Etiam notum facimus omnibus, quod apud literas Regiæ Majestatis, quas scripsit & misit prænominatæ virgini Marthæ, inventæ sunt

sunt binæ literæ cujusdam doctoris Augustini, in quibus ipse se nomine suo notum facit, rescribit Regiæ Majestati contra binas nostras literas, suscitans Regiam Majestatem ad eam severitatem, quæ nobis omnino videtur contra justitiam legis Dei & hominum: quod sua Regia Majestas in illa severitate non remitteret, vituperans nos, & hæreticos dicens, & maleficos, & pluribus aliis hostilibus verbis nos supprimens, nostræ scripturæ simplici & innocenti fraudem & astutiam & diabolicum venenum, talesque res adscribit nobis injustitiam faciens. Nos hoc intelligentes, quòd sua scriptura potest ad multos pervenire, qui legentes eam & non habentes nostram satisfactionem, acciperent suam scripturam pro verâ; & ob hoc possent iram Dei suscitare super se: & nos timentes, quod nostro silentio non fieremus ejus rei causa, præsumpsimus simpliciter ipsius scripturam per partes ponere, & quantum dominus Deus à sua gratia tribuet, respondere. Tamen & hoc cavemus, quod non æquabimus eum à vituperatione & oppressione minime Christianâ, etiam hoc quod scribere volumus, extra indignationem, non reddentes malum pro malo, faciemus, neque sibi, neque cuicunque: sed quod necessitas coget, notum faciemus ubi nobis injuriam facit, & contra proximum suum falsum testimonium scribit, & quod sua iniqua scriptura non accipiatur pro verâ, ubi & in quibus nobis injuriam facit. Hoc principio dicimus, quando certè sciremus, quòd Regia Majestas hanc doctoris Augustini scripturam pro sua Majestate super nostra scripta pro responso daret, scriberemus Regiæ Majestati. Sed quod nulla mentio de hoc fit, tantum autem cum literis Regiæ Majestatis illæ literæ doctoris Augustini missæ sunt: neque etiam ille doctor Augustinus eas nobis mittit & scribit: quia nulla mentio de hoc ponitur, neque à nobis responsum postulat: nescientes in hoc quid faciendum esset, visum est nobis, quòd omnibus in communi scriberemus, cuicunque suæ literæ obvenirent, quòd etiam & hoc nostrum responsum super eas veniret. Et scribit ita ille doctor Augustinus. Postponentes irrisiones, blasphemias, suppressiones illius doctoris, quod non videamur sibi similes, reddentes malum pro malo, & mandatum Dei & vestigia exemplorum suorum non excederemus: cui cum malediceretur, non remaledixit: concedemus ad illud ubi nos tangit super famâ & honore nostro, quem habemus ad Deum & homines, subtrahens nobis eam, de qua Apostolus dicit: Nam gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratiâ Dei conversati sumus in hoc mundo, & hanc simplicitatem cordis nostri Deus, & nostra conscientia melius novit. Ille autem homo contra præceptum Dei & salutem nostrã, non solum judicat, sed & damnat: & hoc sic, quod eam scripturam in hypocrisi & fraude, & non veritate fecerimus ad hæresim nostram tegendã, & quod Regiã Majestatẽ diabolicã fraude deciperemus: sicq; ad favorem nostrũ suam Majestatem & simplicem populum ad perfidiam traduceremus, & quod effugeremus supplicium à sua Majestate nobis impositum, quod inferius scribit. Sed nos coram Deo, qui occulta cordium scit, & judicat, dicimus, quod nullam astutiam, ut tegeremus nostram scripturam ad Regiam Majestatem, fecimus: sed solummodò ob causas illas quæ nobis tunc proponebantur, quia necessarium fuerat, dedimus solum rationem de fide duodecim articulorum, quam in corde habentes, ore confitemur, habentes præ manibus rationem scriptam sensûs & fidei, quod juxta salutem sentimus, & propter causas segregationis nostræ libenter voluissemus, & per scripta nostra notum facientes suæ Majestati (si cuperet) quod sibi vellemus mittere. Et cum sua Regia Majestas nullum responsum dare nobis voluerit, nos etiam non præsumpsimus præsumptuosè extra justas causas mittere. Ex hoc cognoscite omnes (oramus) quod non est verum, quod hic nobis ascribitur pro astutiâ: quod si hoc apud nos esset, saltem debebamus in alterâ scripturâ suæ Majestati multa texisse, & hoc propterea, quod multo severius quàm antè contra omnes nos se convertit: quod secundum priora scripta solum ad aliquos nostrum debuisset pervenire. At nos ex diverso ex nostrâ innocentia in alteris literis pro postulatione temporis, suæ Majestati scripsimus: ut sicut in primis literis suæ Regiæ Majestatis tacti sumus de perfidiâ & errore, propter hanc causam fecimus sibi breviter rationem fidei, quod non faceremus sibi tædium propter longam scipturam. Sed cum iterum à sua Regia Majestate tacti sumus de hæresi & rebellione penes aliquos articulos, illo coacti sumus, quod ex his rebus apertam rationem daremus, quid super his sentimus. Et hoc attinet breviter concludi, quod nobis ab illo doctore Augustino magna iniquitas & damnum fit super nostram bonam conscientam, quam habentes coram Deo, curamus ut etiam apud homines retineamus. Ex hoc cognosci multo magis potest à quolibet, quòd si callidi hypocritæ & simulatores essemus, facilè possemus depellere res quibus nos premit: nisique haberemus cor rectum, ad Deum scilicet, possèmus fateri & facere quod alii fatentur & faciunt vel contra nostram conscientiam: sicut faciunt Sadducæi, qui ut in honore palàm habeantur, & nemo eos de vitæ tranquillitate & blanditiis perturbet, priusquam ad confessionem aliqua necessitate cogantur, errores quos habuerunt dissimulant. Verùm quando penes nos est innocentia

tia secundum confessionem voluntatis Dei, hanc volentes defendere, damus nos in omne periculum possessionum & corporis nostri usque in mortem, quapropter vel doctor Augustinus, vel quisquis alius, qui non credit confessioni & scripturæ nostræ, credat operibus, quia quælibet arbor secundum fructus cognoscitur. Fatemur tamen cum illâ simplicitate nos uti nihilominus prudentiâ mentis, secundum præceptum Salvatoris, ubi dicit, Estote prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ. Et, Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in Conciliis & in synagogis suis. Et alio loco: Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conversi dirumpant vos. Et sanctus Paulus: In sapientiâ ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Quamvis tamen ab ea prudentiâ ad simplicitatem magis inclinemus, quòd intelligimus eandem apud Deum securiorem esse ipsa prudentiâ, cujus Romana astutia aliqua exempla nobis abundè præbet, per quam aliquos ex nostris sæpe deceperunt. Et quòd nobis imponit, quòd conveniamus cum Beelzebub, muscarum Deo, facit hoc ad exemplum socii sui doctoris Henrici, inquisitoris hæreticæ pravitatis, qui apostolicis literis & jussis in Moraviam & Bohemiam venit, qui apud quendam Baronem & alios plures postulavit, ut copiam sibi faceret nobiscum conferendi, simulans in consortium se fratrum transgressurum. Cum essent quidam ex nostris in conventu Olomucensi congressi, complexus est eos, egit gratias his, qui fratres adduxissent, quod tam probos homines adduxissent, eosdem charissimos appellans, & poculo communicavit & amicè dimisit. Ecce putarunt illi simplices omnia fida sanctaque esse, quæ astuta insidaque erant. Nam quosdam notavit ex nomine, quasi ipsi archihæretici & falsi testes essent, & suum opusculum magno numero impressit, in quibus hoc etiam est quod muscas & brucos glutiamus, hocque magistro nos arguere sacerdotes mendacii, ex illo nos scripturas intelligere, & hoc sic se habere juramento affirmavit. Tale nobis imponit & doctor Augustinus, neque mirum; nam & magistri & doctores idem de domino Christo dixerunt, quòd dæmonium habet & in Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia; qui si hoc patrifamilias dixerunt, quid non domesticis suis? Falsò nos arguit, non esse hanc nostram confessionem ex ejusmodi ratione, quod alia scribimus de sacramento corporis Christi, & alia credimus; quòd alia loquimur, & alia facimus: quodq; ab ejusmodi confessione nos astutè tegamus, ut justi coram hominibus pareamus. Notum sit omnibus, quod non ita scribimus, ut nobis ipse imponit. Scribit ipse, quod panis & vinum in naturali eorum substantiâ transmutentur in corpus & sanguinem Christi, & in Christum Deum & hominem, ut nihil de substantiâ creaturæ panis & vini maneat: sola autem accidentia miraculosè nudè sustententur. Nam hujusmodi confessio fidei non habet fundamentum in verbis domini nostri Jesu Christi, qui nullum verbum dixit de conversione substantiæ, neq; quod dixisset sub his speciebus, neq; in illo, neq; ex illo, neque simul cum illo, sicut multi scrupulosius exposuerunt, & hodie exponunt, quæ nos loco fidei non recepimus, quia verba salvatoris ipsis non consonant, quia Evangelium dicit, quod Dominus Salvator accipiens panem in venerabiles manus, gratias agens benedixit & fregit, deditque discipulis suis, & illum panem sistens pro corpore suo, monstravit super panem & dixit, Hoc est corpus meum. Similiter & accipiens calicem, gratias egit & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, & gratias agens dixit, Hic calix est novi testamenti in meo sanguine. Vel, hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effundetur. Et nos ita simpliciter verbis Christi credentes, ita tenuimus & hodie tenemus & rationem talem ex fide dedimus, ex illâ fide catholicâ Christianâ, fundatâ in sacrâ scripturâ, credimus & ore confitemur, quandocunq; secundum sensum Salvatoris & sanctæ individuæ Trinitatis ordinationem, sacerdos dignus cum populo suo fideli orationem facit, & illo verbo dicit, Hoc est corpus meum; & hic est sanguis meus, quod statim panis præsens est corpus Christi traditum in mortem, & vinum præsens est suus sanguis in redemptionem peccatorum. Hæc est confessio nostræ fidei fundata in verbis domini. In cujus rei verum testimonium habemus primitivam ecclesiam, cum toto collegio Apostolorum, quorum temporibus hoc sacramentum dixerunt cœnam domini, sicut Apostolus dicit ad Corinthios: Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare. Secundò dixerunt fractionem panis, ut in actibus Apostolorum: Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis. Et paulò superius: Erant autem perseverantes in doctrinâ apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus, in communicatione fractionis panis ejus, de quo Apostolus: Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? & quòd hunc panem non solùm crediderunt corpus Christi, sed etiam in substantiâ propriâ panis, cum ipsis accidentibus, post consecrationem, & corpus Christi ibi esse, hoc confitetur ille, qui in tertio cœlo sacramenta accepit, & dicit: Ego accepi à domino, quod & tradidi vobis. Et infra: Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem domini

Romana astutia.

De eucharistiâ.

Cœna domini.

Fractio panis.

domini annunciabitis, donec veniat. Et infra: Quicunque manducaverit panem,& biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini; probet autem seipsum homo,& sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Ex isto manifestum est, quòd primitiva ecclesia hanc fidem habuit, & illam confessa est, & non erravit, & non fecit reverentiam huic sacramento, quia illo tempore, exemplo Christi, sedentes statim acceperunt; & nihil retinuerunt, nec extra domum extulerunt; & hæc institutio diu stetit, sicut Chronica gestorum ostendunt, & vetustissimus Græcus Origenes, qui statim post Christi tempora fuit, sicut primarius magister scribit super tertium librum Mosis: Quicunque hunc panem cœnæ Christi secundâ vel tertiâ die sumpserit, non benedicetur anima ejus, sed inquinabitur; propterea Gabaonitæ, quia antiquos panes portaverunt ad filios Israel, oportuit eos ligna & aquam portare. Non tamen fuerunt hæretici, nec ideo judicati alieni à fide, sicut nos ille doctor accusat, sic credentibus & facientibus tale malum adjudicans. Ulterius dicimus, quod nobis in hoc injuriam facit, quòd in aliquem contumeliosa verba dicamus; & ab illo cavemus secundum præceptum sancti Pauli, Neminem blasphemetis; nisi id loco blasphemiæ imputetur, quod ob honorem Dei loqueremur & scriberemus, ut de potestate Dei & justitiâ, de adoratione, & aliis justis rebus secundum fidem scripturarum sine blasphemiâ, & alia: sicut Salvatori imputabatur loco blasphemiæ ab adversariis suis, blasphemasti. Et adhuc confitebimur etiam in necessitate, hoc sacramentum corporis & sanguinis Christi, quod non dedit ad venerationem, ut ibi adoraretur, cum quo in superioribus Dei sedet, adorari debet cum patre & Spiritu Sancto, ut quisq; debet confiteri, sed quod in corpore benedicto sub utraq; specie sumatur ab omnibus in memoriam passionis ejus,& quisquis aliter facit & sumit, contra voluntatem & ordinationem Dei & religionem primitivæ ecclesiæ, ille rectam fidem non tenet, ut in literis latè diximus. Hac iterum particulâ scripti sui notabilem nobis injuriam facit,cum pervertit confessionem fidei nostræ circa consecrationem sacerdotum, quia nos nedum de nobis, sed de totâ fide catholicâ, sicut intelligimus, rationem dedimus, unde ipsa primordia cœpit sacerdotalis ordinatio major & minor, quia non ex Papâ sed ex Christo sacerdote æterno, & episcopo à peccatoribus segregato, qui est gloria ejus. Et de hac re confessionem fecimus circa exhibitionem rationis, his verbis, Ex fide tenemus ordinationem sacerdotum à summo episcopo sacerdoteq; magno in veritate prodire, ut in loco legationis Christi ministerium, evangelizatio, doctrina, judicium, oblatio orationum ab hominibus. Et quòd solus dominus Christus, & non Papa, nec quivis alius sit maximus sacerdos & episcopus, pastor & caput commune totius ecclesiæ sanctæ, illius probationes fideique certas authoritates habemus. Primò verbum David, per quem Deus pater ad filium cum juramento dicit, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. Hoc idem Apostolus probans, de eo dicit: Et alii quidē plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd à morte prohiberentur permanere, sicut & nuncii: ille verò eò, quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, & ideo salvare æternaliter potest accedentes per seipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandū pro nobis. Et iterum de ejus episcopatu dicit, Unde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum, & non Papam Julium, aut alium. Et iterum: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dexterâ sedis magnitudinis in cœlis sanctorum minister. Et iterum: Talis enim debeat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus & segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatē quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo: hoc enim semel fecit offerendo: aliàs cogeretur sæpius mori à principio seculi; sed non solum in consummatione seculorum ad delenda peccata per suam oblationem se ostendit, sed alterâ vice ostendet se omnibus sine peccato expectantibus eum ad salutem. Et sanctus Petrus non convertebatur ad se, nec se nomine suo invocavit, sed ostendebat se ad dominum Christum, dicens: Conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum. Et quod ipse solus sit caput sanctæ fidei, dicit Apostolus. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit, &c. Et non per Papam. Et quòd ipse solus sit caput totius ecclesiæ sanctæ, dicit: Et eum dedit caput super ecclesiam, quæ est corpus Christi, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus implet. Et nos hunc cum Apostolo & ecclesiâ primitivâ esse Episcopum & caput dicimus & confitemur, sed non Papam Julium, nec sequentes; quia ipsemet de se loquutus est, quod sit α & ω, principium & finis: & viris vera & fundamentum, lapis angularis, sine quo nemo aliquid facere potest, de cujus plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, ut ad eam omnes venirent. Et Deus pater præcepit, ut ei omnes obediant, & ipse est qui potest adesse

Primitiva ecclesia non faciebat reverentiam eucharistiæ, qualem hodie facimus.

Ad quid Christus instituerit sacramentum corporis & sanguinis.

De consecratione sacerdotum. Christus maximus sacerdos & episcopus.

adesse universali fidei, & cuilibet membro in consummationem seculi: Sicut dicit Vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Et quòd in fide Catholicâ semper sit, dicit, Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; quem sanctus Johannes vidit in medio septem candelabrorum, & ambulantem & corrigentem & corripientem. Et ideo Apostolus dicit, ut habitet in cordibus vestris per fidem. Et iterum, Christus in vobis est. Ideo nullus Episcopus, nec Romanus, nec Græcus, nec alius quispiam est caput totius fidei sanctæ, nisi ipse solus Jesus Christus: quia nemo pro nobis corpus suum & sanguinem obtulit, existens innocens & sanctus & à peccatoribus segregatus, & cætera. Nec aliquis redemit eos, nec purgavit, nec salvos fecit: nec his veritate & gratia cohabitat, nec eos salvos facit. Sed hoc dicimus, quòd satis esset Romano Pontifici unà cum ejus consilio, ut esset servus Jesu fidelis, sequendo eum vitâ honestâ, paupere, humili, patienti, castâ & abstinenti, ad eumque iter ostenderet, eum cum lege simul ejus docendo, ad eumque ut populum duceret serviendo evangelio & sacramentis: sicut fecerunt sanctus Petrus & Paulus & alii. Quia ipse est janua, & qui per eum non intrat, fur est & latro. Ideo respice, rogamus (qui cupit) hos seculi præsentis episcopos & prælatos, quorumnam sint sectatores; vitæne Christi honestæ, an gloriæ mundi, honoris, dignitatis, quæ ex beneficiis provenit, divitiis & delitiis vitæ? & cognosces certò, quod contrarium stat in loco sancto. Accipe in mentem sanctum Petrum & Paulum, quorum successores se faciunt, quid tunc Romæ nacti fuerant, sedemne Cæsaris cum triplici regno, an patibulum crucis? gloriamne mundi, an contemptum? servierunt mensis, ac faculates in equos diviserunt, an libentius verbo Dei servierunt? Et ibi cognoscere poterit quilibet secundum scripturas sanctas, cujus sit successor præsens summus Pontifex Romanus, & cui servit. De officio itaque dignitatis præsentis seculi & Apostolorum, de pristinis moribus eorundem, de senio, de consiliariis eorundem, perlegas qui cupis, epistolas Francisci Petrarchæ sine titulo, & ibi videbis eorum sanctitatem. Hucusque de his dictum sit: Ideo ut notum sit quod nos non arbitrati sumus in hoc nostro scripto summum Pontificem Romanum, nec nostrum, nec quempiam alium, sed Christum Jesum ipsummet benedictum. Ideo omittemus responsiones ad derisionem, quam de nobis hic doctor facit. Item breviter dicemus, sinat, inspiciat primordia primitivæ ecclesiæ, multine ex generosis, ex potentibus, sapientibus, aut ex dictis fuerunt in his officiis, & quem victum habuerint; & id deberet sibi labia comprimere & etiam qui majorem fructum domino attulerint. Nos pudore nostrorum sacerdotum non afficimur ex hoc, quòd hi laborent manibus suis secundum posse victum sibi quærentes: quia sic doctrina & exemplum Apostolicum huc nos ducit, & nos quidem libentius id videmus, quàm quòd otio vacarent per tabernas, commercia Veneris & vanitates, sequentes usuras, sacrilegia, cæterasque nequitias exercentes. Superius dictum est, quia rationem dedimus eorum, in quibus antea nos accusarunt. In iis etiam literis nunquam nos culpaverunt, quòd contra virginem Mariam & sanctos Dei rebellia verba conjiceremus, sed id solum accusarunt, quod de ejus virginitate non credimus. In secundis literis primum de hoc accusarunt: & non fuit tamen expressum, in qua re, donec doctor Augustinus dicens, quòd respondeat super primas literas, & respondet nihilominus ad secundas: ubi satisfacimus his qui nos accusant cum his nos purgantes, & scribentes Regiæ Majestati & omnibus, qualiter credimus & tenemus & cogitamus de virgine Mariâ, & singulari sanctitate & beatitudine, qua eam Deus præ aliis beatam fecit: Postea de veneratione quæ eam decet, qui vult cognoscere, illic legat illas literas, & cognoscet, quod non rebellia verba in eam conjicimus: sed eas res, quæ sunt veræ religionis Christi: quia ad hoc confessi sumus, quod honorem, potentiam, pietatem, quæ soli Deo & agno attinet, nulli creaturæ tribuimus, sed soli Deo, quia dicit: Gloriam meam alteri non dabo. Et, Vivo ego, dicit dominus, quoniam mihi flectetur omne genu. Et, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et Baruch dicit, Te oportet adorari domine. Et David, Venite adoremus & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos. Et in Apocalypsi, Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus: & adorate eum qui fecit cœlū & terram, mare & fontes aquarum. Et quia illi in primitiva ecclesiâ soli Deo honorem dederunt, & non sanctis & virgini, ita dicit Johannes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia. Et iterum: Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas & adoraverunt viventem in secula seculorum. Et sanctus Paulus ad Ephesios, Hujus rei gratiâ, flecto genua mea ad patrem domini nostri Jesu Christi. Et in Actibus Apostolorum: Cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. Et Deus dedit nobis exemplum de se, procidit super genua ad patrem: ut à nemine expectemus auxilium, quàm à Deo, ut dicit per Joel: Convertimini ad dominum Deum vestrum, in toto corde vestro, & per Osee dicit: Convertere Israel ad Dominum Deum tuum. Et per Zachariam: Convertimini ad me, ait dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit dominus exercituum. Et de requisitione auxilii dicit iterum Deus per Esaiam:

Romanus Pontifex servus Christi.

Sacerdotes manibus victum quærentes.

De cultu Mariæ virginis, & sanctorum.

Soli Deo dandus honor.

A nemine expectandum auxilium, nisi à Deo.

Esaiam, Si quæritis quærite, convertimini & venite. Et in libro Sapientiæ dicit Salomon, Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem. Et dominus Deus dixit suis discipulis, Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Et David dicit, Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Et iterum in alio psalmo Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur: & plena sunt illis testimoniis scripta Psalmorum. Etiam omnes sancti veteris & novi testamenti quæsiverunt auxilium à solo Deo, & ad sanctos natos de mortali conditione non clamaverunt, ut facerent auxilium, quia dicit David: Ad Dominū cum tribularer clamavi, & exaudivit me. Et iterū: Voce meâ ad Dominum clamavi, voce meâ ad Deum & intendit mihi. Et iterum, Multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. Et, Propè est dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Et iterū, Invocabant dominū & ipse exaudiebat eos. Sed & de aliis dicit: Dominū non invocaverunt, illic trepidaverunt timore ubi non erat timor, ut nostri nunc faciunt circa invocationē sanctorum & sanctarū. Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus ad invocandū, nisi nomen solius Dei. quia sicut nullū nomen est datū ad adorandū, & salutem assequendam, & in illud idem credendum, nisi solum nomen domini nostri Jesu Christi, sic etiam non est datum nomen, nec ad invocandum, nec ad adorandum, quia huic soli promissiones factæ sunt, sicut dicit: Quicquid petieritis patrem meum in nomine meo, dabit vobis, petite & accipietis. Ex hac causa docuit discipulos suos orare, dicens: Ita orabitis, Pater noster qui es in cœlis. Ita soli Deo honor & gloria exhiberi debet, sicut Daniel, tibi Deus patrum nostrorum confiteor, teque laudo. Et iterum dixit Nabuchodonosor: Laudo & magnifico: & glorifico regem cœli & quod illi soli hymnos canamus, dicit psalmus: Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Et sanctus Paulus: Gratias ago Deo meo. Et dominus Jesus, Confiteor tibi, domine, pater cœli & terræ. In sanctis enim Deus laudari debet, sicut dixit David: Laudate dominum in sanctis suis. Et nos hoc agimus, quod in hac virgine & aliis sanctis Deum laudamus, quia talem gratiam, & talia beneficia ex tuâ bonitate eis dedit, & nobis per ipsos, & nedum in hac benedictâ virgine Deum laudamus, sed & eam confitemur benedictam & beatam, & diligimus & sequimur pro posse nostro. Quòd si doctor vel alius ostenderet ex lege, ut plura exhibeamus, auxilium expectemus & honoremus genuflexione, oratione, ut prosit, & pro nobis intercedat, & quòd Deus promiserit se omnia facturum, quæ petunt in nomine ejus, & quòd ipsa cum filio suo stet coram Deo patre, ut esset hostia apud Deum patrem: Esto, ostendat hoc scripturâ quæ sit inspirata Spiritu Sancto; mittat, ne hæreticos dicat, sed potest scribere & maledicere ut vult, qui si privatus esset, & non speraret in potestatem mundi, sed mansuetudine & scripturâ deberet fidem probare, credimus quòd cum aliis clementius ageret. Neque hoc verum est, quod virginem Mariam crederemus quod sit æqualis reliquis mulieribus: quia ita credimus, quod nulla virgo alia concepit ex Spiritu Sancto filium sicut ipsa, imo nec mulier peperit & virgo permansit. Nulla ex mulieribus est benedicta, sicut hæc virgo, & nullius virginis fructus ventris est benedictus, sicut illius, ita ut in eo benedicerentur omnes generationes, & omnes acciperent ex plenitudine ejus gratiam pro gratiâ. Nulla quidē alia est gratiâ plena, exceptâ hâc; nulla dicetur benedicta inter omnes generationes, exceptâ hâc solâ; & sic de cæteris. Ideo non tenemus, nec illam talem reputamus quod omnino esset sicut alia mulier. Neq; hoc verum est, quòd sanctos dies commemorationis gloriosæ virginis Mariæ sicut prophanos contemneremus, sed colimus ut decet. Neque hoc verum est, quod nullum cantum de eâ habeamus, nam satis multas cantiones de eâ in laudem Dei canimus. Ex hoc laudetur Deus, quod ille doctor, sicut si responderet literis nostris missis Regiæ Majestati, postquam nobis satis opprobria dixit irrisitque, in id tempus nihil invenit neque scripsit in nos, quòd malum quid cogitaremus contra fidem scripturarū vel deviè sentiremus, quod contra fidem & facta primitivæ ecclesiæ fuisset. Sed vult quod posuerimus in nostrâ confessione, quod sacra scriptura & catholica fides tacet, & de quo prima ecclesia & sequentes longo tempore nihil sciverunt de hoc, in quo stat præsens error. Et quoniam, auxilio Dei, nunc de magna parte super injustis accusationibus & coram Regia Majestate injustè maculavit, opposuimus nos paulùm secundum præceptum legis Dei, & veterem ecclesiam: Similiter, auxilio Dei, præsentibus punctis, quibus accusamur ab hoc doctore, & hæreticos dicit, volumus resistere, & ostendere quid ex fide circa ea puncta sit tenendum, & primum de purgatorio, de quo ita credimus. Duplex est purgatorium, unum est hîc, alterum in futuro seculo. Primum habet fidem in scripturis sacris, & est certum, in quo se purgant ad immortalia corpora, de quo sunt testificati Salvator & Apostoli & primitiva ecclesia, & sequaces longo tempore bene usi sunt. Secundum purgatorium est in alio mundo; & hoc est incertū, quia scriptura sacra non dat de hoc testimonium, de quo primitiva ecclesia nihil scivit, neque sequaces per longum tempus, & veteres doctores non confirmant, præcipuè de loco. Sed proximè, novi quidam, non à longo tempore,

Sancti solum Deum invocabant.

Deus laudandus in beatâ virgine & sanctis.

De virgine Mariâ.

Purgatorium duplex.

Thomas Aquinas inventor purgatorii.

re, ut Thomas Aquinas; is locum invenit tertium in inferno. Sed vetus doctor Augustinus aliter sensit, dicens, Locus purgatorii non est ostensus, nisi quòd multis exemplis se animæ ostenderunt, in his locis & cruciatibus ostensæ sunt: fortasse ex proximo dicent, quod omnes animæ hoc loco puniuntur ubi deliquerunt: quoniam in eam sententiam & scriptura dicit: Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Et alia scriptura: Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ,& iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Sicq; vetus doctor Augustinus cum aliis veteribus doctoribus contradicit Thomæ: quoniam priores tenuerunt, quod post resurrectionem Salvatoris nullæ animæ ingrediuntur infernum nisi damnatorum. Sed Thomas invenit in inferno duo loca: unum non baptizatorum,alterum animarum purgandarum. Sinite quod noster doctor Augustinus eos concordet, ostendatque quis justior sit, cui credamus, & hæ res multæ sunt,in quibus discordant,& alibi. Nam optimum esset in incertâ re, de qua scripturæ non modò tacent, sed etiam contrarium dicunt, ne quid assererent, secundum sententiam sapientis Senecæ: De rebus incertis non debes affirmare, sed incertum judicium tene. Nos etiam ponemus, qualiter priores inventores, quod de secundo etiam purgatorio cogitarunt: quoniam & hoc contra fidem sit, id est, quod & hi in purgatorium transeant, quibus dedit Deus locum pœnitentiæ, & ii pœnitentes non satisfecerunt. Sed isti confirmatores purgatorii omnes eò mittunt, & ibi primum ubi inde commodum sciunt, & nolunt habere differentiam, nec judicant pro quibus debeant orare, pro vivis æque ac mortuis. Sicut apud viventes nesciunt, utrum sint in statu gratiæ, vel damnationis, sic nec de mortuis. Sed quod docuit eos avaritia, hoc confitentur quòd sunt in purgatorio. Sed alii doctores hoc melius senserunt, dicentes, quòd solùm ii, qui non satisfecerunt pro pœnitentia; & intellige, cujus: scilicet pœnitentiæ impositæ à sacerdotibus, ut jejunia, vota, orationes, eleemosynæ, & hujusmodi. Utque magis intelligatur ille error de purgatorio, ponemus ex veritate fidei de certo purgatorio hic in hoc mundo. Primum, in Dei gratiâ & merito Jesu Christi & emundatione Spiritus Sancti, per fidem, amorem, spem, præcipuéq; passionis hujus mundi,deinde per verbum Dei verâ pœnitentiâ,operibus misericordiæ & servitio Dei, sicut in perceptione sacramenti, & perseverantia usq; ad mortem, & hoc testantur sacræ literæ. Et primum de gratiâ: Miserebor cui misertus sum,& misericordiam præstabo cui miserebor. Et alio loco dicit: Propitiabor iniquitati eorum, & peccata eorum non memorabo amplius. Et sanctus Paulus, Gratiâ enim estis salvati per fidem. Et de se solo dicit, Gratiâ Dei sum quod sum. Et Zacharias, Erit fons patens domui David,& habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et sanctus Paulus, Quanto magis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo,emundavit conscientiam nostram ab operibus mortis ad serviendum Deo viventi. Et sanctus Johannes,Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, Et de Spiritu Sancto, quem promisit Deus dare super omnem carnem, emundationem, dicit Apostolus: Eramus enim aliquando & nos insipientes,& cætera. Ex his est manifestũ,quòd nullus alius locus est principalis certi purgatorii,nisi Dominus Christus,de quo rectè est dictum ab angelo, Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Et sic dicit sanctus Paulus, Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, & quòd ipse est fons aquæ salientis in vitam æternam: & hoc in futuro seculo, quia transeunt de morte ad vitam, & fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: & omnis qui salvabitur, oportet eum de hoc fonte sumere pleno justitiæ & æquitatis, oportet eum sumere per amorem gratiæ sui meriti pro gratiâ Spiritum Sanctum qui de amore suo transfundit in corda fidelium, ex solâ gratiâ per donum fidei, quisquis salvandus venit ad purgatorium, per Christum Jesum, ut dicit sanctus Paulus, Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christum Jesum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Christus dicit, Qui credit in me, habet vitam æternam. Et ille leprosus dixit ex fide,Domine si vis, potes me mundare: Et dominus dixit, volo, mundare. Et iterum, Fides tua te salvum fecit. Et sanctus Petrus, Fide purificans corda eorum. De dilectione dicit dominus ad Mariam, Remittuntur ei peccata multa. De charitate dicit sanctus Johannes: Charitas operit multitudinem peccatorum. Et de obedientiâ charitatis dicit sanctus Petrus: Animas vestras castificantes in obedientiâ charitatis. Et de spe dicit dominus paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata. Et sanctus Paulus: Spes autem non confundit. Et de virtute hujus fidei dicit sanctus Petrus, Ministrate in fide vestrâ virtutem,in virtute autem scientiam,in scientiâ autem abstinentiam. Hæc enim si vobis adsint,& cætera. De pœnitentia dicit Deus per Prophetã: Impietas impii non nocebit ei in quacunq; die conversus fuerit ab impietate suâ. Et Propheta, Asperges me Domine hysopo,& mundabor. De operibus misericordiæ: Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis; & consilium datum est Nabuchodonosor, quod

Purgatorium verum & certum.

Gratia.

Fides.

Charitas.

Spes.

Pœnitentia.

Opera misericordiæ.

quòd ſeleemoſynis redimat peccata ſua. Et ſic devota oratio & munda cum fide purgat, quando cum eâ eſt viva fides & humile cor: hujus eſt exemplum de publicano & peccatore. Sed quòd pœnitentia mundat hominem in Chriſto fundatum fide vel pœnitentia, dicit dominus Jeſus: Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & egò in eo, hic fert fructum multum. Et alia ſcriptura dicit: Sicut aurum in fornace,&c. Et de verbo dicit Deus per Ezechielem: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et dominus Jeſus: Jam eſtis mundi propter ſermonem meum. Et de teſtimonio baptiſmi quod ſimul fit cum fide: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Et ſanctus Paulus, Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ. Habemus nunc ſpem firmam & confeſſionem noſtram, quod ſumus habituri purgatorium in tertio inferno? non: ſed vitam æternam. Nam dicit Deus: Qui perſeveraverit uſq; in finem, hic ſalvus erit. Et cum his verbis quæ robur in ſe habent,mundat hic eccleſiam,& purgat ad vitam gloriæ. Sicut dicit Deus per Hieremiam in figurâ Judæ & Hieruſalem: Convertam converſionem Juda,& converſionem Iſrael: & emundabo illos ab omni iniquitate ſuâ, in qua peccaverunt mihi. Sanctus Paulus dicit, Chriſtus dilexit eccleſiam,& ſeipſum tradidit pro eâ, ut illam ſanctificaret, &c. Non ut pararet eam in infernũ, ſed in cœlum in quietem poſt præſentes labores: quia certum eſt quòd ſoli beati ſunt electi Dei, & illos ducit Deus in eam juſtitiam, quam ſuperius poſuimus, de quibus Apoſtolus dicit, Elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate. Et iterum dicit. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit. Huc uſq; de purgatorio vero & certo dicimus, & non eſt aliud. Et in hujus teſtimonium dixit dominus duas eſſe vias, duo corpora futura perpetua, unum bonum, alterum malum: & quòd poſt mortem non erit tempus merendi. Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti, ſicut in morte occupatur quis, & non merebitur gratiam: pro hoc eſt teſtimonium in divite epulone, qui clamavit ad Abraham, & nihil impetravit. Et ſcriptura dicit: Viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros: mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultrà mercedem, quia oblivioni eſt tradita memoria eorum. Et paulò infra: Quodcunq; poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quò tu properas. Et Abraham dixit: Quia inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, quia in inferno nulla eſt redemptio: & niſi unus eſt infernus ſecundum verba Evangelii: Ubi vermis eorum non moritur,& ignis non extinguetur. Scripturam autem illã ſancti Pauli [cujus opus ardet] aliqui inducunt pro purgatorio. Hic notum ſit, quod Apoſtolus hoc loco non loquitur de hoc quod venturum eſt poſt mortem, neq; huic concordant verba ipſius, quia in morte non apparebit Deus in igne, ſed hic, ſecundum ſcripturam quæ dicit [Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis] ſicut multi ceciderunt in peccatum & mundati ſunt. Et ſanctus Petrus: In quo exultabitis, modicum ſi nunc oportet contriſtari in variis tentationibus; ille eſt dies tentationis Dei; quapropter quicunq; ſacerdos in fundamento Chriſti ponit fidem, amorem, ſpem & reliquas virtutes, ille manebit in die viſitationis: & quicunq; ponit fœnum, lignum, ſtipulam, hoc eſt miniſteriũ veteris legis, vel leges hominum, hoc comburet dies domini, quia quælibet plantatio, quam nõ plantaverit pater meus cœleſtis, eradicabitur, & in ignem mittetur & ardet, & ſi ille erit, qui legem ponit in fide rectâ, ſalvus fiet, ſic tamen quaſi per tentationem ignis. Sic eſt ſermo domini: Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: Spiritûs autem blaſphemiæ non remittetur, neq; hic, neq; in futuro ſeculo quod ita intelligimus, ſicut ipſe dicit: Quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Similiter illud Maccabæorum, Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur. Ad hoc dicimus, quod is liber eſt poſitus inter illos non receptos ab eccleſia, qui dicuntur apocryphi, & dicunt quod ſcriptor hoc addidit in fine. Secundum autem, quod dicit ſanctus Johannes: Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Et Maccabæi quod ſunt interfecti, permiſit Deus, quia habuerunt ſub palliis dona idolorum, & ſine pœnitentiâ mortui ſunt: inde ſcriptum eſt, quod Judas ſtatim populum monuit, ut caverent à peccatis, ut hujuſmodi plaga eos non tangeret: collegit duodecim millia drachm. arg. &c. Non tamen ſtat ibi aliquid de purgatorio, neque quod fuerit auditum, ſed ſolùm de inferno & ſinu Abrahæ: neque adhuc eſſet, niſi Thomas monachus de Aquino hoc cogitaſſet in inferno. Debemus adhuc hoc dicere, quia dicitur quòd ii ſoli eunt in purgatorium qui ſunt electi & ſunt in viâ ſalutis, facientes confeſſionem, non ſatisfaciunt conſilio ſacerdotis, vel qui venialia haberent & in his moriuntur. Quòd hoc non eſt verum, poſſumus illo monſtrare: quando Deus majus ignovit, quare minus non indulgeat? Verum quod pœnitenti Deus humiliter indulget in die anguſtiæ & tribulationis, certum eſt in publicano. Et ex Evangelio, procidens ſervus ille orabat

Locus Pauli, 1 Cor. 3. 15.

Eccl. 27. 6.

Alius locus, 2 Maccab. 12. ult.

orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Et hoc similiter in latrone, quando Deus sibi indulsit peccata, non misit eum in purgatorium, sed secum in paradisum. Ad hoc etiam dicit sanctus Paulus, Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant: Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Sic ergo impossibilitas pœnitentis quod non potest satisfacere consilio sacerdotis, non procedit ex animâ, quia spiritus promptus est, sed ex corpore, quod jam non potest vivere: & ideo non migrabit in purgatorium, sed implebitur in eo, quod dicit sanctus Johannes, Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis: sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantùm, sed etiam totius mundi. Sic erit in magnum contemptum meriti sui & promissionis suæ, quod plus posset circa purgationem peccati purgatorium, quàm sanguis Christi, & fides & bona voluntas & devota oratio, quia circa fidem infirmi, dicit sanctus Jacobus, Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Et hoc est satis peccati, quando quis non satisfacit consilio sacerdotis: quod si & illud indulgetur ad orationem non scriptam ex libris, sed viva fide fidelis sacerdotis & probi, quam cum fidelibus suis facit ad Deum.

Rom. 3. — *1 S. Joh. 2. 1.*

Etiam hoc est contra rationem, quod sola anima debet pati, & non corpus: quoniam simul clarificabuntur, sicut dicit sanctus Paulus: Si sustinebimus, & conregnabimus, sed quos extremum judicium viventes deprehenderit, nullo modo hi possent in purgatorium mitti. De quo veteres doctores concordius dixerunt, quòd ante extremum judicium, quando Deus in igne apparebit, electi dei mundabuntur, & fundant se super verba sancti Pauli, quæ antea induximus de fundamento. Et illis doctoribus nondum dederunt possessiones, neque de inferno liberarunt animas, donec illi surrexerunt, qui per inventionem, verbi inceperunt quæstum facere cum animabus hominum: primum cum vivis, deinde cum mortuis. Hoc sentimus de purgatorio, de quo doctor Augustinus fecit mentionem, & super nos iram Regis concitat injustè.

Doctores veteres.

Vult etiam scire, quid credamus de ordine Ecclesiastico: Noscat ipse & quilibet alius, quòd custodimus constitutiones, quæ sunt auxilio fidei, amoris, spei, & justitiæ quæ potest ex fide cognosci, ad faciendum ex ipsis præcepta Dei, & ut sincerius possimus eo uti ad finem, propter quem sunt sacramenta, juxta sensum conversationis Christi: atque ea observamus, quæ adjuvant ad venerationem, rectamque orationem ad Deum, quæ æquitatem, virtutem, honorem, disciplinam & unanimitatem continent, ea observamus, & nostros & alios observare docemus. Et hoc nobiscum non est, quod spernamus rectam ordinationem, ideo quia sit per homines instituta, & in eo nos segregemus ad eorum inhonorationem. Sed hoc est, cur facimus, ubi in aliquibus rebus, & ordinationibus, & statutis, etiam veteribus similes non inveniuntur. Est nostra conscientia, & timor Dei, ne eum in iram commoveremus, ubi sponte essemus causa dissidii, vel mali exempli: & ideo populi iram in nos concitaremus. Ideo quæcunque statuta cognoscimus non esse contra justitiam, ea servamus: quæ si & ex magna parte contra justitiam forent, si possumus aliquo tamen modo uti eis ad justitiam, ipsis utimur ad bonum sensum: ut circa festa sacra, tum jejunia, aliasque res ejusmodi quo scandalum ponere declinemus & studeamus partem habere cum omnibus hominibus. Etiam confitemur, quod in omni seductione est aliquid æquitatis, circa quam est vel variatio sensûs, vel boni usûs, vel ordinationis circa observantiam æquitatis: ideo docemus hoc, ut locum daremus æquitati, & cavemus & circumspicimus super alia, in securitate & defectu rerum qui inde posset evenire, habentes aliquas apud nos æquitates, servamus, ne alias supplantemus. Et circa hoc intelligimus nos esse in magnis angustiis & mutatione, ut custodiamus bonam dispensationem, non solum coram Deo, sed & hominibus: quod nobis & multi imponunt pro inconstantiâ & mutabilitate: & alii adhuc pejores sunt, quasi isto cælemus hypocrisin: & alii de nobis suspicantur, quod in ejusmodi sensum non intraremus in primam seductionem. Has & alias res plures oportet nos Deo permittere.

De constitutionibus humanis.

Ad secundam partem notum facimus, quod ideo multas constitutiones & consuetudines, ordinationes & inventiones non continemus, quia in errorem sunt & eversionem fidei & æquitatis; ex qua descendunt præcepta Dei, sicut honor, veneratio, rectum servitium & spes in Deum; & quoniam hæ constitutiones sunt causæ idololatriæ, & spei erroneæ, & vanæ superstitionis: & occultationem mortalis peccati. Malis autem sacerdotibus sunt causa ad eorum indignitatem, & ad seductionem à justitiâ, & ad avaritiam & sacrarum rerum quæstum.

stum. Populo autem sunt ad latrocinia, onusq; ut plura impendant in vestes, ædificia & splendorem, & inutiliter consumunt & liguriunt, quod ipsi sibi & ecclesiis usurpant, quod in pauperes & egenos expendere debent. Ideo non observamus in multis rebus, quia multa impedimenta faciunt verbo justitiæ, orationi, rebus sanctis circa legis dei sensum; propter quæ lex dei venit in contemptū: & ita humanas constitutiones, ordinationesq; tam diligenter custodiunt, sicut mandatum dei vel & diligentius. Et quod deterius est, quod per ejusmodi constitutiones mandata dei transgrediuntur, & per eas gratiā & justitiā in famulis & servitio corrumpunt & servant fidem erroneam, quodq; ita observatur magni pendunt. Hæ & aliæ causæ dissuadent multas alias constitutiones, & illas sanctas, legesq; ex timore & observantiā dei. Et hoc admonent veteres & novi, quos nunc relinquimus ob brevitatem.

Eja nunc doctus homo finit suam scripturam contra nostram, in qua nihil probabile, justumq; obstaculum posuit, sed solùm maledictis. In qua se tria inveniunt. Primū, quod voluit, non autem potuit in nos adducere injustitiam. Secundū, quod mutavit aliqua puncta confessionis nostræ. Tertium, quod in illo nos accusat quod de illis rebus non posuimus, ad quas tunc nobis non dabatur causa. Quod si homo ille intelligeret nos loqui contrarium fidei in illā confessione, certè non reticeret. Ad ultimū quando finit literas, dat intelligi sensum suæ scripturæ: quod ideo faciat ad Regiam Majestatē, ut ad hoc induceret, ut nos expellat, conterat & abigat ex provinciis. Non intelligens, cujus sit spiritus, quia est ejus qui sanctos prophetas occiderunt, & bonis justisq; restiterunt, quod putaverunt illo se obsequium præstare deo: ideo se insinuaverunt principibus, & Principum impias manus confirmarunt. Et ejusmodi homines, si non pœnituerint, debent omnino timere quod super eos plaga dei veniat. Deus ex suo amore convertat eum, & intelligere faciat quid tentet, ut hic pœnitentiam faciens, gratiam consequatur, & post hoc æternam gloriam. Ad secundam ejus scripturam volumus respondere in hunc modum, & custodire sicut in priore responsione, ut relinquamus maledicta ejus & oppressiones, quod hujusmodi apud eum reperiuntur: quia ex numero eorum qui sequuntur ornatum latinæ linguæ, qui raro modestè loquuntur: ut si quē laudant, hoc faciunt solennibus verbis, veritatem non pensitantes: aut si quem vituperant, nimis contumeliosè, quantumq; possunt deprimunt, non verentes Deum nec homines. Nos itaq; videntes, quòd hoc sensu in eum finem scribat has literas sicut priores, ut nos apud Regiam Majestatem perderet: nos non potentes in hoc facere apud Regiam Majestatem informationem bene intelligentes, quare & propter quid, visum est nobis expedire ob causas, quas in prioribus literis posuimus, omnibus in communi scribere, quibus si suæ in manus venerint, ut responsio simul perveniret. Suam responsionem & veritate & simplicitate absolvemus: sed prius scriptura præmittitur doctoris Augustini, qui Regiæ Majestati scribit, & sic incipit: In prologo ejus epistolæ indicat se vidisse cum tædio literas, quas Regiæ Majestati scripsimus, & statim in nos fit contumeliosus: neq; in nos tantum, sed & generosam venerabilemq; virginem, virginem Martham. Et videtur nobis mirabile, quare adeo sit sibi tædio nostra scriptura, vel quare se excusans imponit negotiis suis, per quæ non possit respondere: & constat quòd non doctori Augustino, sed Regiæ Majestati literas misimus, & à doctore Augustino responsum non postulavimus: quid ergo sibi ea cura incidit, ut solicitus pro responsione fieret, cum neq; Regia Majestas, neq; ipse indicent quis mittat responsum, ut possemus tamen instrui cui debeamus respondere. Primam causam suæ scripturæ dicit, ut fraudes nostras Regiæ Majestati patefaceret, volumusq; eum libenter audire. Cum hac scripturā vult in primis, quod essemus nobisipsis contrarii, sed nihil faciet; & sic per hoc callidum mendacium nobis imponit, ut per hoc Regiam Majestatem ad iram commoveret, & exufflat ignem ut juberet æstuare mortem, sicut æstuat unguentum in aheno. Cognoscat hoc quilibet, puta ejus scripturam, & rationem fidei nostræ, sicut & prius super ejus literas scripsimus, quemadmodum credimus, quia panis est corpus Jesu Christi naturale, & spiritale benedictum. Sed ipse scribit, quòd sub eā substantiā panis & vini verum corpus & verus sanguis subsit: & per hoc fidem nostram fundatam super verba Christi mutavit, sicut ipsum convicimus in primis literis. Et circa hanc alteram partem non veretur mutare, dicens in nos, quod loquamur & prædicemus quod nullus honor debeat fieri corpori & sangiuni Christi: fortè non potuit per iram placidè perlegere quod scripsimus latinā linguā Regiæ Majestati: & hæc fuit causa, & hoc tetigimus. Ut liberemur ab omni suspicione, volumus idem Bohemicā linguā ponere, quod interpretatur sic: De corpore & sanguine Christi, sic credimus, quòd post verbum per sacerdotem rectè consecratum, quòd statim panis est corpus Christi verum naturale, sumptum ex Mariā virgine, quod debuit tradi, sicut dicit: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; & vinum, sanguis ejus naturalis corporis, qui debuit effundi in remissionem peccatorum. Et non solum credimus & fatemur, quòd panis est naturalis caro, & vinum naturalis sanguis benedictus: sed quòd panis simul etiam est

Tria injuriarum genera.

De eucharistiā.

Q caro

caro spiritalis, & vinum sanguis spiritalis, quod est unitas ecclesiæ. Sic dicit sanctus Paulus: Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? & quod sub utraq; specie debet communicari, secundū præceptū Christi & exemplū primitivæ ecclesiæ ex fide & necessitate salutis, quod ordinatū est per filiū dei: quia sub specie utriusq; veritatis, dignitas ad salutem posita est, quæ sacramento ad conscientiam & spem configuranda est; Sed quia hanc fidem aliqui non recipiunt quam professi sumus, in corda nostra penetrant, temerè discutientes, & dicunt quod aliter credimus & aliter dicimus, & injustè nobis coram Deo faciunt, qui nos melius pro nostra justitiâ cognoscit: & alii nos judicant propterea quod ab eorū sacerdotibus non communicamus. Sed non intelligunt quare: & hoc ideo, quod nostros sacerdotes habemus, & opportuno tempore disponimus nos, & ab ipsis sumimus. Sed ad sacerdotes nobis adversos ire non audemus: quia non possumus in communi de eis cogitare quod nuncium dei omnipotentis ita perficerent operibus per res fidei contrarias, & operi & ordinationi scripturæ. Et propterea nobis non credunt, quod in hoc sacramento solum quod est præceptum per filium dei, facimus: & quod ibi non est præceptum, hoc non facimus: sed ibi facimus ubi præceptum est. Sicut honorem & reverentiam exhibere corpori & sanguini Jesu Christi, à dei filio non est præceptum: sed credere & accipere, manducare & bibere, & facere hoc in ejus commemorationem. Sed quod huic substantiæ corporis Christi benedicti, non est præceptum quòd ei honorem faciamus, verùm substantiæ corporis Christi quæ sedet ad dexteram patris. Pro hujus testimonio est, quod Dominus noster Jesus Christus sedentibus dedit, & successores longo tempore transeuntes per domos fregerunt panem, & acceperunt cibum cum benedictione, & non fecerunt reverentiam. Et tamen sic facientes non erraverunt, nec hæretici fuerunt: quod mandatum est ut Jesum Christum verum deum & hominem honórent: non in ipsa substantiâ sacramenti, sed in substantia corporali dei. Et hujus habemus mandatum, quod meminit Dominus contra tentatorem: Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: quod est novum testamentum. De quo Apostolus dicit: Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus est in gloriâ dei patris. Et dominus ipse dicit, Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Sed nullus hic honorificat patrem in creaturâ, sed in cœlo, dicentes: Pater noster, qui es in cœlis. Et sanctus Paulus dicit: Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad patrem domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur. Sic debent omnes honorare filium. Et ob eam causam quando personaliter hic fuit super terram, quamvis erat dignus honore, noluit compellere homines ut se adorarent: sed in cœlo habet gloriam, quam habuit ante secula, & quod illic post suam ascensionem veneretur & confiteatur. Et ad testimonium firmæ probationis, habemus novos testes & veteres: Veteres, quando dicit per Moysen: Non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem eorum quæ in cœlo sunt desuper, & quæ in terrâ deorsum, & quæ versantur in aquis sub terrâ, non adorabis ea & non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus. Novos autem; dicit Jesus, Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi: ecce! prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce! in deserto est, nolite exire: ecce! in penetralibus, nolite credere. Nec descendet corporaliter cum corpore suo ante diem judicii, hoc probat communis fides Christiana, ubi dicit, Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos & mortuos. Ex hoc potest quisq; intelligere, quod ille doctor præcipitanter facit, non intelligens scripta nostra, fortè per iram suam: quia habemus manifestam discretionem venerationis eorum, sicut in literis quas ad omnes misimus, manifestius confessi sumus, quod iis & sacris testimoniis ibidem respondeat. Et hoc perpetuò credimus ex fide, quod summum opus venerationis est, observantia præceptorum dei, & è converso summa irreverentia, inobedientia: quod Samuel ad Saul regem dixit: Nunquid vult dominus holocausta & victimas & non potius ut obediatur voci domini? melior est enim obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam sicut peccatum hariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Ideo credentes quod panis & vinum secundum verbum salvatoris est corpus & sanguis ejus, obedimus mandatis ejus, sic quod sumimus & comedimus sub utraque specie: & hoc facimus secundum commemorationem passionis ejus, sicut & priores fecerunt. Et amplius ex præcepto dei veneramur filium dei, verum deum & hominem, ad dexteram dei patris, & secundum ejus præceptum non credimus eum esse personaliter in terrâ, neque eum expectamus de cœlo usque ad extremum diem judicii, neque hos recipimus qui eandem personam hîc esse monstrant, neque eam sequimur,

De communione sub utraque specie.

Attende.

Summum opus venerationis est, observantia præceptorum dei.

quimur. Amplius secundum ejus præcepta sumimus eum in sua potenti majestate spiritali in fidelibus nunciis, & honoramus cum fide, obedientiâ & subjectione: sic tamen circa hoc mandatum veneramur eum in fidelibus membris, in quibus est per fidem, meritumq; suæ conversationis cum patre & spiritu sancto diligimus & famulamur, & cum operibus misericordiæ, si eum pro mandatis ejus in verbo suscipiunt: & sequimur opere quantum cognoscimus & possibile fuerit, & in sacramentis in suo novo testamento amoris & justitiæ unimur ei ex amore. Ideo sic facientes, nullum impedimentum nobis in scripturis & factis facimus. Quòd si crederemus corpus Jesu Christi in sacramento cum ejusmodi existentiâ, sicut est ad dexteram dei patris: certum est quòd nos rebellantes venerationi hujus corporis, essemus etiam contrarii nobis in adoratione. Sed nos credimus, quòd panis & vinum est corpus & sanguis Christi, in existentiâ benedictionis, factis solùm ad sumptionem & usum & memoriam: quia si dominus noster Jesus Christus corpus suum & sanguinem expenderet in hujusmodi formâ, sicut nunc credunt esse sub sacramento, profectò non neglexisset suos, sed manifestasset apostolis, quòd surgentes primùm venerarentur, deinde sumerent. Si noluisset tunc, postea tamen sancto Paulo jussisset, accipienti mandatum de eo à domino: sed non fecit mentionem, sed præmonuit eos ut non idololatrarent: Et non reliquisset sic primos Christianos in ignorantiâ multis seculis, quod nostri ex solâ consuetudine in hoc inducti fecerunt, sicut sub sumptione unius speciei: & videntes consuetudinem postea confirmarunt, propter obedientiam Romani pontificis. Quòd ergo illi doctori non videretur quòd suæ quæstioni non satisfaceremus, ubi scribit: Sinite ut interrogentur, si idem Christus adsit, quem sub sacramento corporis & sanguinis se simulant nobiscum credere, vel si est differens ab illo qui sedet ad dexteram dei patris. Si ille est, quare non veneramur hunc, ut illum? Quamvis respondimus, quòd non ita credimus, nec cogitamus sicut ipse: sed sicut verba fidei ostendunt, & sui interpretis sancti Pauli, & opera primitivæ ecclesiæ, & catholica fides, & præcepta dei: dicimus adhuc & simpliciter confitemur quòd nobis non est nisi unus deus, unus dominus, Jesus Christus, & quòd est in sacramento cum suo naturali corpore talis, sed per aliam existentiam quàm in dextris dei: & adhuc dicimus, quòd est etiam cum carne spiritali: quia est aliud dicere, ille Christus, hoc corpus: & est aliud dicere, cum hujusmodi existentiâ. Primum concedimus, quia ille Christus est cum hoc corpore: sed aliud non concedimus, secundum fidei scripturam resistimus, hoc est quod dominus noster Jesus Christus post suam ascensionem, cum naturali substantia corporis sui personaliter existeret. Sed dicimus, quòd non fuit, nec est, nec erit, donec ad extremum judicium: quia cum illa substantia sui corporis non nisi unum locum habet, sicut hic habuit adhuc viator, non potest multiplicari, nec corporaliter levari. Et hoc quod ostendatur verâ scriptura Christianæ fidei, primum ponetur, quòd deus manifestavit personalem ascensionem substantiæ naturalis corporis, quando ad discipulos suos est loquutus: Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Et: Vado ad eum qui misit me: Et causam adjungit, dicens: Vado parare vobis locum: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et quis est ille paracletus, qui debuit cum illis perpetuò manere? & quòd venit, testificatus est verum abscessum, de quo dicit: Exivi à patre & veni in mundum. Iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Iterũ personaliter abivit cum substantia assumpti corporis. Dicit enim in oratione ad patrem: Jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Et iterum: Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Et iterum per similitudinem, Nunquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autẽ dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Iterum: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, deũ meum & deum vestrum. Et angeli dixerunt: Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemodmodum vidistis eum euntem in cœlum. Et hæc est illa prophetia psalmi: Dixit dominus domino meo sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et sanctus Petrus dicit: Quem oportet quidem cœlum suscipere usq; in tempora restitutionis omnium, quæ loquutus est deus per os sanctorum suorum à seculo prophetarum: quem & sanctus Stephanus vidit stantem à dextris dei. Et sanctus Paulus vidit eum in tertio coelo, & is dixit: Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Et multæ aliæ similitudines salvatoris ad hoc sunt, in quibus manifestat suum ascensum & descensum non antè fieri, quàm ad extremum judicium: & præcepit omnibus ut vigilantes expectent: & præcipuè dans eis potestatem super labores, cum qua potestate, justitia & auxilio promisit se esse cum suis fidelibus usque ad consummationem seculi, & cum suis membris fidelibus. Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine ejus, promisit se inter eos esse spiritaliter cum participatione corporis & sanguinis, & in sacramento in virtute cum testimonio suæ justitiæ. Ad hoc sonat vox veteris & magni doctoris Augustini, ubi dicit:

Corpus Christi.

An personaliter in eucharistia Christus.

2 Cor. 5. 16.

Virtus.

Donec seculum finiatur sursum est dominus: sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, in uno loco esse oportet: veritas autem ejus ubique diffusa est. Sicq; ex sacris literis & aliis multis certum est, quòd dominus Christus cum suo corpore & sanguine in naturali substantiâ personaliter existenter non est hic, donec ad consummationem seculi: & quòd est in uno loco, hoc est, à dextris dei. Hoc voluit, antea hic in suo mortali corpore manifestò ostendit, quòd uno in loco existens, non fuit in alio eodem tempore, sicut ejus sermo illud ostendit: quoniam loquutus est ad discipulos suos, dicens: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. Et Martha dicit: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sic post resurrectionem, glorificato corpore, uno eodemq; tempore non fuit multis locis sed uno, & aliis temporibus fuit aliis & aliis locis. Sicut quando fuit in Hierusalē, non fuit tunc in Galilaea: & quando fuit in Galilaea resurgens ex mortuis, non fuit in sepulchro: quod neq; angeli sunt mentiti, dicentes: Surrexit, non est hic. Sicq; cum suo substantiali assumpto corpore, quocum sedet nunc ad dexteram dei, non potest multiplicari, sed solum unus totus verus existenter manet in cœlo: & non potest corporaliter sumi à fidelibus animabus, sed solum spiritaliter, quia dixit: Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius: spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Ideo credimus & ex fide sentimus, quamvis Christus non est hic cum corpore naturali, mansione existenter & corporaliter: est tamen spiritaliter, potenter, benedictè, in veritate: quòd cum hac mansione non abiit, & non abibit à suis, sed ubiq; ubi vult est & infinitis locis hujus corporis & sanguinis veritas augmentatur, & potest multiplicari ad omnem necessitatem suorum fidelium & electorum, ut in hoc dicit dominus: Ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Et: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et sanctus Paulus: Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Item: An experimentū quæritis ejus qui in me loquitur Christus? Ideo ex fide sic sumimus: & sic illius doctoris scriptis respondemus sicut antea, quòd Christus cum corpore suo & sanguine in mansione benedictionis est, sicut in dextera dei, sed non simili mansione ut in cœlis: ideo non debemus eum venerari in benedictione sacramenti, quæ fit & fieri debet in essentia personali, existenti in dextera dei. Et ut melius adhuc intelligatur, quòd non assimilamus, neq; pro uno ponimus, ejus habemus exemplum in Johanne Baptista, de quo dominus dixit: Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est: & ipse sanctus Johannes est confessus sacerdotibus & Levitis, quod non est ipse Elias: & sic hi sermones non conveniunt sibi, sicut illi Augustino confessio fidei nostræ: tamen sermones sunt veri, in sano sensu intellecti, quod Johannes personaliter in substantiâ non fuit Elias: sed in ipso esse spiritali, quem dominus mutavit: & sic Johannes non contradixit, quod etiam angelus confirmat, qui manifestat ejus conceptionem Zachariæ, dicens: Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Etiam accipimus illius exemplum ex sermone sancti Pauli, ubi scribit: Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt & eundem potum spiritalem biberunt; tamen nullus concedit, quod hi patres manducaverunt corpus & sanguinem Christi corporaliter, sive quòd in naturali substantia substantialiter essent usi, quia nondum fuit incarnatus: neq; dedit corpus suum in manus peccatorum ad mortem, ad præparationem escæ, neq; sanguinem ad bibendum, neq; adhuc instituit sacramentum corporis & sanguinis. Et sanctus Paulus ad Hebræos: Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Amplius dicit: Bibebant autem de spiritali consequente eos petrâ: petra autem erat Christus. Certè non corporali, sed spiritali figurâ qui futurus erat, cum quo se communicat in sacramento novi testamenti, & hoc sic: quia sacramenta novi testamenti habent justitiam perseverantem & meritum & usum in Christo & ecclesia. Et hujusmodi exempla possent plura induci ad hoc ex sacra scriptura, si non indigeret multa disputatione & tædium faceret legenti. Sic docemus, ut breviter dicamus, quòd non timemus (dei auxilio) pedicas, quas nobis ille prudens venator posuit, sicut ante oculos avium, quòd duos Christos nos oporteat confiteri. Sed omnino ipse cum aliis, qui sic sentiunt (ut ipse confitetur) eas decipulas debent timere, esse scilicet Christum in terris personaliter, sicut in dextera patris sedet, quod hi Christum dividunt, & contra præceptum hic monstrant. Qua re ipsi abducunt fideles à sensu spiritalis ipsius & sacramentalis existentiæ & sumptionis. Absq; illo præcipuo spiritali Christo, nemo potest salvus fieri. Sed petimus, quo faciliùs cognoscamus auxilium ad cognitionem veri & erroris, quòd etiam doctor Augustinus permittat sibi quæstionem unam aut duas facere circa sacramen-

Attende.

Attende.

In virtute.

Eucharistia.

2 Cor. 13. 3.

Quæstio.

sacramentum corporis & sanguinis Christi. Et hoc eandem quæstionem, ubi ex nobis quærit dicens: Estne ibi idem Christus, quem sub sacramento panis & vini esse simul nobiscum dicunt, sicut sentit & permittit, vel est distinctus ab illo qui sedet ad dexteram patris? Interrogetur etiam illud cum illa quæstione: Si est idem Christus, verus deus & homo secundum ejus opinionem substantialiter & naturaliter in sacramento, & in fidelibus sacerdotibus, vel aliis hominibus qui sumunt sacramentum & eundem Christum in sacramento: vel sit divisus ab illo Christo hic in sacramento & in cœlis? Si est idem: quare illũ non venerantur & adorant unum & eundem dominum Christum in homine, sicut in sacramento, & ad dexteram dei? Et certè deberent hoc facere ex præcepto fidei plus, quia digniore modo est in homine quàm in sacramento: quia propter hoc est in sacramento ad tempus, ut eum homines sumant cum reverentiâ, non solum ad tempus, sed in perpetuum, sicut potest dici & confirmari ex verbis Christi, ubi dicit: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Si est divisus, dicat sibi soli, tantumq; aliis: & sicut alios judicat, se judicet. Hic opus erit ostendere fide in Christum dominum. Attende.

Et ubi tenet & memorat de transmutatione panis & vini in corpus & sanguinem domini nostri Jesu Christi, sinat ut interrogetur an in totam personam domini nostri Jesu Christi panis & vinum transmutetur, vel non in totum Christum. Si dicit in totum, hoc est in corpus, animam & divinitatem: hoc est impossibile & incredibile à tota re; quia jam transiret & transmutaret se creatura in suum creatorẽ; spiritalis persona in spiritũ dei incomprehensibilem & omnipotentem: & sic ulterius quod est contra fidem salutis, & nullum ingenium sanum ausum fuit ad hoc cogitare; nisi ille homo præsumat se in hoc experiri. O multũ adhuc abest si vis cogitare, quia neq; in anima, neq; in spiritu est aliquid creatum dignum domino nostro Jesu Christo: quare impossibile est de hac transmutatione cogitare, quia natura terrena & corporalis, & quicunq; spiritus sunt incomprehensibiliter & sicut sine fine à se differentes: quia spiritus carnem & ossa non habet, quia jam naturam suam clarificatam perderet: præterea neq; in spiritum non creatum à deo, quod est horribile cogitare. Tunc jam in fine oportet in hoc consentire & dicere, quod in solam carnem & solum sanguinem domini nostri Jesu Christi sine anima & divinitate, mutabitur. Et si hoc est verum, non in totum Christum transibunt substantiæ panis & vini, & hoc non fiet: quia non erit ibi deus, sed neque homo verus: & qualiter hoc debeat accipi, neque ex fide, neq; ex aliqua ratione. Sed est certum & verum, quod neq; in solum corpus panis se transmutat, neque in solum sanguinem vinum. Quòd si ita esset, ponentes secundum rationem illam, jam non fit totus Christus sub priori substantia, sed solum in corpus, sicut ponit, transmutatur panis, & in solum sanguinem, vinum: quia sic corpus esset sine naturali sanguine, & sanguis sine corpore: & aqua quam mittunt simul in calicem, in quid illa transmutatur? fortè ita manet, & tota illa cogitatio est impossibilis: quia verum corpus domini Jesu semel formatum est per spiritum sanctum in utero virginis ex puro illius sanguine, & non ab alio: sed ibi fieret ab alio, ubi nunquam fuit in utero virginis, neq; ex ea natum. Sed huc redibit, quod hodie est aliquid corpus domini, quod heri non fuit, & cras similiter erit quod hodie non est. Sed credimus, quis non credere solùm, sed etiam cogitare præsumpsit? Fortè dices, quod illæ res se conjungent. Hoc aliud novum, non ex corpore natum simul cum illo corpore ex virgine, nec cum anima & divinitate. Hæ res non sunt auditæ à prophetis dei, nec apostolis: quia aliam novam rem faceret Jesus super terram, & adhuc majora quàm incarnationem verbi æterni, & mutua conjunctio cum anima in toto esse, & hoc & illa corpora multiplicata ad aliquot mille loca una anima semel creata uniat, & vivificet, & unificet ea corpora insimul. Hæ res & multæ aliæ inde venerunt, quando excogitaverunt ejusmodi substantialem transformationem. Ille doctor quando hæc tenet, debitor erit expositionis secundum rationem fidei. Et amplius: Hoc corpus domini nostri Jesu Christi ex substantia panis consecrati factum, erit vel mortale, vel glorificatum? Fortasse dicet glorificatum, & quod sedet ad dexteram patris. Sed hoc non convenit, ut illud ad dexteram patris sit quod verbis exprimitur, benedicitur & consecratur secundum sensum verborum: quia quod his verbis fit, est mortale & mutatur, quando dicitur Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: & hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur. Quod si hoc erit, Christus adhuc morietur, & sanguis adhuc effundetur. Vide quid ad hanc transmutationem cogitarint, vel abstractio substantiæ ex accidentibus, quia oportebit alia verba excogitare transfigurantes: si fient alia verba, cum his nihil facient, & hoc non aliter expedient. Et ex hoc magis, magisq; crescit. Si apostoli hunc sensum & hanc fidem habuerunt, & continuarent partes de hoc sacramento usque in magnam sextam feriam, vel amplius, huc res caderet, esset simul in corpore uno vivus & mortuus: vivus in sacramento reservato, sed in cruce nonâ hora & postea in sepulchro mortuus, & in die resurrectionis simul glorificatus & mortalis, glorifica-

Quæstio.

Transubstantiatio.

Inconvenient.

tus prodiens ex sepulchro. Et ex hoc amplius sequitur, quòd simul erit vivus & non vivus, mortuus & non mortuus, mortalis & non mortalis, glorificatus & non glorificatus. Et hoc neq; deus ex sua omnipotentia tota faciet, neq; est possibile, neq; conveniens. Et quia semel cœpimus: hæc vestra transmutatio quando fiet, in principio verborum, vel in fine? ambo sunt impertinentia. In principio non fit, quia sine expressione formæ verborū non fit transmutatio: sed tunc cum ultimum verbum finitur, sinat ut interrogetur, & non taceat, sicut & cætera: Quid mandavit Christus dominus accipere & manducare, dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum: & super quid monstravit, cum hoc verbo quod nominatur latinè, hoc? Si super corpus Christi? Non, quia adhuc non fuit ante expressionem verborum: & super panem etiam non monstravit secundum opinionem vestram, quia contradiceretis temerè: sunt hic fere omnes novi doctores, nesciunt quò se vertant, ubi se movent est angustum. Si dixerint, super panem monstravit, & hunc fecit accipere & comedere, hoc negatis, & tamen corpus domini non fuit: manserunt in hoc quod dominus Jesus super nihil monstravit tum his verbis: Hoc est corpus meum, &: Hic est sanguis meus. Et plura hic ponunt, quod hic nihil frangitur, nihil videtur, nihil auditur, nihil oletur insuavis, quamvis sensus & olfactus hominum videtur eis quod hoc totum olfaciunt, & hoc dicunt de interiori homine, certè apud eos nihil est eorum. Hæc est fides Christiana, sic magis & magis hærent secundum verba salvatoris, quibus sacerdotes transmutant panem & vinū. Utrū autē sacerdotes rectè dicant [hoc est] formaliter, vel si solùm post Christum iterum illa verba dicant [hoc est] materialiter? quod si non formaliter dicunt, sed materialiter, cum hoc non transfigurabunt secundum sensum omnium vestrûm: & sic profectò nullus vivens sacerdos debito modo potest loqui sicut Christus: quia jam non esset corpus Christi, sed sacerdotis, quando eisdem verbis diceret: Hoc est corpus meum. Hæ quæstiones sunt vestræ, & ex vestris alveariibus ferè omnes, & aliæ multæ, & interdum cum responsione non satis pingui, & sunt contra manifestam fidem Evangelii ejusmodi sensus. Verùm ille doctor hæc omnia explicet secundum rectum sensum fidei & rationis, & firmum fundamentum monstret, & non ex opinione quando eam fœdè induit. Suis quæstionibus respondimus, quòd illud testamentum in se recipiat penes unum sacramentum corporis & sanguinis domini, & nobis non imponat errorem quem ipsi vobis fecistis. Nos tenemus lucem sancti Evangelii, super quod firmè possumus salutem ponere. Certè dominus Jesus nos non decipiet, qui dixit verum, firmum, & firmius quàm cœlum & terra. Nunc non cogitamus de his plura dicere: quia satis de hoc scripsimus in literis illis, quas publicè ad omnes dedimus.

[Hoc]

Et sancto Petro dixerunt adstantes, Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua te manifestum facit: posset huic doctori secundum scripturam suam idem dici, quòd est spiritu similis illis, qui dominum adjurarunt, & dixerunt, Adjuro te per deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius dei? Cumq; respondisset, dixerunt: Quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? omnes condemnarunt eum, quia reus est mortis. Ad horum similitudinem ducimus illum doctorem Augustinum. Meruimusne illo quod deduximus, quia hæc est vera fides Christi, à Christo domino suis verbis expressa, à primitiva ecclesia ita observata & custodita? Est tamen hæc impudens res & iniqua, dare sententiam prius, quàm facere hominem reum. Vetus lex neminem judicat, nisi postquam auditum est crimen. Et in novâ lege est gratia & justitia. Dominus Jesus, qui non venit damnare sed salvare, prohibuit judicare, & præcipuè, damnare. Igitur cum qua lege, amice Augustine, cum quo dei verbo nos justè accusasti? Sed tu malè & iniquè nostram scripturam recepisti & falsum testimonium in nos dixisti pro justo testimonio Regiæ Majestati. Nunc ipse fers sententiam quid mereamur, & sic accusas, testificaris & judicas: falsè testificans concludis quod aspernamur venerari Christum ubi ad dexteram dei cœli debet adorari ex præceptis suis, sicut amplius est de hoc superius dictum. Ex quibus rebus jam intelligimus, Habeat fidelis homo quodcunq; justum contra eos, nulla re contra Romanam ecclesiam aliquid deducet. Hujus habemus exemplū sub communione corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi sub utraq; specie, quemadmodū est fida & recta justitia secundum præceptum dei, per apostolos observata, per antiquos doctores testificata: super quam multi novi doctores confitentur, & etiam moderni concedunt & in Concilio Basiliensi assenserunt. Sed sub unius speciei ministratione nondum statutum est: sicut non diu libelli Pragæ impressi, probabiliter ostendunt. Et tamen nulla viâ ad eam æquitatem consentiunt, ut idem facerent & Bohemos non haberent hæreticos. Et quare hoc? quia oporteret eos audire sibi objici, quòd ipsi errant & errarunt. Sed hoc nulla viâ faciunt, sed potius multa magnaq; homicidia perpetrarent & multum innocentem sanguinem (si hoc Deus permitteret) effunderent. Sic etiam symoniaci: estne hæc prima & maxima hæresis, in qua in spiritalibus fere omnibus quæstuantur, habentes contra hoc magnas prohibitiones & severas punitiones? Quid

Romana ecclesia.

Concilium Basiliense.

Bohemi.

Quid ipsi hoc curant, si aliquis prohiberet, qui super hanc ecclesiam horrendum hoc peccatum symoniacæ pravitatis, in qua sine fine de die in diem scandalizant, induxerunt? Et illi sacerdotes concubinarii & publicani, quòd ipsi ex officio deponi debeat, cum apud eorum missas est prohibitum ne quis eas audiat. Et multæ ejusmodi res sunt manifestæ, quòd super eos convincitur, quòd multum errant: tamen nulla viâ peccatum confitentur & pœnitentiam agunt. Et quando Ziska cum tribulis suis non triturasset ex Bohemis & Moravis, communio sub utraque specie non habuisset locum in hodiernum diem. Super quod nos, qui non habemus opinionem, ut potestati mundi respondeamus, sed solâ patientiâ stare, & paupere nostra confessione testificari, certè apud eos non justicabimur. Quod neq; expectamus quòd vellemus triumphare: solum autem ut manifestum malum vitaremus & manifestam æquitatem deprehenderemus, & inde ad beatitudinem perveniremus in amore hîc, & in futura vitâ, æterna gloriâ. Ad quam nos perducat unus Deus in essentiâ divinitatis & in personis trinus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, semper benedictus, cum omnibus veritatem diligentibus & legem suam. Amen.

Quicunque autem desiderat ulteriorem instructionem secundum sanum intellectum sacræ scripturæ de sacramento corporis & sanguinis domini nostri Jesu Christi, multum conduceret ad hoc, si legeret tractatum, quem ante tempora scripserunt veteres Bohemi, in spe dei, fundamento boni & sancti viri, contra suos adversarios: & hoc invincibilibus testimoniis legis dei, qui sic incipit: Ad honorem in æquitate ad sacramentum corporis domini nostri Jesu Christi. Quibus Bohemis eorum adversarii non potuerunt resistere testimoniis & rationibus & sacra scriptura: concitarunt contra eos potestatem mundi, sic quod aliqui fame perierunt ex mandato regis Georgii, super quē multa mala venerunt & in filios & in omne suum regnum ex permissione dei super veram vindictam innocentis sanguinis. Sed ipsi propter justitiam posuerunt corpora sua cum patientiâ confirmantes se, & triumphatores, & secutores Christi & suorum facti sunt, meritum & coronam à domino impetrarunt. Unde facile intelligitur, quòd semper viciniores sunt æquitati fidei & ejus angustæ viæ quæ perducit ad vitam, qui propter æquitatem patiuntur, quàm qui propter eam penes opinionem propriam alios perturbant. Sed nunc quod antiquo tempore Bohemi destruxerunt, hoc moderni iterum repentè ædificant: sicut imagines, arcas magno pretio, organaq; & alia ecclesiastica superflua ad fælicitatem, & sub hujusmodi populus se non conformat per virtutes, sed peccata & iniquitates crescunt. Quando ejusmodi res vellent respicere, misererentur nostrum & darent nobis locum inter eos. Etiam hoc necessariò, sicut alibi, sic ibi notum facimus, quamvis primò deus hoc notum fecit nobis ex misericordiâ sua, quod cognosceremus seductionem Romanæ ecclesiæ à communi salute: & quòd non eadem est quam se dicit, tamen etiam multum auxiliati sunt, & præcipuè aliqui de melioribus, quid ipsi de ea tenuerunt & senserunt, & suis scriptis post se reliquerunt. Propterea debet nullus prudens nobis imputare, quasi soli eas res ex nobis cogitavimus: sed paratas ab ipsismet, monstratas omnibus in communi, & etiam nobis. Et finire nos breviter hos memorare unum vel duos. Primus Bernardus sic dicit: Væ generationi huic à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis: si tamen hypocrisis dici debet, quæ jam præ abundantiâ latere non valet, & præ impudentiâ non quærit; serpit hodie putida tabes per omne corpus ecclesiæ, & quò latius eò desperatius, eoq; periculosius quò interius. Nam si insurgeret apertus inimicus, hæreticus mitteretur foras & aresceret: si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici & omnes inimici, omnes necessarii & omnes adversarii, omnes domestici & nulli pacifici, omnes proximi, & omnes quæ sua sunt, quærentes, ministri Christi sunt & serviunt Antichristo, honorati incedunt de bonis domini, cum honorem domino non deferant. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: Inde aurum in frænis, in sellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ & cibis & scyphis. Inde comessationes & ebrietates. Inde cithara & lyra & tibia. Inde redundantia torcularia & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria. Inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse & sunt ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi quod perambulat in tenebris. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum, amarior pòst in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest: ita invaluerunt, ita multiplicati sunt super numerū. Intestina est, insanabilis est plaga ecclesiæ & ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est. Pax à Paganis, & pax ab hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto: Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autē spreverunt me, spreverunt & maculaverunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commer-

Attende.

Bernardus in Serm. 33. super Cantica.

Isai. 38. 17.

commercio: à negotio deniq; perambulante in tenebris: superest ut jam de medio fiat dæmonium meridianum ad seducendos, si qui in Christo residui sunt adhuc permanentes in simplicitate sua, siquidem absorbuit fluvios sapientum & torrentes potentium, & habet fiduciam ut Jordanis influat in os, id est, simplices & humiles qui sunt in ecclesia. Item in vicesimotertio ejus sermone ita dicit, Timeant clerici, timeant ministri ecclesiæ, qui in terris sanctorum quas possident tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debebant, minimè contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilegeq; sibi retineant, & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non verentur, duplici profectò iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur: ideoq; tenuit eos superbia ne humilientur, sed dominentur propter superbiam cum superbo diabolo & angelis ejus. Hæc dicit Bernardus super Cantica.

Franciscus Petrarcha in Epist. 16. Edit. Bas. 1581.

Adhuc de illo Franciscus Petrarcha in epistolis sine titulo, dilecto amico suo ita scribit: Et quid adhuc hæres, annon hæres? sed teneris & obluctans raperis, hoc potius reor, malo vim quàm socordiam opinari. Non est tuũ torpor, ardens ingenium, mens ignea, generosus impetus: sed quid hæc? si fortius impedimentum est, quàm virtus, magna etiam vis hebet, opposita vi majore, necessitati omnia succumbunt. Illa te Babylon traxit, illa te detinet: durum, sed ferendum. Loci natura est, omne bonum ibi perditur, sed primum omnium libertas, mox ex ordine quies, gaudium, spes, fides, charitas, animæ jacturæ ingentes: sed in regno avaritiæ nihil damno adscribitur, modò pecunia salva sit. Futuræ ibi vitæ spes, inanis quædam fabula & quæ de inferis narrantur fabulosa omnia: resurrectio carnis & mundi finis & Christus ad judicium venturus inter nenias habentur: veritas ibi dementia est, abstinentia verò rusticitas, pudicitia probrum, ingens denique peccandi licentia, magnanimitas & libertas eximia, & quo pollutior, eo clarior vita, quo plus scelerum, eo plus gloriæ: bonum nomen cœno vilius, atque ultima mercium fama est. Habes quantum in tam paucis licuit illius sacræ urbis expressum statum, quem non magis in his literis hodie, quàm in illorum frontibus hominum quotidie perlegis, quorum vitam nullus stilus, nullum æquet ingenium. Cæterùm omnium primum (ut dixi) ibi libertatis jactura est. Quisquis limen illud introiit, confestim suus desiit esse, jam nec quiescere, nec abire permittitur: sed rotatur, & inefficaci labore consumendus atteritur. Paucos inde divina clementia eripit à lege, ut Hierusalem diligant, atque oderint Babylonem. Hæc mihi de te spes reliqua est, alioquin tuis de rebus actum crederem, tam tenaci profundoque limo te demersum & infixum video: interim non voluntati aut judicio, sed necessitati imputo ac fortunæ, quòd tamdiu ibi sis, & moras quas vehementer odi, libenter excuso: quod siqua fortassis in profectione culpa fuit, in mora ipsa utique jam non culpa ipsa, sed supplicium & purgatio culpæ est. Sed quoniam multi multa sæpe in carcere didicerunt, quid & te vetat in vinculis discere aliquid quo perpetuo sis doctior? Quædam nullo modo melius quàm contrario discuntur, ideoque qui Mathematicas artes docent, si quando parum veri capax mens discipuli visa erit, solent falsa proponere: quæ dum refugit animus, ad veriora confugiat. Tu quoque solitus & religioni & honestati semper operam dare, quarum altera ad illius aspectum erigit optantem animam, de quo ait Psalmista: Quærite faciem ejus semper. Alterius ea facies est, quæ si oculis cerneretur (ut ait Plato) miris animum amoribus inflammaret: neq; tamen minus amanda est quòd animo cernitur. Si quid tibi nunc etiam ad utriusq; notitiæ summam deesse putas, omne studium in adversa reflectito. Arrige aures, fige oculos, intende animum; vis pulchritudinem Dei noscere? cerne quanta est hostium ejus obscoenitas. Non sunt autem longè quærendi qui Babylonem habitant; omnis vicus his vermibus scatet. Vis formam ac decus honestatis agnoscere? contemplare quanta est foeditas vitiorum, quorum omnium exemplar in oculis tibi quocunque respexeris videbis, cujus odio simul dei ac virtutis amantior fieri queas. Tu autem gaude saltem contrario magistro virtutum, gaude (inquam) & ad aliquid utili invento gloriare. Bonorum hostis & malorum hospes atq; asylum, pessima rerum, Babylon, feris Rhodani ripis imposita: Famosa dicam an infamis meretrix fornicata cum regibus terræ, illa quidem ipsa es, quam in spiritu sacer vidit evangelista: illa eadem, inquam, es, non alia sedens super aquas multas: sive ad literam tribus cincta fluminibus, sive rerum atque divitiarum turba mortalium, quibus lasciviens ac secura insides, opum immemor æternarum: sive ut idem qui vidit, exposuit: populi & gentes & linguæ, aquæ sunt super quas meretrix sedes: recognosce habitum mulier circundata purpura & coccino & inaurata auro, & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditiâ fornicationis ejus. Noscisne teipsam Babylon? nisi illud forsan errorem facit, quod in illius fronte scriptum erat Babylon magna. Tu vero Babylon parva es, parva utique murorum ambitu, sed vitiis & ambitu animorum, & infinita cupidine cumuloq; malorũ omniũ non magna modo, sed maxima, sed immensa es. Et certè quod sequitur, tibi uni cõvenit, nõ aliâ

Avenio Babylon Gallica.

Baby-

Babylon mater fornicationum & abominationum terræ,mater impia partuum pessimorum. Quando quicquid usquam terrarum abominabile, quicquid fornicationum ex te prodit & cum semper parias, semper tumens, & talium plenus & gravidus tuus uterus est. Si nunc quoque dissimulas, audi reliqua. Et vidi (inquit) mulierem ebriam de sanguine sanctorū & de sanguine martyrum Jesu. Quid siles? Aut aliā hoc sanguine ebriam ostende,aut omnino si potes te hanc ebriam nega. Vera enim Evangelistæ & Apostoli visio sit, oportet, qui si te in spiritu videns miratus est admiratione magnâ, quantâ nos admiratione perfundimur, qui apertè oculis te videmus, ex omnibus quidem fornicationibus tuis, de quibus biberunt omnes Gentes & Reges terræ, & ex omnibus abominationibus. quid expectas? nisi quod Johannes idem ait, Cecidit Babylon magna & facta est habitatio dæmoniorum.

Nota sunt quæ sequuntur. Verè jam talis facta es: quantò enim homo perditus & desperatæ nequitiæ dæmone melior. Verè habitatio, immò regnum dæmonum facta es: qui suis artibus, humanâ licet effigie, in te regnant. Tu vero, amice, cum eodem Apostolo audi vocem aliam de cœlo dicentem: Exite de illâ, populus meus, ut ne participes sitis de- Apocal. 18.
lictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis: quia pervenerunt peccata ejus usq; ad cœlum, 4, 5. &c.
& recordatus est dominus iniquitatum ejus. Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo Regina, vidua non sum, & luctum non videbo: ideo in una die venient plagæ ejus, mors & luctus & fames, & igni comburetur, quia fortis est deus qui judicabit illam.

Hæc, & quæ Apostolus illic habet, audi omnia, audi & fuge si qua via est, ne innocentiam tuam ruinæ nocentium & Babylonicæ premant iniquitates, quarum non modus, non numerus, non mensura, non æstimatio demum est. Taceo hæreditatem Simonis, & cæ- Epist. 7.
tera. Qui plura scire volet,legat epistolā usque ad finem: dicit rursus in alia epistola: Si quicquid animus meus fert de hujus occiduæ Babylonis statu, cujus fato seu verius peccato invitus toties civis fio, velim stilo committere: vereor, pater, ne & dolorem meum lamentis exaggerem, & sanctissimas curas tuas occupationesque pulcherrimas intempestivis & inutilibus querimoniis interpellem. In summâ scito, non modo hunc, sed nec Ciceronianum quidem calamum rebus parem. Quicquid de Assyriâ, vel Ægyptiâ Babylone, quicquid de quatuor labyrinthis, quicquid denique de Averni limine, deq; Tartareis sylvis, sulphureisque paludibus legisti, huic Tartaro admotum, fabula est. Hic turrificus simul atque terrificus Nemroth, hic pharetrata Semiramis, hic inexorabilis Minos, hic Radamanthus, hic Cerberus universa consumens, hic tauro supposita Pasiphae, mixtumq; genus (quod Maro ait) prolesq; biformis Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ. Hic postremò quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile usquam est aut fingitur, aspicias. O semper virtutibus tuis fælix, nunc absentiâ etiam fælicior tua. Putasne civitatem hanc esse quam vidisti? longe alia est, longeq; dissimilis: fuit equidem omnium pessima, eaq; tempestate fœdissima. Hæc vero jam non civitas, sed larvarum & lemurum domus: &, ut breviter dicam, scelerum atque dedecorum omnium sentina atq; ille viventium infernus, tanto antè Davidico ore notatus, quàm fundatus & cognitus. In illâ & aliis ejus epistolis ad illum sensum plura scribit, & illi libri sunt vulgati in omnibus terris. Finis. Sextâ feria Epiphaniæ, Anno domini, millesimo, quingentesimo, octavo.

FINIS.

AD LECTOREM.

Legisti ea quæ Waldenses pro sui excusatione in medium protulerunt. Quorum responsio, qualis sit & quanti ab omnibus facienda, quiq; diversis in se objectis responderint, ab universali proculdubio ecclesiâ determinatum est. Nunc ad Johannis Wiclefi articulos progrediamur, quos si prudenter & ad perpendiculum expenderis, non eam quam ipse patrum nostrorum memoriâ condemnationem incurres. Ambulandum est enim in purâ simplicitate & mentis prudentiâ. Quapropter Paulus ait: In sapientia ambulate, & ut Christo placuit, Simus prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Mundis enim (ut in Proverbio est) omnia munda sunt. Omnia igitur proba, Lector candidissime, & quod bonum est, observa. Nam juxta Pauli doctrinam: Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Vale feliciter.

Articuli

ARTICULI JOHANNIS WICLEFI
Angli, impugnati à Wilhelmo Wodfordo.

1. Quòd manet panis substantia post ejus consecrationem in altari, & non desinit esse panis.
2. Sicut Johannes fuit figurativè Elias, & non personaliter: sic panis est figuraliter corpus Christi, & non naturaliter corpus Christi. Et quòd absque omni ambiguitate est figurativa loquutio, Hoc est corpus meum, sicut illa in verbis Christi, Johannes ipse est Elias.
3. Quòd sacramentum eucharistiæ est naturaliter verus panis, loquendo conformiter (ut prius) de pane materiali, albo & rotundo. Quem in cap. Ego Berengarius, Curia Romana determinavit.
4. Quòd definientes parvulos fidelium sine baptismo sacramentali decedentes, non fore salvandos, sunt in hoc præsumptuosi & stolidi.
5. Quòd collatio sacramenti confirmationis non est episcopis reservata.
6. Quòd tempore Pauli sufficiebant ecclesiæ duo ordines clericorum, sacerdos & diaconus. Nec fuit tempore Apostolorum distinctio Papæ, Patriarcharum, Archiepiscoporum: sed quòd sufficit quòd sint presbyteri & diaconi, secundum fidem scripturæ, quia superbia Cæsarea alios gradus adinvenit.
7. Quòd antiqui, qui ex cupiditate rerum temporalium, ex spe mutuorum juvaminum, aut ex causâ excusandæ libidinis, licet de prole desperent, copulantur adinvicem, non verè matrimonialiter copulantur.
8. Quòd causæ divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis, sint infundabiliter humanitus ordinatæ.
9. Quòd hæc verba, Accipiam te in uxorem, eligibiliora sint pro contractu matrimonii, quàm hæc verba, Accipio te in uxorem. Et quòd contrahendo cum illa per hæc verba de futuro, Accipiam te in uxorem: & pòst cum aliâ per hæc verba de præsenti, Accipio te in uxorem, non debent frustrari verba, propter verba secundaria de præsenti.
10. Quòd isti duodecim sint procuratores Antichristi, Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Præsules, Episcopi, Archidiaconi, Officiales & Decani, Monachi & Canonici Bifurcati, Pseudofratres introducti jam ultimò & Quæstores.
11. Quòd Numerorum decimo octavo, Ezechielis quadragesimo quarto, præcipitur singulariter negativè, quod nec sacerdotes Aaronitæ, nec Levitæ habeant partem hæreditatis cum aliis tribubus: sed quòd purè vivant & de decimis & oblationibus.
12. Quòd non est major hæreticus vel Antichristus, quàm ille clericus, qui docet quòd licitum est Sacerdotibus & Levitis legis gratiâ dotari cum possessionibus temporalibus. Et si aliqui ex prævaricatione in lege dei sint hæretici, apostatæ, vel blasphemi, sunt illi clerici qui hæc docent.
13. Quòd non solum domini temporales possunt auferre bona fortunæ ab ecclesiâ habitualiter delinquente: non solum hoc eis licet, sed debent hoc facere sub pœnâ damnationis æternæ.
14. Si corporalis unctio foret sacramentum (ut modò fingitur) Christus & ejus apostoli ipsius promulgationem non tacuissent.
15. Quicunque est humilior, servitivior in amore Christi, quoad suam ecclesiam amativior, ille tam in ecclesia militante major, & proximus est Christi vicarius.
16. Quòd ad verum dominium seculare requiritur justitia dominantis, sic quòd nullus in peccato mortali est dominus alicujus rei.
17. Quòd omnia quæ evenient, absolutè necessariò evenient.
18. Quòd quicquid Papa, vel Cardinales sui sciunt ex sacra scriptura deducere, clarè, illud duntaxat est credendum, vel ad sua monita faciendum. Et quicquid ultrà præsumpserint, sit tanquam hæreticum, contemnendum.

¶ FINIS.

Venerabili

VENERABILI IN CHRISTO PATRI,

Ac illuftri domino, Thomæ Cantuarienfi Archiepifcopo, totius Angliæ primati & fedis apoftolicæ Legato, humilis fuus fervitor frater Wilhelmus Wodford, devotiffimum humilitatis & fubjectionis famulatum.

Reverendiffime pater,

MAndatis veftris obtemperando, caufas condemnationis articulorum per vos nuper damnatorum, ac etiam refponfiones ad argumenta per adverfarium pro articulis facta, veftræ Dominationi in his fcriptis tranfmitto dedicanda, veftræ Dominationi ac correctioni totaliter fubmittens, fi in aliquo me contingat recedere à viâ veritatis.

Quantum ad primum articulum condemnatum, qui ponit, quòd manet panis fubftantia poft ejus confecrationem in altari & non definit effe panis. Multiplex eft caufa condemnationis ejus loquendo de pane materiali, albo & rotundo. Sic enim loquitur adverfarius de pane in illo articulo, ut patet libro quarto, capite fecundo. Et in illo fenfu fuit articulus condemnatus. Et prima caufa condemnationis juftæ illius articuli eft, quia fuit condemnatus antiquitùs in Synodo Vercellenfi fub Leone Papâ: & aliàs in Concilio Turonenfi, fub Victore Papa, ut patet per Lanfrancum in libro fuo contra Berengarium. *Tranfubftantiatio panis, in tribus Conciliis decreta.*

Secunda caufa eft, quia idem articulus fuit condemnatus in Concilio generali fub Nicolao Papâ, ut patet ex fcripturis Guitmundi Averfani epifcopi in libris fuis de corpore & fanguine Chrifti: demum Pafchafii doctoris, & Lanfranci doctoris: & ifti fuerunt contemporanei Berengarii hæretici & doctores magni. *Guitmundus.* Tertia caufa eft, quia ipfemet Berengarius in libro quem fecit poft recidivum, fatetur quod in illo Concilio generali, intentionis erat Concilii, ponere panem poft ejus confecrationem in altari minimè fupereffe. *Berengarius.* Unde Ubertus Cardinalis, qui fecerat in illo Concilio confeffionem illam [Ego Berengarius, &c.] & Berengario tradiderat, fuit Burgundus. Ille in fententiâ, immò concordiâ Vulgi, Pafchafii & Lanfranci, decrevit minimè fupereffe in altari fubftantiam panis. Patet ergo ex confeffione adverfarii, quod idem Concilium determinavit generale, minimè fupereffe in altari poft confecrationem, fubftantiam panis vel vini materialis. *Ubertus Cardinalis fuit author confeffionis, qua Beregarius retractat priorem fententiam, quæ legitur de Confecratione, diftinctione fecundâ. Idque ex fententiâ Vulgi, Pafchafii, & Lanfranci.* Quarta caufa eft, quia Innocentius Papa extra de fummâ trinitate & fide Catholicâ cap. [Firmiter credimus] concorditer ad patres priores determinat, quod panis tranfubftantiatur in corpus Chrifti, & vinum in fanguinem: per tranfubftantiationem intelligens realem tranfitionem fubftantiæ panis in fubftantiam corporis Chrifti, & fubftantiæ vini in fubftantiam fanguinis Chrifti. Propter quæ verba, doctores fcribentes fuper quartum fententiarum, dicunt quòd eft de fide ecclefiæ, quòd panis definit effe in ejus confecratione. Quinta caufa eft quia hoc eft determinatum in Canone per ecclefiam, de Confecratione, diftinctione fecunda, capitulo [in calice] ubi fic ex verbis Ambrofii: Dixi (inquit) vobis, quòd ante verba (puta confecrationis) quod offertur, panis dicatur. Ubi vero Chrifti verba deprompta fuerint, non jam panis dicatur, fed corpus. Quare ergo in oratione dominicâ ait, Panem noftrum quotidianum: Panem dixit ἐπιούσιον, hoc eft, fuperfubftantialem. *Innoc. Pap. Decret.* Ex qua patet fententia ecclefiæ, quòd poft verba confecrationis non manet panis materialis qui prius, fed panis fuperfubftantialis. Et hoc idem patet ibidem ex cap. [Omnia quæcunque]. Et ex cap. [Species & fimilitud.] Et ex cap. [Revera] Et ex diverfis aliis capitulis. Ex quibus evidenter concluditur, quòd eft de fententia antiquâ ecclefiæ, quòd non manet panis materialis fubftantia poft ejus confecrationem in altari. Sexta caufa eft, authoritas Ignatii martyris, qui fuit contemporaneus Apoftolorum, qui in epiftola fua ad Romanos, loquens de facramento euchariftiæ, fic fcribit: *Ignatius mart. & Dionyf.* Non (inquit) delector pane corporali, fed panem Dei volo ejus, qui ex genere David: & potum volo fanguinem ipfius. Ex quibus patet, quòd fanctus Ignatius non voluit effe in facramento panem corporalem: fed panē illum, qui eft verè & identicè corpus Chrifti. Et fimile vult Dionyfius Apoftolorum contemporaneus tertio cap. de ecclefiafticâ Hierarchia, fecundum expofitionem Lincolnienfis. Septima caufa eft, authoritas Ambrofii, præter eam quæ ponitur in Canone. *Ambrofius.* Unde fermone quarto de facramentis fic ait: Poftquā verba Chrifti deprompta fuerint, panis non dicitur, fed corpus Chrifti: & poftea fubjungitur: Nō eft enim panis, qui vadit in corpus & corporis nutrimentū, fed eft panis qui animæ fubftantiā fulcit. Ex quibus evidenter fequitur, quòd nō manet ibi panis materialis poft ejus confecrationem.

Et

Et idem Ambrosius in libello suo de eucharistiâ, sic ait: Si (inquit) panis esum esurientibus apponemus, non ex toto perveniret ad singulos. De hoc autem pane tantum capiunt singuli, quantum cupiunt universi. Ex quibus patet,quòd intentio beati Ambrosii fuit, quòd loco sacramenti est panis talis, de quo tantũ capiunt singuli, quantum universi: & quòd non est talis panis ibi, qui ex toto non pervenerit ad singulos accipientes: & per consequens non est ibi panis materialis qui prius fuit, quia ille non ex toto perveniret ad singulos. Octava causa est sententia sancti Augustini de verbis domini, sermone vicesimo octavo, ubi habet

Augusticus.
Beda.

verba conformia ad verba sancti Ambrosii & æquè efficacia. Nona causa est authoritas venerabilis Bedæ in libro suo de mysteriis, ubi sic: Dicimus (inquit) quod sicut substantia corporis Christi in altari est, ubi forma corporis Christi non videtur: sic ibi forma panis videtur,ubi substantia panis non est. Nec est ibi alius panis, quã panis qui de cœlo descendit.

Anselmus.

Ex quibus planè sequitur intentum. Decima causa est sententia venerabilis Anselmi in libello suo de corpore & sanguine domini, ubi sic: Secundum definitionem sanctorum intelligendum est, panem super altare positum, per illa solennia verba in corpus Christi mutari, nec remanere substantiam panis & vini. Citò post: Deus conficit sicut scit. Nec dubitare debet quis, quomodo panis in verum corpus Christi convertatur, ita ut substantia panis non remaneat. Planius non posset doctor loqui. Idem etiam Anselmus libro scilicet secundo de corpore & sanguine domini, capite secundo, sic asserit: In illis enim speciebus panis & vini, aut nulla est, aut dominici corporis & sanguinis substantia, vel (inquit) fides nostra irrita est. Idem etiam in quadam epistolâ: Panis substantiam, post dominici corporis consecrationem in altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana, nuperq; damnavit ecclesia. Ex quo ergo hanc sententiam semper abhorruit pietas Christiana, & ex quo hanc sententiam nuper damnavit ecclesia, est hæc sententia meritò damnanda. Undecima causa

Hugo. de S. Vict.

est Hugo de sancto Victore, qui libro secundo de sacramentis, parte octavâ, capite nono, sic scribit: Per verba sanctificationis, vera panis & vera vini substantia in verũ corpus Christi & verum sanguinem Christi convertuntur, solâ specie panis & vini remanente. Si ergo vera panis substantia convertitur in corpus Christi, solâ specie panis remanente, ergo non remanet post consecrationem substantia panis consecrati. Et hoc idem docet Hugo in suis

Rabanus.
Paschasius.

sententiis. Duodecima causa est authoritas Rabani in libro scilicet de corpore & sanguine domini, ubi docet consimilem sententiam. Tredecima causa est authoritas Paschasii in libro scilicet de corpore & sanguine domini, & etiam in epistolâ scilicet ad Fredenwar-

Guitmundus.

dum, ubi ex intentione docet illud idem. Decimaquarta causa est doctrina Guitmundi Aversani episcopi, qui in libro scilicet de corpore Christi & sanguine diffuso, ostendit, quòd non manet post consecrationem substantia panis materialis loco sacramenti, & in quibus declarat, quòd Berengarius successivè duas tenuit hæreses in hac materiâ. Prima fuit, quòd corpus Christi non realiter & substantialiter, sed figurativè continetur in hoc sacramento: & quòd dicitur panis figurativè, sicut dicitur agnus, leo & lapis angularis. Secunda fuit, quod corpus domini non verè, sed latenter continetur sub sacramento, ita ut corpus domini dicatur impanari: & hæc fuit subtilior hæresis Berengarii, ut dicit. Et his duobus erroribus commune est, ut dicit, quod panis & vinum in consecratione essentialiter non mutantur: sed manent in pristinis essentiis, & hoc est contra fidem, ut determinatur in libellis suis.

Lanfrancus.
Huulfus.
* Ita est in utroque exemplari: sed qualis aut cujas fuit non invenio: nec multum refert: suspicor mutatum viri nomen, vel scribæ vel typographi oscitantiâ: forte debet esse Vulgi, de quo bis paulo infra in articulo tertio Wiclefi.
Petr. Lombardus.
Gul. Parisiensis.

Decimaquinta causa est sententia Lanfranci libro scilicet contra Berengarium, in quo docet sententiam fidei esse & ecclesiæ, quòd non manet substantia panis post ejus consecrationem in altari, loquendo de pane materiali. Decimasexta causa est doctrina * Huulfi doctoris, qui fuit Berengario contemporaneus, sicut Lanfrancus & Guitmundus, hoc in libro scilicet ad Lambertum, de sacramento corporis & sanguinis domini, penultima quæstione, sic scribit: Certissimè scimus, & sensibus corporis comprobamus, qualitates panis immobiliter permanere, cujus substantiam, quia caro facta est, credimus non manere. Et pòst sequitur: Visu candorem, gustu saporem panis contrectamus, cæterisq; vel eisdem sensibus qualitates panis ita judicamus, ut panis, cujus substantia deest, qualitatem nullam deesse videamus. Et post sequitur: Cum ergo manentibus panis qualitatibus, non miramur abesse panis substantiam: sed integritate fidei in substantiam credamus eam esse non mutatis ejus qualitatibus permutatã: quid mirum si præsente carnis substantia, qualitates carnis sicut non videntur adesse, ita dicantur abesse? Et multa prosequitur declarando quòd de integritate fidei est, non manere panis substantiam post consecrationem. Decimaseptima causa est sententia magistri sententiarum, libro tertio, ubi idem expresè declarat. Decimaoctava causa est, sententia Parisiensis, de sacramentis ecclesiæ, capite secundo de sacramento eucharistiæ, ubi asserit quod pia & veridica fides in hoc sacramento tenet & prædicat, quòd panis materialis transit ob adventum panis vivifici, salva tamen veritate accidentium ad ministerium sacramenti. Et post multa consimilia sic concludit: Manifestum est ergo post bene-

nedictionem sacerdotalem ritè factam in altaris mensâ, nec panem esse materialem nec vinum. Et iterum post hæc: Manifestum est (inquit) quod in mensa altaris, postquam mensa animarum facta est, nihil habetur corporalis cibi vel potûs. Alioquin non solum supervacuè id haberet, sed ad illusionem & ad ridiculum. Ex quibus habetur propositum, & quod est contra fidem, panem in altari post ejus consecrationem remanere. Decimanona causa est sententia Innocentii papæ de officio missæ, & aliorum doctorum, qui scripserunt de officio ecclesiæ. Unde Innocentius de officio missæ, cap. de fractione panis, expresse ponit, quod in hoc sacramento transit substantia panis scilicet & vini, & remanent accidentia. Et alibi ponit, quod in hoc sacramento hoc accidens non est in substantia, sed substantia scilicet corporis Christi sub accidente. Non ergo remanet panis substantia, ut sit subjectum accidenti. Idem patet per Amalarium de officiis, per Johannem Beleth de officiis, per Richardum de Cirencestria de officiis, per authorem libri, qui dicitur Rationale divinorum officiorum. Innoc. Pap. &c.

Vigesima causa est communis sententia doctorum magnorum, qui posterius scripserunt. Unde Lincolniensis, Altiriodorensis, doctor solennis in quodlibeto, archidiaconus in lecturâ, & alii doctores seculares, qui scripserunt super illa materia, concordant in hoc, quòd est de fide, substantiam panis non remanere post ejus consecrationem in altari. Sanctus Thomas doctor eximius ordinis Prædicatorum super quartum sententiarum asserit esse hæreticum, qui ponit panis substantiam remanere in sacramento post ejus consecrationem. Innocentius papa quintus ejusdem ordinis, in scripto super quartum sententiarum illud idem. Dominus Albertus ejusdem ordinis in libro suo de sacramentis dicit, quòd opinio quæ ponit substantiam panis remanere, est incauta & hæresi propinqua. Richardus Sychae ejusdem ordinis, sentit sicut præcedentes. Doctor antiquus magnus Alexander de Hales super quartum sententiarum sentit, quod est de fide ecclesiæ, quòd non manet panis substantia post ejus consecrationem in altari, & quod ibi sint accidentia sine subjecto. Idem doctor subtilis super quartũ expresse ponit, quòd ille intellectus de isto sacramento, qui ponit accidentia remanere sine subjecto, & non remanere substantiam panis, est determinatus esse de substantiâ fidei per ecclesiam. Et addit, quod ille articulus non esset ad illum intellectum tam difficilis, arctandus, nisi esset verus, & probatus per ecclesiam esse verus. Dominus Bonaventura Cardinalis ejusdem ordinis in scripto super quartum tenet prædictã sententiã. Dominus Bertrandus Cardinalis in operibus super epistolas & Evangelia tenet eandẽ. Johannes Peacham Cantuariensis Archiepiscopus, in scripto super quartũ tenet eandẽ sententiã. Doctor de Media-villa, ejusdẽ ordinis super quartũ tenet sicut idem doctor. De Aureolis ejusdẽ ordinis super quartũ tenet illud idem. Candulfus super quartũ, ejusdẽ ordinis, tenet eandẽ sententiã. Franciscus de Maronis super quartũ, ejusdẽ ordinis illud idẽ. Unde recitans quatuor hæreses circa istud sacramentum, puta Waldensium, Pragundorum, Paxjustarum & Manichæorum, dicit quod hæresis Manichæorum est pessima: & hæc ponit, quòd non desinit esse substantia panis, sed in eodem loco, manente pane, est corpus Christi: quia hæc hæresis destruit transsubstantiationẽ, ut ibi dicit. Inceptores etiã ejusdẽ ordinis Warechoiten, Corotove, Almuvickte & Hattan tenent. Illud idem Egidius etiam doctor egregius de ordine Augustini, scilicet in libro de corpore Christi docet, quòd est de fide ecclesiæ substantiam panis non remanere post ejus consecrationem: sed quòd accidentia in sacramento sint sine subjecto. Hoc idem docent alii doctores ejusdẽ ordinis, & omnium aliorũ ordinum. Est ergò hic articulus meritò condemnatus, quem tot doctores antiqui & moderni totaliter condemnant. Et magna fuit temeritas Johannis Wiclefi, quòd contra tot doctores à tempore apostolorum usque ad tempora nostra scribentes, & contra multa Concilia generalia (ut prius est dictum) præsumpsit dicere, quod nec Berengarius, nec Fredenwardus, nec aliquis alius hæreticus ausus fuit dicere, scilicet quòd hæreticum est ponere panis substantiam desinere esse in consecratione, & accidentia remanere sine subjecto. Licet aliqui eorum dixerant hoc esse falsum, nunquam aliquis prius præsumpsit dicere hoc esse hæreticum. Vigesimaprima causa est authoritas universitatis Parisiensis, quæ condemnavit doctrinam prædictam, & authoritas domini Wilhelmi Cantuariensis archiepiscopi, qui in suo Concilio eandem sententiam damnavit. Cujus condemnatio à curia Romanâ dicitur approbata. Vigesimasecunda causa est consensus jurisperitorum. Unde magister Gratianus, qui compilavit Decreta sanctorum patrum per rubricas quas posuit, & per quæstiones quas ex dictis sanctorum elicuit, expresse docuit, quod non manet substantia panis post consecrationem: ut in Canone de consecratione multis apparet in capitulis, & in rubro & in nigro. Item de conse. distin. 2. cap. Species & similitudo. super verbo [qui alius] sic habetur per Johannem in glossâ, post consecrationem illa accidentia sunt sine subjecto, & in nullo subjecto existunt: & hoc fit miraculosè, ergo non remanet panis substantia, ut subjectet accidentia. Item de celebratione missarum cap. Cum Marthæ frater. verbo [sanguinis veritatem] sic habetur per Bernardum, qui tenet, quod substantia panis & vini desinit esse, & tamen accidentia ipsorum remanent

Doctores. Doctor solennis. i. Henricus de Gandavo. Doctores. Universit. Parisf. Concilium Wilhel. Cant. Canonistæ.

ſapor, color, pondus, & ſub illis eſt corpus Chriſti, & hoc inquam approbatur de ſumma trinitate & fide catholica: & ſi ſic hæc eſt catholica ſententia, & contraria eſt hæretica. Conſimile habetur de reliquiis & veneratione ſanctorum, cap. Si dominum, ſuper verbo [vos alia per Wilhelmum] Et conſimile per Hoſtienſem in ſumma, titulo de conſecratione eccleſiæ & altaris, & quando, in verſiculo, de corpore. Aut ſunt tres opiniones, & inter cætera alia dicta juriſperitorum, & in hanc ſententiam concordant, quæ ſunt omiſſa propter abbreviationem.

Concilia. Patet ergo ex dictis, quòd ille articulus in multis Conciliis generalibus fuit condemnatus, & quòd à tempore apoſtolorum uſq; ad tempora noſtra reputatus eſt eſſe hæreticus, per ſucceſſiones patrum & doctorum, & ſic meritò eſt articulus condemnatus ut hæreticus. Sed adverſarius diverſimodè arguit articulum eſſe verum & etiam catholicum,& ne propter argumenta ſimpliciores ducantur in hæreſim & lapſum,reſpondere ad illa argumenta eſt omnino neceſſarium. Arguit ergo in Trialogo condemnato, lib. quarto, cap. ſecundo, ſic:

Argumentum Wiclefi primum. 'Chriſtus, qui mentiri non potuit, dixit panem quem accepit in manibus, eſſe realiter corpus ſuum,& non erravit in illo,nec falſum aſſeruit,ergo veraciter fuit ita,quòd panis acceptus in manibus eſt corpus Chriſti,& per conſequens manſit panis poſt conſecrationem. Primum argumentum deducit ex Evangeliis,& ex uſu conſecrandi eccleſiæ, cum dicitur: Qui pridie quàm pateretur accepit panem,deditq; diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & comedite ex hoc omnes: Hoc eſt corpus meum. Eſt ergo panis corpus domini, & manet panis,

Reſponſio ad argumentum primum. Hic dico primò,quòd tenendo opinionem & ſententiam Innocentii de officio miſſæ,illud argumentum nihil concludit, quia ponit quòd Chriſtus prius conſecravit benedicendo, antequam diceret hæc verba: Hoc eſt corpus meum, &.poſtquam accepit panem materialem benedixit. Et ideo Chriſtus acceperat panem materialem in manibus ſuis, ex quo conſecraverat benedicendo, antequam diceret: Hoc eſt corpus meum. Panis materialis fuit plenè converſus in corpus Chriſti ſubſtantialiter antequam inciperet dicere: Hoc eſt corpus meum, & ſic per ly hoc, in illis verbis non demonſtrabatur panis materialis, ſed corpus Chriſti, ut contentum ſub ſpeciebus panis converſi, licèt panem materialem prius acceperat in manibus. Et ſic ſumendo eſſe propriè falſum eſt quòd Chriſtus qui mentiri non potuit, dixit panem quem accepit in manibus, eſſe realiter corpus ſuum, quia non demonſtravit panem quem tenuit in manibus per pronomen,hoc,ſed contentum ſub ſpeciebus panis tranſubſtantiati in corpus ſuum, demonſtravit per illum terminum, hoc. Nec alia verba Evangelii vel Canonis miſſæ arguunt hoc antecedens ſecundum iſtam ſententiam. Et conſequenter dicit Innocentius, quòd quando alius ſacerdos à Chriſto conſecrat, verba dicuntur materialiter & recitativè, & hoc ſonare videntur verba Canonis, & non indicativè nec aſſertivè. Nec demonſtratur aliquod præſens per terminum, hoc. Sicut ſi diceretur, Adam aliquando dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, per ly hoc, non demonſtratur aliquid ad præſens, ſed ſufficit quòd aliquando demonſtrabatur. Conformiter cum ſacerdos dicit [qui pridie quàm pateretur, accepit panem in manibus,& dixit: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum] non requiritur quòd aliquid præſens demonſtraretur per iſtum terminum, hoc: ſed ſufficit, quòd aliquando demonſtrabatur. Et ſic apud tenentem ſententiam Innocentii nihil concludit.

Doctores. Hic dico ſecundò, quòd in hac materia ſunt diverſæ doctorum ſententiæ, quid demonſtretur per terminum hoc, ut ſancti Thomæ, doctoris de Aureolis, doctoris de Media-villa, Alexandri de Hales, Franciſci de Maronis & aliorum doctorum. Et ſecundum varias eorum opiniones variè poteſt ad hoc argumentum reſponderi, quas tamen omitto propter abbreviationem. Hic dico tertiò, quòd mihi magis videtur eſſe verum, ſequendo ſententiam cujuſdam doctoris, qui ſcripſit egregiè de ſacramentis eccleſiæ. Docet enim doctor ille, quod in his verbis, Hoc eſt corpus meum, quando ſumuntur conſecrativè, hoc verbum [eſt] eſt verum practicum, quanquam aliàs in iiſdem verbis, & in aliis locis ſit communiter verbum epracticum, & eſt tunc ſenſus verborum,quando ſumuntur & dicuntur conſecrativè: Hoc tranſubſtantiatur in corpus meum,vel hoc ſacramentaliter & ſubſtantialiter convertitur in corpus meum, vel hoc ſubſtantialiter tranſit in corpus meum. Et ſic dicendo hæc verba conſecrativè per ly hoc, Chriſtus demonſtravit panem naturalem, quem in manibus habuit. Ex quo non ſequitur, quòd panis ille materialis manſit,& ſit corpus Chriſti: ſed ſequitur oppoſitum quod non manſit, ſed deſiit eſſe, ex quo ſubſtantialiter converſus fuit tunc in corpus Chriſti. Ex hoc enim quod aer clauſus in monte convertitur ſubſtantialiter in aquam,ſequitur quòd non ſolum aer ille deſinit eſſe aer,ſed ſequitur quod aer ille deſinit eſſe. Et ſic ex hoc quòd panis ſubſtantialiter ſecundũ fidem eccleſiæ convertitur in corpus Chriſti,ſequitur quod deſinit eſſe & non remanet in eſſe panis materialis. Credebat autem adverſarius hoc verbum [eſt] ſumi epracticè in illis verbis quando dicuntur conſecrativè, & hoc fefellit eum. Et conformiter ſacerdos nunc conſecrans debet hanc habere intentionem, qui pridie quàm pateretur, accepit panem in manibus, fregit

git,ac dixit, Accipite & comedite ex hoc omnes: & ego super isto pane præsente, cum intentione consecrandi, dico: Hoc est corpus meum & sic per ly hoc, demonstratur panis materialis, quem tenet in manibus: & sumitur hoc verbum, est, practicè: & est sensus, hoc scilicet panis substantialiter & sacramentaliter convertitur in corpus meum. Et quod dicendo verba consecrativè debent sumi practicè, & non epracticè, ut communiter sumuntur, nullo modo denotatur transubstantiva conversio, vel factio in illis verbis magis quàm in istis: Hoc est Deus. Et cùm illa verba sint factiva, conversiva & transubstantiva, oportet quòd verba sumantur practicè: Et patet tunc manifestè, quòd argumentum non concludit, quod substantia panis materialis manet, sed totaliter concludit oppositum.

Secundò arguit adversarius sic: Sacra scriptura vocat illud sacramentum panem multis locis, & Paulus Apostolus vocat sacramentum, panem quem frangimus. Ergo istud sacramentum est verè panis materialis: quia alium non frangimus. *Argumentum Wiclefi secundum.*

Hic dico primò, quòd adversarius propter argumentum istud debuit dici Anthropomorphus: * quia Ignatius discipulus Johannis apostoli in una epistola loquens in hac materia, sic scribit: Considerate (inquit) qualiter † Anthropomorphi à communione & oratione sanctorum recedunt, propter quod non habent confiteri eucharistiam carnem esse Salvatoris: quia posuerunt eucharistiam esse panem, pro eo quòd scriptura vocat eam panem. Unde secundum Isidorum, Anthropomorphi erant hæretici in antiqua lege, qui tunc attribuebant Deo membra humana, pro eo quòd scriptura dicit: Os domini loquutum est, & manus domini tetigit me. Sic in hac materia sunt Anthropomorphi, qui dicunt eucharistiam esse panē materialem, pro eo quòd scriptura vocat sacramentum, panem. Non erat adversarius sic arguendo verè Anthropomorphus? Hic dico secundò, quòd quamvis Christus, Apostolus, ecclesia etiam & doctores authentici nominaverunt hoc sacramentum nomine panis, non ex hoc sequitur, quòd hoc sacramentum sit substantia panis materialis. Quod patet primò, quia scriptura sacra aliquando vocat res aliquas nominibus illarum rerum ex quibus fiunt, & attribuit termino mutationis ad quem, nomen termini mutationis à quo. Unde homo dicitur in scripturâ, terra, quia factus est de terra. Et de superbo substantialiter dicitur: Quid superbis terra & cinis? isto modo de serpentibus conversis in virgas dicit: Devoravit virga Aaron virgas Magorū; ubi serpentes vocat virgas, quia virgæ in serpentes conversæ sunt. Et isto modo dicit scriptura de Evâ, quòd erat os & caro Adæ, quia de ossibus & carne Adæ facta est. Nunc autē sic est, quòd homo non est à proprietate terra de qua factus est, nec serpens virga in illum conversa: nec Eva ossa & caro Adæ. Sic ergo quia panis convertitur in corpus Christi dicitur panis, & est corpus Christi terminus ad quem, conversionis panis. Ideo more scripturæ corpus Christi dicitur panis: licet non sit panis materialis in natura, & à proprietate, sicut nec serpens virga. Tertiò patet idem: quia scriptura vocat res illorum nominibus, in quorum similitudinibus apparent exterius, quamvis secundum naturam tales non sint: sicut scriptura dicit, Abraham vidisse tres viros, & unum adorasse, cum tamen essent angeli in specie virorum. Sic in libro Judicum dixit mulier sterilis: Ecce vir Dei venit ad me, & post apparuit mihi vir quē ante viderā. Et tamen angelus fuit qui apparuit in specie viri. Sic secundum Augustinum in [De mirabilibus sacræ scripturæ] Spiritus Sanctus, vel angelus dicitur stella: quia alter illorū in specie stellæ Magis apparuit, & duxit eos ad Christum. Et sic more scripturæ corpus Christi dicitur esse panis, pro eo quia in specie panis apparet, quamvis in natura suâ panis non sit corpus Christi, vel è converso. Quartò patet idem quòd multoties sacra scriptura nominat res nominibus illorum, quorum similitudines habent in proprietatibus, licet in proprietate non sint tales res: sicut Christus in sacra scripturâ dicitur agnus, leo, petra, & multa hujusmodi: quia cum illis habet similitudinem in proprietatibus, licet à proprietate non sint tales res. Sic in Genesi dicitur, quòd septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, ubertatis anni sunt: septē boves macilentæ septē anni sunt famis. Et sic in Evangelio dicitur, quòd bonū semen, hi filii Dei sunt: & zizania, hi sunt filii maligni: & conformiter hoc sacramentum vocatur panis, propter proprietates consimiles quas habet panis. Ideo more scripturæ nominatur in illo nomine panis, quamvis non sit panis materialis à proprietate in sua natura. Patet ergo sufficienter, quòd ex hoc quod sacra scriptura, Apostolus & ecclesia nominant hoc sacramentum nomine panis, quòd ex hoc non sequitur, quòd sit panis materialis à proprietate. Et ideo argumentum non concludit. Hic dico quintò, quòd isti termini, panis & esse, sumuntur in hac materia multum æquivocè à diversis. Nam panis in sua propriissima significatione sumitur pro pane materiali de frumento vel blado. In aliâ sua significatione sumitur panis pro speciebus panis. Unde magister sententiarum in quarto, & alii doctores cum eo dicunt, quòd species tenent vocabula rerum, quarum antea fuerunt: & sic species panis & vini dicuntur panis & vinū. Consimiliter hoc verbum, esse, sumitur æquivocè: nam aliquando sumitur pro existere, & prout esse descendit ab essentia, & sic sumitur propriissimé. Aliquando sumitur pro verbo, fieri, vel factum esse, vel conversum esse, ut prius dictum est. Aliquando

Responsio ad argumentum secundum.

* De hoc loco vide prolegomena Usserii in Epistolas Ignatianas p. xv. & notas in Epist. ad Smyrnæos p. 50. unde habebis tibi responsionem ad arg. Belłarm. lib. de Eucharist. 2. cap. 2.

† Anthropomorphus.

sumitur pro hoc verbo, continere,& sic sumitur in glossâ ordinaria,super cap. Ego Berengarius. Aliquando sumitur pro hoc verbo, significare, vel figurare, ut ibi: Septem boves sunt septem anni, & sic sumitur interius tropicè. Dico ergo, quòd in verbis apostoli sumitur panis pro speciebus panis,& esse pro continere, sicut in cap. Ego Berengarius. Et est sensus, species quam frangimus continet verè corpus Christi. Alio modo dicitur, quod panis ibi sumitur secundo modo pro pane substantiali, & pro vero corpore Christi. Et est sensus, panis quem damus sub speciebus fractis, &c. Sed sumendo panem primo modo, pro pane materiali de blado quocunque sumatur iste terminus panis, factâ panis consecratione, propositio est falsa, quia post non manet, nec sumpsit apostolus terminum ad illum intellectum, & sic patet quod non concludit argumentum. Tertiò arguit adversarius.

Argumentum Wiclefi tertium.

'Sensus tam brutorum quam hominum dictant & exprimunt,quòd ibi est verus panis, reficiens & cibans,& vinum inebrians. Unde possent consecrari panis & vinum in tantâ quantitate,quod sufficeret sacerdotë naturaliter nutrire,ipsum conservare & inebriare,juxta illud apostoli: Unus quidem esurit, alius autem ebrius est. Hoc autem esse non posset, nisi post consecrationem remanerent substantiæ materiales panis & vini, ergo articulus est verus.

Responsio ad argumentum tertium.

Hic dico primò, quòd istud argumentum fuit argumentum principale Berengarii, ut patet per Guitmundum in libro suo secundo de corpore Domini, ubi modo suo respondet ad argumentum, dicendo quod nullus sacerdos catholicus consecraret in tanta quantitate, nec poneret sacramentum ad talem irrisionem, conversionem in corpus Christi, sed panis post remaneret. Et si hoc faceret, de missa sua nihil curandum esset,eò quod hæreticus esset circa substantiam sacramenti,& non haberet veram intentionem in consecrando, & ideo fortè, inquit, non conficeret. Hic dico secundò, quod licèt appareat sensui humano, ac etiam brutali, quod experiatur ibi panem esse materialem post consecrationem: tamen non experitur ibi esse panem materialem post consecrationem ejus. Et ideo non sequitur, sensus hominum & brutorum dictant ibi esse panem materialem, ergo est ibi panis materialis, quia multoties contingit sensus decipi, ut in philosophia patet & in theologia. Unde de baculo recto in aqua stante sensus hominum & brutorum dictant baculum illum esse fractum, ergo baculus est fractus: patet quòd non sequitur, eò quòd antecedens est verum & consequens falsum. Et consimile est in collo columbæ, in cauda pavonis & in iride. In Theologia etiam patet in Isaac, quòd apparuit tactui suo, quòd manus essent manus Esau, quando dixit: Vox quidem vox Jacob est, manus autem manus sunt Esau. Ideo non sequitur, apparuit tactui Isaac manus esse manus Esau, ergo manus erant manus Esau. Et consimile fuit de gustu Isaac & ejus olfactu. Unde in quatuor sensibus erat deceptus,sed non in quinto, scilicet auditu, & hoc secundum antiquos Theologos fuit propriè figura hujus sacramenti, quia hic decipitur visus, gustus, odoratus & tactus humanus in suo judicio, sed non auditus: quia quæ ecclesia catholica docet de sacramento, & audiuntur à fidelibus, sunt vera. Hic dico tertiò, quòd diversi sunt modi possibiles, quibus sacerdos sumens corporale sacramentum corporis & sanguinis Christi, & non cibum alium vel potum per os, posset nutriri & diu vivere, & aliquotiens inebriari absque hoc quòd nutriatur vel inebrietur ex aliqua substantia contenta sub sacramento, vel ex aliquibus speciebus sacramenti. Et ideo quamvis sacerdos nihil aliud sumens experiretur se nutriri, augmentari, impinguari, & inebriari: ex hoc non sequitur quòd experiretur se nutriri & impinguari ex aliqua substantia contenta in sacramento vel speciebus sacramenti. Patet hoc primò ex sententia Innocentii de officio missæ, tertia parte, cap. de fractione accidentium: ubi ponit quòd sicut miraculosè substantia panis convertitur in corpus Christi, remanentibus accidentibus panis, ita alteratis accidentibus, & deficiente ibi esse corpore Christi, miraculosè redit substantia prioris panis, de qua generatur vel vermis, vel aliud quod videtur. Sive ista opinio sit vera,sive non, ipsa tamen est possibilis de Dei potentiâ. Et sic possibile est sacerdotem nutriri corporaliter ex substantia redeunte, quamvis non ex substantia aliqua contentâ sub sacramento,vel ex speciebus sacramenti. Patet hoc secundò ex sententia doctoris de Mediavilla super quartum, ubi ponit in fine alterationis specierum, materiam à Deo creari, de qua generantur nutrimentum, vermes & alia quæ videntur. Et sic ex materia nutrimentali noviter creata in fine alterationis accidentium in stomacho sacerdotis, satis stat sacerdotem nutriri & impinguari, licèt non ex contenta in sacramento substantiâ, vel ex aliqua specie sacramenti. Patet hoc tertiò, ex sententia doctoris de Aureolis super quartum, & Francisci de Maronis, qui dicunt quòd possibile est accidentia sacramentalia in fine alterationis converti in substantiam quantam, & in tantam quòd potest nutrire. Et sic ex illa substantia potest sacerdos satis nutriri & impinguari, licèt non ex aliqua substantiâ contenta in sacramento, nec ex speciebus ipsis, quia propter hoc quod species convertuntur in substantiā nutritivam, non sequitur quod species nutriant. Sicut propter hoc quòd lapides convertuntur in panem qui nutriret, non sequitur quòd lapides nutriunt. Patet hoc quartò ex sententia

Figura. Subtilitates.

Miraculum.

Author dubitat.

tentia sancti Thomæ super quartum, dist. 12. q. 2. Et quia liber est communis, omitto recitare propter abbreviationem sermonis. Patet hoc quintò: quia æquè potest Deus materiam nutritivam producere complete dispositâ ad nutritionē in stomacho sacerdotis, sicut extra stomachum ejus. Et sic posset per illā nutriri, licet non comederet illam, sicut si comederet, & sic satis diu nutriri, quamvis nec per accidentia sacramenti, nec per substantiam sub illis contentam. Patet hoc sextò: quia Vincentius in speculo naturali, lib. 22. cap. 12. dicit, & alii cum eo, quod in aliquâ parte mundi homines vivunt naturaliter & conservantur in sanitate omnibus diebus vitæ suæ sine cibo aliquo manducato, ex odore pomi cujusdam: qui si exeunt terram suam, pomum ferunt secum, & moriuntur quando malum odorem sentiunt. Consimili odore posset sacerdos (si Deo placeret) satis diu bene vivere post sacramentū sumptum sine comestione substantialis cibi, vel sine nutrimento corporali ex aliqua parte sacramenti. Miraculum. Patet hæc allegatio, quia Johannes lib. 5. sui * Policticon cap. 3. narrat quomodo puella duodecim annorum post communionem die paschæ, per sex menses in pane & aquâ jejunavit, & quomodo pòst per continuum triennium ab omni cibo & potu abstinuit, & cum hoc salva fuit. Et Rogerus Bacon in libro suo curioso de retardatione accidentium senectutis & senii, narrat de quadam muliere Norvicensis diœcesis, quòd vixit per tres annos sana sine cibo vel potu corporali. Et sine dubio consimili modo posset sacerdos post sumptionem sacramenti diu vivere sanè sine sumptione cibi vel potûs materialis, & absq; hoc quòd per species sacramenti, vel per substantiam contentam nutriretur. Patet hoc octavò, quia Elias comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius per quadraginta dies ac noctes, & sicut Deus dedit illi cibo fortitudinem nutriendi eum per quadraginta dies & noctes, ita potuisset, si voluisset, dedisse illi cibo fortitudinem nutriendi eum per octo annos, & usq; in finem vitæ suæ, sine sumptione alterius cibi. Posset ergo Deus sine cibo sumpto à sacerdote ante consecrationem dare virtutem nutriendi eum, & conservandi omnibus diebus suis, licèt nec ex alio cibo, nec ex aliquo contento in sacramento nutriretur. Patet hoc nonò: quia certum est, quod Christus multiplicavit panes paucos in deserto, & tantum quòd suffecerunt pro multis millibus hominum. Et sic cibum remanentem in stomacho sacerdotis, & potum remanentem ante sumptionem sacramenti, posset Deus & conformiter multiplicare, quod sufficeret eum nutrire omnibus diebus suis, absq; hoc quòd nutriretur ex aliquo contento in sacramento. Patet hoc decimò: quia sicut Deus convertit aquam in vinum, ita potest aerem à sacerdote & haustum ad interiora ibi convertere in alimentum, & sic sacerdotem nutrire absq; hoc quòd corporaliter nutriretur ex sacramento. Patet hoc undecimò ex Fabula. epistola Johannis presbyteri ad Emanuelem, ubi sic: Habemus palatium, quod propter lapides pretiosos sole non indiget. Et quidam lapides ibi ex sua virtute neminem permittunt luxuriari, quidam non permittunt quenquam inebriari, quidam non permittunt homines esurire & sitire. Unde in die coronationis nostræ omnes in domum illam intrant, & sic toto tēpore prandii sedētes sine cibo & potu virtute lapidū saturantur. Ex quo ergo hoc facit virtus Bellè! lapidum sine comestione & potatione: patet quòd consimilis virtus hoc idem posset facere post communionē sacerdotis, absq; hoc quòd cibus sacramentalis ipsum corporaliter nutriret, vel aliud in eo contentum. Patet hoc duodecimò, modo illo quo Deus conservavit abbatem in nemore, de quo in libro, qui dicitur Vitæ-patrum, habetur, quod Deus in nemore misit ei angelum in specie aviculæ, qui eum detinuit centum annis, ita quod medio tempore non comedit corporaliter, vel bibit: & tamen nec famem, nec sitim habuit, vel tædium. Et modo etiam illo, quo Deus conservavit per multos annos septem dormientes in speluncâ, confor- Belliùs! miter posset hoc facere de sacerdote communicante. Patet hoc decimotertiò, de modo illo, quo Deus conservavit & augmentavit vestimenta & calceamenta filiorum Israel per quadraginta annos in deserto: non fuit in illis consumptio, sed potius conservatio, seu restauratio: sed fuerunt conservata & augmentata sine consumptione. Eo modo Deus posset sacerdotem nutrire, conservare & augmentare absq; hoc quòd nutriretur per aliquem cibum corporaliter comestum. Patet ergo multipliciter, quòd sacerdos posset nutriri & satis diu vivere; unde quantumcunq; consecraret & communicaret in magna quantitate, absq; hoc quòd nutriretur ex substantia contenta in sacramento vel ex speciebus sacramenti. Et patet iterum, quod licet sumens sacramentum, & non alium cibum vel potum, sentiat famem & sitim in eo extingui, etiam sentiat se nutriri & impinguari: ex hoc tamen non sequitur, quòd nutritur vel impinguatur corporaliter ex sacramento, vel ex aliquo in eo contento: nec Bellissimè! quòd sacramentum, vel aliud in eo contentum, sitim vel famem extinguat. Et sic patet, quòd invalidum est argumentum, quamvis concederetur, quòd sacerdos catholicus conficeret in tam magnâ quantitate: quod tamen Guitmundus Aversanus episcopus concedere noluit. Quartò arguit adversarius sic:

'Matth. 6. Christus docet nos orare: Pater noster, quotidianum da nobis hodie: & sanctus Argumentum Wiclefi quartum. 'Augustinus de sermone domini in monte, per panem quotidianum inter alios sensus laudabiles

dabiles intelligit hoc venerabile sacramentum. Et si hoc sacramentum sit panis quotidianus pro quo oramus quotidie, tunc est panis. Hic dico breviter & constanter, quòd si loquatur de pane materiali de blado, ut intendit, iniquè & perversè allegat Augustinum, quia Augustinus totaliter intendit oppositum. Unde sermone 18. de verbis domini, sic dicit, Memini sermonis mei, cum de sacramentis tractarem, dixi vobis, quòd ante Christi verba panis dicatur quod offertur. Ubi vero verba Christi deprompta fuerint, non jam panis dicitur, sed corpus Christi appellatur. Quare ergo mox in dominica oratione dicitur: Panẽ nostrũ quotidianũ da nobis hodie. Panẽ (inquã) dixit, sed ἐπιούσιον dixit & supersubstantialẽ. Non (inquã) iste est panis, qui vadit in corpus, sed panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiã fulcit. Hæc Augustinus ibi. Si ergo post cõsecrationẽ non dicitur panis sed corpus, puta Christi: & si pòst non est ibi panis, qui vadit in corpus ad reficiendũ, puta corporaliter, ut dicit Augustinus: ergo pòst non est ibi talis panis materialis de blado, sed panis secundo modo prædicto, qui est identicè corpus Christi. Patet ergo quòd allegat Augustinum ad contrarium intentionis suæ, & ideo argumentum nullius est valoris.

Responsio ad argumentum quartum.

Quintò arguit sic. ‘Apostoli cognoverunt Christum in fractione panis, ut dicitur Lucæ 24. Panem docet Augustinus cum lege Papali, de consecratione ‘dist. 2. cap. [Non omnis] esse hoc venerabile sacramentum. Sed sequitur: Apostoli cognoverunt eum in fractione panis, ergo tunc est panis.

Argumentum Wicleffi quintum.

Hic dico, quod non habetur ex textu, vel ex glossa, Luc. 24. vel per antiquos doctores, quod ille panis, quem fregit post resurrectionem in sero coram discipulis, fuit consecratus, vel quod ille panis fuit sacramentalis, vel conversus in corpus Christi. Et ideo ineptè adducit hoc ad propositum. Et consequenter dico, quod falsè allegat authoritatem Augustini & Canonem de consecratione dist. 2. cap. [Non omnis] pro se: quia nec Augustinus nec Canon loquitur de illo pane fracto sero, die resurrectionis, in cujus fractione discipuli domini cognoverunt, quia modo suo quo consueverat frangere, quando comedebat cum discipulis ante passionem, & tempore proditionis fregit, & tunc fuit ille modus, modus singularis frangendi, quem nullus alius habuit. Unde in cap. allegato, nihil plus habetur, nisi quòd non omnis panis, sed quòd panis accipiens benedictionem fit corpus Christi. Ex quo non sequitur, quod panis ille fractus fuit corpus Christi, nec sequitur de pane consecrato, quia non omnis panis sed accipiens benedictionem fit corpus Christi, loquendo de esse propriè, sicut ipse loquitur. Sicut non sequitur: non omnis aer sed clausus in monte fit aqua: ergo aer qui clauditur in monte, est aqua. Patet enim per philosophos, quod antecedens est verum & consequens falsum, loquendo de esse propriè, sicut ipse loquitur, imò sic loquendo sequitur oppositum. Ex quo illa fractio est naturalis conversio & substantialis: sequitur quòd desinit esse, & sic non videtur esse argumentum.

Responsio ad argumentum quintum.

Sextò arguit adversarius, ex verbis Hieronymi ad Hedibiam, articulum esse verum, quod argumentum pluries inculcat. ‘Sic enim dicit Hieronymus: Nos (inquit) audiamus panem quem fregit do‘minus, deditq; discipulis suis manducandum, corpus esse Salvatoris, ipso dicente: Hoc est cor‘pus meum. Ergo manet panis in sacramento, & est corpus domini.

Argumentum Wiclefi sextum.

Hic dico, quod Hieronymus loquitur secundo modo de pane, scilicet sumendo panem pro pane substantiali & non de pane primo modo & propriissimè dicto, sicut patet per verba sua sequentia in eodem loco ubi sic, si ergo panis qui de cœlo descendit, corpus est domini Salvatoris, &c. Unde intentio est Hieronymi: Audiamus panem supersubstantialem, quem sub speciebus fractis dominus dedit discipulis, corpus est domini Salvatoris. Et propriissimè loquendo de esse, hoc est verum. Et si omnino contendat adversarius, quòd panis ibi propriissimè, pro pane materiali, tunc dico constanter quòd esse non sumitur ibi propriissimè, sed pro [factum esse, vel conversum esse in corpus domini Salvatoris] & sic patet quòd non concludit argumentum.

Responsio ad argumentum sextum.

Subtilissimè.

Septimò arguit articulum ex verbis Ambrosii, quæ ponuntur in Canone de consecratione dist. 2. cap. Panis est. ubi sic:

‘Quod erat panis ante consecrationem, est corpus Christi post consecrationem: ergo ma‘net panis post consecrationem.

Argumentum Wiclefi septimum.

Hic respondet uno modo sanctus Thomas doctor antiquus & alii, quod ista locutio non est propria, ita quod illa identitas debet referri ad quantitatem formæ accidentalis, ut sit sensus, sub qua specie erat panis ante consecrationem, sub eadem est corpus Christi post consecrationem. Et sic salvant ipsi verba Ambrosii. Alio modo potest responderi, quod Ambrosius sumit ibi esse pro [fieri vel converti] ut sit sensus, quod erat panis ante consecrationem, jam in corpus Christi conversum est: vel jam corpus Christi factum est per consecrationem. Et ex hoc sensu sequitur, quòd non manet panis post consecrationem. Quòd autem fuit intentio sancti Ambrosii, patet ex verbis ejusdem, quæ ponuntur in Canone de consecratione dist. 2. cap. [Revera] & cap. [Omnia quæcunq;] & cap. [In calice] Unde & istud argumentum fecit Berengarius pro eadem opinione, cui sic respondet Lanfrancus in libro suo: O (inquam) mentem amentem, ò hominem impudenter mentientem, ô pudendam temeritatem, Ambrosium testem accipere: præsumis quod panis & vinum per consecrationem non desinunt esse quod erant, sed commutantur in aliud quod non erant.

Responsio ad argumentum septimum

Lanfranci in Berengarium verba.

erant. Quis enim compos sui credat aliquam rem converti in aliam, nec tamen in eâ parte desinere esse quod erat? Hæc ille. Patet ergo quod intentionis Ambrosii erat panem per consecrationem desinere esse, & sic argumentum non valere. Octavò arguit adversarius cap. 36. Trialogi, contra istum articulum condemnatum in Concilio domini Wilhelmi nuper archiepiscopi Cantuariensis sic:

'Substantia corporis Christi manet post consecrationem in altari: & ubicunque est substantia corporis Christi, est genus generatum substantiæ, ergo ipsum manet post consecrationem in sacramento altaris. Et cum ipsum genus generatum sit substantia aut quantitas cujuslibet specialis substantiæ, sequitur quod ipsum sit cujuslibet panis & vini materialis substantia. Et sic (inquam) patet stultitia damnationis. Argumentum Wiclefi octavum.

Hic respondeo uno modo, quod apud illos catholicos, qui negant universalia in rebus & qui universalia ponunt non esse nisi conceptus & terminos & signa, argumentum non est alicujus valoris, sed manifestè negabunt diversa assumpta in argumento. Hic respondeo alio modo solum gratia argumenti, admittendo universalia realia, & secundo admittendo solum gratia argumenti, quod genus generalissimum substantiæ est in sacramento ubi est substantia corporis Christi, & quod ipsum est cujuslibet panis & vini materialis substantia: sed ex hoc non sequitur, quod sit substantia panis vel vini materialis in sacramento: sicut non sequitur ex hoc quod sit substantia panis vel vini materialis, & specialis in cœlo ubi est corpus Christi: quia sic quodlibet individuum esset ad omnem locum multiplicatum, quod esset insanum & contra adversarium. Sed bene sequitur, quod ubicunq; specialis & individua substantia panis materialis est, ibi genus generalissimum est ipsa substantia specialis, sive individua. Sed in sacramento non est aliqua substantia panis specialis, & individua post ejus conversionem in corpus Christi, ut ecclesia docet catholica, & ideo nullum genus generalissimum est in illo sacramento substantia specialis & individua panis, post ejus conversionem in corpus Christi. Et sic gratiâ argumenti admisso genere generalissimo substantiæ ad extra in rebus, adhuc non facit validum argumentum. Nonò arguit sic, quasi confirmando præcedens. Responsio ad argumentum octavum.

'Non repugnat huic sacramento, quod mica panis materialis, vel guttula vini imbibatur in poris hujus venerabilis sacramenti: ergo non repugnat sacramento quod maneat in illo substantia panis, & vini, post consecrationem. Argumentum Wiclefi nonum.

Hic concedo conclusionem: sed non sequitur, ex hoc quod non repugnet sacramento, quòd maneat in illo substantia panis post ejus consecrationem, vel sanguinis post ejus consecrationem, quia talis mica existens in poris nunquam fuit consecrata, & si fuisset consecrata, non mansisset illa mica dum esset sacramentum. Fateor enim, quod infra poros sacramenti est aer inclusus, & aliquando alii vapores corporei, ut patet de pane calido, magno, consecrato more Græcorum. Etiam quando frangitur hostia consecrata, secundum speciem, patet experimento quod exeunt vapores corporei: & sic est de vino odorifero apud nos consecrato. Intentio autem ecclesiæ & sanctorum est, quod de pane & vino post eorum consecrationem nihil remanet, nisi species eorum accidentales, sub quibus est substantia corporis & sanguinis Christi, & nihil substantiæ panis conversi, vel vini conversi. Cum quo satis stat, quod sint in poris aliæ substantiæ non conversæ, & sic argumentum nihil concludit. Decimò arguit sic, 20. cap. 2. art. 4. Trialogi. Responsio ad argumentum nonum.

'Fratres nesciunt dicere quid est hostia consecrata, nisi dicant quòd sit accidens sine subjecto, vel accidentia sine subjecto. Et cum tale accidens non adoratur propter se, sed pro eo quod continet in se corpus Christi, sequitur quod major est ratio adorandi quemcunq; nodulū straminis, vel quodcunq; corpus signabile, quàm hostiam consecratam: eo quod hostia non est in sua natura, vel propter bonitatem naturalem, quam in se continet, taliter adoranda. Unde non est adoranda, quia est corpus Christi, sed quia ipsa continet in se absconditè corpus Christi. Cum ergo in nodulo straminis, & in omni creatura realiter sit Trinitas increata, quæ est longe perfectior quàm hoc corpus: sequitur quod propter contentū absconditum quælibet creatura sit amplius adoranda, quàm hæc hostia. Hic dico, quòd falsum imponit fratribus, & catholicis aliis quod non sciunt dicere quid est hostia consecrata, nisi dicant, quod est accidens sine subjecto, vel talia accidentia sine subjecto: quia propriè loquendo de hostia consecrata, ipsa est corpus Christi contentum sub speciebus panis in ipsum sacramentaliter transsubstantiata, & ista est hostia quā catholici adorant. Bene tamen verum est, quod large & minus propriè loquendo de hostia consecratâ, illa accidentia dicuntur hostia consecrata, & sacramentum illud quod est sacramentum, & non res sacramenti. Sed istam hostiam sic largè sumptam non adoramus, neq; adoratione latriæ, neq; hyperduliæ, sed ipsum Christum Dei filium in sacramento adoramus adoratione latriæ, & ejus humanitatem adoratione hyperduliæ: quia in sacramento, & in altari est locus conveniens adorationi. Unde neq; Christus, neq; Trinitas vult ab hominibus adorari, nisi in loco orationi cōveniente: nam corpus Christi non debet adorari ubicunq; est, sicut nec ipse Christus. Non enim debet in stomacho sacerdotis

Argumentum Wiclefi decimum.

Responsio ad argumentum decimum.

dotis statim post communionem adorari, nec in bruto: dato, quòd in casu sacramentum sument. Et Trinitas non vult adorari, prout est in dæmone, vel in pulice, & à pari, nec ut est in nodulo straminis. Et certum est quòd nodulus straminis non debet adorari propter hoc quod in illo est Trinitas increata, adoratione latriæ, vel hyperduliæ: sicut nec accidentia sacramentalia. Et ideo multipliciter errat in argumento isto. Et sic patet, quòd argumentum non est alicujus valoris. Et iterum largè loquendo de hostia consecrata prout est accidentia sacramentalia, ita æquè abscondite contineret Trinitatem, sicut nodulus straminis, & ideo propter existentiam Trinitatis in nodulo straminis, non est major ratio adorandi nodulum, quàm sit ratio adorandi illam hostiam: cum æquè in illa sit Trinitas, sicut & in illo nodulo. Et sic multipliciter peccat argumentum. Undecimò arguit sic:

Argumentum Wiclefi undecimum.

'Ex dictis (ut adversarius dicit) sequitur, quòd hostia consecrata est pejus in natura sua, 'quàm panis equinus, furfureus vel aliud venenosum: quia est in natura sua accidens, vel ac- 'cidentia sine subjecto: & panis equinus est substantia, sicut & animal venenosū: sed sub- 'stantia quæcunque est perfectior accidente. Et ideo in alio libro suo dicit, quod sacramen- 'tum nostrum est pejus stercore rathonis, quia est accidens & stercus rathonis est substantia.

Responsio ad argumentum undecimum.

Hic dico primò, quod propriè loquendo de hostia consecratâ, ipsa est substantia, non accidens, vel accidentia. Et sic loquendo communiter dicitur, quòd eucharistia est verum corpus Christi & sanguis, prout continetur sub speciebus panis & vini in ipsa sacramentaliter transsubstantiata. Et ex his patet, quod à falso incipit primo in argumento, loquendo propriè de hostia consecratâ. Hic dico secundò, quòd loquendo largè de hostia consecratâ, accidens, vel accidentia sunt sacramentum, & non res sacramenti, modo loquendi ecclesiæ. Et tunc dico, quòd fideles & Catholici attendunt in sacramento ad signorum efficacias potius quàm ad signorum essentias, cum aliàs perfectiores essent hostiæ legis antiquæ, quàm novæ: puta hircus & vitulus, quàm panis & vinum secundum ipsius blasphemiam: cum hircus & vitulus sint substantiæ vivæ, panis & vinum res non vivæ in naturis suis. Unde res imperfectior secundum sui naturam est sacramentaliter, non naturaliter perfectior: nec est aliquod inconveniens, sed verum & satis Catholicum. Hic dico tertiò, quòd adversarius habet concedere sacramentum suum esse pejus quàm muscam, & pejus quàm animal venenosum: quia illud sacramentum est panis, qui non est in sui naturâ res viva: & vinum, quod non est res viva: musca est res & substantia viva, & sic animal venenosum. Et eodem modo quo accidens quodcunque est imperfectius substantiâ, sic substantia non viva imperfectior est in natura suâ substantia vivâ. Et consequenter habet concedere, quòd eucharistia sua non est ita perfectè corpus & sanguis Christi, sicut stercus rathonis est substantia: quia habet concedere, quòd eucharistia sua non est corpus & sanguis Christi materialiter, essentialiter, substantialiter (aliàs numeraliter) & identicè: sed figurativè & tropicè est ille, ut ipsemet concedit. Cum ergo stercus rathonis, sit substantia naturaliter, essentialiter, substantialiter & identicè: sequitur conclusio horribilis intenta. Consequenter habet concedere, quòd eucharistiâ sua perfectius & nobilius est panis materialis: & vinum materiale, quàm sit corpus & sanguis Christi: cum secundum præsentia sua, illa sua eucharistia est materialiter, naturaliter, substantialiter & identicè verè panis materialis & vinum materiale, & solùm figurativè, tropicè est corpus & sanguis Christi. Et consequenter habet concedere, quod melius est sacramento eucharistiæ esse panem materialem & vinum, quàm esse corpus & sanguinem Christi, vel esse sacramentum eucharistiæ, cum esse naturale & substantiale sit melius & præstantius esse tropicè & figurativè. Et consequenter habet concedere, quòd pistor, qui facit panem esse panem, nobiliorem exercet actionem, quàm sacerdos consecrans, qui facit panem esse corpus Christi juxta blasphemiam illius, quam nullatenus tetigissem propter turpitudinem loquelæ & in tam venerabili materia, nisi quia necessum est more sancti Augustini hæreses confundere ex suis propriis principiis. Sic ergo responsum sit ad argumenta quæ facit in hac materiâ. Et ex his faciliter potest concipi, quomodo respondendum est ad ea, quæ ponit in aliis libris suis.

Secundus articulus Wiclefi.

'SEcundus articulus condemnatus est iste: Sicut Johannes fuit figurativè Elias & non 'personaliter: sic panis figurativè est corpus Christi & non naturaliter corpus Chri- 'sti. Et quòd absque omni ambiguitate hæc est figurativa loquutio: Hoc est cor- 'pus meum, sicut in verbis Christi, Johannes ipse est Elias.

Responsio Wodfordi prima.

Et est hic articulus ut hæreticus condemnatus rationabiliter: quia ex illo processu & sententia adversarii, necessario sequitur, quòd panis sit sacramentaliter & figurativè corpus Christi in altari: cum illud corpus Christi, quod natum est de virgine, pependit in cruce & est jam in cœlo, non est identicè, substantialiter & naturaliter in sacramento. Et hæc antiquitus fuit,

ut

ut hæresis condemnata in synodo Ephesinâ, ante tempora quatuor doctorum, ut docet
Guitmundus, tertio libro de corpore & sanguine domini: & in Canone de consecratione
distinctione secunda cap. Necesse. Habetur ex symbolo Ephesino, quòd in sacramento su-
mimus carnem Christi verè vivificatricem, & ipsius verbi propriam factam: ergo caro
Christi propriè est viva in sacramento,& ubicunq; est viva, est substantialiter,naturaliter &
identicè, & non solùm figurativé. Secundò, hic est articulus rationabiliter condemnatus, 2a.
quia ejus contradictorium est ab ecclesia approbatum, ut catholicum, quod patet in ca. de
consecratione distinctione secundâ cap. [Utrum sub figura] & in capitulis diversis. Tertiò, 3a.
hic est articulus rationabiliter condemnatus,quia condemnatus est ab ecclesiâ,extra: de celeb.
missarum cap. [Cum Marthæ] ubi expressè condemnatur sententia,ponens non esse in sacra-
mento veritatem corporis & sanguinis Christi, sed imaginem & speciem,sive figuram. Et
patet ex processu,quòd per veritatem corporis Christi ibi esse,intelligit substantialiter & iden-
ticè ibi esse corpus Christi: aliàs errorem quem intenderet condemnare,nullatenus condem-
naret,& aliàs non esset sufficiens distinctio inter figuram & rei veritatem. Quartò, hic est 4a.
articulus rationabiliter condemnatus, quoniā Johannes Damascenus,qui floruit inter Græcos
quando Augustinus inter Latinos,libro sententiarum suarum,sic scribit in hac materiâ: Hæc,
inquam,hostia pura, corpus & sanguis domini nostri Jesu Christi. Et sequitur: Non est (in-
quit) typus panis & vinum corporis & sanguinis Christi: absit, inquit, sed est corpus domini
deificatum, ipso dicente, Hoc meum est, non typus corporis, sed corpus, non typus sangui-
nis, sed sanguis. Ex quo processu liquet, cum aliis ibidem scriptis, quòd est vera & inden-
tica locutio, Hoc est corpus meum, & non solùm figurativa: Et quòd hostia post consecra-
tionem non tropicè & figurativè, sed substantialiter & identicè est corpus Christi. Quin- 5a.
tò patet, quod hic articulus est rationabiliter condemnatus: quia Guitmundus libro primo
de corpore & sanguine domini bene post principium libri ponit, quod una pars hæresis
Berengarii erat, eucharistiam non esse verè substantialiter corpus Christi & sanguinem. Hoc
autem ponit iste articulus, sed quòd figurativè, ergo articulus iste est hæreticus. Et idem
Guitmundus tertio libro de corpore & sanguine domini, notabiliter & sufficienter ostendit
per dicta Augustini,Ambrosii,Leonis,Cyrilli & ducentorum episcoporum in Synodo Ephe-
sinâ, Gregorii, Hilarii & aliorum doctorum, quòd illud corpus Christi quod pependit in
cruce & natum est de virgine Mariâ, est substantialiter in sacramento secundum naturam
suam propriam, ergo hæc non est figurativa locutio, sicut illa, Johannes ipse est Elias.
Liber est communis, & ideo omitto processum & propter abbreviationem sermonis. Sex- 6a.
tò patet, quòd hic articulus est rationabiliter condemnatus, quia Hugo de sacramentis li-
bro secundo parte. viii. sic scribit tractando de isto sacramento: Quemadmodum species
illic cernitur, cujus substantia ibi esse non creditur: sic substantia ibi esse creditur, cujus
species non cernitur. Et constat quòd loquitur de re quæ est corpus Christi, ergo corpus
Christi est substantialiter in altari, & non solùm figurativé. Alio modo patet idem ex ver- 7a.
bis Ambrosii in epistolâ ad Hebræos, & ponitur in Canone de consecratione, distinctione
secundâ cap. [In Christo] Nonne per singulos dies offerimus ad recordationem mortis
Christi, & una est hostia, & non multæ? Istud de hostia quæ dicitur panis materialis, intel-
ligi non debet; quia tales sunt panes multi in multis altaribus secundum hæresim adver-
sarii, & non sunt una hostia: ergo intelligi debet de hostia qui Christus est & quæ oblata
est in cruce, & sic exponitur in eodem capitulo. Est igitur & Christus, & corpus Christi
identicè in quolibet altari, in quo fit consecratio, & non solùm figurativé. Et consimilis
est sententia Lincolniensis super tertium cap. ecclesiasticæ Hierarchiæ, ubi sic innuit, puta
Dionysius, quòd eucharistia est verum corpus Christi unitum deitati. Unde sicut bonitas
divina est in omnibus, à quibus participatur, identicè una, consimiliter (inquit) & corpus
Christi in symbolis, licet varietur secundum loca & tempora & sensibiles proprietates.
Igitur illud idem corpus quod est in uno altari, est identicè in alio altari. Quod nullo
modo potest intelligi de pane materiali, sed solùm de vero corpore Christi, attendendo
ad naturam suam propriam: & ideo illud corpus quod est in cœlo, attendendo ad natu-
ram propriam est substantialiter & identicè in sacramento & non sic figurativè, ut Johan-
nes est Elias. Octavò patet idem per ipsum Dionysium tertio capite ecclesiasticæ Hierar- 8a.
chiæ, ubi ponit primò, quod unius & ejusdem panis & calicis communis & pacifica tradi-
tio est. Secundò, quod divina Synaxeos teleta, & si singulare & simplex habens compli-
citum principium, in sacram varietatem symbolorum humanitus, id est, misericorditer mul-
tiplicatur. Tertiò, postquam Hierarcha sacrificat divinissimum panem, indivisibilem divi-
dit, & velatum revelat. Ex quibus patet,quòd panis qui est eucharistia, est divisibilis & in-
divisibilis, velatus & revelatus,indivisibilis in se, divisibilis in symbolis, sive secundum sym-
bola, velatus in se,revelatus in symbolis. Hoc de pane materiali intelligi non potest, quia
ille est divisibilis in se,& in suis symbolis,ergo necesse esset hoc intelligi de pane qui est verū
&

& identicum corpus Christi. Ille enim est multiplicatus misericorditer secundum varietatem symbolorum in diversis altaribus. Nec etiam potest intelligi de pane materiali, quod unius & ejusdem panis est communis & pacifica traditio: quia ille panis materialis, qui est in uno loco, non est in alio loco. Patet ergo manifestè, quòd Dionysius Apostolorum contemporaneus definit, quòd verum corpus Christi est secundum sui naturam & identicè in
9a. sacramento. Nonò patet idem, quòd multi secundum mundum sapientes & prudentes recesserunt à fide, quia non poterant concipere totum corpus Christi, quod est in cœlo, esse in sacramenti quantitate parvâ. Sed accipiendo [esse] pro [figurare & significare] ut facit adversarius in articulo, intelligens quis est qui non posset leviter capere panem materialem esse corpus Christi? Et consimiliter accipiendo esse, quis est prudens, qui non potest faciliter concipere corpus, quantumcunq; magnum, esse in loco parvo, cum parvum signum significet dolium vini, & parvum verbum significet totum mundum, & parva imago crucifixa figurat totum crucifixum? Isti ergo prudentes & sapientes non recesserunt à fide, propter non confiteri eucharistiam esse tropicè & figurativè corpus Christi: sed propter non confiteri eucharistiam esse substantialiter & identicè carnem & sanguinem Christi. Alii propter non confiteri tantum corpus esse tropicè & figurativè in tam parvo loco, sed propter non confiteri tantum corpus esse substantialiter & identicè in tam parvo loco. Ex quo patet, quòd hæreticum est ponere corpus Christi non esse identicè sed figurativè in sacramento.
10a. Decimò patet idem ex natura relativorum: quia relativum refert ex sui naturâ illud idem naturaliter quod præcessit, sed Christus instituendo sacramentum dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: ergo hoc idem corpus naturaliter, quod pro discipulis fuit traditum ad crucifigendum, fuit eis traditum in sacramento ad edendum: & per consequens idem corpus quod fuit in cruce identicè est in sacramento. Unde Augustinus in pluribus libris inculcat logicam scripturæ de figurativâ significatione, ponens exempla infinita scripturæ de tali locutione. * Et nunquàm de istis verbis, Hoc est corpus meum, facit mentionem, quòd sit figurativa loquutio: nec numerat inter loquutiones figurativas, quod tamen fecisset, si fuisset loquutio figurativa. Nec unquam aliquis, nisi suspectus de hæresi. Hæc prius posuit Berengarius, & Frederwardus, hoc antiquitus posuerunt: quorum sententia fuit con-
11a. demnata. Undecimò, hoc patet ex sententia Augustini in expositione tituli psalmi tricesimitertii, ubi tractat illud textum: Scribatur in manibus suis, & ponitur in Ca. de Conse. distin. ii. cap. David, scribatur in manibus suis, &c. & ex multis dictis aliis ejusdem capi-
12a. tuli, quæ propter brevitatem non scribo, quia in communi libro habentur. Duodecimò patet idem, quia conversio sacramentalis panis in corpus Christi, est conversio substantialis & non tropica & figurativa: ergo & existentia corporis Christi in sacramento est substantialis & realis ac identica, & non solùm figurativa. Item patet ex allegatis in præcedenti articulo, ubi declaratum est, quòd substantia panis desinit esse realiter in ista conversione: & ideo conversio est mutatio substantialis & non solùm tropica & figurativa. Unde Berengarius adversarius ecclesiæ asseruit, quòd natura non patitur illam mutationem panis, quam patres in Concilio sub Nicolao Papa, & ecclesia ante eos, posuerunt. Sed secundum eos, & etiam omnes alios doctores natura satis patitur, quòd panis tropicè & figurativè mutetur: ergo mutatio quam posuit Concilium generale & ecclesia ante eos, non erat tropica
13a. & figurativa sed verè substantialis. Decimotertiò patet idem per Ambrosium, cujus dicta ponuntur in Can. de Conse. ii. cap. Revera. ubi intendit Ambrosius probare, quòd panis potest converti in corpus Christi, per hoc quod Deus potuit panem creare: ergo à fortiori & panem in aliud mutare. Sed constat, quòd loquitur de creatione reali & substantiali, ergo & de mutatione panis substantiali. Unde & extra exempla illius conversionis, sunt omnes reales & substantiales conversiones, ut patet de conversione virgæ in serpentem & è converso: & per conversionem fluminis Ægypti in sanguinem & aliis ibidem enumeratis. Est ergo & hæc conversio substantialis & non figurativa. Quapropter Ambrosius in eodem loco ponit istam conversionem panis in corpus Christi, esse præter ordinem naturæ: sicut & generationem qua virgo Christum generavit, esse præter ordinem naturæ. Ex quo concludit, quòd illa conversio est valdè miraculosa: sicut & generatio qua virgo filium generavit, fuit valdè miraculosa & singulariter miraculosa. Et tamen non esset valdè miraculosa, si esset solùm conversio tropica & figurativa, & non substantialis & transubstantiva. Relinquitur ergo quòd juxta intentionem hujus sancti & ecclesiæ dicta statim in Canone approbantis, quòd ista conversio sacramentalis est substantialis, & non sit tropica & figurativa: & quòd corpus Christi ex illa substantiali conversione est in sacramento substantialiter & identicè, & non sic figurativè, ut articulus ponit. Meritò igitur hic articulus est, ut hæreticus, condemnatus. Unde pro isto articulo incidit adversarius in illud cap. extra de hæreticis, ad abolendum. Pro isto tamen articulo præter argumenta superius soluta, arguit adversarius sic.

* Unde igitur dicit August. in Psalm. 3. statim ab initio—Cum adhibuit ad convivium in quo Corporis & sang sui figurã discipulis commendavit & tradidit?

Berengarius.

Conversio miraculosa.

Si

'Si iſta benedicto conſecrationis panis faceret panem non eſſe, eſſet potius maledictio, 'quàm benedictio, quia eſſet panis annihilatio, ex quo nulla pars ejus remanet in Chriſti 'corpore, vel ejus ſacramento, & tamen Chriſtus nunquam tam ſeverè alicui rei maledixit. 'Quando enim maledixit ficui, remanſit ficûs ſubſtantia, cum Chriſtus neſciat propter pec- 'catum, vel figuram peccati, ſuam omnino deſtruere creaturam, & cum nulla creatura po- 'teſt quicquam facere, niſi præveniat factio creatoris, præſertim cum ſuum adverſarium 'diabolum, cum ſit ſua fabrica, ſervet. Ergo creatura panem benedicens ipſam non anni- 'hilat, & per conſequens manet panis poſt conſecrationem, ut ſit figurativè, non ſubſtantiali- 'ter corpus Chriſti. Argumentum Wiclefi

Hic dico primò, quòd prima conſequentia nulla eſt, quia quando Chriſtus benedictione ſua mutavit aquam in vinum, fecit aquam deſinere, & ipſam non eſſe, & tamen benedictio illa Chriſti non fuit maledictio, ſed vera benedictio, quia mutavit aquam ſubſtantialiter in melius, & ideo licet in conſecratione panis deſinat eſſe, ex quo tranſubſtantiatur & mutatur in melius, quia in corpus Jeſu Chriſti, non ſequitur quòd illa benedictio ſit maledictio, ut male arguit hic adverſarius. Hic dico ſecundò, quòd quamvis nulla pars ſubſtantialis panis maneat actu poſt ejus conſecrationem, non oportet propter hoc quod panis annihiletur, quia ad annihilationem rei requiritur, quod non maneat annihilatum in potentia propinqua, ut redeat in eſſe. Panis autem converſus ſacramentaliter in corpus Chriſti remanet in potentiâ propinqua, ut redeat in eſſe, in fine alterationis accidentium ſacramentalium, ſecundũ ſententiam Innocentii Papæ, quæ inter alias doctorum ſententias eſt veriſimilior, ut declaravi in libro 72. quæſtionum, circa ſacramentum euchariſtiæ, & ideo non annihilatur. Requiritur etiam ad annihilationem rei, quod terminus ad quem non ſit aliquid, ſed illius mutatione panis terminus ad quẽ eſt corpus Chriſti, & ideo hæc mutatio non eſt annihilatio. Hic dico tertiò, quòd multoties Chriſtus propter peccata deſtruit creaturas ſuas, ut patuit in diluvio, in quo deſtruxit propter peccata hominum multas creaturas, ut patuit in ſubverſione Ægyptiorum in mari rubro, ut patuit de Dathan & Abyron, quos propter peccata terra abſorbuit, ut patet in multis legibus Dei, in quibus ordinatur mors corporalis propter peccata diverſa. Gratia etiam creata in anima viatoris deſtruitur omnino propter peccatum viatoris. Multipliciter ergo peccat argumentatio. Alia quæ tangit in hac materia, communiter in doctoribus ſunt plenè ſoluta, & ideo ſuperfluum eſt circa illa ulterius laborare. Reſponſio ad argumentum. Liber Wodfordi lxxii. quæſtionum circa ſacramentum Euchariſtiæ.

Tertius articulus condemnatus ut erroneus, erat, quòd in cap. [Ego Berengarius] curia Romana determinavit quòd ſacramentum euchariſtiæ eſt naturaliter verus panis, loquendo conformiter, ut prius, de pane materiali, albo & rotundo. Tertius artic. Wiclefi.

Quod autem hic articulus ſit ad hunc ſenſum rationabiliter condemnatus, ex hoc patet. Primò, quia Hubertus Cardinalis natus de Burgundia, fecit illam confeſſionem ex parte Concilii, illam tradidit Berengario, ut narrat Lanfrancus in libro ſuo, & Berengarius poſt recidivum ſic ſcribit in libro ſuo de eodem, & eadem confeſſione. Erat autem Burgundus ille in ſententiâ, imo vecordiâ, Vulgi, Paſchaſii & Lanfranci, minimè ſupereſſe in altari ſubſtantias panis & vini. Igitur ex ipſa confeſſione adverſarii patet, quod componens confeſſionem, intendebat ponere ſubſtantiam panis & vini minimè ſupereſſe in altari. Ergo non fuit intentio illius & eccleſiæ, ponere in illa confeſſione, quòd ſacramentum euchariſtiæ eſt naturaliter verus panis, cum intentio eorum fuit, quod non erat in altari poſt conſecrationem talis panis. Et notatur hic ex verbis adverſarii, quod tunc temporis erat ſententia Vulgi, quod non remanſit panis ſubſtantia poſt ejus conſecrationem in altari: ergo non eſt hæc opinio per Innocentium Papam primitus introducta, ut falsè ſibi imponit adverſarius. Secundo patet idem, quia Lanfrancus in libro ſuo ponit cauſam quare illud ſolenne Concilium ſub Nicolao propterea tradidit Berengario illam confeſſionem dicens in hunc modum: Quia Nicolaus Papa invenit Berengarium docere, panem & vinum poſt conſecrationem ſine materiali mutatione in ſuis priſtinis eſſentiis permanere. Et conceſſa ſibi licentia reſpondendi, cum non eſſet auſus pro ſuæ partis defenſione aliquid reſpondere, pietate motus fecit Hubertum Cardinalem ſibi tradere illam confeſſionem contra illam doctrinam. Ergo nullo modo fuit intentionis eccleſiæ in illa confeſſione ponere panem & vinum in ſuis priſtinis eſſentiis remanere poſt conſecrationem, ut fuit euchariſtia, vel ut euchariſtia ſit naturaliter verus panis. Eſt autem mihi nimis mirabile quomodo adverſarius poſuit hoc eſſe de intentione eccleſiæ, in illa confeſſione, quando & ille qui fecit confeſſionem fatetur oppoſitum, & adverſarius, cui confeſſio tradita fuit, explicitè exprimit oppoſitum. Patet ergo, quòd valde erroneè eſt hic articulus ab adverſario dictus. Tertiò patet, quod articulus eſt ut erroneus, juſte condemnatus, quia Guitmundus Adverſarius epiſco- Reſponſio Wodfordi. prima. Berengarius. Opinio Vulgi. Innocentius papa. 2a. Lanfranci verba. 3a.

Doctores.

episcopus, Paschasius, Lanfrancus & alii doctores, qui fuerunt contemporarii Berengarii, & magni viri in ecclesia Dei, solenniter contra Berengarium in materia istâ scripserunt: & omnes reputant ecclesiam sub Nicolao Papa damnasse substantiam panis superesse in altari post ejus consecrationem, ut patet exprese in libris eorum: ergo ecclesia non intendebat
42. tunc panem illum superesse, & eucharistiam esse illum panem. Quartò patet idem, quia Berengarius post recidivum, in libro suo maledicto, principaliter nitebatur astruere panis & vini substantias superesse post consecrationem, sicut Wiclefistæ modò faciunt: & cum ab amicis suis esset increpatus, quòd aut non servanda jurare non debuit, aut jurata servare, infamabat Papam Nicolaum & Concilium generale, quòd docentes & scribentes contraria, causa fuerunt sui perjurii. Unde fatetur Berengarius in libro suo, quòd arctabant eum ad concedendum, quòd substantia panis non manet post consecrationem. Et tamen (ut dicit) oppositum sequitur ex dictis illius confessionis, ut arguit in his terminis. Qui enim dicit, quòd panis & vinum altaris solummodo sacramenta sunt, vel quòd panis & vinum altaris sunt verum corpus Christi & sanguis, omnibus modis panem & vinum superesse constituit: & ideo (inquit) illam sententiam, puta quòd panis & vinum non remanent, superioribus verbis suis ipse dejecit, nec attendit Berengarius hoc. Cui sic respondet Lanfrancus: Nihil horum Romana Synodus credendum decrevit: prior enim sententia per quam dicitur, quòd panis & vinum altaris solummodo sacramenta sunt, tua est tuorumq; sequentium. Posterior verò, quæ annunciat quòd panis & vinum altaris sunt solummodo verum corpus Christi & sanguis, nullius hominum erat opinio. Et consequenter affirmat Concilium illud generale docere, quòd substantia panis non manet post ejus consecrationem & per consequens non est pòst eucharistia. Secundò patet, quod Berengarius arguebat oppositum male ex dictis Concilii generalis, sicut Wiclefistæ modò faciunt. Unde idem argumentum est fundamentum erroris Wiclefistarum, & erroris Berengarii post recidivum. Et tertiò patet ex isto processu, quòd non fuit opinionis ecclesiæ tunc panem & vinum esse corpus Christi & sanguinem, quia dicit quòd hæc opinio nullius hominum erat tunc. Ex quibus sufficienter concluditur, quòd non fuit intentio ecclesiæ in illa confessione ponere eucharistiam esse naturaliter panem. Quartò patet idem per Anselmum ipsis in modico posteriorem, qui in unâ epistola sic scribit: Panis (inquam) substantiam post dominici corporis consecrationem in altari superesse, semper abhorruit pietas Christiana, nuperque damnavit ecclesia. Et videtur quòd loquitur de condemnatione sub Papâ Nicolao ex quo ille eo fuit in modico posterior. Sed quomodocunque sit de isto, ex quo hoc semper abhorruit pietas Christiana, Ergo pii Christiani qui fuerunt in illo Concilio, hoc abhorruerunt, scilicet quòd maneret panis post ejus consecrationem: ergo non posuerunt tunc eucharistiam esse naturaliter panem. Patet ergo, quòd iste articulus est justè condemnatus. Pro isto articulo non facit adversarius argumentum speciale, nisi argumentum Berengarii, quod à Lanfranco erat solutum. Sed quomodo idem cap. [Ego Berengarius] pro utraque parte debet intelligi, declaravi in lib. 72. quæstionum, circa sacramentum eucharistiæ, &c.

Quartus articulus Wiclefi.

QUartus articulus, ut erroneus condemnatus, ponitur cap. duodecimo quarti libri Trialogi, & est quòd definientes parvulos fidelium sine baptismo sacramentali decedentes, non fore salvandos, in hoc sunt præsumptuosi & stolidi.

Responsio Wodfordi prima.

Quod autem hic articulus sit rationabiliter condemnatus, patet primò per beatum Augustinum de fide ad Petrum, ubi ponit tales æterni ignis supplicio puniendos: & ponuntur verba in Can. de Consecratione, distinctione quarta, capite [Firmissime] Sed hic respondet adversarius duodecimo capite quarti Trialogi, quòd Augustinus dicit hoc reputativè non assertivè. Sed manifestum est hoc esse falsum ex modo loquendi Augustini, qui super isto articulo, sicut & super articulo de Trinitate, dicit, Firmissimè tene & nullatenus dubites: quæ non sunt verba solum reputativè loquentis, sed verba dissertivè asseverantis. Et in fine illius libri sic scribit Augustinus libro quarto, ad regulam veræ fidei fortiter tene: & si quem contra dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge & tanquam hæreticum abjice: ita enim ista quæ posuimus fidei Catholicæ congruunt, ut si quis non solùm omnibus, sed etiam singulis voluerit contradicere, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, hæreticus & fidei Christianæ inimicus atque ex hoc omnibus Christianis anathematizandus appareat. In quibus verbis Augustinus asserit singulos articulos de fide Catholicâ esse, & pertinacem contradictorem singulorum articulorum esse hæreticum & fidei inimicum. Cum ergo iste articulus sit contentus inter quatuor, & est quartus articulus illius libri, patet quòd Augustinus disserti-

vè

vè ponit iſtum articulum eſſe hæreticum. Patet ſecundò, quòd iſte articulus rationabiliter ſit condemnatus, per definitionem eccleſiæ, quæ ponitur in Canone de conſe. diſt. 4. cap. Nulla, ubi ſic, nulla præter baptiſmum Chriſti ſalus promittitur infantibus: quia infantes ſi per ſacramentum, quod ad hoc divinitus eſt inſtitutum, in credentium numerum non tranſeant, in tenebris manent. Eccleſia ergo definit parvulos ſine ſacramento baptiſmali decedentes, non fore ſalvandos. Erroneè ergo dicitur, quod ſic definientes ſunt in hoc præſumptuoſi & ſtolidi. Patet tertiò quod iſte articulus eſt rationabiliter condemnatus, ex hoc quod in eccleſia primitivâ non baptizabant ſolenniter, niſi bis in anno: in vigiliâ Paſchæ & in vigilia Pentecoſtes, præterquam in articulo neceſſitatis, ſicut ſiquis eſſet in articulo mortis, ut patet in can. diſt. 4. in diverſis capitulis: & ut patet in authoribus, qui ſcribunt de divinis officiis. Et ſicut parvuli modò ante annos diſcretionis non ſunt communicati, ſic in eccleſia primitivâ non erant parvuli ſacramentaliter baptizati, niſi infra annos diſcretionis, niſi eſſent in mortis articulo. Hæc autem facta non fuiſſent ab eccleſia primitivâ, niſi credidiſſent tales ſine baptiſmo ſacramentali decedentes pro perpetuo perire, ut eſt manifeſtum: ergo fuit de fide eccleſiæ primitivæ, quòd ſic decedentes ſine baptiſmo ſacramentali non forent ſalvandi. Erroneè ergo dictum eſt, quòd præſumptuoſum & ſtolidum eſt ſic definire. Patet quartò, quòd articulus iſte eſt juſtè condemnatus ex hoc quòd juxta antiquã eccleſiæ ordinationẽ parvuli decedentes non baptizati poſtquã nati, non debent ſepeliri eccleſiaſticâ ſepulturâ, magis quàm pagani, ſed extra cœmiterium. Hoc nõ ordinaſſet eccleſia, niſi crederet tales non eſſe de numero ſalvandorũ. Eſt ergo de antiquâ fide eccleſiæ, quod tales infantes nati, ſine baptiſmo decedentes ſacramentali, non ſunt de numero ſalvandorum: ergo, &c. Confirmatur, poſt aſcenſionem Chriſti eccleſia ſemper reputavit hoc ſacramentum tantæ neceſſitatis, quòd à laicis, quod à mulieribus, quod à paganis poteſt conferri in articulo mortis, (aliàs neceſſitatis) & hoc ne periret moriens ſine baptiſmo ſacramentali: igitur ex antiquâ fide eccleſiæ eſt, quod omnes morientes ſine baptiſmo ſacramentali, niſi ſuppleatur baptiſmo ſanguinis, eſſent damnati. Patet quintò, quod iſte articulus eſt juſtè condemnatus, ex eo quòd, procedente tempore, eccleſia ordinavit quod infantes fidelium baptizarentur citò poſt nativitatem de utero matris, quamvis non appareat mortis periculum, propter periculũ æternæ damnationis vitandũ: quia infantes faciliter ex multis cauſis incurrunt mortis periculũ. Eccleſia autem ſic ordinans, credidit ipſos ſic perpetuè damnari, ſi decederent non ſacramentaliter baptizati, & non baptizati baptiſmo ſanguinis, aliàs fruſtra hæc ordinaſſet. Eſt ergo de fide eccleſiæ, quod tales infantes æternaliter erunt damnati. Quapropter Auguſtinus de verbis domini, ſermone 79. ſic dicit, Venturus dominus, duas partes facturus eſt, dextrã & ſiniſtrã. Siniſtris dicturus eſt, Ite in ignem æternum. Dextris dicturus eſt, Venite benedicti, &c. Nullus inquam locus relictus eſt medius, ubi ponere queas infantes: & loquitur de infantibus non baptizatis, qui inducit (inquit) medium, recedit à medio. Cum ergo non erunt tales infantes non baptizati ſacramentaliter, nec in ſanguine, in dexterâ, propter illud Johan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpir. ſancto non poteſt intrare in regnũ dei: ſequitur quod erunt in ſiniſtrâ, & ideo in igne æterno. Sed hic dicit adverſarius, quòd probabile eſt, quòd illud Evangelium Johannis debet intelligi de aqua quæ fluxit de latere Chriſti in cruce: niſi quis renatus fuerit baptiſmo illius aquæ & baptiſmo in ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cœlorum: & hæc dicit cap. 22. quarti Trialogi. Sed hæc expoſitio nova eſt contra mentem Auguſtini, Chryſoſtomi & antiquorum doctorum, & quaſi omnium doctorum qui ſcribunt ſuper quartũ ſententiarum. Nam illi cum eccleſia concordant, quòd authoritas debet intelligi de aqua elementari. Unde ex traditione apoſtolicâ, per ſucceſſiones patrum uſq; ad nos deſcendente, ſic ſemper fuit illa authoritas Evangelii intellecta. Et ſic exponit ſcripturã evangelicam aliter quàm ſenſus ſpiritus ſancti efflagitat & aliter quã eccleſia ſenſit, ſine memoria de ſacramento eccleſiæ, & per conſequens hæreticè ſic exponit. Patet ergo, quòd iſte articulus eſt ſatis juſtè condemnatus, & pro articulo non facit adverſarius aliquam rationem dignam * recitatione.

[Margin: 2a. — Mos primitivæ eccleſiæ. — 3a. — 4a. — 5a. — Aqua quæ fluxit de latere Chriſti. — Doctores. — * Nec tu, refutatione: cum S. Auguſtinus audiat durus infantium pater hoc ipſo nomine.]

Quintus articulus condemnatus ut erroneus, eſt, quòd collatio ſacramenti confirmationis non eſt epiſcopis reſervata. Et eſt hic articulus ad illum ſenſum communem condemnatus, quòd presbyteri non epiſcopi poſſent authoritate ſacerdotali conferre ſacramentum confirmationis: quia ad hunc ſenſum ponit adverſarius articulum prædictum: unde & ponit epiſcopum & presbyterum idem eſſe, & non differre ſecundum poteſtatem ſacramentalem. Quam poſitionem recepit ab Armachano in [de quæſtionibus Armenorum 11. lib. cap. 1.] ex qua poſitione ſequuntur infinita abſurda, ſicut in alio opere contra Armachanum diffuſè deduxi. Quòd autem iſte articulus ſit ad hunc ſenſum juſtè condemnatus, patet primò ex decreto Melchiadis papæ,

[Margin: Quintus articulus Wiclefi. — Armachanus. — Reſponſio Wodfordi prima.]

S

papæ, quod ponitur in can. de conse. dist. 5. cap. De his. Ubi habetur, quòd hujus sacramenti collatio sit summis pontificibus accommodata, quod à minoribus perfici non potest. Patet
2a. idem secundò ex decreto Eusebii papæ: quod ponitur ibidem cap. Manûs: ubi sic: Manûs quoq; impositionis sacramentum, magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus: nec apostolorum tempore ab aliis quàm ab ipsis apostolis legitur, aut fertur peractū esse: nec ab aliis, quā ab his, qui eorum tenent locum, unquā perfici potest aut fieri. Dicit namq;, si aliter præsumptū fuerit, irritum habeatur, vacuū, nec inter ecclesiastica unquā reputabitur sacramenta. Patet ergo, quòd collatio sacramenti hujus
3a. est episcopis reservata. Patet idem tertiò ex decreto Urbani papæ, quod ponitur ibidem
4a. cap. Omnes fideles. Et patet quartò ex decreto Innocentii papæ, quod ponitur in can. de
5a. consec. dist. 4. cap. Presbyteris. Et patet quintò ex decreto Gregorii papæ quod ponitur
6a. ibidem cap. Presbyteri. Sextò patet idem ex Decretali Innocentii tertii, quæ ponitur extra de consuetudine cap. 5. ubi sic: Pervenit ad audientiam nostram, quòd quidam simplices sacerdotes; & apud Constantinopolim ea sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab apostolorum tempore fuerunt solis pontificibus reservata: ut est sacramentum confirmationis, chrismando renatos, quod soli debent episcopi conferre. Et pòst omnibus presbyteris distinctè præcipitur, ne talia de cætero sua temeritate præsumant. Et tanquam irritum,
7a. & sine effectu esset si sic facerent. Septimò patet idem ex decreto Leonis papæ, quod ponitur in can. dist. 68. cap. Quamvis. Ubi expressè habetur, quòd chorepiscopi, quando erant in ecclesia, non poterant hoc sacramentum conferre, non obstante quòd erant presbyteri majores & quasi medii inter episcopos & simplices presbyteros, ut habetur in diversis locis: ergo à fortiori, hoc non modò est licitum simplicibus presbyteris, sed collatio hujus sacra-
8a. menti est solis episcopis reservata. Octavò idem patet per Dionysium de ecclesiastica hierarchia cap. 5. ubi collationem sacerdotalium ordinum, consecrationem altaris & perfectionem divini unguenti*, intelligens chrismationem in fronte secundum peritiores, licet aliqui exponant hoc de consecratione chrismatis. Patet ergo, quod articulus est justè condemnatus. Pro isto tamen articulo allegat adversarius, quod olim episcopus & presbyter idem erant: Nec aliquam habet potestatem sacerdotalem episcopus, quin dictus simplex sacerdos habeat omnino in specie consimilem. Et ideo communiter secundum dicta habet dictus simplex sacerdos potestatem sacramentalem conferendi sacros ordines, consecrandi episcopos, confirmandi pueros & faciendi quicquid potest episcopus ex potestate sacramentali. Licet ecclesia statuerit per solos illos exerceri debere, qui episcopi dicuntur, ut in regimine major eis reverentia exhibeatur: in primitivâ tamen ecclesia non fuit in simplicibus sacerdotibus talis restrictio potestatis. Pro ista sententiâ non vidi argumenta adversarii: quia nulla facit ad hæc in Trialogo, sed supponit argumenta domi-
Armachanus. ni Armachani, quæ facit 5. cap. in 11. lib. de quæstionibus Armenorum, ostendens multis authoritatibus apostoli, quòd in primitivâ ecclesia non erat distinctio inter episcopos & simplices sacerdotes. Et hoc idem arguunt alii ex verbis Hieronymi, super epistolam ad Titum, quæ ponitur in Cano. dist. 95. cap. Olim. Istam autem sententiam Augustinus reputat hæreticam. Unde in libro suo de hæresibus recitat tanquam hæreticam sententiam Arriarorum sub his verbis: Arriani asserebant presbyterum ab episcopo nullâ
Arriani. differentia debere discerni. Nunc Arriani magis clerici bene sciverunt, quòd in regimine & jurisdictione episcopi à presbyteris erant distincti: quia presbyteri illorum erant sub regimine episcoporum Arrianorum: manifestè intellexerunt ergo quoad potestates sacramentales, quòd nullâ differentia deberent presbyteri ab episcopis discerni. Et hoc reputat Augustinus hæreticum. Et ideo ad authoritates allegatas per dominum Armachanum, respondeo: Concedo, quòd in principio ecclesiæ, immediatè post missionem spiritus sancti, & diu pòst, omnes creati sacerdotes dicebantur episcopi, & omnes episcopi presbyteri. Sed ex hoc non sequitur, quòd nulla fuit differentia inter episcopatum & sacerdotium, quoad potestates sacramentales: nec quòd episcopus ex gradu episcopali nullam haberet potestatem conferendi sacros ordines, vel confirmandi, nisi quam habet sacerdos ex gradu sacerdotali. Unde si nullus esset diaconus nisi sacerdos, sicut posset esse, nec aliquis sacerdos nisi diaconus, adhuc esset distinctio inter ordinem sacerdotii & ordinem diaconatûs: & haberet sacerdos nihilominus potestatem sacramentalem ex gradu sacerdotali, quam non haberet diaconus ex gradu diaconatûs. Et sic licèt authoritates allegatæ à domino Armachano concludant, quòd omnis sacerdos curam habens, tunc fuerit episcopus, vel saltem diceretur episcopus: non tamen concludunt quod non erat distinctio inter gradus episcopatûs & sacerdotii, nisi solum in potestate exercitii. Nec concludunt secundum verba Hieronymi allegata, quæ ponuntur in Can. dist. 95. cap. Olim. Nam ex verbis Hieronymi ibidem allegatis potest concludi, quòd in principio regiminis apostolici non erant episcopi per apostolos facti presbyteris majores, & quòd postea tempore

pore apostolorum episcopi per apostolos facti erant presbyteris majores. Nam Hieronymus ibidem volens reddere rationem, quare ex ecclesiæ consuetudine electus est unus ex presbyteris, qui aliis præponeretur & qui diceretur episcopus, sic ait, Antequam (diaboli instinctu) dissidia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Et sic postquam unusquisq;, quos baptizabat, putabat esse suos, non Christi, In toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris præponeretur & schismatum semina tollerentur. Hæc ille. Secundum ergo sententiam Hieronymi, antequam schisma illud surrexit in ecclesia, ecclesiæ gubernabantur communi presbyterorum consilio: ita quòd in regimine omnes fuerunt presbyteri, quasi æquales: & post illud schisma oppositum toto orbe terrarum, ubi fuit ecclesia, erat ordinatum ita quod unus in omni ecclesiâ aliis præponeretur. Sed tempore apostolorum fuit illud schisma, ut patet in scriptura illa, quia apostoli fuerunt & ante, & bene diu pòst, & ergo licèt in principio regiminis apostolorum, omnes presbyteri per eos facti, erant vel episcopi, vel illis æquales in regimine: tamen tempore apostolorum, & post schisma illud, oppositum fuit ordinatum per commune decretum in toto orbe, ubi fuit ecclesia. Quia ergo ante schisma illud, omnis sacerdos erat episcopus: non apparuit tunc distinctio episcopatûs & sacerdotii, sicut post schisma apparuit, quanquam in virtute & veritate tunc fuerit distinctio episcopatus à simplici sacerdotio: & quia ex primariâ ordinatione omnes sacerdotes fuerunt sacerdotes & episcopi, & ex secundaria institutione ecclesiæ, facta instinctu spiritûs sancti, non omnes sacerdotes facti sunt episcopi. Ideo dicit Hieronymus, episcopos magis consuetudine quàm dispensatione dominicæ veritatis presbyteris esse majores. Ex quibus patet, quòd authoritas Hieronymi non concludit, quin episcopus ex consecratione episcopali habeat potestates sacramentales, quas non habet sacerdos ex ordinatione sacerdotali. Et sic patet, quòd istud argumentum quod multis apparuit difficile, non concludit. Et motus sum ex verbis Dionysii quinto cap. ecclesiasticæ hierarchiæ, sic dicere: qui fuit * contemporaneus apostolorum, & fecit illum librum post illud schisma, & potuit melius scire intentionem apostolorum, quàm doctores posteriores. Distinguit enim sanctus Dionysius ibidem apertè tres ordines ecclesiasticæ hierarchiæ, loquendo de ordinibus sacris, ordinem hierarchiæ, ordinem sacerdotū & ordinē ministri. Per Hierarachiæ ordinem intelligit episcopū: & ministri ordinem, diaconum. Et distinguit omnes operationes cujusq;. Fuit ergo tempore apostolorum talis distinctio episcopatûs à sacerdotio, in potestate sacramentali. Et sic illud Hieronymi non concludit. Item pro articulo arguit, dominus Armachanus xi. lib. cap. 4. de quæstionibus Armenorum, sic de Anania loquitur qui erat quidem discipulus Damasci, Qui imposuit manus Paulo ut acciperet spiritum sanctum, quod erat ei (ut dicit) sacramentum confirmationis, quia aliàs non haberetur ex scriptura ubi recepit sacramentum confirmationis. Ex quo ergo scriptura nominat Ananiam discipulum, sequitur quod collatio sacramenti confirmationis pertinet ad non episcopos. Hic dico primò, quod si Ananias fuit tunc sacerdos, ex quo conversio Pauli fuit diu ante illud schisma, de quo prædictum est, quod simul fuit sacerdos & episcopus. Et authoritates quas adducit ibidem dominus eodem libro, evidenter ostendunt. Et ideo si contulit tunc Paulo sacramentum confirmationis, authoritate episcopali non sacerdotali solùm hoc fecit. Hic dico secundò, quod dominus Armachanus contradicit sibiipsi, dicendo Ananiam esse sacerdotem tunc & non episcopum: quoniam ibidem ponit cap. 5. quòd in ecclesia primitiva, nec in potestate sacerdotali, nec in potestate regiminis fuit distinctio episcoporum à presbyteris. Omnes ergo sacerdotes tunc erant episcopi, ut consequenter habet dicere. Ponendo ergo Ananiam fuisse tunc sacerdotem, & non episcopum, contradicit sibiipsi. Hic dico tertiò, quòd si illo modo sequitur, scriptura nominat Ananiam discipulum, ergo ille discipulus Ananias non erat episcopus: tunc sequitur, quòd apostoli non erant episcopi: quia scriptura nominat apostolos discipulos etiam bene post resurrectionem Christi, quando apostoli erant episcopi. Et sic ineptè arguit dominus iste. Hic dico quartò, quòd non est evidens, quòd illa impositio manuum per Ananiam facta Paulo, fuit confirmatio Pauli sacramentalis. Nam patet ex sacra scriptura, quod tunc nondum erat Paulus baptizatus. Et sic tenet ecclesia etiam, quod baptismus est janua aliorum sacramentorum. Et dico quintò, quòd ex hoc quòd non habetur ex sacra scriptura, ubi Paulus fuit sacramentaliter confirmatus, nullo modo sequitur, quòd Paulus non fuit sacramentaliter confirmatus: quia (ut testatur Augustinus) de aliis apostolis à Paulo, non habetur ex scriptura sacra ubi fuerunt sacramentaliter baptizati, ut patet in Canone expressè. Infinita enim sunt vera catholica, quæ non poterant nobis concludi evidenter ex contentis in sacra scriptura, ut patet Johannis ultimo. Patet ergo, quòd non valet hæc argumentatio. Iterum pro argumento arguunt alii sic, & difficulter: Papa Gregorius concessit sacerdotibus Græciæ, quòd possent confirmare, ut patet in Canone, dist. 95. ca. Pervenit.

Dicit in scripturâ patere, sed nihil probat.

Mirum, ubi legerit author de illo schismate.

*** Hoc pro ignorantiâ seculi.**

Argumentum Armachani, quo utitur Wiclefus.

Ananias fuit sacerdos & episcopus. Unde hoc?

Apostoli sacramentaliter baptizati.

venit. Sed hoc non potuit concedere eis ut licitè facerent, nisi haberent ex ordinatione sacerdotali potestatem confirmandi: quum potestas sacramentalis non conferatur ex concessa jurisdictione sed ex ordinis sacerdotalis consecratione. Sequitur ergo, quod simplices sacerdotes habent potestatem sacramentaliter confirmandi ex ordine sacerdotali. Unde narrat dominus Armachanus de quæstionibus Armenorum, quod hoc habet tota ecclesia Græcorum, quòd omnis conferens baptismum, statim confirmat: & sic erat in ecclesia primitiva post tempora apostolorum ut dicit Dionysius de ecclesiastica hierarchia, cap. 2. secundum eundem Armachanum cap. 4. undecimi libri. Hic dicunt aliqui, quòd Gregorius hoc concessit presbyteris Græciæ, propter scandalum & majus malum evitandum. Sacerdotes tamen tales sacramentum confirmationis non conferebant, sed quid sacramentale tantùm. Sed hanc sententiam alii non admittunt: quia citius scandalum permitti debet quàm veritas fidei & veritas doctrinæ vel vitæ debet amitti. Cum ergo populus credidit illos veraciter conferre sacramentum confirmationis, Gregorio papâ hoc sciente: ergo non bene propter scandalum vitandum hoc concessit eis: quia si sic, confirmare non potuerunt. Quapropter dixerunt alii, quòd authoritas papæ tanta est, quòd ejus mandato quilibet potest conferre quod habet, sed non potest conferre quod non habet: ut quod diaconus, item sacerdos conferat sacerdotium. Illi ergo sacerdotes ex quo erant sacramentaliter confirmati, poterant authoritate Gregorii papæ confirmare, licet non propriâ authoritate, ut dicunt isti. Sed ista sententia est nimis stricta ex una parte: quia si quis authoritate papæ conferre posset sacramentum, tunc in nullo casu posset non baptizatus authoritate ecclesiæ: quod constat esse falsum. Et est nimis larga ex alia parte: quia sic possent meri laici & mulieres authoritate papæ sacramentaliter confirmare, quod est temerarium asserere. Quapropter dixerunt alii, quòd confirmare sacramentaliter, conferre ordines majores vel minores, pertinet primò ad episcopum. Potest tamen ista committere papa sacerdotibus inferioribus: & in sic committendo, facit eos episcopos. Et ista est sententia Landolfi super quartum, & etiam aliorum. Sed ista sententia non est bona, neq; consona verbis Gregorii in 1. cap. Pervenit. Quia hoc non concessit sacerdotibus, ut patet in textu, nisi ubi episcopus desiit: ergo in hoc non fecit eos episcopos. Nec est quis episcopus verus ex sola commissione, sed requiritur consecratio, vel manuum impositio modo ecclesiæ primitivæ: ergo ex sola tali concessione, vel commissione non fecit eos episcopos. Item quamvis eis concessisset sacramentum confirmationis, non concessit tamen eis conferre ordines sacros superiores, nec conficiendi chrisma: ergo non fecit eos episcopos. Similiter abbates, quibus conceditur conferre ordines inferiores, & non sacros, non sunt ex hoc episcopi: ergo nec illi fuerunt episcopi. Quapropter dixerunt alii quod Gregorius quum fuerat homo & non deus, potuit errare, & quòd erravit in sic concedendo, quum solus episcopus possit esse minister debitus hujus sacramenti. Et ad hanc sententiam declinat Durandus de sancto Portiano super quartum, dist. 7. in fine. Et quia successores sui hoc factum correxerunt & oppositum decreverunt, ut patere videtur per superius allegata: ideo videtur aliquibus, quòd hæc sententia non sit tenenda. Dixerunt tamen alii è contrario, quod licet authoritate sacerdotii & propria non possit sacerdos simplex sacramentaliter confirmare: tamen authoritate papæ & ejus jussu potest in absentia episcopi, necessitate cogente. Et ad hanc sententiam declinare videtur magister Gratianus dist. 95. Cui sententiæ concordare videtur decretum Martini papæ, quod ponitur de consec. dist. 4. cap. Cum tempore. Quamvis alii intelligunt illud de signatione & unctione, quæ fit in solenni baptismo: quia in præsentia episcopi non debet simplex sacerdos solenniter baptizare, nisi volente episcopo & jubente. Quæ istarum duarum sententiarum sit verior, non intendo definitivè dicere. Sed hæc dico, quòd illa sententia, quæ ponit solis episcopis hanc potestatem posse competere confirmandi, & non posse eam non episcopo committi, tutior est: quia non procedit ad aliquod temerarium, magisque concordat Decretali Innocentii & decretis superius allegatis, & ab hæresi Arrianâ magis recedit. Sed quicquid sit de istis sententiis, manifestum est ex Decretali Innocentii, quod jam simpliciter prohibitum est omnibus sacerdotibus, non episcopis, sacramentum confirmationis conferre. Et ideo constat, quòd modò omnis collatio sacramenti confirmationis est episcopis reservata. Et ideo constat, quòd articulus iste est justè condemnatus. Et hoc quod narrat dominus Armachanus, quòd in ecclesiâ Græcorum omnis conferens baptismum statim confirmat, non valet: primò, quia in isto errant sicut in multis aliis erraverunt, quum secundum aliquos hoc sit contra rationem ordinis, & secundum omnes, contra prohibitionem ecclesiæ Romanæ, cui Græci & Armeni deberent obedire. Et iterum si ritè apud eos omnes conferentes baptismum statim confirmarent, tunc mulieres & obstetrices apud eos baptizantes in articulo mortis infantes, ritè etiam confirmarent sacramentaliter eosdem: quod temerarium est dicere. Et sic paganus in forma ecclesiæ, in articulo necessitatis baptizans, apud eos ritè immediatè sacramen-

Armachanus.

Mos primitivæ ecclesiæ.

Gregorius potuit errare.

Armachanus.

cramentaliter confirmaret,quod nunquã præsũpsit catholicus dicere. Et de hoc quod dominus Armachanus allegat Dionysium, 2. cap. ecclesiasticæ hierarchiæ, manifestum est, quòd in illo cap. nullum ponit baptizare, nisi Hierarcham, qui episcopus erat: licet ponat ibidem presbyteros alios assistentes & instituta circa baptizatum facientes, quos inter alia ponit post baptismum debere induere baptizatum veste albâ & reducere eum ad Hierarcham ut ab eo confirmetur. Et ideo illud cap. ecclesiasticæ hierarchiæ est in toto contra eum & nihil pro eo. Si quis autem omnino velit propter scientiam & sanctitatem Gregorii dicere, quòd licitè hoc concessit & potuit concedere simplicibus sacerdotibus, quod videtur debere concedere: tunc dico ad propositum articulum, quòd à principio per apostolos fuit institutum, quòd solùm episcopi authoritate propriâ confirmarent, & non simplices sacerdotes, non episcopi. Et ideo si simplices sacerdotes non episcopi, hæc attentarent sine authoritate superiori, nihil facerent quoad confirmationem sacramentalem: quia quando collatio sacramenti pertinet ad aliquem ratione ordinis & officii, licèt talis fuerit prohibitus per ecclesiam sacramentum conferre: si tamen facit, factum est, licèt peccet faciendo. Unde episcopi schismatici, symoniaci & excommunicati, verè conferunt ordines sacros & sacramentum confirmationis. Sed quando non ratione ordinis & officii, sed ratione ordinis & commissionis competit alicui conferre sacramenta, si sibi in radice prohibeatur conferre, si attentet conferre, nihil facit quoad hoc. Et ideo quia non competit simplici sacerdoti ex ordine & officio conferre sacramentum confirmationis, sed si sibi competit ratione ordinis commissionis: ideo tamen prohibitum sit omnibus simplicibus sacerdotibus hoc facere, per constitutionem Innocentii & aliorum summorum pontificum. Et ideo quamvis attentarent hoc sacramentum conferre, nihil facerent quoad hoc. Et ideo constanter dico quòd omnis collatio hujus sacramenti est episcopis reservata. Unde stante prohibitione, nec licitè, nec illicitè possunt sacramentum confirmationis simplices sacerdotes conferre, &c.

SExtus articulus ut erroneus condemnatus est, quòd tempore Pauli sufficiebant ecclesiæ duo ordines clericorum, sacerdos & diaconus: nec fuit tempore apostolorum distinctio papæ, patriarcharum, episcoporum: sed sufficit quòd sint presbyteri & diaconi secundum fidem scripturæ: quia superbia Cæsarea alios gradus adinvenit. Quòd iste articulus sit rationabiliter condemnatus, patet primò per decretum apostolorum, quod ponitur in Canone dist. 35. cap. Episcopus, ubi sic: Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aleæ aut ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus autem, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. Ex quo istud decretum est sumptum ex Canonibus apostolorum: patet quòd tempore apostolorum fuerunt subdiaconi, lectores & cantores in clero. Ex quo in clero distinguunt apostoli episcopos à presbyteris & diaconibus: patet quòd tempore apostolorum & tempore Pauli non sufficerent duo ordines ecclesiæ clericorum. Et ex quo apostoli distinxerunt inter episcopos & presbyteros: patet quod erroneum sit & forsitan hæreticum non distinguere inter illos. Patet idem secundò, quod Hieronymus in prologo super epistolam ad Colossenses expresse dicit quòd Paulus misit illam Colossensibus per Tychicum diaconum & Onesimum acolythum. Et super epistolam primam ad Thessalonicenses dicit etiam quòd Paulus misit illam per Tychicum diaconum & Onesimum acolythum. Et hoc idem dicit in prologo super secundam epistolam ad Thessalon. Igitur tempore apostoli Pauli fuit ordo acolythorum & non suffecerunt duo ordines. Patet idem tertiò, quod tempore Pauli & post schisma (de quo prædictum est superiori articulo) fuerunt episcopi à presbyteris distincti & diaconibus, sicut Dionysius apostolorum contemporaneus expresse docet in [de ecclesiast. hierarchia] loquendo de episcopo sub nomine Hierarchæ: ergo non sufficiebant tunc ecclesiæ duo ordines. s. sacerdos & diaconus. Patet hoc quartò ex sententia Clementis papæ, quæ ponitur in Canone dist. 25. cap. Audire. Fuit enim hic Clemens apostolorum contemporaneus sicut & Dionysius; & apostoli diversi supervixerunt post ejus martyrium. Dicit ergo sic: Audire episcopum, attentius oportet ab episcopo accipere doctrinam fidei, monita autem vitæ à presbyteris inquirere (quantum ad mores secundum glossam interlinearem) à diaconibus vero ordinem disciplinæ ecclesiasticæ secundum glossam. In quibus verbis sicut Clemens distinguit inter presbyterum & diaconum: sic inter episcopum & presbyterum. Non ergo sufficiebant tempore apostolorum duo ordines, sacerdos & diaconus, ut hic articulus falsè asserit. Patet idem quintò, quòd iste Clemens fuit contemporaneus Apostolorum, & à Petro Romanus pontifex ordinatus. Et in ejus decreto expresse continetur, quòd fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros decem, diaco-

Sextus articulus Wiclefi.

Responsio Wodfordi

Prima

Canones apostolorum apocryphi.

2a.

3a.

4a.

5a.

diaconos duos, episcopos per diversa loca xv. Linus verò præcessit Clementē in administratione pontificatûs Romani, ut patet in Chronicis, & in ejus continetur decreto, quod fecit ordinationes duas, in quibus ordinavit episcopos xv. presbyteros xviii. Anacletus etiam, qui successit Clementi exulanti, fuit pontifex Romanus, diversis apostolis adhuc viventibus, & habetur in decreto suo quod fecit presbyteros quinq;, diaconos tres, episcopos sex. Euaristus etiam successor Anacleti fuit pontifex Romanus, vivente adhuc Johanne Evangelistâ, ut patet in Chronicis: in cujus continetur decreto, quòd fecit presbyteros atque diaconos undecim, episcopos quinq;. Ex quibus patet evidenter, quòd tempore apostolorū ordo episcopalis fuit distinctus ab ordine sacerdotali, & quòd non sufficiebant ecclesiæ sacerdotes

6a. & diaconi, sed quòd ultra fuerunt episcopi in superiori gradu constituti. Patet hoc sextò ex decreto Clementis papæ contemporanei apostolorū: quod ponitur in Can. 84. cap. In illis civitatibus. Ubi sic Clemens: In illis civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi flamines atq; primi legis doctores erant, episcoporū primates vel patriarchas beatus Petrus jussit poni. In illis autē, in quibus dudū apud prædictos Ethnicos erant eorū archiflamines, quos tamen minores tenebant quā memoratos primates, archiepiscopos institui præcepit. In reliquis singulis vero civitatibus singulos & non plures episcopos constitui præcepit, qui ipsorum vocabulo tantum partirentur. Et subdit: quoniam (inquit) nec inter apostolos par fuit institutio, sed unus præfuit omnibus. Ex quo ergo jussu Petri apostoli hæc facta sunt, patet quod tempore apostolorum erat distinctio patriarcharum, archiepiscoporum & episcoporum: & ex quo jussu Petri apostoli hæc facta sunt, patet quod erroneè nimis dictū est, quòd superbia Cæsarea hos gradus adinvenit. Etiam ex quo jussu beati Petri apostoli in singulis reliquis civitatibus, singuli & non plures episcopi constituti sunt: patet quod tunc non plures presbyteri, vel non singuli presbyteri fuerunt etiam episcopi: cum in eadē civitate essent plures presbyteri, & non plures episcopi. Et ex quo inter apostolos non par fuit institutio, sed unus præfuit omnibus, quid mirum si inter omnes presbyteros non fuit par institutio, sed unus, ut episcopus eorum, eis præfuit. Patet ergo multipliciter ex isto processu sancti Cle-

7a. mentis, quod iste articulus est falsus nimis & erroneus. Patet hoc alio: quia non obstante ordinatione divina in veteri testamento de certis ordinibus ministrorum in templo: tamen diu pòst David rex & propheta in ampliationem cultus divini, instinctu spiritus sancti alios ordines superaddidit & adinvenit, ut ordines cantorum, Nathineorum de quorum ordine fuit ille Nathanael, de quo Christus dixit in Evangelio: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est: & ordinem etiam janitorum, quem nos vocamus ostiariorum. Si ergo quis diceret, quod superbia Cæsarea hos ordines cantorum, Nathineorum & janitorum adinvenit, turpiter erraret: ergo à pari quamvis post tempora apostolorum ecclesia à spiritu sancto directa, aliquos ordines adinvenisset, erroneè diceretur quòd superbia Cæsarea illos ordines adinvenisset. Et ideo constanter potest dici, quòd iste articulus est erroneus.

8a. Patet octavò, quòd iste articulus est erroneus, quia dicit quod tempore Pauli sufficiebant duo ordines clericorum, sacerdos & diaconus. Nam isti non sunt duo ordines sacramentales: sed bene sacerdotium & diaconatus sunt sic duo ordines. Non enim est sacerdos sacerdotium, nec diaconus suus diaconatus: & ideo erroneè loquitur in isto cap. vel articulo. Et ideo articulus iste est ut erroneus, justè condemnatus. Pro isto argumento non facit adversarius aliud argumentum, nisi quod idem sunt episcopus & presbyter, ad quod responsum est in articulo superiori. Quod autem dicitur in decreto Urbani papæ & in aliquibus aliis doctoribus, quòd solos ordines sacerdotii & diaconi legitur primitiva ecclesia habuisse, & quòd procedente tempore ipsa ecclesia inferiores ordines instituit: oportet aliter intelligere quàm verba sonant, ut ex præmissis evidenter ostenditur. Dico ergo, quod ordines inferiores diaconatu non habuit primitiva ecclesia, tanquam sacramentales, & sacramentaliter datos sub signis sensibilibus, ut postea habuit: habuit tamen illos, ut patet ex præmissis, & ut patet in Dionysio de ecclesiastica hierarchia, cap. 3. ubi tractat de psalmista, lectore & ostiario. Vel potest dici quòd procedente tempore post tempora apostolorum ecclesia instituit ut ad superiores ordines nullus ascenderet, nisi prius receptis ordinibus inferioribus: cujus oppositum factum fuit in ecclesia primitiva, ita quod solùm habuit ecclesia primitiva ordines superiores suos in clericis absq; ordinibus inferioribus in eisdem: & posterius habuit illos in clericis ordinibus, cum inferioribus in eisdem. Vel (quod verius puto) intendebat Urbanus, quòd non legitur in sacra scriptura, quòd ecclesia primitiva plures ordines habuit quàm sacerdotium & diaconatum: in sacerdotio includens episcopatum: sed quod posterius ordines inferiores & superiores per ecclesiam fuerunt propalati & manifestati. Ex quo nullatenus sequitur, quòd ordines inferiores & superiores, ut puta episcopatus, archiepiscopatus, patriarchatus & papatus, non fuerunt in ecclesia dei: quia multa fuerunt in ecclesia primitiva, quæ non sunt posita in sacra scriptura. De hoc ista sufficiant dicta.

[Margin notes: Apocryphi. — Jussu Petri. — Oportet aliter intelligere quàm verba sonant. — Bene solvit.]

Septi-

SEptimus articulus condemnatus in universali suo intellectu est, quòd antiqui qui ex cupiditate rerum temporalium ex spe mutuorum juvaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licèt de prole desperent, copulantur adinvicem, non verè matrimonialiter copulantur. Tales enim propositiones indefinitæ, & in jure, & in theologia, ac plures in philosophia universaliter intelliguntur, & ad intellectū istū est articulus condemnatus, & etiam positus ab adversario. Et quòd sit falsum ad illum intellectum, patet primò, quia ex articulo sequitur, quòd quandocunq; contrahentes desperant de prole, non contrahant matrimonium verum, & sic non contingeret ex alia causa contrahere matrimonium verè in infirmitate mortali, quando quis desperat & de vita & de sanitate, cujus contrarium tenuit & tenet universalis ecclesia. Et patet consequentia: quia tunc desperant de prole inter se mutuò, ex quo uterq; desperat de sanitate, & vita viri. Item contingit verum matrimonium contrahi cum firmo proposito continentiæ ex mutuo consensu: aliàs non fuisset verum matrimonium inter Mariam & Joseph: ergo & contingit verum matrimonium contrahere, quamvis uterq; desperet de prole. Patet idem secundò ex verbis Augustini quæ ponuntur in Can.2.q.1.cap.Nuptiarum.Ubi habetur,quòd bonum nuptiarum aliquando fuit legis obsequium: nunc infirmitatis remedium, & quibusdam humanitatis solatium. Et super verbo, infirmitatis remedium, dicit Glossa, ita quod non legis obsequium. Et super verbo, humanitatis solatium, dicit Glossa, quod est pro senibus, qui tamen possunt medicinâ calefieri, quamvis sint bene senes. Ex quo ergo sint multæ mulieres, postquam deficiunt eis muliebria, & quæ assuefactæ fuerant ad usum matrimonialem, quoniam indigent infirmitatis remedio, ideo quamvis desperent de legis obsequio, licitè contrahunt matrimonium pro infirmitatis remedio.

Septimus articulus Wiclefi. Responsio Wodfordi prima. 2a.

Patet idem tertiò, nam æque est fidelitas thori bonum matrimonii, sicut & proles: sed non obstante quòd mulier desperet de fidelitate viri quoad thorum, & vir ipse de propria fidelitate, licitè contrahunt matrimonium mutuò, cum non inveniatur prohibitio. Ideo quamvis etiam uterque desperet de prole, licitè contrahunt adinvicem matrimonium, alio impedimento non existente. 3a.

Patet istud quartò, quia sterilitas uxoris non impedit verum matrimonium contractum, si sit legitimè probata & sit notoria: aliàs Sara non fuisset verè uxor Abrahæ,cujus contrarium habetur in Genesi, in diversis cap. Ipsa enim notoriè fuit sterilis in senectute, quando per miraculum, & non naturaliter concepit. Nec Anna fuit uxor Helcanæ, quia sic notoriè erat sterilis, quod Fenenna exprobravit sibi sterilitatem suam: cujus tamen contrarium patet primo Regum, primo: Unde propter solam sterilitatem legitimè probatam, nunquam facit ecclesia divortium: sed bene propter impotentiam utendi actu matrimoniali ecclesia facit divortium. Ex quo ergo sterilitas legitimè cognita stat cum vero contractu matrimoniali, patet quòd desperatio de prole stat cum vero contractu matrimoniali: erroneè ergo ponitur in articulo, quòd non est verè contractus matrimonialis inter senes, propter hoc quod desperent de prole. 4a.

Quintò patet idem, quòd generatio prolis non est de essentia matrimonii, cum nullum posterius sit de essentia sui prioris secundum tempus: matrimonium autem solennizatum præcedit tempore generationem prolis. Unde justi antiquitus primâ nocte post matrimonium solennizatum, vacabant orationi & devotioni & non operi conjugali. Nec forsan obligatio ad educationem prolis, si contingat naturaliter generare prolem, est de essentia matrimonii. Nec potestas naturaliter generandi prolem, est de essentia matrimonii, cum (ut præmittitur) cognita sterilitas stet cum vero matrimonio. Nec forsan naturalis potestas utendi actu matrimoniali requiritur in sano ad contractum matrimonii, cum stet infirmatum, quasi in articulo mortis, verum contrahere matrimonium: quod patuit supra, licet naturalis potestas utendi actu matrimoniali requiritur in sano ad contractum matrimonii. Ex quo ergo naturalis impotentia generandi stat cum vero matrimonio, & non sit de essentia matrimonii naturalis potentia generandi, sed stat illa impotentia naturalis in adultis juvenibus cum vero matrimonio; Igitur à fortiori stat, senes verè contrahere matrimonium, non obstante tali impotentiâ naturali. Sufficit enim senibus sanis naturalis potentia utendi actu matrimoniali ad contractum matrimonii, quamvis non sit in uxore naturalis potestas generandi. Et ideo erroneè in capite vicesimo quarto, ubi ponitur iste articulus, ponitur in descriptione matrimonii, licentia, sive potestas procreandi filios: loquendo de potestate naturali, ut ipse loquitur: & erroneè propter hanc causam ponit non esse verum contractum matrimonii inter senes de prole desperantes, cum hac causa non obstante possit inter juvenes esse verum matrimonium. 5a.

Sextò

6a. Sextò patet idem, quòd ecclesia ubique terrarum in quibus consistit, solennizat talia matrimonia inter senes & virum juvenem & mulierem antiquam de prole desperantem, quod non faceret ecclesia solemniter, si essent talia matrimonia illicita, & non vera: ergo hic 7a. articulus est contra sententiam ecclesiæ manifestè erroneus. Septimò patet idem, quia tunc omnis juvenis copulatus antiquæ mulieri, & omnis senex tali copulatus, cognoscendo eam carnaliter, peccaret mortaliter: quia extra statum veri matrimonii eam carnaliter cognosceret, & contra divinum præceptum, quod est erroneum & forsitan hæreticum. Et consequenter sequitur, quòd ecclesia graviter peccavit, & adhuc peccat non divortiando tales; cum scire deberet eos male copulatos & matrimonium inter eos esse non posse, quod di- 8a. cere est hæreticum. Octavò patet idem, quia non intendens prolem, sed causâ explendæ libidinis præcipuè contrahens matrimonium, nihilominus verè contrahit matrimonium, quia obligat se ad onera matrimonii, ut docet Parisiensis in [de sacramentis] ubi tractat de sacramento matrimonii. Igitur à fortiori non intendens prolem, sed causa fornicationis vitandæ vel causâ juvaminis præcipuè contrahens matrimonium non minus verè contrahit, & à pari desperans de prole verè potest contrahere matrimonium. Et sic inter senes qui causa vitandæ libidinis vel ex cupiditate temporalium, vel spe mutuorum juvaminum copulantur adinvicem, stat esse verum matrimonium: & dicere oppositum, est falsificare scripturam de matrimonio Abrahæ & Saræ, de matrimonio Helcanæ & Annæ & de matrimonio David & Abisach Sunamitis & multorum aliorum: & oppositum dicere, est dicere ecclesiam errasse turpiter & errare solennizando talia matrimonia inter senes & etiam non divortiando postquam fuerint solennizata. Et ideo iste articulus est meritò condemnatus.

Pro isto articulo adversarius nullum facit argumentum, nisi quòd suponit matrimonium fuisse primitus institutum in officium pro generatione prolis. Et ex hoc nititur concludere, quòd ubi est desperatio de prole non est verum matrimonium. Sed ostendo, quod argumentum non valet: quia sic ubi esset desperatio inter conjuges de prole, non esset actus conjugalis inter eos actus verè matrimonialis: & sic, si post conceptionem prolis uteretur eâ maritus ante partum, non esset usus ille verè matrimonialis, cum post conceptionem prolis inter eos sit desperatio de prole generanda usque post partum uxoris; & sic esset usus ille adulterium, vel fornicatio & peccatum mortale; quod nullus Catholicus diceret. Secundò non valet argumentum, quia licet in paradiso institutum fuerit matrimonium in officium solummodo secundum aliquos: tamen post peccatum ordinatum fuit matrimonium in remedium, & causâ fornicationis vitandæ & propter solatium & juvamen. Et ideo licèt fuerit primitus institutum propter prolis generationem & officium, tamen posterius ordinatum erat propter alias causas, propter quas quis potest legitimè contrahere matrimonium, licet non propter generationem prolis. Tertiò non valet argumentum, secundum illos qui ponunt, quòd omnes pro statu innocentiæ, si nullus peccasset, fuissent matrimonio copulati: quia tunc ultimi in omni linea descendente ab Adam, fuissent matrimonio copulati, & nullus talis usus fuisset actu conjugali, quia ibi fuisset actus conjugalis solùm in officium & non in remedium: & ideo nunquam fuisset ibi quis usus actu conjugali, nisi quando prolem procreasset: & si prolem procreasset, non fuisset ulterius in linea, & ideo nullus ulterius in alia linea usus fuisset actu conjugali. Et si quilibet fuisset ibi matrimonio copulatus ut dicunt aliqui sapientes, sequitur quod ibi fuisset matrimonium propter solatium & non in officium, nec propter intentionem prolem generandi: & à multo fortiori, sic potest esse apud nos post peccatum. Et ideo dicitur, quòd non valet argumentum.

Octavus articulus Wiclefi.

Octavus articulus condemnatus, ut hæreticus, in suo universali intellectu est, quòd causæ divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis sunt infundabiliter humanitus ordinatæ. Unde ad talem universalem intellectum ponit articulum adversarius ut patet ex argumento suo pro articulo. Et quòd sit hæreticus, & contra sacram scripturam expressè, sic ostenditur. Nam patet Genesis secundo, ex ipsa institutione sacramenti, quòd consanguinitas in primo gradu secundum lineam ascendentium & descendentium impedit matrimonium, sic quòd nec filius potest contrahere

Responsio Wodfordi prima.

cum matre, nec pater cum filiâ. Nam Deus ex institutione matrimonii, dixit, quòd propter hoc relinquat homo patrem & matrem & adhæreat uxori suæ. Est ergo contra institutionem divinam in sacra scriptura expressam, quòd pater cum filia, aut filius cum matre contrahat matrimonium: & ideo consanguinitas in primo gradu secundum lineam ascendentem vel descendentem, est ex lege divinâ justa materia causæ divortii.

Patet

Patet hoc secundò, quia xiiii. Levitici prohibitum est viris contrahere in primo & secundo gradu, & hoc undique, supra, infra & juxta. Supra, quia prohibetur ibi viro expressè contrahere cum sorore patris sui scilicet amitâ, & cum sorore matris suæ, scilicet materterâ: & hic est secundus gradus, & supra. Item prohibetur ibi expressè contrahere cum filia fratris vel sororis, & hic est secundus gradus juxta. Item prohibetur ibi expressè contrahere infra se cum filia suâ,& hic est primus gradus. Item cum filia filiæ suæ vel filii sui,& hic est secundus gradus, ita quòd jure divino & jure sacræ scripturæ omnes istæ consanguinitates impediunt matrimonium & dirimunt: & per consequens dicere quòd omnes causæ divortii ratione consanguinitatis sunt infundabiliter humanitus adinventæ, est hæresis contra scripturam, quia satis fundatur 18. Levitici. Patet idem tertiò de affinitate, quia prohibetur ibidem 3a.
contrahere matrimonium cum uxore fratris, si frater habuerit de uxore prolem: & illam prohibitionem propter justam causam divortii allegavit in evangelio Johannes Baptista Herodi dicens, Non licet tibi tollere uxorem fratris tui. Et ibidem præcipitur, quòd nullus accedat ad uxorem alicujus,qui sibi affinitate conjungitur. Et ibi prohibetur conjunctio cum filia uxoris,& cum filia filii uxoris,& cum filia filiæ illius,quia in textu dicitur,talis coitus incestus. Patet ergo ex sacra scriptura, quòd causæ divortii,& ratione consanguinitatis,& ratione affinitatis sunt divinitus adinventæ. Et ideo iste articulus est positus expressè contra sacram scrituram,& per consequens est hæreticus. Patet idē quartò, quòd sic hæreticum est asserere per- 4a.
tinaciter,quòd ecclesia militans non haberet potestatem à Christo illegitimandi ex sufficienti causa certas personas ad contractum matrimonii inter se mutuò, & ad legitimandum aliquas similiter: sicut hæreticum est asserere, quòd ecclesia militans non habet potestatem legitimandi certas legitimas personas ad susceptionem sacri ordinis. Cum ergo de facto, ut patet multipliciter in jure Canonico,ecclesia illegitimavit propinquè consangineos ad matrimonialem contractū, & inter se propinquè affines ex sufficienti ratione, quā doctores communiter ponunt: patet quòd hæreticum est asserere secundū universalem intellectū,quòd causæ divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis, sunt infundabiliter humanitus adinventæ: cum aliquæ sint inventæ à jure divino, & aliquæ humanitus, ex inspiratione spiritus sancti adinventæ sunt & ex sufficienti ratione. Et sic patet, quòd iste articulus est justè ut hæreticus condemnatus. Pro isto tamen articulo 2. cap. 4. lib. arguit adversarius sic:

'Tempore primi hominis fratres & sorores fuerunt ex ordinatione divina adinvicem matrimonialiter copulati,& tempore Patriarcharū Abrahæ,Isaac & Jacob satis propinquè cognati adinvicem fuerunt matrimonialiter copulati: & non subest causa, quare hoc non licet hodie, nisi humana ordinatione, quæ dicit non solum ex cognatione sed ex affinitate amorem inter homines dilatari. Sed causa hæc hominum est nimis debilis inquit. Et sic omnes causæ divortii ratione consanguinitatis vel affinitatis sunt infundabiliter humanitus adinventæ. *Argumentum Wiclefi.*

Et patet, quia ratio non est alicujus valoris, quia assumit falsum in minori, quod non subest causa quare hoc non licet hodie, nisi humana ordinatio: cum ordinatione divina sit hoc prohibitum modò, ut ex præmissis palam deducitur. Tempore enim primi hominis necessitas ad hoc cogebat, ut frater contraheret cum sorore, cum non esset alia cum qua posset contrahere. Et tempore Patriarcharum pauci fideles erant, & non erat bonum contrahere cum idololatris, & ideo necessitas cogebat eos accipere cognatos propinquos in conjugium. Post tempora Patriarcharum datâ lege & multiplicatione fidelium non erat hoc necessarium. Et ideo extunc tanquam valde rationabile à deo fuit prohibitum: & non solùm ab homine, sicut falsè hic assumit. Secundò patet, quòd hæc 2a.
ratio non est alicujus valoris: quia matrimonium non solum est ordinatum post peccatum propter prolis generationem, sed etiam propter confœderationem hominum sanctam & amicitiam multiplicandam. Cum igitur naturaliter homo diligat suas consanguineas propinquas, & è converso, & naturaliter diligat uxorem & ejus cognatas propinquas, major est hominum sancta confœderatio, & major multiplicatio amicitiæ, si recipiantur extraneæ, vel multum remotæ à sanguine in conjugium, quàm si recipiantur de propinquo cognatæ. Et ideo ex hac ratione magnâ à deo & ecclesia approbatâ, non solum prohibitæ sunt copulæ matrimoniales in primo & secundo gradibus, sed etiam in tertio & quarto. Et ideo falsè assumit in argumento, quòd hæc ratio humanæ prohibitionis est nimis debilis. Nec ad hæc aliquod facit argumentum vel colorem. Tertiò patet idem, 3a.
quòd non valet argumentum, quia conformiter posset dicere, & consimili ratione, quòd licitum est modò eundem habere plures uxores simul: quia tempore Patriarcharum Abrahæ & Isaac & Jacob hoc fuit licitum: & quòd licitum est sacerdotibus modò post adeptum sacerdotium, noviter contrahere matrimonium: quia hoc fuit licitum tempore Patriarcharum & veteris testamenti. Nec contra hoc est aliquid positum in jure divino, & tamen nec apud Græcos vel orientales est hoc licitum: licèt licitum sit matrimonio copulatos apud eos fieri sacerdotes. Et conformiter posset concedere, quòd omnes causæ divor-

Prima Responsio ad argumentum.

divortii, ratione solennis voti continentiæ sunt infundabiliter humanitus ordinatæ: & omnes causæ divortii propter servitutem, propter publicæ honestatis justitiam & propter cognationem spiritalem vel legalem sunt infundabiliter humanitus ordinatæ: & per consequens omnes divortiati per ecclesiam, sola ratione consanguinitatis, vel sola ratione affinitatis, vel sola ratione ordinis sacri, vel sola ratione solennis voti in professione religiosi, vel sola ratione servitutis prius incognitæ, sed pòst probatæ, vel sola ratione spiritualis cognationis vel legalis, vel solummodo propter publicæ honestatis justitiam, sunt & fuerunt ab ecclesia male divortiati, contra illud evangelium Christi: Quos deus conjunxit, homo non separet. Et consequenter sequitur, quòd sic divortiati nubentes aliis, vixerunt in adulterio medio tempore & in peccato mortali. Et consequenter sequitur, quòd omnes leges ecclesiæ decernentes talia divortia esse justa, sunt leges contra evangelium ordinatæ & sic hæreticales. Et consequenter, quòd ecclesia à tempore quo promulgavit illas leges & eas justè publicè definivit, fuerit hæretica. Et multò melius, & multò securius est condemnare articulum istum ut hæreticum quàm sic condemnare militantem ecclesiam.

Nonus articulus Wiclefi.

NOnus articulus condemnatus ut erroneus est, quòd hæc verba, Accipiam te in uxorem, eligibiliora sunt pro contractu matrimonii, quàm hæc verba, Accipio te in uxorem; & quòd contrahendo cum una per hæc verba de futuro, Accipiam te in uxorem, & pòst cum alia per hæc verba de præsenti, Accipio te in uxorem, non debent frustrari verba prima propter verba secundaria de præsenti. Quòd iste sit erroneus, patet Primò ratione, quia ex hoc quòd quis promittit se facturum aliquid, non facit illud: sed per ista verba de futuro, Accipiam te in uxorem, solùm promittit se accepturum illam in uxorem in futurum: ergo per hæc verba sola cum consensu quòd accipiam in futuro, non accipit illam in uxorem: sed per hæc verba de præsenti, Accipio te in uxorem. Et, Accipio te in maritum cum consensu requisito fit verum matrimonium in actu. Et ideo eligibiliora sunt illa verba de præsenti pro contractu matrimonii, quàm illa de futuro. Secundò patet, quòd iste articulus est erroneus, authoritate ecclesiæ, extra: de sponsalibus libro quarto. cap. Si inter virum & mulierem impub. Et extra: de sponsalibus, cap. primo. Tertiò patet quòd articulus sit erroneus, ex concordi sententia Theologorum in hac materia super quartum, & juristarum scribentium in eadem materia. Et ideo iste articulus non est solùm ut erroneus, sed ut fatuus condemnandus. Arguit tamen adversarius pro isto articulo tripliciter, & primò:

Responsio Wodfordi prima. *2a.* *3a.*

Argumentum Wiclefi primum.

'Sicut in verbis qualitercunq; aptatis potest esse deceptio: ut dicendo de præsenti, Accipio te in uxorem, potest esse quòd mens dicat oppositum, propter complendam voluptatem carnalem. Cum ergo verbum mentis præponderantius sit verbo oris, & ad verum matrimonium requiritur consensus mentis: sequitur quòd non sit necessarium per verba hæc de præsenti. Judices ergo, qui ex nudis verbis judicant pro matrimonio, judicant contra judicium legis dei. Et maledicta (inquam) sit lex hujusmodi, quia judex coarctat per censuras fictas contrafacere contrariè legi dei.

Responsio ad primum argumentum prima.

Hic respondeo primò, quòd idem argumentum omnino potest fieri de istis verbis, Accipiam te in uxorem, quale ipse facit de istis verbis de præsenti, Accipio te in uxorem, ut cuilibet intuenti patet. Et ideo arguit in hoc contra seipsum. Hic dico secundò, quòd
2a. magister iiii. sententiarum videtur sentire, quòd licèt ad matrimonium duo debent concurrere, consensus & verba, vel aliud verbis æquivalens: tamen non requiritur ad matrimonium consensus in matrimonium, sed sufficit consensus in verba matrimonialia cum illis verbis. Nam aliàs nullus posset certitudinaliter scire, an sit matrimonio copulatus, vel non: cum non possit, nisi per verba & signa cognoscere voluntatem interiorem. Et hac sententia magistri data, patet, quòd non valet argumentum: quia quantumcunque mens non consentiat ad verum matrimonium, consentit tamen in casu argumenti in verba matrimonialia. Et iste sensus cum prolatione verborum sufficit pro matrimonio secundum opinionem
3a. istam. Hic dico tertiò, quòd magni doctores tenent contra sententiam magistri, dicentes, quòd requiritur verus consensus in matrimonium ad matrimonium, & quòd non sufficit consensus in verba matrimonialia. Et consequenter tunc dicendum est ad argumentum, quòd in casu argumenti mulier debet supponere virum consensisse, quousque habet evidentiam ad oppositum Et sic debent judices supponere virum consensisse, quousque oppositum ostendatur evidenter, quod tamen ostendere in foro judiciali, est valdè difficile. Nec peccat mulier medio tempore, reddendo debitum, sed debet certitudinaliter credere se esse veram uxorem, quousque ostendatur evidenter oppositum.

Et

Et consequenter dicendum, quòd non fit matrimonium per sola verba hujusmodi de præsenti, quia ultra requiritur consensus: nec judices judicant ex nudis verbis ibi esse verũ matrimonium, ut falsè supponit in argumento, sed judicant ex verbis illis de præsenti, & suppositione consensûs, quæ supponere tenentur, quousq; habeant evidentiam in oppositum: tamen non debent male sentire de viro sine causa manifesta vel evidenti. Et sic patet quomodo peccat argumentum. Hic dico quartò, quòd erroneè supponit in argumento, quòd 4a. omnis lex est maledicta, qua judex coarctat per censuras facere contrariè legi dei: cum judex per censuras in foro publico debeat in certis casibus compellere ad illud, ad cujus contrarium debet consulere in foro pœnitentiali, & secundum legem dei: ut cum judices seculares ignorantes omnino veritatem negotii, nisi quatenus per * duodenam informati lege justa sentiant secundum sententiam duodenæ: quamvis duodena ex malitia, vel ex cupiditate, vel timore, vel ex errore sentiat contra veritatem, & contra legem dei: aliàs periret jus commune. Secus tamen foret secundum aliquos doctores, si judex sciret in conscientia sua aliunde, sententiam duodenæ fore falsam. Patet ergo, quòd undique peccat illud argumentum.

* I.e. Sententiam 12 hominum in causam aliquam inquirentium, Judici declaratam, pro consuetudine Angliæ.

Secundò arguit adversarius sic:

Argumentum Wiclefi secundum.

'Hæc verba de præsenti Accipio te in uxorem, quando proferuntur, sunt falsa: ergo contractus per ea factus, est contractus falsus, quem deus non approbat. Assumptum arguit sic: 'Falsum est in prolatione verborum, quòd nunc capio te in uxorem: quia sic subitò foret 'matrimonium completum & non ulterius aliquid implendum: quod contradicit, inquam, 'Legistis illius sententiæ & usui ecclesiæ.

Responsio ad argumentum.

Hic breviter respondetur, quòd verba primò dicentis, Accipio te in uxorem, istum sensum habent subintellectum, quantũ ex parte mea est. Et cum isto subintellectu sunt verba vera, & tamen per illa sola non est matrimonium utrobiq;. Sed cùm mulier dixit prius, Accipio te in maritum meum, vel aliquid æquivalens, tunc est completum matrimonium: & juristæ non contradicunt in hoc, nec usus ecclesiæ: licet dicant juristæ matrimonium nondũ esse consummatum, fatentur tamen quod est ibi tunc completum matrimoniũ & sacramentum. Et sic patet, quòd non valet argumentum. Tertiò aguit idem Sophisticé.

Argumentum Wiclefi tertium.

'Si per verba illa de præsenti fit matrimoniũ, ita quòd illis ritè prolatis sit primò matrimo'nium, tunc sequitur oppositum in adjecto, quia cum vox quando desinit esse, non est, ex quo 'hæc verba tunc non sunt, non faciunt matrimonium, tunc nec sunt matrimonio compossi'bilia, & ideo non potest fieri matrimonium per illa verba de præsenti.

Responsio ad argumentum prima.

Hic respondeo primò, quod consimile argumentum potest fieri de illis verbis, Accipiam te in uxorem, quæ ponit eligibiliora esse pro matrimonio contrahendo: quia ante prolationem verborum non est matrimonium ibi, & facta prolatione omnino non est sicut nec illa de præsenti. Hic respondeo secundò, quòd, si iste modus arguendi esset bonus, destru- 2a. erentur omnia sacramenta ecclesiæ. Nam non est in altari sacramentum eucharistiæ ante prolationem verborum sacramentalium: & facta prolatione, verba non sunt: & ex quo non sunt, tunc non fit per illa sacramentum in altari. Tunc consimiliter sacerdos quando baptizat, dicit, Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: ante finem verborum non est ibi sacramentum baptismi, & in fine verborum verba non sunt: ergo non fit per verba illa baptismus sacramentalis. Hic respondeo tertiò, quòd, si iste modus arguendi 3a. esset bonus, non solùm destrueretur Theologia, sed etiam Philosophia. Nam cum dicit Astronomus, sol est nunc in tali puncto vel in tali aspectu, cum non sit ibi per tempus sed per nunc, & oratio currat per tempus, ex quo est res successiva: quomodo posset concurrere existentia orationis, cum de veritate rei certum est quòd est impossibile? Et consimile argumentum potest argui de omnibus instantaneis, de quibus tractat philosophia. Dico ergo 4a. finaliter ad argumentum, quòd duplex est veritas orationis vocalis: veritas suæ existentiæ, quam non habet simul sed successive, & desinit hæc veritas in fine orationis. Alia est veritas suæ significationis, quæ non competit sibi ex se & secundum se, sed in ordine ad intellectum concipientis vel concipientium. Quamvis ergo oratio talis, quando est in suo termino, non sit aliquid in sui existentia, est tamen tunc in memoria & apprehensione concipientis vel concipientium, potius quàm antequam fuit in sui existentia successiva, & magis habet rationem signi & veritatem suæ significationis. Et ideo licèt illa verba non sint compossibilia in sua existentia successiva cum illo matrimonio: sunt tamen componibilia prout sunt in memoria concipientium & quando habent veritatem suæ significationis. Et dato absolutè, quòd non essent matrimonialiter compossibilia, ex hoc non sequitur, quòd per illa verba forma non est generationi & inductioni formæ componibilis: ergo per illam alterationem non fit inductio formæ, nec etiam sequitur motus successivus, quo acquiretur quies & terminus motus. Patet in multis exemplis, quòd non valet talis modus arguendi, & ideo argumentum adversarii nihil concludit.

Decimus

Decimus articulus Wiclefi.

DEcimus articulus condemnatus, est, quòd isti duodecim sunt procuratores Antichristi & discipuli Antichristi: Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archipræsules, Episcopi, Archidiaconi, Officiales & Decani, Monachi & Canonici Bifurcati, Pseudo fratres introducti jam ultimò & Quæstores. Et patet ex processu; quòd loquitur de istis secundum status eorum & generali locutione. Et patet tunc, quòd iste articulus est meritò condemnatus, quia status Papalis est à Christo institutus, quando præposuit Petrum non solùm militanti ecclesiæ sed etiam collegio Apostolorum, prout fit clarè ex sacra scriptura. Dominus Armachanus libro de quæstionibus Armenorum: Status ergo papalis sanctus & bonus: cujus oppositum, quia contra sacram scripturam, est hæreticum. Et aliter nec Petrus, nec aliquis alius sanctus, Papa fuit post ascensionem Christi. Cardinales etiam à Petro fuerunt instituti, licet non sub nomine illo: quia antiquitus in ecclesia primitiva, illi qui dicuntur nunc Cardinales, dicebantur presbyteri ecclesiæ Romanæ. Patriarchæ & omnes archiepiscopi à Petro fuerunt instituti, sicut ex prædictis palam patet. Ipsi à Christo fuerunt instituti, quando fecit Apostolos episcopos, & Apostoli episcopos instituerunt per civitates, ut in sacra scriptura palam habetur. Archidiaconi fuerunt ab Apostolis instituti, sicut & diaconi. Unde & in legendâ, qua utitur Curia Romana, in festo inventionis sancti Stephani, sic habetur: Corpus protomartyris in Syon ad sanctam ecclesiam, ubi Archidiaconus fuerat ordinatus, cum psalmis & hymnis detulerunt. Fuit ergo sanctus Stephanus archidiaconus, & non nisi per apostolos. Nec constat de Officialibus & Decanis, an ab Apostolis fuerint instituti. Ignoro, quia nihil super hoc recolo me legisse: unum tamen scio, quòd multa fecerunt Apostoli & tradiderunt, quæ scripta non sunt. De monachis certum est, quòd Apostoli monachos instituerunt & moniales: & quòd * tempore Apostolorum instituti fuerunt & monachi & moniales. De monachis patet per Dionysium contemporaneum Apostolorum in libro suo de ecclesiastica Hierarchia, ubi ponit expressè: perfectorum hominum excelsior ordo monachorum est. Et ponit, quòd divini duces, quos vocavit Apostolos, à cognominationibus ipsos sacris dignificaverunt. Hi quidem therapeutas, id est, dei famulos: hi autem monachos nominantes, ex dei puro servitio & singulari vita. Idem patet de monachis in prologo lib. Johannis Cassiani, de institutis monachorum, 5. libr. cap. 6. ubi declarat quomodo Marcus Evangelista monachos primò instituit in Alexandria. In historia sancti Matthæi Apostoli habetur, quomodo consecravit * Iphigeniam filiam regis sacro velamine, & ducentis virginibus deo dicatis præposuit. Et consimile habetur de Pelargia filia regis, in historia S. Thomæ Apostoli: & Ecclesiastica historia libro 2. cap. 1. alia recitat consimilia ex testimonio Philonis, qui fuit contemporaneus Apostolorum & vidit conversationem illorum monachorum.

Responsio Wodford.

Nota bene, quòd Cardinales sunt instituti à Petro.

Præclarè arguit ex Legendâ (ligneâ sc.) 107.

De Officialibus & Decanis nihil legit author.

Monachi instituti ab Apostolis.

* Si ab Apostolis tunc certissimè Apostolorum tempore: sed tuus Dionysius nihil probat nisi tuam & ipsius ignorantiam.

* Legend. 135.

Canonici regulares.

De Canonicis regularibus, non legi adhuc quòd fuerunt tempore Apostolorum: sed quod inceperunt tempore Urbani primi, & pòst reformati fuerunt tempore sancti Augustini monachi. Cluniacenses monachi, Carthusienses monachi, Cistertienses monachi & Canonici Præmonstratenses inceperunt procedente tempore sub sanctis patribus: sicut & fratres Prædicatores, & Minores. Quorum omnium status, universalis ecclesia approbavit & confirmavit, tanquam sanctos à deo specialiter charos. Sed etiam & status Augustinensium & Carmelitarum. De Quæstoribus loquendo, prout bona intentione colligunt pecunias, vel alias eleemosynas pro sustentatione pauperum & infirmorum debilium, vel pro sustentatione pauperum religiosorum qui possessiones immobiles reliquerunt: sic exemplati sunt & fundati in Apostolo Paulo & aliis Apostolis, qui valde soliciti erant procurare pecunias & eleemosynas pro sustentatione illorum pauperum in Hierusalem, qui reliquerunt domos & agros. Nam licèt in principio non erat egens inter illos: pòst tamen multum indiguerunt, & pro illis supra omne genus pauperum Apostoli soliciti fuerunt. Ponere ergo omnes istos status condemnabiles, qui sunt à Christo inventi vel ab Apostolis vel ex approbatione & confirmatione universalis ecclesiæ dei, est ponere articulum satis hæreticum, quem ponit adversarius in Trialogo. Et inde blasphemia, non solum personas paucas condemnando, sed etiam status, ut patet ex processu multipliciter librorum specialiter tertii & quarti, & ejus supplementi. Et ideo articulus iste sic positus generali intentione, prout comprehendit status, est articulus plenè hæreticus. Unde 26. cap. lib. 4. ponit articulum istum. Immediate subjungit sub istis terminis.

Omnes isti duodecim specialiter prælati Cæsarei, & fratres infundabiliter introducti, sunt manifestè Antichristi discipuli.

Per Prælatos Cæsareos, intelligens prælatos possessionibus dotatos. Et per fratres infundabiliter introductos, fratres quatuor ordinum. Ex quo patet, quòd universaliter & generaliter

'raliter loquebatur de omnibus istis duodecim,nullum excipiendo. Capite etiam sexto sup'plementi quarti sic dicit: Christus enim sciens, tantū diligens sponsam suam, noluit ornare 'ipsam cum aliquibus ordinibus, nisi quorum species ipse docere voluit in scriptura. Sed in 'scriptura non docet aliquam speciem ordinis de cap. Antichristi: ergo non est de benepla'cito suo,quod sint tales. Et statim addit capitulum istud in istis speciebus duodecim,in qui'bus continentur Papa,Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi,Offi'ciales & Decani,Monachi & Canonici, Fratres de quatuor ordinibus & Quæstores.

Ex quibus sequitur manifestè, quòd omnes status istorum duodecim, ponit in cap. Antichristi & à Christo non fundatos: & ideo ex processu lib. patet,quod iste articulus ad intentionem suam acceptus, est plenè hæreticus, &c.

'Pro isto articulo, quoad prælatos & alios possessionatos arguit per hoc, quod ratione 'possessionum sunt contrarii legi Christi, & per consequens discipuli Antichristi.

Sed ad istud argumentum erit plenè responsum, tractando de articulo undecimo. De articulo duodecimo, quoad religiosos homines religionis privatæ, sive possessionatos, sive mendicantes, ponit eos infundabiles in fide scripturæ: & sic in cap. Antichristi, arguit eos imperfectiores aliis. Imò arguit, communem religionem Christianam quacunque religione privatâ perfectiorem, per hoc argumentum:

'Sicut patronus ad patronum, sic ordo ad ordinem: sed Christus patronus communis 'religionis est in infinitum perfectior patronis religionum privatarum, Augustino, Bene'dicto,Dominico & Francisco: ergo communis religio Christiana, quacunque religione pri'vatâ est perfectior quodammodo infinitè. *Argumentum Wiclefi.*

Istam rationem ponit 32. cap. quarti. Et iterum 5. cap. supplementi, & inculcat eam in diversis cap. tanquam aliquid magni. Dico ergo primò ad istud argumentum, quod ex isto modo arguendi sequuntur errores philosophiæ magni. Nam sequitur, quòd materia prima est perfectior toto composito ex materia prima: quia signo leonem naturaliter generatum ab alio leone. Et arguo sic: Sicut author ad authorem, productor ad productorem, sic productum ad productum: sed Deus se solo produxit materiam istius leonis, & unus leo in infinitum minus perfectus produxit hunc leonem: ergo ista materia prima est perfectior quodammodo infinitè isto leone cujus est materia. Patet antecedens, & modus arguendi est suus. Secundò sequitur, imperfectum speciei inferioris esse naturaliter perfectius individuo valde perfectæ speciei superioris: ut muscam esse naturaliter perfectiorem homine perfecto, & leone perfecto: quia stat muscam etiam imperfectā produci à solo Deo & à solo Deo fieri,quando homo valde perfectus producitur, & fit ab homine: & sicut author ab authore, sic factum: sequitur ergo conclusio. Tertiò etiam sequitur,quod stat hominem cæcum, claudum & mutum, cæteris aliis paribus esse perfectiorē homine pulchro habente vivacitatem quinq; sensuum & omnia membra pulchra: quia stat illum esse à solo Deo, istū pulchrum à puro homine esse productum. Et tales errores philosophici sequuntur in magno numero ex modò arguendi. Hic dico secundò principaliter,quòd ex eo modo arguendi sequuntur errores Theologici. Nam primò sequitur, quòd anima Judæ proditoris est perfectior humanitate Christi: quia illa anima à solo Deo est creata, humanitas Christi est producta à beata virgine. Et sicut author ad authorem,sic productum ad productum. Cum ergo Deus author animæ Judæ,sit in infinitum perfectior beatâ virgine, sequitur conclusio. Secundò sequitur, quòd si tunica illa rudis pellicea,quam post peccatum Deus ordinavit pro primo parente,non esset quacunq; tunica de scarleto,vel panno aureo ab homine facta perfectior,patet conformi modo arguendi. Tertiò sequitur,quòd hostia consecrata à Christo in cœna sua,esset quacunq; hostiâ, quæ à beato Petro consecrata foret,infinitè quodammodò perfectior: quia sicut author ad authorem, ita authorizatum ad authorizatum. Sed Christus est in infinitum perfectior Petro: ergo consecratum à Christo,est in infinitum perfectius consecrato à Petro. Et tales errores quasi sine numero sequuntur ex modo arguendi. Et si dicat adversarius ad ista, quod Christus est author consecrationis Petri magis quàm Petrus, & tunicæ de scarleto magis quàm homo, & humanitatis suæ magis quàm beata virgo, & hominis & leonis plus quàm homo vel leo: sic dico sibi,quod religionis Augustini multo plus est Deus author quàm Augustinus: & religionis Benedicti,multo plus quàm Benedictus: & religionis Francisci, multo plus est Deus author quàm Franciscus. Et hoc dicerent omnes catholici. Et patet tunc,quòd argumentum nihil concludit: quia nullius rei positivæ vel bonæ est creatura author: quando illius sit Deus multo magis author. Et ideo nullatenus concludit argumentum. Dico tertiò ad argumentum,quòd cujuslibet religionis privatæ ab ecclesia approbatæ,substantiales & principales observantiæ sunt de lege sacræ scripturæ: quia sunt mandata,& tria consilia evangelica principalia, paupertas expropriataria, castitas cœlibata & obedientia consiliaria: & hæc omnia sunt de lege evangelica & lege scripturæ. Diversas tamen contradictiones continet religio privata, quæ non ponuntur in sacra scriptura, & diversas traditiones continet commu-

Responsio ad argumentum prima.

2a.

3a.

T nis

nis religio Christiana, quas non continet sacra scriptura. Nam traditio de signatione Crucis signo, est traditio perfecta: cù dicat Augustinus, quòd signare se signo Crucis, sit actus Christianissimus, & ea utitur tota communis religio Christiana catholica, tanquam traditione perfecta, & tamen non continetur in sacra scriptura hæc traditio, ut patet in Canone dist. 11. cap. ecclesiarum. Traditio de solennizatione ordinaria diei dominicæ est traditio perfecta, observata ab omnibus catholicis, quæ tamen non continetur in sacra scriptura, sed potius de solennizatione sabbati continetur in scriptura, de translatione solennitatis sabbati in solennitatem dominicæ nihil explicitè ponitur in scriptura. Sed est hæc traditio apostolica, non scripta in scriptura. Similiter traditio de solennizatione Assumptionis gloriosæ virginis, non continetur in sacra scriptura, quæ tamen rectè observatur à communitate catholicorum. Et sic est de multis aliis festivitatibus. Similiter traditio de jejunio quatuor temporum illis temporibus & diebus, in quibus communitas ecclesiæ illam observat, non est posita in sacra scriptura: quia jejunium quatuor temporum quod ponitur in scriptura, fuit jejunium quarti, quinti, septimi & decimi, ut patet Zachariæ 8. & sic illa quatuor fuerunt in Julio, Augusto, Octobri & Januario, ut patet per Hieronymum in originali super Zachariam prophetam. Communitas Christiana observat jejunia quatuor temporum aliis temporibus; ut patet in eodem 78. cap. hujus observantiæ statuimus. Sicut constitutio ab omnibus catholicis sanis & adultis observata est à carnibus abstinentia per 40. dies immediatè ante Pascha: quæ traditio non continetur in sacra scriptura. Unde nec Christus in illo tempore jejunavit, sed immediatè post Epiphaniam. Et sic est de valde multis traditionibus aliis, quas supra legem sacræ scripturæ observat communitas religionis Christianæ. Et satis perfectè, imò iniquè faceret, si quis traditiones tales non observaret. Et consimiliter religiosi religionis privatæ observant multas traditiones privatas, quas non continet sacra scriptura ad literam satis perfectè. ☞ Unde & Petrus apostolus traditionem de surgendo & flendo singulis noctibus in galli cantu ☞ observavit, quam nec alii apostoli observaverunt. Beatus Jacobus multas traditiones, etiam non scriptas in sacra scriptura, observavit: ut patet in vita sua, quas alii apostoli non ☞ observaverunt, nec alii catholici. Bartholomæus apostolus centies die & nocte genuflexit, quam traditionem non scriptam in sacra scriptura alii apostoli non observaverunt. Monachi etiam ab apostolis instituti, multas traditiones non contentas in sacra scriptura literaliter observaverunt, prout tradit Dionysius in de ecclesiastica Hierarchia expressè, & illas observaverunt ex apostolica ordinatione, & communitas Christiana ad illas non fuit obligata. Et sic ☞ fuit de monialibus ab apostolis institutis. Falsè ergo assumit adversarius, quòd religiones privatæ sunt infundabiles in fide scripturæ, si loquatur de principalibus eorum observantiis. Si de secundariis traditionibus loquitur: sic & secundariæ traditiones observatæ in communi religione Christiana, sunt conformiter infundabiles in fide scripturæ sacræ, ut præmissum est, & tamen hoc non est religio communis Christiana in cap. Antichristi. A pari nec propter hoc est aliqua religio privata in cap. Antichristi. Alias rationes contra religiones privatas facit in tractatu suo de religione: quæ si forent bene reportatæ, sequerentur non solum errores multi, sed etiam hæreses multæ, & destructio fidei Christianæ, sicut & alias in quadam publica determinatione Oxoniæ declaravi, & in qua ad illa argumenta respondi. Unde videtur, quòd adversarius fuit hæreticus, de hæresi * Heradicarum vel Hermodistarum, quia ipsi fuerunt condemnati, pro eo quòd monachos non recipiunt, ut patet in Canone 24. quæst. 3. cap. penultimo.

Tractatus Johannis Wiclefi de religione.

Wodfordus determinavit publicè in Acad. Oxon. contra Wiclefum.

* Ita est in utroq; exemplari impresso. In illo autem canone nulli sunt hæretici eo nomine censi: occurrunt quidem Eraclitæ ab Eraclio sic dicti, qui monachos tantùm & monachas & conjugia non habentes in communionem receperunt: caruit igitur autor conspicillo; sicut & ipse Compilator canonum; In Augustino enim, unde desumpsit istum catalogum, non dicuntur Eraclitæ ab Eraclio, sed Hierachitæ à quodam Hieracha sic appellati.

Undecimus articulus Wiclefi.

UNdecimus articulus pro hæresi condemnatus, est, quòd Numerorum 18. Ezechielis 44. præcipitur simpliciter negativè, quod nec sacerdotes Aaronitæ, nec levitæ habeant partem hæreditatis cum aliis tribubus: sed quòd purè vivant de decimis & oblationibus. Quòd autem iste articulus sit hæreticus patet, eo quòd expressè contra sacram scripturam sit. Patet primò, Numerorum 35. ubi sic locutus est dominus ad Moysen dicens: Præcipe filiis Israel, ut dent levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana eorum per circuitum, ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus & jumentis, quæ à muris civitatum forinsecus per circuitum mille passuum spacio tendentur contra orientem: duo millia erunt cubitos, tot ad meridiem, tot ad occidentem, tot etiam ad septentrionem. Et de ipsis oppidis levitarum, sex erunt civitates refugii, & exceptis his alia 42. oppida, cum suburbanis suis, & consequenter eodem ca. ostenditur, quomodo ipsis urbes deberent dari de possessionibus filiorum Israel. Et Josue 21. cap. habetur expressè de tribubus Juda, Symeon & Benjamin habuerunt tredecim civitates de tribubus Ephraim & Dan, & dimidia tribu Manasse decem civitates de tribubus Ruben, Gad,

Responsio Wodfordi prima.

Gad & Zabulon: Duodecim urbes de tribubus Iſachar, Aſer & Nephthalim, & dimidia tribu Manaſſe, tredecim civitates. Et poſt ſubditur in textu, Dederunt filii Iſrael Levitis civitates & ſuburbana eorum, ſicut præcepit dominus: ergo ex divino præcepto habuerunt partem hæreditatis cum aliis tribubus quadragintaocto civitates, & ſuburbana earum, quæ vendi non poterant, ut patet Levit. 25. quia poſſeſſiones ſempiternæ erant. Eſt ergo planè contra ſacram ſcripturam, quod Levitæ non haberent partem hæreditatis cum aliis tribubus. Bene tamen verum eſt, quod in prima diviſione terræ Judæ non debuerunt habere partem hæreditatis cum aliis tribubus: ſed tamen facta prima diviſione terræ, tenebantur divino præcepto aliæ tribus dare eis quadraginta octo civitates & ſuburbana illarum, ut patet planè ex præmiſſis, & ideo adverſarius hæreticè erravit, male intellgendo textum: quia non præcipiebatur ſimpliciter negativè, quod non haberent partem hæreditatis cum aliis tribubus, ut in præmiſſis palam oſtenſum eſt: Sed præcipiebatur (ut jam dictum eſt) ne haberent partē talem in prima diviſione terræ. Ex alio capite patet ex præmiſſis, articulum eſſe hæreticum: quia habuerunt Levitæ ſuburbana quadraginta octo civitatum, ſic quod eſſent milliare circa murum cujuſlibet civitatis, pro paſcuis pecorum & jumentorum: ergo ex textu palam patet, quòd partim deberent vivere de nutrimento, multiplicatione animalium ſuorum: ergo non purè de decimis & oblationibus, ut dicit articulus iſte. Patet ſecundò, quòd articulus eſt hæ- 2a.
reticus, quia contra ſcripturam Levit. 25. ubi ſic: Qui vendiderit domum infra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus. Si intra anni circulum non fuerit redempta, emptor & poſteri ejus poſſidebunt eam in perpetuum: & redimi non poterit, etiam in anno Jubilæo. Ædes vero Levitarum, quæ in urbibus ſunt, ſemper redimi poſſunt: & ſi redemptæ non fuerint in Jubilæo, revertentur ad dominos ſuos: quia domus urbium Levitarum, pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſrael: ergo Levitæ habuerunt poſſeſſiones Dei voluntate inter alias tribus: & per conſequens, hic articulus contrarius eſt ſcripturæ. Tertiò patet idem, quia eſt expreſſè contra ſacram ſcripturam Levit. ultimo, ubi 3a.
fit mentio de voto agrorum: ubi expreſsè patet, quòd ſi vovens agrum domino, habuit illum ex ſua hæreditate, ſi volebat illum redimere, ita quòd per quintam partem pecuniæ plus daret, quàm alius pro agro: ſed ſi nolebat eum redimere, debuit alteri vendi, & ex tunc vovens non poterat ipſum redimere. Sed in anno Jubilæo ſanctificatus erat domino, & tanquam poſſeſſio conſecrata ad jus pertinebat ſacerdotum, ut patet ex textu. Licet ergo in prima diviſione terræ Iſrael, non habuerint ſacerdotes illius temporis poſſeſſiones agrorum, habuerunt tamen poſtea poſſeſſiones agrorum ex votis fidelium, & ſic erant illorum, quòd alienari nunquam debuerunt. Unde cap 2. ſic ſcribitur. Omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, non vendetur neq; redimi poterit. Patet ergo, quòd poterant inter alias tribus habere ordinatione divina perpetuas agrorum poſſeſſiones. Eſt ergo hic arculus contrarius ſacræ ſcripturæ, & ſic hæreticus. Patet idem quartò, quia Actuum 4. cap. 4a.
patet, quomodo omnes poſſeſſores domorum aut agrorum, vendentes afferebant pretia ad pedes Apoſtolorum, & quomodo inter illos Joſeph, qui cognominatus eſt Barſabas ab apoſtolis, Levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum & poſuit pretium ante pedes apoſtolorum. Super quo textu doctor de Lyra docet, quòd licet Levitæ non haberent agros in terra Judæ, puta ad ſeminandum: poterant tamen licitè habere tales agros in terra aliena. Et ſic habuit ſanctus Levita iſte, ut ſcriptura teſtatur. Unde Num. 18. ubi datur præceptum de non poſſidendo agros, ſic ſcribit: Dixit dominus ad Aaron, In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos Non dicit ſimpliciter, nihil poſſidebitis: ſed dicit, quòd in terra eorum, & terra Judæ nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: quod intelligere oportet per primitivam diviſionem terræ. Poterant ergo licitè habere poſſeſſiones agrorum extra terram Judæ. Non erat ergo eis præceptum ſimpliciter negativè quod non haberent poſſeſſiones agrorum, de quibus poſſent vivere: cum illas poterant vendere & ſic fecerant tempore captivitatis ſuæ. Patet ergo, quòd multipliciter eſt iſte articulus contrarius ſacræ ſcripturæ. Et quòd adverſarius male intellexit authoritates ſcripturæ quas allegat. Quintò patet idem ex ultimo cap. Ezechielis prophetæ, ubi deſcribitur ſecunda 5a.
diviſio terræ Judæ, quæ fieri debuit poſt captivitatem: quæ longe alia debuit fuiſſe ab illa, quæ facta erat ſub Joſue, ut docet doctor de Lyra ſuper 42. cap. Et in hac ſecundaria diviſione terræ Judæ, una pars magna aſſignata fuit ſacerdotibus, alia minor Levitis, & alia principibus: & hæc patent à 42. cap. uſque in finem libri: & patet ibidem per doctorem de Lyra, quamvis propter peccata diviſio fuit impedita, ſicut & multa alia, ſic quod ex iſto proceſſu patet, quod non ſimpliciter negativè fuit à Deo præceptum, ne ſacerdotes & Levitæ haberent partem hæreditatis cum aliis tribubus, cum in ſecundà diviſione magna pars fuerit eis aſſignata cum aliis tribubus. Et ſic patet ex ſcriptura, quòd iſte articulus eſt contrarius ſacræ ſcripturæ, & per conſequens eſt hæreticus. Sextò patet idem primi Eſdræ 6a.
ſecundo cap. in quo deſcribitur multitudo aſcendentium in Hieruſalem, & in terram Judæ

post captivitatem & transmigrationem Babylonis. Ubi patet, quòd de sacerdotibus ex una linea ascenderunt nongenti septuagintatres, ex aliâ mille ducenti quadraginta, ex alia linea mille decem & septem. Et ibi patet quòd & de levitis ascenderunt septuaginta, de cantoribus centum viginti, de janitoribus centum triginta novem: de Nathinæis & filiis servorum Salomonis trecenti nonaginta duo. Et sequitur pòst in fine cap. Habitaverunt ergo sacerdotes & levitæ, cantores & janitores & Nathinæi in urbibus suis, universiq; Israel in civitatibus suis. Ex quo patet, quòd sacerdotes & levitæ & alii officiarii templi habuerunt urbes inter fratres suos Israelitas. Et sic patet quòd non erat præceptum simpliciter negativè, ne haberent partem hæreditatis cum aliis tribubus, & quòd sit hæreticum & contra sacram scripturam
52. contrarium asserere. Septimò patet quòd est multipliciter contra sacram scripturam, quòd sacerdotes & levitæ purè deberent vivere de decimis & oblationibus: ut patet primò de animalibus quæ nutriebant Levitas in suburbanis quadraginta octo civitatum, cum de ipsis animalibus & multiplicatione eorum vixerint levitæ in parte, non purè de decimis & oblationibus. Ut patet secundò de agris Deo per votum sanctificatis, quando voventes habuerunt illos jure hæreditario & nolebant illos redimere, ubi agri à primo Jubilæo post votum erant perpetuò de jure sacerdotũ, ut præmittitur, & de profectu illorum agrorum debuerunt in parte vivere & non purè de decimis & oblationibus. Patet tertiò, quod non solùm vixerunt de decimis & oblationibus, sed & de primitiis, ut patet multipliciter in scriptura. Habuerunt sacerdotes primitias hominum, animalium, frugum & fructuum, ex quibus multa valde bona habuerunt, ut diffusè aliàs declaravi in epistola missa domino Herefordensi contra librum Walteri Brittæ. Patet hoc quartò de possessionibus quas habere poterant licitè extra terram Judæ, & quas de facto habuerant tempore captivitatis eorum, ut præmittitur. Patet hoc quintò de restitutionibus vagis: quia ut patet Numerorum quinto, si non inveniretur qui de jure debuit restitutionem recipere, sicut est in omni restitutione vaga, danda erat restitutio Deo, & erat sacerdotum: & restitutiones veteris testamenti majores erant restitutiones quàm restitutiones testamenti novi. Nam apud nos sufficit restituere æquale: sed quinto Numerorum patet, quòd si restitutio fiebat ex contritione, & liberè ablatum, non solum debuit restitui, sed quinta pars superaddi. Et Exodi 22. patet, quòd si quis furatus fuisset bovem aut ovem, & occidisset vel vendidisset, quinq; boves pro uno, & quatuor oves pro una debuit restituere: quod si non vendidisset nec interfecisset, sed inventum fuisset furtum apud eum qui furatus est, duplum debuit restituere: & sic fuit de aliis restitutionibus. Ex quo ergo tunc lege Dei omnes restitutiones vagæ erant debitæ sacerdotibus, de quibus potuerunt licitè vivere, patet quòd non pure debuerunt lege Dei vivere de decimis & oblationibus: & sic patet, quòd multipliciter iste articulus repugnat sacræ scripturæ. Quapropter meritò pro articulo hæretico est condemnatus.

Argumentum Wiclefi. 'Pro isto articulo non arguit adversarius, nisi quod allegat ex decimo octavo Numerorum 'illam authoritatem: Dixit dominus ad Aaron, in terra illorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego ero pars tua & hæreditas tua in medio filiorum Israel, filiis Levi 'dedi omnes decimas Israel in possessiones. Ex Deuteronomio 18. aliam sic dicentem: Non 'habebunt sacerdotes & levitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hæreditatem 'cum reliquo Israel, quia sacrificia domini & oblationes ejus comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum. Et Ezechielis 44. allegat aliam authoritatem in his 'verbis: Non erit sacerdotibus hæreditas, quia ego hæreditas illorum: & possessiones non 'dabitis eis in Israel: Ego enim possessio eorum. Ex quibus concludit, quòd fuit præceptum 'simpliciter negativè, quòd nec sacerdotes Aaronitæ, nec levitæ haberent partem hæreditatis cum aliis tribubus, sed quòd purè viverent de decimis & oblationibus.

Responsio ad argumentum. Quantũ ad istum respondeo, quòd adversarius nimis superficialiter consideravit scripturas istas, quia non præcipitur quòd non haberent partẽ hæreditatis simpliciter, sed quod non habeant in terra Judææ. Ostensum enim est, quòd poterant licitè habere in aliis terris. Nec præceptum erat simpliciter, quòd non haberent partem hæreditatis in terra Judææ, sed quòd non haberent in prima divisione terræ partem cum aliis tribubus. Ostensum est enim prius, quòd tenebantur aliæ tribus dare levitis 48 civitates in terra Judææ & suburbana illarum, & postquam terra fuerat illis divisa. Et ostensũ est, quòd sacerdotes licet non poterant habere agros ad seminandum in prima divisione terræ: quòd poterant tamen habere postea ex voto fideliũ, quando voventes habuerunt illos ex jure hæreditario, & non ex emptione. Et ostensũ est prius, quòd post transmigrationẽ Babylonis & in secunda terræ divisione habuissent sacerdotes unam partem terræ magnam ex divino præcepto, & levitæ aliam terræ partẽ inter fratres suos aliarum tribuum, si non obstitisset peccatũ. Et ideo istæ authoritates sumptæ ad sensum sacræ scripturæ, & prout concordant cum aliis partibus sacræ scripturæ, nullatenus concludunt articulum pro prima ejus parte, nec etiam pro secunda ejus parte: quia aliunde quàm de decimis & oblationibus poterant sacerdotes & levitæ vivere, ut ostensum est.

Duode-

DUodecimus articulus pro errore condemnatus,eſt, quòd non eſt majòr hæreticus vel Antichriſtus, quàm ille clericus qui docet quod licitum eſt ſacerdotibus & Levitis legis gratiæ dotari cum poſſeſſionibus temporalibus. Et ſi aliqui ex prævaricatione in lege Dei ſunt hæretici, apoſtatæ vel blaſphemi, ſunt illi clerici qui hoc docent. Quòd autem iſte articulus ſit erroneus, intelligendo ut intendit adverſarius, propter hoc quòd hoc docent, Patet primò, quia ſi eſſet & fuiſſet hæreſis, quòd licitè ſacerdotes & Levitæ legis gratiæ ſint poſſeſſionibus temporalibus dotati, ut iſte articulus ponit: nunquam apoſtoli in ſuis decretis, & per ſua decreta permiſiſſent epiſcopos habere res aliquas proprietariè & res aliquas communes eccleſiæ, cum ſic ſcienter permiſiſſent hæreſes, & ſuſtinuiſſent voluntariè, quod nefarium eſt ſentire. Sed in * decreto apoſtolorum, quod ponitur in Can. 12. q. cap. 1. Sint. manifeſtè ſic habetur, Sint manifeſtæ res propriæ epiſcoporum, ſi tamen habent res proprias, & manifeſtæ res dominicæ, ut poteſtatem habeat epiſcopus moriens de propriis ſicut voluerit & quibus voluerit derelinquere, ne ſub occaſione eccleſiaſticarum rerum ea quæ epiſcopi probantur habere, interdicantur. Fortaſſe aut uxorem habet aut filios aut propinquos & ſervos, & juſtum eſt apud Deum & homines, ut nec eccleſiâ patiatur detrimentum ignorantiâ rerum pontificis: nec epiſcopus vel ejus propinqui ſub obtentu eccleſiæ proſcribantur. Ex quibus patet,quòd apoſtoli non prohibuerunt eccleſiæ habere res communes: ſed conceſſerũt hoc eccleſiæ. Et quòd non prohibuerunt epiſcopis habere res proprias & proprietariè teſtamentum condere. Sed hoc in caſu quo haberent uxores, filios & ſervos, tanquam juſtum permiſerunt. Et ſi non prohibuerunt epiſcopos eſſe proprietarios: à fortiori, nec cum temporalibus eſſe dotatos: ergo non eſt quilibet hæreticus ex hoc quòd docet ſacerdotes legis gratiæ licitè cum poſſeſſionibus dotari: cum ſic decretum apoſtolorum fuiſſet hæreticum & ipſi apoſtoli hæretici. Et minus * malum foret concedere adverſarium in hac doctrina eſſe hæreticum. Secundò patet, quòd illis eſt licitum habere poſſeſſiones temporales, quibus eſt licitum eſſe proprietarios: ſed hoc eſt multis ſacerdotibus licitum: cum ſit illis licitum eſſe hæredes patrum ſuorum, ſicut & aliis modis, donatione, intuitu perſonæ, vel emptione multa acquirere, de quibus licitè poſſunt teſtamentum condere, ut multipliciter patet in jure: ergo licitum eſt ſacerdotibus poſſeſſiones temporales habere, non ſolùm communes ſed etiam proprietarias. Tertiò patet idem,quia facti epiſcopi per apoſtolos diverſi habuerunt uxores & prolem & ſervos licitè, quibus tenebantur providere jure divino de bonis temporalibus. Non ergo repugnat ſtatui epiſcopali habere poſſeſſiones, de quibus poſſunt uxoribus, filiis & ſervis providere. Nam communiter qui vovent expropriationem, vovent caſtitatem cœlibatam, ſicut omnes religioſi religionis privatæ, ſed non econtrario: quia multæ ſanctæ mulieres vovent caſtitatem cœlibatam in manibus epiſcoporum, retinendo tamen proprietariè poſſeſſiones ſuas. Ex quo ergo epiſcopi non tenentur ex ſtatu epiſcopali vovere caſtitatem cœlibatam (ut patet in epiſcopis orientalibus) ergo nec tenentur ex ſtatu epiſcopali ad exproprietationem poſſeſſionum temporalium. Quartò patet idem, quia apoſtoli multos Reges baptizaverunt, quos permiſerunt Reges permanere & poſſeſſiones retinere. Et inter alios apoſtolos ſanctus Thomas tres Reges qui adoraverunt Chriſtum baptizavit & epiſcopos illos fecit, ut habetur in hiſtoria trium regum apertè, ut docet dominus Bertrandus ſuper epiſtolam Epiphaniæ, allegans pro ſe, quòd hi tres Reges, poſtquam fuerunt epiſcopi, conſtruxerunt eccleſiam miræ magnitudinis de ſumptibus ſuis, ut patet in eadem hiſtoria, in qua celebraverunt miſſas ſuas, & in qua fuerunt primò ſepulti. Et iſti remanſerunt Reges, cum ut Reges adhuc jaceant coronati, & eccleſiam illam cum poſſeſſionibus dotaverunt, apoſtolo hoc Thoma ſciente. Ex quo ergo ſumptibus ſuis conſtruxerunt eccleſiam miræ magnitudinis, poſtquam epiſcopi fuerunt, ex quo dotaverunt eccleſiam, poſtquam fuerunt epiſcopi, apoſtolo hoc ſciente & non contradicente: ſequitur quòd licitum erat tunc temporis habere poſſeſſiones: & à pari & nunc. Quintò patet idem, quòd viventibus apoſtolis & ipſis conſentientibus eccleſiæ habuerunt poſſeſſiones agrorum: ergo erat licitum epiſcopis & ſacerdotibus legis gratiæ, tales poſſeſſiones habere temporibus apoſtolorum: igitur à pari & nunc. Aſſumptum patet in Can. 12. q. & ca. Apoſtolicos. ubi ſexta ſynodus generalis definit, quòd ſecundum canones Apoſtolorum epiſcopi non debent alienare vaſa ſacra, niſi pro redemptione captivorum: nec poſſeſſiones ruſticanas vendere, & per hoc eccleſiaſticos redditus delere: ergo apoſtolorum Canones oſtendunt quòd apoſtolorum tempore licitè habuerunt eccleſiaſtici poſſeſſiones ruſticanas & redditus ex eis. Et hoc idem patet ex decreto Pii Papæ: quod ponitur ibidem ca. Prædia. ubi ſic: Prædia divinis uſibus tradita,quidam humanis uſibus applicant: & Deo noſtro quibus tradita ſunt, ea ſubtrahunt. Quapropter ab omnibus illius uſurpationis contumelia depellenda eſt, ne prædia uſibus

Marginal notes: Duodecimus articulus Wiclefi. — Reſponſio Wodfordi prima. — Decreta apoſtolorum. — * 39 Can. — 2a. — * Rem acu; ſed de decretis iſtis cave quid dicas. — 3a. — ☞ — 4a. — Bertrandus Monachus 1325. Trith. — Argumentum optimum. — 5a.

secretorum cœlestium dedicata à quibuslibet irreverenter vendicentur: Quod si quis præsumpserit, ut sacrilegus judicetur. Istud Decretum de aliis prædiis, quàm ecclesiasticis intelligi non potest. Habuerunt ergo ecclesiastici prædia diu ante Pium Papam: quia illi iidem devoti domini, qui prædia dederunt ecclesiæ, non abstraxerunt illa ab ecclesia, sed diu pòst successores eorum. Nunc communiter Chronicatores dicunt quòd tempore Pii Papæ venit Polycarpus discipulus Johannis Evangelistæ Romam & extinxit multas hæreses. Ex quo ergo diu ante Pium Papam habuit ecclesia illa prædia: sequitur quòd tempore apostolorum illa habuit publicè & manifestè, quod sine scitu apostolorum fieri non potuit. Nec alicubi legitur apostolorum aliquem hoc prohibuisse. Igitur viventibus apostolis & ipsis
61. consentientibus, habuerunt clerici legis gratiæ possessiones prædiorum. Sextò patet idem, quòd multa Concilia generalia ecclesiæ determinaverunt licitum esse ecclesiasticis habere possessiones temporales, & quod illicitum est episcopis & sacerdotibus illas ab ecclesia alienare, ut in Canone patet, locis innumeris. Multi etiam sancti episcopi ab ecclesia canonizati, & multi sancti abbates & religiosi ab ecclesia canonizati, hoc idem doctrina, factis & exemplis tenuerunt palàm & manifestè. Multi etiam sancti domini temporales ecclesiasticos sacerdotes & clericos legis novæ cum possessionibus dotaverunt temporalibus, reputantes se obsequium præstare Deo in sic faciendo. Ergo si articulus iste verus esset, sequeretur quòd omnes patres in Conciliis generalibus, qui consentientes & illa docentes, fuissent maximi hæretici, apostatæ & blasphemi: quòd omnes sancti illi episcopi, sancti abbates & sancti religiosi ab ecclesia approbati & canonizati forent hæretici, apostatæ & blasphemi, quia nunquam legitur quòd doctrinam illam revocaverunt verbo vel opere, sed potius quòd in illa fideliter permanserunt; & etiam quòd omnes sancti domini temporales qui devota mente sic dotaverunt, & facto sic faciendo docuerunt, fuerunt hæretici in hoc, apostatæ & blasphemi, quæ conclusio non solum erronea sed hæretica censenda est, & ideo iste articulus justè est condemnatus.

Sicut sanctus (scil.) Thomas Cantuariensis in Anglia.

Argumentum Wiclefi primum.

'Pro isto tamen articulo arguit adversarius multipliciter, & primò per authoritates 'veteris testamenti allegatas in articulo priori. 18 Numerorum & Deuteronomio 18 '& 44 Ezechielis, ex quibus opponit quòd negativè leges antiquæ de possessionibus 'clericorum erant valde acutæ de divino mandato, scilicet quod non haberent sa'cerdotes & levitæ possessiones tales temporales: cum ergo Christus & Apostolus hæc 'mandata strictius observaverunt, quàm sacerdotes & levitæ legis antiquæ, & cum sacer'dotes & levitæ legis gratiæ debeant esse magis elongati à possessionibus temporalibus, 'quàm sacerdotes & levitæ legis antiquæ: sequitur, quòd non potest esse major hæreticus '& Antichristus quàm ille clericus qui supra patres legis veteris docet clericos legis novæ 'sic esse dotandos.

Responsio ad argumentum.

Hic dico primò quòd argumentum procedit ex malo intellectu primarum authoritatum
12. ut in articulo præcedenti est ostensum, & ideo non concludit argumentum. Hic dico secun-
21. dò, quòd non erat prælatis veteris testamenti necessarium dotari cum magnis possessionibus temporalibus: quia habuerunt tot possessiones mobiles, dum ibidem erant in pace in terra Judæorum, quòd habere multas possessiones immobiles pro agricultura & redditibus fuisset eis superfluum. Principalis causa immobilium possessionem est acquisitio possessionum mobilium. Ex quo ergo ordinatione divina magnam habuerunt abundantiam possessionum mobilium: & majorem fortè quàm habeant prælati nostri ex omnibus suis possessionibus immobilibus, loquendo proportionaliter de numero ad numerum: ergo fuisset illis de antiquo testamento superfluum habere multitudinem possessionum immobilium in terra Judæ, quando sic abundabant in possessionibus mobilibus. Qualem habuerunt superabundantem copiam bonorum mobilium: partim declaravi in historia directa domino episcopo Herefordensi, contra Walterum Britte magis diffusè in quadam determinatione. Sed de talibus possessionibus mobilibus non est per Christũ, vel per Apostolum, vel ordinationem divinam immediatè nostris prælatis legis gratiæ sufficenter provisum. Et ideo, quamvis non fuisset licitum sacerdotibus & levitis legis antiquæ habere in terra Judæ multas possessiones immobiles pro agricultura & redditibus colligendis, satis stat quòd hoc sit licitũ prælatis nostris legis gratiæ, quibus non est sufficienter provisum aliunde. Et cum hoc stat, quòd sint magis elongati à temporalium usu, quàm ipsi fuerunt: quia bona ecclesiastica sunt prælatorum pro necessaria sustentatione sua & suorum & pro necessitatibus pauperum & causarum ecclesiæ, & non pro superfluo usu illorum in personis propriis. Sed si ordinatione Christi habuissent tantam copiam mobiliũ, quantam habuerunt sacerdotes Judæorũ ex divina ordinatione, dicerẽ quòd non fuisset eis licitum acceptasse tot possessiones immobiles, nisi fortè ad dispensandum pro necessitatibus pauperum & ecclesiæ. Et ideo magna est causa dicere in hoc facto inter sacerdotes legis antiquæ & prælatos legis novæ: quapropter argumen-
32. tum deficit. Iterum & ex alio capite. Hic dico tertiò, quod hoc præceptũ in his authoritatibus

Christus non sufficienter providit prælatis suis de possessionibus mobilibus.

bus contentum non erat morale ſed judiciale & partim cæremoniale. Et ideo quamvis ſa-
cerdotes legis antiquæ ad hoc tenerentur: non tamen ex hoc ſequitur quòd ſacerdos legis
gratiæ ad hoc teneatur. Hic dico quartò, quòd non obſtante hoc præcepto negativo, con- 4a:
tento in authoritatibus allegatis ex 18 Numerorum & 18 Deuteronomii & 44 Eze-
chielis, adhuc poſt primam diviſionem terræ, aliquæ tribus debuerunt levitis dare 48 civi-
tates, & ſuburbana earum in perpetuam poſſeſſionem, ut patet Numerorum 32. Et ite-
rum non obſtante præcepto prædicto poterant poſſidere agros poſt, ex voto & oblatione
fidelium, quando illi fideles, quando vovebant fuerunt hæredes agrorum & volebant re-
dimere, ut patet Levitici ultimo. Et non obſtante præcepto prædicto, poterant ſacerdotes
& levitæ acquirere poſſeſſiones licitè extra terram Judæ. Quæ omnia ſuperiori articulo
declarata ſunt. Et nunc ſuperaddendo aliam reſponſionem, dico, quòd non obſtante præ-
dicto præcepto, ſacerdos & levitæ poterant titulo emptionis acquirere poſſeſſiones licitè
in terra Judæ, ut patet Hieremiæ 32. Erat enim Hieremias de tribu Levi & de filiis ſacer-
dotum qui erant in Anathot, ut patet primo cap. Hieremiæ; & cap. 32. habetur, quomodo
emit agrum ab Anameel patruele ſuo, & quantum de moneta dedit pro agro, & quomodo
accepit librum poſſeſſione ſervatum in oculis omnium qui ſedebant in atrio. Et ibidem ha-
betur, quòd de jure ſibi competebat jus emptionis agri, ex propinquitate. Ex quibus patet,
quòd non obſtante prædicto præcepto, non ſolum licitè ſed de jure poterant poſt primam
terræ diviſionem acquirere poſſeſſiones agrorum titulo emptionis in ipſa terra Judæ, quia
ager ille erat in Anathot, ut patet ibidem. Ex quo ergo ſacerdotes & levitæ veteris teſta-
menti, non obſtante præcepto negativo, poterant poſt datum præceptum & poſt primam
terræ diviſionem, tot modis acquirere poſſeſſiones agrorum licitè, & licite poſſidere: quo-
modo poterant virtute illius præcepti ſolummodo ſacerdotes & levitæ legis gratiæ ligari,
ne poſſint poſſeſſiones agrorum acquirere & licitè poſſidere? Patet cuicunque intuenti,
quòd hoc præceptum ad hoc illos non ligat plus quàm ſacerdotes & levitas veteris teſta-
menti. Et licet Chriſtus & ejus apoſtoli iſtud mandatum ſtrictius obſervarunt, quàm ſa- Non ſequitur,
cerdotes & levitæ veteris legis: ex hoc nullo modo ſequitur, quòd generaliter ſacerdotes Chriſtus &
& levitæ legis gratiæ tenentur illud præceptum ſtrictius obſervare, ut ex ſequentibus pa- apoſtoli ſer-
tebit. Et ideo non concludit illud argumentum. Secundò principaliter arguitur ad articu- varunt, ergo.
lum per authoritates novi teſtamenti, & primò ſic: Lucæ 13. poſt parabolam Chriſtus ſic
ſubjunxit: Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe
diſcipulus. Quomodo autem Chriſtus intellexit renunciationem in hoc verbo Evangelico, ipſi
& ejus apoſtoli per converſationem pauperem ſatis docent. Nam opera Chriſti & ſuorum
diſcipulorum ſunt optimi interpretes legis ſuæ. Hic dico primò, quòd ſi iſte modus arguendi
eſſet bonus, ſequeretur, quòd non eſſet quis diſcipulus Chriſti, niſi qui renunciaret omnibus
quæ poſſidet: & ſic ſicut Chriſtus & apoſtoli reliquerunt: conſequens expreſsè contra Evan-
gelium, & ideo conſequens eſt hæreticū. Scribitur in Evangelio Matthæi: Cum ſero factum
eſſet (puta die paſſionis Chriſti) venit homo dives ab Arimathea, nomine Joſeph, qui &
diſcipulus ipſe erat Jeſu. Ergo Jeſus adhuc vivens vita mortali habuit diſcipulos divi-
tes, qui non omnia ſic reliquerunt ut ipſemet & apoſtoli fecerunt. Conſimiliter de Nicodè-
mo diſcipulo Chriſti ſcribitur in Evangelio Johan. 3. cap. quod fuit princeps Judæorum, &
de eo habetur quod fuit dives, quia ordinavit pro ſepultura Chriſti ex ſuis myrrham & aloes
quaſi libras centum. Similiter Zacheus per Chriſtum converſus, facta prius reſtitutione male
ablatorum, dimidium bonorum dedit pauperibus, reſiduum ſibi ſervando: æquè enim dixiſſet
Evangeliſta, quod omnia ſua dedit pauperibus, ſicut dimidium, ſi ita feciſſet: ergo poſtquam
diſcipulus Chriſti, non omnia quæ poſſidebat reliquit. Similiter ſanctæ mulieres, quæ ſeque-
bantur Chriſtum miniſtrantes ei de facultatibus ſuis, fuerunt diſcipulæ Chriſti: & ex quo
tunc habuerunt facultates, de quibus Chriſto miniſtrabant, ut Evangelium docet, non om-
nes facultates ſuas reliquerant, nec omnia quæ poſſidebant. Conſimiliter de Lazaro re-
ſuſcitato, qui fuit dominus magnus, poſtquam diſcipulus Chriſti: & de ſororibus ejus,
quæ erant devotæ diſcipulæ Chriſti, quarum una poſſidebat caſtrum Magdalum, & alia
Bethaniam, ut patet in * hiſtoriis. Patet etiam in epiſtolis Pauli, quòd multi converſi ad * Legenda
Chriſtum fuerunt divites mundi, & divites remanſerunt poſſidendo multa bona. Et ideo eſt 1001, edit.
hæreticè multipliciter dictum & contra ſcripturam, quod non eſt quis diſcipulus Chriſti, Baſil. 1490.
quinetiam renunciavit omnibus quæ poſſidet, eo modo quo Chriſtus & apoſtoli reliquerunt
unde hæc authoritas in argumento allegata, ſic intellecta, ſicut adverſarius intelligit, fuit
fundamentum hæreſis Euſtachii, dicentis: Nullum fidelem, qui non renunciat omnibus Euſtachius.
quæ poſſidet, ſpem ullam ad Deum habere. Quæ hæreſis damnata fuit in Concilio ge-
nerali, ut patet in Ca. diſt. 16. Fuit etiam fundamentum hæreſis Juliani apoſtatæ, qui pro- Julianus Imp.
pter illam authoritatem ſic intellectam, auferebat à Chriſtianis poſſeſſiones ſuas. Fuit etiam apoſtata, hæ-
fundamentum hæreſis Manichæi, ut patet per beatum Auguſtinum in lib. de moribus eccle- reticus.
ſiæ

siæ expressè. Unde non est hæresis nova, quòd hæc authoritas debet sic intelligi, sed hæresis valde antiqua. Hic dico secundò, quòd duplex est Christi discipulatus, unus necessitatis, alius supererogationis. Discipulatus necessitatis cadit sub præcepto, discipulatus supererogationis sub consilio ante votum. Loquitur ergo Christus in illa authoritate de discipulatu supererogationis,non cujuslibet, sed supererogationis quoad tria principalia Christi consilia, quasi in supremo gradu in authoritate illa sumendo [renunciare] pro [relinquere] ut multi sumunt: quamvis venerabilis Beda inter renunciare & relinquere facit magnam distantiam. Et sic patet ex dictis,quòd stat multos esse Christi discipulos, & esse divites in divitiis temporalibus, loquendo de discipulatu necessitatis, qui cadit sub præcepto: licèt non stet eos esse discipulos supererogationis in gradibus quasi supremis, quoad consilia Christi principalia esse divites sic in divitiis temporalibus. Nunc autem Episcopi & Sacerdotes ac Levitæ legis gratiæ non tenentur ex statu episcopali, sacerdotali & Levitico ad tria consilia principalia: cum in oriente habeant uxorem & prolem licitè. Nec est ex obligatione Christi immediata & solâ, quòd hi teneantur ad castitatem cœlibatam: sed ex statuto ecclesiæ, hoc tamen in oriente recepto. Ex quo est manifestū, quòd non tenentur hic ad castitatem ex statu episcopali,sacerdotali, vel levitico: sed aliunde. Et conformiter nec obligantur ex statu tali ad paupertatem exproprietariam. Et per consequens stat cum statu episcopali,quod habeant divitias proprietarias: nec ad obedienda consiliaria obligantur,licèt obligentur ad obediendum Papæ. Et ideo episcopi non tenentur ex statu episcopali ad discipulatum illum supererogationis,qui tenet quasi supremum gradum in observatione consiliorum: licet aliunde tenentur esse discipuli supererogationis in aliis,& simpliciter sint obligati ut sint discipuli discipulatu necessitatis in observatione præceptorū. Et sic patet, quòd argumentū non concludit contra episcopos,sacerdotes & Levitas legis gratiæ,quin possent possessiones temporales possidere: non solùm communiter sed etiam proprietariè. Et sic patet,quòd intelligendo authoritatē allegatā, ut intelligit adversarius,quòd includit hæreses multas. Hic dico tertiò, quòd aliqui fuerunt modi relinquendi omnia valde perfecti,tamen in certis religiosis. Et si episcopi sic omnia relinquerent,facerent valde imperfectè & male, quamdiu tenent statum episcopalem. Nam diversi sancti perfectissimi monachi sic omnia relinquebant, & quæ in mundo sunt,non solum quoad usum,quòd vestimenta renuebant,& remanebant nudi, exceptis capillis. Et de talibus diversis recitantur multa cap.2. lib.2. qui dicitur Vitæ patrū, quod cap. intitulatur de conversatione optimâ diversorum sanctorum. Nec volebant uti comedendo, nisi herbis agrestibus, & nisi aquam potando. Et in libro etiam de exhortationibus sanctorum patrum,ca.6. qui intitulatur de nulla re possidenda, habetur de abbate Theodoro,quòd haberet tres codices bonos,& cum venisset ad abbatem Macarium, dixit ei: Habeo tres codices, & proficio in eis in lectione illorum; Dic ergo mihi,quid debeo facere? Respondens senex, dixit: Boni quidem sunt actus, sed magis omnibus est nihil possidere. Quod cùm audisset, vendidit memoratos libros & dedit pretium pauperibus. Et consimilia multa habentur de aliis sanctissimis monachis. Sed si episcopi qui habent conversari cum populo, docere populum,dicere officium,sic relinquerent vestimenta omnia & libros,facerent valde imperfectè. Unde nec Christus, vel ejus Apostoli sic strictè omnia reliquerunt. Patet ergo, quòd aliquis est modus perfectus relinquendi temporalia, & ille repugnat statui episcopali. Et aliquis perfectus modus relinquendi possessiones temporales: qualis fuit modus Christi & Apostolorum. Et quòd episcopi ad illum non tenentur ex statu episcopali, nec sacerdotes ex statu sacerdotali. Et aliquis est modus renunciandi omnibus temporalibus, ad quem omnes sacerdotes & episcopi tenentur ex suo statu. Et est ille quem ponit venerabilis Beda,distinguendo

[renunciare] contra [relinquere] Nam sic renunciant omnibus quæ in mundo sunt, quamvis multas divitias teneant, quod non teneantur per affectionem nimiam divitiarum in mundo: sed quorum affectio principalis est in cœlo, non obstante quòd bona mundi teneant. Et isto modo non solùm boni prælati & sacerdotes renunciant omnibus, quæ in mundo sunt, sed etiam & alii divites Catholici qui sunt in via salvandorum. Quia aliàs nullo istorum modorum essent discipuli Christi. Hic dico quartò, quòd non semper opera Christi & discipulorum (loquendo de Apostolis) sunt optimi interpretes legis Christi, sic quòd & alii debeant conformiter operari, ut innuitur in argumento: quia Christus judaizavit omnibus diebus suis usq; ad noctem qua mortuus est manè. Unde & illa nocte comedit de agno paschali ceremonialiter & ritu judaico. Sed si quis Christianus sic modò judaizaret, mortaliter peccaret: & sic judaizaverunt Apostoli,postquam fuerunt Apostoli usque ad resurrectionem Christi: Et sic judaizare non est modò catholicum. Et sic est de multis aliis operibus, quæ Christus & Apostoli fecerunt, ut aliàs ostendi. Et ideo non sequitur, Christus & Apostoli omnibus quæ in mundo sunt, renunciaverunt: ergo episcopi & sacerdotes conformiter tenentur renunciare omnibus quæ possident. Patet ergo multipliciter, quòd non valet argumentum. Secundò quoad authoritates novi testamenti sic arguit.

Discipulatus necessitatis & supererogationis.

Statutum ecclesiæ.

Monachi nudi.

Attende.

Servus

Argumentum Wicleſi ſecundum.

'Servus non eſt major domino ſuo, nec diſcipulus ſupra magiſtrum: ſed ſufficit diſcipu-
'lo, quòd ſit ſicut & magiſter ejus, ſicut Chriſtus Matth. 4. dixit. Cum ergo Chriſtus ſit
'magiſter optimus & dominus dominorum, & omnes prælati eccleſiæ debent eſſe ſervi hu-
'jus domini atq; diſcipuli, patet quòd non debent ſuper Chriſtum extolli in dominio ſecu-
'lari. Sed ipſe dixit Matth. 8. Quòd filius hominis non habet ubi caput ſuum reclinet:
'hoc eſt non habet humanitus, ſeculariter & proprietariè dominando: qua ergo fronte epi-
'ſcopi noſtri Cæſarei audent ſic ſe extollere in dominio civili ſuper Chriſtum?

Reſponſio ad argumentum prima.

Hic dico primò, quod ſi iſte modus arguendi eſſet bonus, ſequeretur quòd nullus Rex ca-
tholicus Chriſtianus, nullus dux talis, nullus comes talis, nullus miles talis, vel nullus baro
talis, vel talis militaris deberet habere ſeculariter, civiliter, & proprietariè dominando do-
minium, in quo caput reclinare poſſet: cum omnis talis Rex, dux, comes, baro & militaris
debeat eſſe ſervus Chriſti & ejus diſcipulus: & per conſequens non habere civiliter proprie-
tariè dominando ubi caput reclinet magis quàm Chriſtus: quia ſic extolleret ſe in dominio
civili ſupra Chriſtum, ſecundum modum arguendi. Hic dico ſecundò, quòd ex modo ar- 2a.
guendi ſequuntur errores multi. Nam ſequitur primò, quod ſanctus Petrus non debuit ſo-
lenniter cathedrari in eccleſia Antiochiæ, vel alia. Nam ſicut Chriſtus non habuit ubi caput
reclinaret, ſic nec habuit cathedram ſolennem in aliqua eccleſia ſolenni, in qua ſederet ut
epiſcopus: ergo ſecundum iſtum modum arguendi, nec Petrus ejus ſervus & diſcipulus de-
buit ſic cathedrari in eccleſia Antiochena, extollendo ſe ſuper Chriſtum in hoc. Secundò ſe-
quitur, quòd apoſtoli non debuerunt facere conſtrui pulchras & magnas eccleſias: cujus oppo-
ſitum fecerunt, ut patet in hiſtoriis eorum *: quia Chriſtus hoc non fecit tempore viationis
ſuæ: ergo nec apoſtoli extollendo ſe ſupra Chriſtum, hoc facere debuerunt. Tertiò ſequitur,
quod epiſcopi & ſacerdotes alii non debent celebrare ante prandiū & ante meridiē dum ſint
jejuni: quia Chriſtus dominus, cujus ſunt ſervi & diſcipuli, hoc non fecit: ſed ſolùm poſt me-
ridiē pranſus, tempore cœnæ: ergo nec epiſcopi vel ſacerdotes alii debent in hoc extollendo
ſe ſupra Chriſtū, hoc facere: ſufficit quòd faciant ſicut Chriſtus Magiſter hoc fecit. Quartò
ſequitur, quòd non debent epiſcopi & ſacerdotes plures celebrare miſſas in diverſis diebus
ſucceſſivè, quia Chriſtus Magiſter & dominus hoc non fecit, ſed unica vice celebravit. Quin-
tò ſequitur, quòd perfectiores Chriſti diſcipuli nunc exiſtentes, non debent dicere ſymbolū
apoſtolorum, quia Chriſtus Magiſter & dominus, cujus ſunt ſervi & diſcipuli, hoc nunquam
fecit: ergo nec epiſcopi hoc debent facere, quia ſic extollerent ſe ſupra Chriſtum in hoc.
Sextò ſequitur, quòd perfectiores Chriſti diſcipuli & ſervi non debent ordinariè celebrare
diem dominicum, quia Chriſtus Magiſter eorū & dominus, dum eſſet in terris hoc nullatenus
fecit, ſed potius diem ſabbati. Et tales concluſiones ineptæ ſine numero ſequuntur ex modo
arguendi. Et ideo patet, quòd modus arguendi non valet. Hic dico tertiò, quòd licèt non 3a.
haberet ubi caput reclinaret, completo dominio civili proprietario; habuit tamen ubi caput
reclinaret quoad uſum, & ſupra dominium originale, id eſt quoad certum dominium adven-
titium ſupra originale dominium. Fuit enim Chriſtus ſecundum hominem dominus ſabba-
ti, alio dominio quàm ſolo originali dominio: & dominus ſuorum diſcipulorum alio domi-
nio, quàm ſolo originali dominio, ut Theologis peritis notum eſt. Et ſic fuit dominus do-
mûs in qua requievit dominio alio, quàm ſolo originali dominio: & alio dominio, quàm
completo dominio civili, ad modum loquendi ſcripturæ ſacræ. Et Joſeph fuit dominus
Egypti, juxta illud Pſalmi: Conſtituit eum dominum domûs ſuæ & principem omnis poſ-
ſeſſionis ſuæ. Et juxta illud Gen. Joſeph filius tuus vivit, & ipſe dominatur in tota terra
Ægypti: ubi dominium ſumitur pro regimine populi & bonorum terræ, non pro dominio
civili, quia Pharao non fecit Joſeph Regem Ægypti terræ, nec proprietarium in bonis Ægy-
pti, ſed fecerat eum gubernatorem populi & terræ & bonorum. Et ſic ſumendo dominiū
pro regimine & gubernatione, fuit Chriſtus dominus domûs in qua requievit. Et ſic ſunt
epiſcopi quantumcunq; perfectiores Chriſti diſcipuli, domini poſſeſſionum epiſcopatui an-
nexarum, licet non ſint domini civiles, completo dominio earundem rerum, ſicut nec Chri-
ſtus fuit. Poſſunt ergo epiſcopi & prælati habere poſſeſſiones eccleſiaſticas multas ſub
tali dominio: quamvis non extollantur in hoc ſupra Chriſtum in dominio civili, Et ideo
iſtud argumentum undique peccat. Tertiò arguit per illud Lucæ 22.

* Vide Vallam ſupra. p. 144 niſi mavis Legendam.

Argumentum Wicleſi tertium.

'Facta contentione inter diſcipulos Chriſti, quis eorū videretur eſſe major? Reſpondit
'Chriſtus: Principes gentiū dominantur eorum & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici
'vocantur. Vos autem non ſic, ſed qui major eſt veſtrûm, fiat minor: & qui præceſſor, fiat
'ſicut miniſtrator. Ex quibus verbis (inquit) patet, quòd Chriſtus diſtinguit inter majorita-
'tem mundanam & majoritatem ſpiritualem quoad Deum, quia primam majoritatem notat
'per dominationem regum & gentilium, quam ſimpliciter negat verbis Evangelicis debere
'competere. Et ſecundam notat per hoc, quòd talis eſt ut minor & ut miniſtrator: innuens
'quòd quicunq; eſt humilior & ex majori charitate miniſtratior & diligentior, hic eſt major.

Ex

'Ex quibus patet, quòd majoritas secundum dominium Gentium & possessiones terrarum 'est Christi discipulis prohibita.

Responsio ad argumentum prima.

Hic dico, quòd illa contentio facta inter discipulos non fuit de possessionibus terrarum vel redditnum sed fuit de præpositura, quis illorum esset prælatus post Christi passionem, quæ statim imminebat. Et Christus determinavit, quòd nullus deberet desiderare præposituram, tanquam aliquid magni: sicut est præpositura regum Gentium: & talem præposituram super clerum cuilibet illorum inhibuit. Et consequenter declaravit, quòd præpositura quæ debuit esse inter illos, potius debuit esse ministerium quàm tale civile dominium quale est in regibus Gentium. Sed ex isto nullatenus concluditur, quòd sacerdotes legis Gratiæ non possunt habere temporales possessiones. Et ideo satis ineptè adducitur iste processus pro isto articulo. Quamvis enim majoritas modo regum Gentium sit episcopis prohibita super clerum & super possessiones ecclesiasticas: tamen præpositura super clerum & super possessiones ecclesiasticas non est eis prohibita, nec dominium humilis regiminis, quale fuit dominium Joseph super populo & rebus Ægypti: sed bene dominium fastuosum, modo
2a. regum Gentilium, est eis prohibitum. Et sic patet primò, quòd non concludit argumentum. Hic dico secundò, quod potest esse majoritas in dominio regiminis sine majoritate in completo dominio civili quale est in regibus Gentium, quale non habuerunt Apostoli in pecuniis positis ad pedes illorum. Unde licet Apostoli Christi habuerunt majoritatem in dominio regiminis pecuniarum ad pedes illorum positarum, quia distribuebant illam, prout unicuique opus erat: non tamen habuerunt dominium civile completum in pecuniis illis. Et ideo stat perfectiores Christi discipulos tale habere dominium regiminis super possessiones multas, quamvis non dominarentur completè civiliter modo regum Gentium super illas. Et sic patet, quòd habere sub dominio regiminis possessiones multas, non repugnat ex Christi prohibitione perfectioribus Christi discipulis. Sed habere multas possessiones sub completo dominio civili modo regum Gentilium, est perfectioribus Christi discipulis discipulatu supererogationis, quoad tria consilia principalia à Christo prohibitum. Et sic patet secundò,
3a. quòd non concludit argumentum. Hic dico tertiò, quòd in ecclesia primitiva erant episcopi in duplici genere & adhuc sunt. Quidam erant ultra obligationem ad Dei mandata obligati ad tria consilia Christi principalia: & tales episcopi erant Apostoli, ut Timotheus & alii diversi, & quales adhuc sunt episcopi de religionibus privatis assumpti. Et ad istos se extendit prohibitio Christi, ne dominentur dominio completo civili & proprietariè super re aliqua temporali. Alii erant episcopi in ecclesia primitiva, qui non erant ad tria consilia principalia obligati sub pœna peccati, & qui nunquam fecerant votum paupertatis exproprietariæ, nec castitatis cœlibatæ: & istis nunquam fuit à Christo prohibitum civiliter dominari completè & proprietariè super res quas acquisiverunt hæreditario jure, vel arte licita, vel dono, vel emptione pro seipsis. Sic tamen non dominantur super possessiones ecclesiæ, cum non possent illas donare, vendere, vel alienare. Et licet episcopi nostri occidentales & seculares fecerunt votum castitatis, propter obligationem statuti ecclesiæ: nunquam tamen per aliquod statutum ecclesiæ vel Christi fuerunt obligati ad vovendum paupertatem exproprietariam. Et ideo si volunt, possunt licitè dominari proprietariè super rebus diversis, licet non super possessionibus ecclesiæ, nec fuit hoc à Christo eis prohibitum sed solùm episcopis primi generis. Et sic patet tertiò, quòd argumentum non concludit. Quartò arguit sic.

Pulchrum somnium.

Duo genera episcoporum.

Argumentum Wiclefi quartum.

Apostolus qui raptus fuit in tertium cœlum, dat prælatis pro regula, Habentes (inquit) alimenta & quibus tegamur, id est, tegumenta; his contenti simus, Timoth. 6. ubi Apostolus simpliciter dicit alimenta, non lautitias plus quàm necessitate corpus hominis nutrientes. Et simpliciter dicit, & quibus tegamur, non pannos de scarleto memorans, nec camisias sumptuosas. Unde (inquit) per hoc, quòd docet nos de talibus contentari, prohibet superfluitates, & ulterius non deducit argumentum.

Responsio ad argumentum prima.

Hic dico primò, quòd ex hoc quòd Apostolus prohibet superfluitates, non sequitur quòd prohibet possessiones temporales, cum multotiens sint necessariæ pro alimentis & tegumentis satis strictè sumptis. Unde multa monasteria cum possessionibus dotata, habent alimenta & tegumenta satis parcè. Et ideo ex his allegatis, non sequitur conclusio principaliter
2a. intenta. Hic dico secundò, quòd patet ex processu textus in cap. allegato, & ex Glossa ordinaria & ex antiquis postillis, quòd Apostolus loquebatur in illo processu contra pseudo apostolos qui principaliter prædicabant pro divitiis temporalibus inordinatè acquirendis, & pro quæstu, & non principaliter pro salute animarum, & tunc dicit de seipso Timotheo, quòd nullatenus decet prædicare pro quæstu divitiarum principali intentione, sed quòd pro tempore prædicationis sufficit habere alimenta & tegumenta, & quòd his debent contentari sine inordinato appetitu divitiarum. Et cum per alimenta & tegumenta secundum expositionem doctorum, intelligantur omnia homini necessaria vel utilia pro se, & pro aliis pro

Principali intentione.

quibus

quibus habet providere. Non enim excludebat libros quos ſcripſit & habuit, nec neceſſaria ad ſcripturam librorum, cum in alia epiſtola miſerit expreſsè pro membranis ſibi reportandis: & à pari nec alia ſibi & ſuis neceſſaria pro tempore præſenti,& de proximo imminenti. Erat autem Apoſtolus & Timotheus cui ſcripſit iſta verba, epiſcopi de primo genere epiſcoporum: & fuerunt ſine uxoribus,ſine filiis,& obligabant ſe ad conſilia paupertatis exproprietariæ & caſtitatis cœlibatæ,& ad conſilia iſta quaſi in ſupremo gradu. Et ideo multa erant eis prohibita,quæ epiſcopis de ſecundo genere prohibita non erant. Et ideo quamvis conceditur,quòd non erat epiſcopis primi generis licitum habere poſſeſſiones multas proprietariè: ex hoc non ſequitur,quin ſit licitum epiſcopis ſecundi generis poſſeſſiones habere ſatis multas proprietariè. Et ideo argumentum non concludit. Hic dico tertiò, quòd in modo arguendi impingit in Chriſtum & in apoſtolos Chriſti ſanctos: quia Chriſtus & ejus apoſtoli multotiens fuerunt in magnis conviviis, ut patet in Evangelio,in quibus delicata & lauta fuerunt eis appoſita, & ſic Chriſtus docuit diſcipulos ut comederent ea quæ eis apponerent,non diſtinguendo inter lauta & non lauta. Ergo dicendo quod lautitiæ erant perfectis prohibitæ, impingit in Chriſtum & apoſtolos,qui lautè utebantur in menſis aliorum. Similiter quando Chriſtus ſponte eligit domum, in qua voluit cœnare & celebrare, non elegit domum parvā, ſed elegit domum magnam & ſumptuoſam. Habetur enim Luc. 22. quod Chriſtus miſit diſcipulos in civitatem ad quendam & dixit: Ipſe oſtendet vobis cœnaculum grande ſtratū, & illic parate nobis. Apoſtoli etiam (ut patet in * hiſtoriis eorundem) fecerunt fieri eccleſias miræ magnitudinis. Et ideo innuendo in argumento ex verbis apoſtoli,quòd ædificia magna & lautitiæ ſint viris perfectioribus omnino prohibitæ, impingit in Chriſtum & apoſtolos ejus ſanctos. Et ſic multipliciter peccat argumentum. Quintò arguit ſic:

Confidentia monachalis.

3a.

** Mira fides Legendarum Jacobi de Vertigine.*

'Petrus, princeps apoſtolorum præcepit quòd non ſimus dominantes in clero: ſed forma 'facti gregis ex animo & voluntate facti humiles ad gregis miniſterium, & non diſcentes 'quomodo poterimus ſubditis dominari. Sed epiſcopi quærendo ſibi caſtella & prædia do'minantur in clero: & machinantes quomodo poſſent veſtiri ſolennius, & dimiſsâ conſide'ratione miniſtrationis eccleſiæ, ſplendidius præornari,dominantur in clero: quia vita Chri'ſti & apoſtolorum docet quomodo intellexerunt iſta verba, per hoc innuens, quòd non ſit 'licitum epiſcopis habere caſtella & prædia.

Argumentum Wiclefi quintum.

Hic dico primò, quòd doctor de Lyra & alii ſic exponunt dictum Petri allegatum, non dominantes in clero,id eſt non elevati per ſuperbiam, ratione prælationis: ſed forma facti gregis, id eſt tenentes debitam humilitatem ad ſubditorum informationem. Sed tenere debitam humilitatem ad informationem gregis, & non elevari in ſuperbiam ratione prælationis poſſunt epiſcopi ſatis bene cum poſſeſſionum retentione, caſtrorum & agrorum. Nonne Melchiſedec ſummus ſacerdos & epiſcopus poſſedit caſtra & agros & redditus, quando ſimul cum ſacerdotio fuit Rex Salem? & ideò iſtud argumentum non concludit, quòd non eſt licitum habere poſſeſſiones caſtrorum & agrorum: quia non oportet quod epiſcopi ſint dominantes in clero illo modo, quo Apoſtolus loquebatur de dominatione, ex hoc quòd poſſident caſtella & prædia. Nec oportet quòd ſint dominantes in clero prædicto modo, quo dominantur principes gentium, ex hoc quod ſolenniter & ſplendidè ſint veſtiti. Tenet enim dominus Armachanus 32. cap. ſexti libri de pauperie, quod epiſcopus cum arctiſſima paupertate poteſt tenere pretioſitatem in victu, veſtitu & equitatu. Et ulterius tenet, quòd in caſu ſi præmiſſa reſpueret, minus perfectè ageret, aut peccaret: quoniam cum apoſtolo ſemper illud debet obſervare: Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium veſtrum. Reſpuendo talia multotiens ponerent epiſcopi miniſterium ſuum in vituperio. Et ideo patet clarè, quòd non valet hoc argumentum. Sextò arguit ſic: Apoſtolus Corinth. 8. ſupponens ut fidem, quomodo omnes debemus ſequi Chriſtum in moribus, ſic ſubjungit:

Reſponſio ad argumentum.

Nimirum.

Clariſſimè.

'Scitis (inquam) gratiam domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus 'eſt, cum eſſet dives, ut ejus inopiâ vos divites eſſetis. Cum ergo non liceat negare, quin 'oporteat omnes fideles Chriſtum ſequi in moribus: patet quòd in gradu ſuo oportet cle'ricos ſpecialiter in paupertate humili ſequi ipſum. Unde (inquam) religioſi noſtri, uti'nam non fictè confiterentur concorditer tanquam ſubſtantiam religionis ſuæ, obedientiam 'ſervandam, Chriſti paupertatem & caſtitatem. Et de iſtis innuit,licèt ulterius non deducat, 'quòd oportet omnes clericos eſſe pauperes, ut Chriſtus fuit.

Argumentum Wiclefi ſextum.

Hic dico,quòd ex hoc modo arguēdi ſequuntur errores. Nā ſequitur primò,quòd oportet omnes Reges fideles, omnes duces,omnes comites, barones, militares, milites & omnes mercatores fideles eſſe pauperes, ut Chriſtus fuit: & eſſe egenos, & non proprietarios, quia non licet negare,quin oportet omnes fideles Chriſtum ſequi in moribus: & omnes iſti ſunt fideles, ergo oportet omnes iſtos Chriſtum ſequi moribus. Ex quo ergo Chriſtus ſic fuit pauper & egenus,quòd non dives in temporalibus, nec proprietarius, ſequitur quod oportet omnes iſtos tales

Reſponſio ad argumentum prima.

2a. tales esse. Sequitur secundò, quòd illi veri pauperes Christi in Hierusalem qui omnes possessiones suas vendiderant, & posuerant pretia ante pedes Apostolorum in primitiva ecclesia, non sequebantur Christum in moribus, ut oportet: quia ut dicit scriptura: Non erat tunc egens inter eos. Et Christus fuit non solum pauper vel egens, sed etiam egenus. Sequitur 3a. tertiò, quòd oportet omnes fideles esse virgines & specialiter omnes clericos, sive in oriente sive in occidente: quia oportet omnes clericos in gradu suo, in virginitate humili sequi Christum, ergo oportet omnes fideles esse virgines & specialiter omnes clericos. Item sequitur, quòd corruptus non debeat promoveri in sacerdotem. Item sequitur, quòd qui duxerit matrimonialiter virginem, non possit promoveri in sacerdotem. Item sequitur, quòd sanctus Petrus minus bene per Christum fuisset ordinatus in episcopum & sacerdotem, cum fuit uxo-
4a. ratus. Quæ omnia sunt falsissima. Sequitur quòd oportet omnes fideles & specialiter omnes clericos Judaizare in moribus: quia sic fecit Christus usq; in finem vitæ suæ. Sequitur quin-
5a. to, quod oportet omnes fideles, specialiter clericos jejunare per quadraginta dies & noctes, sine cibo, vel potu medio tempore sumpto, quia sic jejunavit Christus. Et consimiles errores aliàs deduxi valde multos in quadam quæstione de conformitate nostra ad opera Christi, in qua declaratum est, quòd in multis non tenemur sequi Christum in moribus: quod in multis omnes fideles adulti, & usum rationis habentes, tenemur sequi mores Christi diversos: quia Apostoli in multis tenebantur sequi mores Christi, in quibus nec communitas fidelium, nec communitas sacerdotum prælatorum tenentur sequi mores Christi. Et in speciali authoritatibus Gregorii, Augustini & aliorum doctorum fuit hoc ostensum, de paupertate Christi & Apostolorum, loquendo de paupertate Christi & Apostolorum secundum gradum supremum, quem observaverunt. Et ideo licèt oporteat omnes fideles Christum sequi in moribus: non tamen oportet omnes fideles Christum sequi in moribus omnibus suis, sed varios status fidelium in variis atque variis moribus. Et licèt specialiter clerici teneantur in gradu suo sequi Christum in moribus: non tamen omnes clerici in moribus suis. Et specialiter nec omnes clerici in supremo gradu paupertatis, quam Christus tenuit, tenentur eum sequi, ut doctores satis ostendunt. Et sic patet, quòd argumentum non concludit contra possessiones clericorum, licet Christus tales non habuerit. Unde episcopi secundum jura licet sint successores Apostolorum in authoritate vel paternitate spirituali, non tamen ex statu episcopali sunt successores Apostolorum in expropriatione: sed potius religiosi, & diversi religiosi secundum diversos modos & gradus. Et fortè nec episcopi communes parificantur modò Apostolis in authoritate & paternitate spirituali: nec aliqui religiosi communiter nunc existentes in expropriataria paupertate. Nam Apostoli fuerunt patres spirituales fidelium, & genitura spirituali & cura. Primò enim generabant eos in fide, & pòst habuerunt eorum curam, ut fides nutriretur & roboraretur in eis. Episcopi nunc sunt communiter patres curâ spirituali, sed non geniturâ in fide, quibus præsunt, sed præsupponunt in eis fidem, & perfectius est esse patrem & geniturâ & curâ, quàm esse patrem sola curâ, cæteris paribus. Iterum apostoli perfectiorem habuerunt potestatem jurisdictionis quàm habent communes episcopi nostri, & universaliorem. Ubicunq; enim veniebant, & convertebant populum in magnis civitatibus authoritate ordinaria à Christo data constituebant episcopos in illis civitatibus, quod non possunt communes episcopi modò: Quinetiam Apostoli excommunicabant, tradebant excommunicatos potestati Satanæ, ut flagellaret & vexaret eos in corpore: quam authoritatem & potestatem non habent episcopi modò. Et ideo non parificantur Apostolis simpliciter in paternitate & authoritate. Et sic nec religiosi modò communiter in paupertatis expropriatione. Quidam enim abdicant omne jus civile litigativum, & conforme dominium in rebus temporalibus in proprio, sed non in communi. Quidam abdicant etiam tale jus, & dominium conforme in possessionibus & redditibus magnis, tam in proprio quàm in communi: sed non paucarum rerum usui necessariarum, ut domorum, librorum, utensilium. Quidam abdicant omne tale jus & dominium omnium talium rerum magnarum & parvarum, retinent tamen quoad usum provisionem certarum rerum in futurum & cogitationem de crastino. Sed Apostoli tantam observabant paupertatem, quòd nec haberent æs in zonis, nec peram pro victualibus reponendis, nec cogitationem volebant habere pro crastino, hoc est pro tempore prolixè futuro, pro seipsis, quando erant in locis ubi ex quotidianis laboribus, oblationibus, vel eleemosynis poterant vivere. Et tam altum gradum paupertatis observant communiter aliqui religiosi modò, nec observare * tenentur. Ex quo ergo religiosi non tenentur ad illam altam paupertatem expropriëtariam, quam Apostoli observaverunt: cum tamen sint in paupertate expropriëtaria Apostolorum successores, & non sic episcopi ex statu episcopali: sequitur à multo fortiori, quòd episcopi ex statu episcopali, ad illam altam paupertatem, quam Christus & Apostoli servaverunt, non sunt ex statu episcopali obligati. Et sic ex alio capite patet, quòd argumentum non concludit. Septimò & ultimò, arguit pro articulo sic:

Judaizare.

Scriptum Wodfordi de sequendis vel non sequendis operibus Christi.

Episcopi.

* Isai. 1. 12.

Aposto-

'Apoſtoli poſt miſſionem ſpiritus ſancti dixerunt, Non eſt æquum nos derelinquere verbum dei & miniſtrare menſis: & hinc conſtituerunt ſeptem diaconos ſuper hoc opus, ſed quis dubitat, quin ille prælatus magis negotiis ſe ſecularibus implicat, qui relicto Chriſti officio in vita quā mundus exigit, ſe nutriat? Apoſtolus tamen dicit, quòd nemo militans deo implicat ſe negotiis ſecularibus: & cum nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur. Patet inquā, quod prælatus habet illum honorem, puta in poſſeſſione terrarum & reddituū a diabolo. Et ſic (juxta primum verbum Lucæ) talis non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus, ſed diſcipulus Antichriſti. Et cum præſumit eſſe major domino noſtro Jeſu Chriſto, puta in temporalibus: patet quòd non eſt ejus diſcipulus ſeu ſervus, ſed diſcipulus Antichriſti. — Argumentum Wiclefi ſeptimum.

Hic dico primò, quòd apoſtoli adminiſtrationem & diſpenſationem temporalium non condemnaverunt in viris eccleſiaſticis & in prælatis, ſed approbaverunt: cum ipſimet ad tempus hoc fecerint, & poſt conſtituerunt ſeptē levitas, qui intenderunt adminiſtrationi temporaliū, cum ipſi apoſtoli orationi inſiſtebant & prædicationi verbi dei, ut patet actuum 6. ca. Et ideo ineptè adducit proceſſum ad condemnandum in epiſcopis & clericis omnem ſolicitudinem & occupationem in rebus temporalibus. Sed bene apoſtoli condemnaverunt ſolicitudinem circa temporalia in prædicatoribus, pro tempore quo neceſſe eſt eos prædicare, ſi tunc propter occupationem in rebus temporalibus dimittunt tunc prædicationem ad quam obligantur. Unde ad illum finem ponebantur precia domorū & agrorum venditorum ad pedes apoſtolorū, ut apoſtoli vel per ſeipſos vel per alios idoneos illa diſpenſarent. Et apoſtoli facto oſtenderunt, quòd eccleſiaſticos reputabant adhuc magis idoneos quàm laicos, quando conſtituerunt ſeptem levitas ſuper hoc opus adminiſtrationis. Unde ſecundum decretum Anacleti Papæ, qui fuit tempore diſcipulorum, & ſcivit intentionem eorum, Apoſtoli permiſiſſent agros oblatos remanſiſſe eccleſiæ in Judæa, & non expoſuiſſent venditioni: niſi quia ſciverunt eccleſiam in Judæa non diu duraturam, ut ſæpius declaratum eſt. Et ſic patet primo, quòd argumentum non valet. Hic dico ſecundò, quòd quantum ad aliam authoritatem Apoſtoli, quòd nemo militans deo implicat ſe negotiis ſecularibus, & quantum ad hoc quod ponit prælatos ſe intricare ſecularibus negotiis propter occupationes quas habent circa poſſeſſiones terrarum & reddituum: Dico uno modo, quòd Apoſtolus loquitur epiſcopis & clericis primi generis, qui militant deo perfectiſſimo genere militiæ, vel quaſi perfectiſſimo: & non de epiſcopis vel clericis ſecundi generis, qui paupertatem nunquā voverunt. Si loquamur de poſſeſſionibus proprietariis terrarum & reddituū, & ſi loquamur de poſſeſſionibus communibus eccleſiæ annexis, tunc perfectiſſimi poſſunt occupari aliquando circa illa negotia ſecularia: ſi tamen ſecularia dici debent, nec tamen propter hoc implicant ſe negotiis ſecularibus: quia aliud eſt implicare ſe, & aliud implicari à ſuperiori pro bono communi. Qui autem laborat pro honore epiſcopatûs, quantum poteſt, ut habeat abundantiam poſſeſſionum ut lautè & honorificè vivat, ille implicat ſe negotiis ſecularibus contra Apoſtolum, & non eſt militans Chriſto ſed mundo. Sed ſi epiſcopatus imponatur alicui ab eccleſia propter ſufficientiam quam habet in ſcientiis & moribus & de prudentia regendi, quantumcunq; ſint magnæ poſſeſſiones annexæ epiſcopatui, ille non implicat ſe negotiis ſecularibus, ſed per ſuperiorem cui tenetur obedire, implicatur ad occupationem circa temporalia eccleſiæ, & ſic non facit contra doctrinam Apoſtoli. Alio modo dico, quòd aliud eſt implicare ſe negotiis ſecularibus, & aliud applicare ſe ad negotia ſecularia ad tempus propter neceſſitatem. Ille implicat ſe negotiis ſecularibus, qui voluntariè & principali intentione involvit ſeipſum in illis, quantumcunq; vacare debet occupationi ſpirituali. Et hoc non facit prælatus, qui militat bene Chriſto. Sed bonus miles Chriſti habet applicare ſe ad negotia ſecularia: aliàs Paulus non manibus laboraſſet pro victu acquirendo: aliàs Paulus non diceret epiſcopo, quòd bene provideat domui ſuæ, ut intrinſecè habitantes habeant ſufficientiam: aliàs non præciperet epiſcopis eſſe hoſpitales, ut advenientes habeant ſufficientiam: aliàs non fuiſſet Paulus ita ſolicitus pro illis religioſis pauperibus in Hieruſalem, qui omnia reliquerant, ad congregandum pecuniam pro eis: & pro nullis aliis pauperibus legitur fuiſſe ita ſolicitus ſicut pro eis: Aliàs Chriſtus non ſe occupaſſet circa comeſtionem corporalem, ſeu cibationem temporalem populi in deſerto. Aliàs ſolicitudo Marthæ circa temporalia Chriſto neceſſaria, non fuiſſet à ſanctis commendata. Alias Evangelia non commendarent ſanctas mulieres quæ ſequebantur Chriſtum, & miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Applicatio ergo ad talia negotia ſecularia non eſt epiſcopis perfectiſſimis illicita: ſed ipſis & aliis neceſſaria. Nec propter applicationem ad temporalia implicant ſe negotiis ſecularibus, ut præmittitur: quia libentius in ſpiritualibus forent occupati, quando ſunt perfecti. Alio adhuc modo poteſt dici, quòd ad literam in ſecundo capite ſecundæ ep. ad Timotheum, ubi allegatur authoritas, vocat prædicatorē verbi dei militē Chriſti: & vult dicere, quòd nullus militans deo, id eſt, propter deum prædicans verbum dei, prædicat principaliter propter lucra ſecularia, ſicut fecerunt pſeudoapoſtoli, de quibus loquebatur

Reſponſio ad argumentum prima.

Attende.

2a.

2 Tim. 2.3,4.

batur ultimo cap. prioris Epistolæ ad Timotheum. Ille enim propriè implicat se negotiis secularibus militando, qui facit opera spiritualia propter lucra temporalia. Et sic intelligendo authoritatem, ut diversi postillatores intelligunt, nihil concludit argumentum contra possessiones ecclesiæ. Alio adhuc modo dici potest, quòd Apostolus hic vocat negotia secularia illa, quæ sine peccato mortali exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt, de quibus loquitur Gregorius in homilia paschali, quando quærit, quare Petrus post resurrectionem Christi ad piscationem rediit, & Matthæus ad telonei negotium non rediit: & sic loquitur ecclesia de negotiis secularibus, extra. ne clerici vel monachi se secularibus immisceant, ca. 1. Et sic loquendo de negotiis secularibus constat quòd nullus militans bene deo, & maximè prædicator verbi dei, de quo loquitur Apostolus, implicat se negotiis secularibus, sed nec applicat se talibus. Sed regere & dispensare possessiones communes ecclesiæ potest quis sine peccato mortali. Et sic fecerunt multi sancti Episcopi, multi sancti Abbates & Priores: & ideo regere & dispensare bona communia ecclesiæ non debet inter secularia illa negotia computari, de quibus loquitur Apostolus. Et patet tunc quod argumentum non concludit. Alio adhuc modo potest dici, quòd armis intendere, judicium sanguinis exercere, vel in curiis secularibus judices & advocatos esse, * incontizare propter lucrum, & consimilia, vocantur negotia secularia. Et hoc modo loquendo de negotiis secularibus, nemo militans deo bene per spirituales occupationes prædicationis verbi dei, implicat se talibus negotiis secularibus, nec applicat se illis: cum quo satis stat, quòd talis regat & dispenset temporalia ecclesiæ. Et ideo multipliciter patet, quòd istud argumentum contra possessiones ecclesiæ non concludit: & patet quòd falsè innuit de bonis prælatis, quòd habent honorem in possessione terrarum à diabolo: quia in principio quasi ecclesiæ & tempore apostolorum habuerunt ex oblatione fidelium devota tales possessiones: licèt non legatur de ecclesia Romana, quòd habuit prædia ante tempora Urbani Papæ primi: Aliæ tamen ecclesiæ de consensu apostolorum habuerunt: & ideo non à diabolo habuerunt episcopi sic possessiones terrarum, ut falsissimè innuit. Et patet ulterius, quòd iste articulus ex alio capite est erroneus: quia dato quòd esset hæresis vel error, dicere, quòd licitum est sacerdotibus & levitis legis gratiæ dotari cum possessionibus temporalibus, tamen adhuc hæresis magis magna esset, quòd nullus deus est trinus & unus: & quòd Christus non est deus, & sic de multis aliis. Et ideo licet hoc dictum esset hæreticum, sicut non est, sed potius catholicum: adhuc aliquis esset major hæreticus, quàm ille qui hoc doceret: quia ille esset qui pertinacius doceret nullum deum esse trinum & unum. Et sic patet, quòd hic articulus est multipliciter erroneus, & quòd argumenta pro articulo facta non sunt alicujus valoris.

Postillatorum autoritas. — *Gregorius.* — *Ecclesia Romana non habuit prædia ante tempora Urbani, i.e. anno Christi 226. annon igitur opportunè donavit Constantinus? respondet Valla.*

TErtiusdecimus articulus ut hæreticus in suo universali intellectu condemnatus, est, quòd non solùm domini temporales possunt auferre bona fortunæ ab ecclesia habitualiter delinquente, non solùm eis hoc licet, sed debent hoc facere sub pœna damnationis æternæ. Quòd hic articulus universaliter intellectus sit hæreticus, patet ex hoc quòd illa assertio est hæretica, quæ ponit quòd quis sub pœna damnationis æternæ deberet facere injustum, vel quòd ad se non pertinet, cum sit assertio contra fidem. Sed aliqua ecclesia particularis potest habitualiter delinquere, & tamen occultè: & potest habitualiter delinquere crimine merè spirituali, ita quòd non crimine aliquo modo seculari, de quo domini & judices temporales non debent se aliquo modo intromittere, nisi in maximo defectu prælatorum. Cum ergo omnino sit injustum, quod domini temporales debent punire judicialiter pro crimine omnino occulto: & cum omnino sit injustum quòd domini temporales debent de criminibus merè spiritualibus se intromittere, quamvis manifestis, quàm diu prælati ecclesiæ faciunt quod debent circa correctionem: sequitur quòd assertio est hæretica, quæ ponit universaliter quòd domini temporales debent sub pœna damnationis æternæ auferre bona fortunæ ab ecclesia habitualiter delinquente. Iterum patet ex priori articulo, ut ex processu suo lib. 4. Trialogi & in supplemento quarti liquet, quòd intentionis suæ est in isto articulo, quòd domini temporales omnino debent sub pœna damnationis æternæ auferre ab ecclesia possessiones ecclesiæ: castra scilicet, maneria, agros & redditus, & quòd ecclesia habitualiter delinquit intentione illarum possessionum. Et sic ex hoc non committerent sacrilegium domini temporales, quòd auferrent illa bona fortunæ ab ecclesia quantumcunque aliunde ecclesia bene viveret, & quantumcunque non esset necessitas illa auferendi. Cujus oppositum est damnatum in multis Conciliis generalibus, ut patet in Canone palàm. Item ex isto articulo sequitur, quòd omnes reges sancti & domini qui potuerunt sic auferre ab ecclesia talia bona & non fecerunt, nec de hoc pœnituerunt, sunt damnati. Item ex isto articulo sequitur, quòd Reges & duces, qui antiquitus dederunt militibus simplicibus & militaribus maneria & redditus,

Decimus tertius articulus Wiclefi. — *Responsio Wodfordi prima.* — *22.*

ditus, debent à succeſſoribus illorum auferre illa maneria ſub pœna damnationis æternæ quandocunq; habitualiter peccavit. Et hoc dicere, eſt dicere eſſe mortale peccatum quod non eſt mortale peccatum, & per conſequens eſt dicere hæreſim. Et patet conſequentia, quia non eſt danda cauſa diverſitatis. Item ex motivo principali pro articulo ſequitur, quòd populares poſſunt à Regibus & ducibus & eorum ſuperioribus licitè auferre poſſeſſiones eorum, quandocunq; habitualiter delinquunt. Nam principale motivum antiquum ſuum eſt iſtud:

'Deus non poſſet eſſe, niſi poſſet permittere eccleſiaſticos ad tantum delinquere quòd 'mereantur poſſeſſionibus ſuis ſpoliari: nec poſſet ſpoliationem talem cauſare, niſi poſſet 'facere dominos temporales meritoriè exequi cauſam: ergo concluſio. Argumentum Wiclefi.

Conſimiliter arguitur: Deus non poſſet eſſe, niſi poſſet permittere reges, duces & ſuperiores in poteſtate laicali ad tantum delinquere, quòd mereantur poſſeſſionibus ſuis & dignitatibus ſpoliari: nec poſſet ſpoliationem talem cauſare, niſi facere poſſet populares meritoriè exequi illam cauſam: ergo populares poſſunt à regibus, ducibus & ſuperioribus in poteſtate laicali licitè auferre poſſeſſiones eorum & dignitates, quandocunq; habitualiter deliquerint. Modus arguendi eſt ſuus ab antiquo, & concluſio eſt expreſsè contra ſacram ſcripturam, ut inferius deducetur: quia deus præcepit fidelibus ſuis omnibus, ne auferrent à filiis Eſau infidelibus, & publice & habitualiter idololatris, poſſeſſiones. Et dicere quòd pro quocunq; peccato continuato deberent populares auferre poſſeſſiones, & dignitates à Regibus eorum & eorum ſuperioribus, eſt multipliciter contra ſcripturam, ut inferius patebit. Et ideo iſte articulus meritò inter alios eſt condemnandus hæreticus. Et in iſto articulo & modo arguendi adverſarius turpiter contradicit ſibiipſi: quia ponit quòd omne quod erit, abſolutè neceſſariò erit: & quòd ſi hoc non erit, hoc non poteſt eſſe. Et ideo conſequenter habet dicere, quòd ſi deus non permittit eccleſiaſticos ad tantum delinquere, quòd mereantur à poſſeſſionibus ſuis ſpoliari: ergo deus non permittit eccleſiaſticos ad tantum delinquere, quòd mereantur à poſſeſſionibus ſuis ſpoliari: Et cum antecedens ſit ſibi dubium, an deus hoc permittat, patet quòd habet juxta principia ſua negare conſequentiam iſtam: Si deus poteſt eſſe deus, poteſt permittere eccleſiaſticos ad tantum delinquere, quod mereantur à poſſeſſionibus ſuis ſpoliari, &c. Pro iſto articulo non facit in Trialogo aliquam rationem ſpecialem, niſi ſupponendo ex prædictis argumentis ſuperius ſolutis, quòd domini temporales graviter peccaverunt dotando eccleſiam, & quòd debent de illo peccato puniri, & ſic auferre temporalia illa ab eccleſia, quæ eccleſiæ dederunt. Sed patet ex dictis, quòd aſſumptum univerſaliter intellectum eſt omnino falſum. Et dato quod in caſu ſingulari eſſet verum quod dominus temporalis donando temporalia peccaret, utputa ex vana gloria, ex hoc nullo modo ſequitur, quòd verè pœnitendo debeat ab eccleſia illa auferre, cum hoc non debeat fieri etiam hiſtrioni, &c. Reſponſio ad argumentum.

QUartuſdecimus articulus pro hæreſi condemnatus eſt: Si corporalis unctio foret ſacramentum, ut modò fingitur, Chriſtus & ejus apoſtoli ipſius promulgationem non tacuiſſent. Quòd enim iſte articulus ſit hæreticus, patet: quia ſupponit fictionem eſſe, quòd ſacramentum extremæ unctionis ſit verum ſacramentum: cum tamen oppoſitum in materia de ſacramentis ſit ab univerſali eccleſia approbatum. Item iterum eſt hæreticus, quia aliter ſentit de illa ſcriptura apoſtoli Jacobi [Infirmatur quis ex vobis? inducat ſuper ſe presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine domini] quàm ſpiritus ſanctus efflagitat, & aliter quàm doctores à tempore apoſtolorum uſq; ad tempora noſtra ſentiebant, quia in illa fundabant hoc ſacramentum. Et tertiò eſt hæreticus, quia ſupponit nihil eſſe catholicum, cujus promulgationem Chriſtus & apoſtoli tacuerunt in ſacra ſcriptura, & hoc eſt hæreticum, ut inferius patebit. Pro iſto articulo nullam omnino facit rationem alicujus ponderis, vel dignam recitatione, &c. Decimuſquartus articulus Wiclefi. Reſponſio Wodfordi. S. Jacobi 5. 14.

QUintuſdecimus articulus condemnatus eſt, quòd quicunque eſt humilior, eccleſiæ ſervitivior & in amore Chriſti quoad ſuam eccleſiam amativior, ille tam in eccleſia militante major & proximus Chriſti vicarius eſt. Decimuſquintus articulus Wiclefi.

Hic articulus condẽnatus eſt pro errore ſapiẽte hæreſim, & rationabiliter. Primò, quia ſic nõ certificatur eccleſia ſine ſpeciali revelatiõe divina, quis eſſet in eccleſia militante proximus Chriſti vicarius, quia neſcit eccleſia militãs, qualis perſõa eſt in illa hũilior, eccleſiæ ſervitivior, quoad ſuã eccleſiã amativior: nec ſcire hoc poteſt ſine ſpeciali revelatione. Secundò eſt hæreticus rationabiliter condẽnatus: quia dato articulo, ſequitur quòd vero vicario proximo Reſponſio Wodfordi prima. 2a.

ximo Christi mortuo, statim est aliquis alius verus & proximus Christi vicarius absque omni electione juridica cleri vel populi: quia ipso mortuo aliquis est humilior in ecclesia, ecclesiæ servitivior & in amore Christi, quoad suam ecclesiam amativior. Et si sic, errasset ecclesia à tempore apostolorum usq; ad tempora nostra circa personam papæ. Ter-
3a tiò est hic articulus rationabiliter condemnatus: quia dato articulo dubitare deberet ecclesia, si unquam beatus Petrus fuit proximus Christi vicarius in terris, quia dubitare habet ecclesia si Petrus fuit humilior Andrea apostolo vel Jacobo, vel quocunq; alio Christiano humilior: & per consequens habet dubitare, an Petrus unquam fuit humilior, ecclesiæ servitivior & quoad ecclesiam amativior alio quocunq; Christiano: & per consequens, articulo dato habet etiam dubitare si beatus Petrus unquam fuit proximus Christi vicarius.
4a. Et sic de quocunq; alio papa à tempore apostolorum, usq; ad tempora nostra. Quartò est hic articulus rationabiliter condemnatus: quia dato articulo cum alia sententia sua sequitur, quòd mulier æque potest esse episcopus & sacerdos, sicut vir. Et sic sequitur, quòd beata virgo fuit * papa & proximus Christi vicarius, tempore quo Petrus apostolus episcopus Romanus fuit, quia ipsa fuit humilior Petro, & ecclesiæ servitivior & amativior, secundum quod consequenter habet dicere. Quintò est hic articulus rationabiliter condemnatus: quia dato articulo sequitur, quòd nullus debet credere se esse papam, nec proximum Christi vicarium in terris: quia nullus virtuosè credit se esse humiliorem inter
5a. omnes viventes, vel quocunq; alio ecclesiæ servitiviorem. Cum ergo nullus potest esse papa secundum articulum nisi sit talis, sequitur quod nullus unquam debet credere se esse papam: imò credendo se esse papā, esset non papa, & non Christi vicarius: quia non esset tunc inter omnes humilior sed potius præsumptuosior, credendo se omnium aliorum vir-
6a. tuosiorem. Sextò est hic articulus rationabiliter condemnatus: quia dato articulo sequitur, quòd quandocunq; subditus papæ sit ipso humilior & ecclesiæ servitivior, papa desinit esse papa & proximus Christi vicarius, absq; cessione juridica & juridica depositione: quia tunc ille humilior & ecclesiæ servitivior fit papa, & non est primus papa, quia extunc non est humi-
7a. lior, nec ecclesiæ &c. Septimò est hic articulus rationabiliter condemnatus: quia dato articulo, & posito quòd essent duo vel tres æque heroicè humiles, & in æquali gradu, & nullus alio illorum esset humilior vel amativior: sequitur quòd duo sunt vel tres papæ æqualis præeminentiæ, vel quod nullus est papa: quia qua ratione unus esset proximus Chri-
8a. sti vicarius, & alius istorum trium. Octavò est iste articulus rationabiliter condemnatus: quia dato articulo, sequitur quòd si ille qui est papa & Christi proximus vicarius, statim pòst peccabit in aliqua specie mortalis peccati, quantumcunq; occulto, statim desinit esse papa & Christi proximus vicarius: quia eo ipso non est humilior & virtuosior in ecclesia. Et tales ineptiæ & fatuitates magnæ deduci possunt in articulo in magna multitudine. Pro articulo non facit adversarius in Trialogo aliquam rationem.

* Etiamsi B. V. non fuerit Papa, fuisse tamen Johannam Papissam noverunt melius antiqui quàm scriptores hodierni.

Decimus Sextus articulus Wiclefi. Responsio Wodfordi 4 viis. Viæ primæ prima probatio.

SExtusdecimus articulus pro hæresi condemnatus est, quòd ad verum dominium seculare requiritur justitia dominantis: sic quòd nullus in peccato mortali est dominus alicujus rei.

Quòd autem iste articulus sit hæreticus, patet quatuor viis. Primò, quia repugnat sacræ scripturæ. Secundò, quia repugnat determinationi ecclesiæ. Tertiò, quia antiqui doctores catholici & sancti tradiderunt articulum esse contra fidem ecclesiæ. Quartò, quia ex articulo sequuntur hæreses diversæ. Est ergo articulus hæreticus Primò, quia repugnat sacræ scripturæ. Unde Genes. 3. patet, quòd postquam peccaverunt primi parentes, & antequam deus viro pœnam imposuit, dixit deus mulieri: Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Et hoc dictum est pro eâ & pro omnibus aliis uxoribus, quòd viri & mariti illarum deberent uxoribus dominari, & alio modo quàm pro statu innocentiæ fuissent dominati: quia aliàs hoc non fuisset eis pro pœna injunctum. Cum ergo multæ uxores habeant maritos paganos, & multæ Saracenos in mortali peccato, patet quòd repugnat scripturæ, ponere quòd nullus in peccato mortali habet dominium alicujus rei. Secundò patet idem Deuter. 2. cap. ubi præcipitur filiis Israel ne pugnarent contra filios Esau (aliàs Edom) cui dedit dominus montem Seyr, & filiis suis. Erat autem Esau reprobus in mortali peccato, & filii sui idololatræ. Et ibidem habetur, quomodo præcepit dominus filiis Israel ne pugnarent contra Moabitas, qui erant idololatræ. In eodem etiam habetur de eo, quomodo conformiter præcepit eis, ne pugnarent contra Ammonitas, nec occuparent terram illorum, quia illis tanquam filiis Loth dederat eam dominus in possessionem. Cum ergo titulus divinæ dationis sit verus, & propriè titulus justus habitationis rei à deo donatæ, & cum isti erant idololatræ, quibus deus has terras dedit, patet quod repugnat scripturæ dicta positio adversarii. Tertiò patet idem, quia Genes. 6. habetur

habetur, quòd Isaac abiit ad Abimelech regem Palæstinorum, qui tamen fuit idololatra. Et in multis locis ejusdē libri habetur de Rege Ægypti qui tamen fuit idololatra. Exodi etiam primo habetur, de rege novo super Ægyptū qui filios Israel odiosos habuit & persequutus fuit eos. In libro etiam Deuteronomii & Numerorum habetur de multis idololatris, quomodo scriptura ponit eos reges. Et sic conformiter in libro Josue habetur, & libris Regum de Benhadad rege Syriæ & multis aliis regibus infidelibus. Conformiter in libris Esdræ, Nehemiæ, Judith & Hester de regibus infidelibus multa dicuntur. Etiam Danielis 5. cap. dixit Daniel regi, O rex, deus altissimus regum magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. Et tamen ille fuit pro tempore regni sui valde malus à deo sibi dati. Etiam 3 Regum 19. habetur, quòd deus præcepit Heliæ prophetæ ut ungeret Asael in regem Syriæ, & Jehu in regem super Israel: & tamen uterq; fuit malus, & dominium à deo homini datum, non potest solùm esse prætensum, sed est verum dominium: & unctio per divinum præceptum in regem & perfectissimum prophetam, non poterat solùm esse unctio in regem prætensa, sed erat unctio in regem vera. Et ideo dicere, quòd nullus in peccato mortali est verè rex vel habet verè dominium est expresse contradicere scripturæ. Ultimo etiam Paralipomenon dicit Cyrus rex Persarum, Omnia regna terrarum dedit mihi deus cœli, & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Israel: & tamen Cyrus erat in mortali peccato. Quartò patet idem, quia Nehemiæ nono patet quòd Esdras sanctus dixit 4a. de se & filiis Israel, Nos ipsi servi hodie sumus, & terra quam dedisti patribus nostris, & nos ipsi sumus servi in ea, & fruges ejus multiplicantur regibus quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur & jumentis nostris secundum suam voluntatem. Postea etiam dicit: Dominati sunt eorum qui oderunt eos, quos oportuit propter odium esse in peccato mortali. Christus etiam, qui nunquam est mentitus, dixit, Principes gentium dominantur eorum, ergo principes gentiles verè dominantur super eorum subditos quamvis sint infideles. Matthæus asserit Christum natum in diebus Herodis regis, qui tamen fuit malus. Lucas dicit Tyberium imperasse & tenuisse imperium: & alios infideles tenuisse Tetrarchias in terra filiorum Israel: & quasi locis innumeris consimilia habentur in scripturis. Et apostoli præceperunt servos subjici dominis suis: non solùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis: ergo juxta sententiam stat dyscolos & malos esse dominos. Et ideo dicit de domino scriptura, quòd regnare fecit hypocritam propter peccata populi. Ille verè Rex est quem dominus regnare fecit: & ideo stat hypocritam in mortali peccato esse verum regem & dominum: & oppositum dicere, est contradicere scripturæ. Quintò patet idem, quòd Cain fuit malus & reprobus, maxime postquàm iratus 5a. erat vehementer contra fratrem suum Abel: sed post dixit ei deus, ut patet Genes. 4. Sub te erit appetitus suus & tu dominaberis illius. Ergo ex ordinatione divina habent peccatores magnum dominium appetituum suorum, & actionum suarum voluntariarum: nec tollitur istud dominium à peccatore qualitercunq; peccante, quamdiu habet usum rationis, secundum communitatem doctorum. Imò si tolleretur à peccatore illud dominium in actionibus suis, non peccaret. Dicere ergo quòd nullus existens in peccato mortali habet dominium alicujus rei, est apertè dicere contrarium assertioni sacræ scripturæ. Iterum Christus in parabola evangelica de decem virginibus asserit, quinque ex eis esse prudentes, id est, bonas; & quinque fatuas, id est, malas. Cum ergo virginitas de natura sui, plus dicit virtutem quàm facit dominium civile, quod ab iniquitate introductum est: sequitur à fortiori, quòd constat dominium civile esse in mala persona. Et patet etiam ex scriptura, quòd deus dedit, & post hoc dabit malis & peccatoribus faciendi potestatem vera miracula. Fecit enim Judas vera miracula simul cum aliis apostolis, quando fur erat & latro. Et Antichristus, licet multa miracula faciet ficta, multa etiam faciet vera miracula, ut aliàs ostendi. Quapropter Augustinus 83. quæstionum quæst. 82. dicit, quòd miracula faciunt Magi per occultos contractus cum dæmonibus, boni Christiani per publicam justitiam, mali Christiani per signa publicæ justitiæ. In tertio de Trinitate, cap. 9. ponit tres causas quare datur malis potestas faciendi miracula: cum & in eodem libro ponit, quòd Satan operatus est miracula in afflictione Job, ut in igne de cœlo descendente & vento vehementi subito flanti & in percussione subita ipsius Job. Ergo ex quo vera potestas faciendi miracula est major potestas & sanctitati propinquior quàm sit potestas dominandi civiliter: sequitur à fortiori, quòd constat malos imò valde malos, verè dominari civiliter, & quòd contrarium dicere, est sacræ scripturæ contradicere, &c. Patet secundò, quòd iste articulus est hæreticus, eo quòd contradicit determinationi ecclesiæ. Clemens papa Petri successor in suo decreto, quod ponitur in Canone. 12. q. 1. cap. [Dilectissimus] asserit, quòd proprietas quæ dicitur dominium civile, pro iniquitate introducta est: quia communis usus omnium quæ sunt in mundo, omnibus hominibus communis esse debuit. Unde & Cain primus proprietarius fuit iniquus: & quod introductum est ex iniquitate, stat in

Judas fecit vera miracula.

2a. Via prob. prima.

iniquitate in eodem qui introduxit. Ex iniquitate ergo proprietas stat in eodem cum iniquitate, & per consequens civile dominium stat in iniquitate cum civiliter dominante. Et oppositum dicere est contradicere sententiæ ecclesiæ. Unde Christus Lucæ 16. consilium dedit peccatoribus, ut facerent sibi amicos de mammona iniquitatis; i. de divitiis iniquitatis, secundum expositionem Augustini, in [de quæstionibus Evangelistarum] pro eo quod non sunt istæ divitiæ, nisi iniquis: Justi enim (ut dicit) etsi pecunias possident, non sunt tamen eis aliæ divitiæ quàm cœlestes. Et ideo stat peccatores & iniquos divitias habere, quas justè possunt distribuere pauperibus: & per consequens, & dominium illorum. Patet idem

Augustinus Quæst.Evang. lib. 2. cap. 34.

2a. secundò, quia ecclesia approbat quòd Judæi manifestè habeant servos: ut extra. de Judæis patet in diversis cap. Ergo ecclesia approbat quòd manifestè Judæi, qui sunt notoriè in mortali, sunt domini & habent verum dominium servorum suorum. Possunt etiam habere synagogas & cœmiteria, ut patet ibidē. Iterū ecclesia approbat quòd Judæi solvant decimas, & quòd obligantur saltem ad decimas prædiales: ergo ecclesia non reprobat sed approbat quòd manifesti Judæi habeant prædia ad colendū. Assumptū patet, extra. de decimis cap. de terris. Dicere ergo, quod non est possibile aliquem in mortali habere verū dominium est dicere contrarium sententiæ ecclesiæ. Unde & ecclesia determinat quòd Judæi licitè possunt vendere sua: ergo & licitè habere rerum possessiones. Patet idem tertiò, quia secundū determinationem ecclesiæ papatus verus stat in aliquo cum mortali peccato. Unde papa deponi non debet pro crimine, nisi pro crimine hæresis, vel alio communitatis destructivo & nimis scandaloso, secundum determinationem ecclesiæ. Ecclesia enim determinat quòd stat episcopos schismaticos verè conferre sacros ordines, & etiam episcopos symoniacos: quod facere non possent nisi essent veri episcopi. Ecclesia etiam determinat quòd stat sacerdotem in mortali verè conficere corpus Christi: quod facere non posset nisi esset verè sacerdos. Cum ergo dominium civile sit potestas temporalis: sacerdotium, episcopatus & papatus sunt potestates mere spirituales: & cum peccatum mortale non repugnet, secundum determinationem ecclesiæ, potestati merè spirituali in eadem persona: à fortiori nec peccatum mortale repugnabit potestati temporali & dominio civili in eodem. Contrarium ergo dicere, est contra determinationem ecclesiæ. Patet tertiò, quod iste articulus est hæreticus, pro eo quòd antiqui doctores & sancti tradiderunt firmiter articulum esse contra fidem ecclesiæ. Unde antiqui doctores solicitè laboraverunt ad excusandum filios Israel de furto, quando mutuata sunt ab Ægyptiis vasa multa & pretiosa, & recesserunt cum eis de Ægypto in desertum: nisi enim antiqui doctores credidissent firmiter quòd Ægyptii idololatræ potuissent habuisse verum dominium talium rerum, nullum colorem habuissent excusandi filios Israel à furto: propter hoc quòd in hoc non contrectassent in aliquo rem alienam domino invito: & ideo non poterant in hoc furtum committere. Excusant enim eos Augustinus & antiqui doctores à furto, propter hoc quòd sic fecerunt deo jubente: ergo si sic fecissent deo non præcipiente, furtum fecissent: quod verum non esset, nisi Ægyptii veri domini fuissent. Patet ergo, quòd antiqui doctores firmiter crediderunt idololatras esse veros dominos rerum suarum. Tobias etiam, ut patet Tobiæ 2. firmiter credidit idololatras esse veros dominos: cum uxor sua adduxisset hœdum caprarum, & audisset vocem balantis, dixit: Videte ne forte furtivus sit, & reddite eum dominis suis. Credidit ergo firmiter idololatras esse veros dominos. Joseph etiam sanctus firmiter credidit Pharaonem dominum Ægypti verum & non solùm prætensum, quando recepit ab eo gubernationem regni & bonorum in regno. Si enim non credidisset eum fuisse regem & dominum, pro eo quod scivit eum peccatorem, nunquam recepisset illam dignitatem ab eo, & à commissione sua sancta. Etiam Johannes & Paulus dixerunt Juliano apostatæ pro Imperatore se gerente: Non tibi facimus injuriam, nec præponimus tibi qualemcunq; personam in dominio, sed Deum illum tibi præponimus qui fecit cœlum & terram. Crediderunt ergo hi sancti juxta mortem positi, Julianum, non obstante quòd apostata erat à fide ecclesiæ, verum dominum. David etiam sanctus, postquam scivit quod Saul à deo erat reprobatus propter peccata sua, fatebatur eum regem & christum Domini. Et sic fecerunt alii sancti prophetæ de aliis regibus valde malis, ut patet in scriptura. Et ideo multi sancti tradiderunt firmiter hunc articulū esse contrariū veritati fidei, &c. Quartò est hic articulus hæreticus, quia ex illo sequuntur hæreses diversæ. Nam primo sequitur, quòd Christus male & falsè docuit, quando dixit Judæis, reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, respondendo ad quæstionem, si licet censum dare Cæsari? Super quo loco Ambrosius notat, quòd Christus prius dixit: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & subjunxit, quæ sunt Dei, Deo. Super quo loco sic scribit Theophilus: Attende quòd non dixit, date: sed, reddite: debitum enim est. Tuetur enim te princeps tuus ab hostibus, vitam tuam reddit tranquillam. Pro his ergo teneris ei in censu. Census ergo ille ex doctrina Christi erat Cæsari debitus, & Christus scivit eum tunc infidelem, & in peccato mortali. Si ergo nullus in pecca-

Decimæ Judæorum.

3a.

Hinc illæ lachrymæ! sibi autem deest Ecclesia.

Tertiæ viæ probatio.

Quartæ viæ probatio prima

peccato mortali eſt verus dominus alicujus rei, nec verus poſſeſſor, nec aliqua ſunt ſibi verè debita tanquam domino, Chriſtus male & falsè docuit. Secundò ſequitur quòd nulla opera 2a.
bona de genere facta à peccatore mortali, proficiunt ſibi ad acquiſitionem vel ampliationem temporalis dominii: ſequela eſt manifeſta, & falſitas dicti patet multipliciter per Auguſtinū de Civitate dei, in quibus libris oſtendit ex proceſſu, quòd Deus dedit Romanis imperiū & dilatationē imperii, non obſtante quòd erant idololatræ, propter hoc quòd erant minus vitioſi quam aliæ Gentes, & enumerat octo genera virtutum in quibus excellebant Romani: & quia (ut aſſerit Auguſtinus) propter virtutes illas non debuerant remunerari in vita æterna, ideo fuerunt remunerati à deo propter illas in dominio. Unde ponere, quòd non fuerunt remunerati propter illa opera bona de genere, hîc per dominium & poſſeſſionem rerum fortunæ: & conſequenter ponere, quod deus non remunerat opera bona de genere à peccatoribus facta, neq; hic, neq; in futuro, quod hæreſis eſt dicere. Tertiò ſequitur, quòd titulus dona- 3a.
tionis divinæ non eſt juſtus titulus poſſidendi dominium: quia ut patet Gene. 7. deus aſſeruit, ut multiplicaret Iſmaelem in bonis terrenis, & quòd decem duces generaret. Et manifeſtum eſt, quòd Iſmael fuit malus, & manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, & filii ejus fuerunt mali idololatræ & peccatores. Si ergo non poteſt peccator mortalis poſſidere dominium, titulus donationis divinæ in rebus temporalibus & dominio ducatus, non eſt titulus juſtus habendi dominium. Et Catholicus non dubitat hoc eſſe hæreticum. Quartò ſequitur, quod deus majora bona pro homine peccatore poſſet dare, ſed non mi- 4a.
nora bona pro ipſo dum eſt in tali ſtatu: quia apud philoſophos bona fortunæ exteriora computantur pro bonis minoribus: bona corporis, naturalia bona, majora: bona animæ naturalia inter hæc majora; ſed homo habet de dono dei, quantumcunq; ſit peccator, bona naturalia corporis, & bona animæ naturalia: quia ipſam animam intellectivam à deo creatam & corpori organico infuſam & in eo à Deo conſervatam. Si ergo Deus non poteſt dare mortaliter peccanti dominium civile bonorum fortunæ; ſequitur quòd minora bona pro homine peccatore non poteſt ſibi dare, ubi multa majora bona pro peccatore poteſt ſibi dare: quod divinæ potentiæ omnino hæreticè contradicit. Quintò ſequitur quòd deus po- 5a.
teſt concedere mortaliter peccatori jus naturale ad bona fortunæ, & jus Gentium ad bona fortunæ, quando non poteſt ſibi concedere pro eodem ſtatu jus civile ad bona fortunæ, quod iterum repugnat divinæ omnipotentiæ. Stat enim hominem peccatorem mortalem eſſe in extrema neceſſitate, & tunc jure poli & naturæ poteſt uti rebus ſibi neceſſariis, ſub cujuſcunq; fuerint civili dominio. Poteſt etiam talis invenire rem vagam omnino derelictam, quæ ad nullum jus civile pertinet, & tunc occupanti conceditur de jure Gentium. Et ſic poteſt peccator magnus habere jus naturale ad bona fortunæ, & jus Gentium ad bona fortunæ de divina ordinatione, & non poteſt jus civile habere ad bona fortunæ ex dei ordinatione, quia ſic dominium ſtaret cum peccato mortali in eodem, quod negat articulus: ſequitur ergo hæreſis prædicta. Sextò ſequitur, quòd non ſtat de dei omnipotentia, quòd 6a.
homo in mortali peccato vigeat intellectu & diſcretione naturali ad regimen in naturalibus, quando alii juxta eum poſiti tali diſcretione carent. Nam philoſophus primo Politicorum oſtendit, quòd ille eſt naturaliter dominus, qui viget intellectu & prudentia ad regendum ſe. Et iſte eſt naturaliter ſervus ſecundum eum, qui iſtis caret, & melius eſt ei regi quàm regere, ut dicit: & ideo naturaliter eſt ſervus. Si ergo non ſtat aliquem in mortali eſſe verum dominum alicujus rei, non ſtat aliquem in mortali ſic vigere intellectu & diſcretione naturali ad regimen, quando alii juxta eum poſiti tali diſcretione carent: quia ſic peccator mortalis eſſet naturaliter dominus ſervorum naturalium. Septimò ſequitur, 7a.
quòd lex Chriſtiana eſt magis prompta & diſpoſita ad decipiendum nationes Gentium & Chriſtianorum in contractibus mutuorum & mercandizationum, quàm fuit lex Judaica, vel quàm ſit lex Saracenica vel lex Paganorum. Et ſcandaloſè hæreticum eſt hoc dicere de lege Chriſtiana: & patet ſequela, quòd quantamcunque rem Chriſtianus mutuatus fuiſſet à Judæo, Pagano vel Saraceno vel Chriſtiano, non debet reſtituere quod mutuatus fuit, quia nec mutuatum, nec æquivalens eſt debitum tali mutuati in termino præfixo, ex quo eſt notoriè in mortali, & nihil juris habet, vel dominii in aliquibus rebus fortunæ, ſecundum dictamen legis Chriſtianæ, ſi articulus eſſet verus; Et ideo ſecundum legem Chriſtianam, dato articulo, non teneretur Chriſtianus ſibi reddere termino hoc, quod ſibi mutuavit: quod non ſequitur ex legibus quas habent aliæ gentes aliarum ſectarum. Sequitur ergo ex articulo, quòd lex Chriſtiana eſt magis prompta & diſpoſita ad decipiendum nationes Gentium & Chriſtianorum in contractibus mutuorum, quàm ſit lex Judaica, Paganica vel Saracenica. Et conformiter poteſt deduci de contractibus mercandizationum: quia re empta à Chriſtiano per Judæum, Saracenum & Paganum, vel Chriſtianum notoriè uſurarium, & pecunia Chriſtiano ſoluta pro re emptâ, non teneatur talis Chriſtianus tali Judæo, Saraceno vel uſurario publico, rem illam tradere ſecundū legem Chriſtianam, quia non

non est, nec potest esse sua, dum est in tali statu, neq; sibi debita dum est in tali statu, ut ex isto
8a. articulo, sequitur ergo ex articulo hæc nefaria conclusio. Octavò sequitur, quòd illa doctorum antiquorum sanctorum sententia est falsa & impossibilis de bonis operibus ex genere factis in peccato mortali: quia dicunt, quòd valent ad accelerationem correctionis, vel ad bona temporalia acquirenda, vel ad minorem damnationem, quia intentionis illorum est, quod ad quemlibet istorum trium effectuum possunt valere opera bona de genere facta à peccatore mortali: sed hoc est impossibile ex isto articulo, cum non possint valere ad acquisitionem justam bonorum temporalium in mortaliter peccante: quia sic peccator justè haberet
9a. bona temporalia, quod articulus habet negare. Nonò sequitur, quod nullum dominium civile potest emi vel vendi nisi simoniacè: quia non potest esse dominium civile, nisi sit connexum spirituali gratiæ gratum facienti in habente dominium, juxta articulum. Et licet sacramenta debitè & ritè suscepta sint causa gratiæ: contingit tamen multoties sacramenta dari & suscipi sine tali gratia in conferente, vel suscipiente, & tamen non possunt sacramenta emi vel vendi, nisi simoniacè. Ergo cum nullo modo possit esse dominiū civile, nisi connexum gratiæ gratum facienti & dominanti: sequitur à fortiori, quòd dominium civile non possit emi
10a. vel vendi nisi simoniacè. Decimò sequitur, quòd non stat aliquem esse verè castum, nisi meritoriè ad vitam æternam sit castus. Consequens expresè contra parabolam Salvatoris de decem virginibus: quarū quinq; prudentes erant, & quinq; fatuæ: & consequens contra philosophiam, quæ ponit aliquos naturaliter esse castos, quos non ponit virtuosè castos. Et est similiter contra jura, quæ ponunt aliquos propter frigiditatem, & aliquos propter maleficia esse castos, quos non ponunt virtuosè castos, sed potius involuntariè. Et patet sequela, quia si stat aliquem esse verè castum, & non meritoriè ad vitam æternam: sequitur quòd stat aliquem sic esse dominum, quia castitas magis appropinquat virtuti, quàm divitiæ faciunt temporales. Similiter stat aliquem esse pauperem verè, & non esse virtuosè pauperem: ergò
11a. & aliquem esse verè divitem, & non esse virtuosè divitem. Undecimò sequitur, quòd judex temporalis sciens aliquem male vivere manifestè, adjudicando sibi secundum jura aliquam rem titulo hæreditatis, titulo doni, titulo emptionis, injustè & iniquè agit & judicat: quia scienter dato articulo adjudicat sibi rem non pertinentem suo dominio, quod facere non potest scienter nisi iniquè: & consimile sequitur, de judice Ecclesiastico adjudicante tali rem
12a. aliquam titulo legati. Duodecimò sequitur quòd non stat hominem habere civile dominium super re, nisi habeat originale dominium & naturale ejusdem rei. Et quia civile dominium per adversarios fundatur in originali & naturali dominio, & non potest sine illo. Et sic cum homo bonus minus sapiens & prudens ad regendum habet plures servos propriè dictos civiles, super quos habet verè civile dominium: sequitur quòd habet originale & naturale dominium super illos. Consequens manifestè falsum, quia talis servitus propriè dictus non est de jure naturali: & quia est contra naturale dominium super re, nisi habeat originale dominium, quod minus prudens ad regendum, & minus sapiens dominetur super se prudentiores & sapientiores & meliores, licet non sit hoc contra civile domini-
13a. um. Decimotertiò sequitur, quod illud Ecclesiastis 4. 14. est falsum, cum dicitur quòd aliquis natus in regnum inopia consumitur: quia quilibet nascitur in peccato originali, † paucis privilegiatis exceptis. Et ideo secundum articulum, nullus talis, cum nascitur, habet jus ad regnum, ergo nullus talis nascitur in regnum, nec est aliquis talis dominus regni cum nascitur. Et consequenter falsum fuit illud Apostoli, quando primum hoc dixit: Quanto tempore hæres parvulus est nihil differt à servo, cum sit dominus omnium: quia tempore Pauli * parvuli non erant baptizati & per consequens parvuli Christianorum tunc non erant in gratia, & per consequens nec fuerunt domini alicujus rei: & sic multipliciter
14a. articulus iste falsificat processus scripturæ, quod hæreticum est dicere. Decimoquartò sequitur, quòd Josue implendo per hoc divinum præceptum, male & injustè divisit filiis Israel terram promissionis: quia ex divino præcepto indifferenter singulis tribubus aliis à tribu Levi divisit terram, cuilibet dando partem suam: sed scivit bene quòd non omnes illi de decem tribubus fuerunt boni: sed quod multi mali inter eos & magni peccatores, ergo adjudicavit partes terræ non dominis suis scienter, quod facere non potuit, nisi minus justè.
15a. Decimoquintò sequitur, quòd deus non possit creare hominem mortalem & eum conservare in puris naturalibus suis sine peccato nisi infundat sibi gratiam, & dignificet eum ad vitam æternam: quod dicere est dicere contra omnipotentiam divinam. Et patet sequela, quia talis ex quo est mortalis, indiget uti bonis temporalibus. Aut ergo utitur illis justè, & hoc non secundum articulum, quia non est in gratia: aut injustè, & hoc non, quia conservatur à deo sine peccato ex hypothesi, non potest ergo deus talem creare & sic conservare, quia sequeretur contradictio, dato articulo. Decimosextò sequitur, quod omnes domini
16a. temporales qui cogunt homines & eos deducunt ad statum servilem civilem, pro eo quòd matrimonialiter descendunt ab illis qui coacti fuerunt ad servitutem, primo per infideles

† Quinam sunt illi?

* Præter argumentum ex Act. Apost. de Lydiâ totaq; ejus domo, sive familiâ, baptizatâ (cap. 16. 15.) in qua nunquam probabis non fuisse parvulos, & hujusmodi exemplis in N. T. disertè dicit S. Augustinus, Consuetudinem matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis credendam esse Apostolicam Traditionem. De Gen. ad lit. lib. 10. cap. 23. impingit igitur ipse autor, dū alienos insectatur errores.

deles jure belli, iniquè agunt: quia ſic primo coacti non fuerunt veri ſervi civiles, & per conſequens nec matrimonialiter ab illis deſcenderunt. Aſſumptum patet juxta articulum, quia victores in bello, ex quo fuerunt infideles, non fuerunt veri domini alicujus rei: ergo nec veri domini illorum, quos captos in bello coegerunt ad ſervitutem: ergo nec illi ſic capti & coacti, fuerunt veri ſervi: quia non eſt ſervus ſine domino, ergo nec verus dominus ſine vero ſervo. Et conſimile ſequitur de captis in bello à Chriſtiano in mortali. Multæ & aliæ hæreſes ſequuntur ex iſto articulo, quas omitto cauſa brevitatis, & quia alias tangam in reſpondendo, &c. Pro iſto articulo arguit dominus Armachanus primò ſic: & concordat cum illo adverſarius.

'Omnis inobediens juſtis imperiis domini ſui, in his quæ contingunt domini ſui debitam 'ſervitutem, jus perdit omnium pro debito ſervitio à ſuo domino impenſorum, & in illa 'forefacit: ſed homo recepit dominium à deo pro præſtando ſibi debito obſequio: ergo 'inobediendo juſtis imperiis dei, mortaliter peccando perdit dominium à deo ſibi impen-'ſum, & forefacit illud. Argumentum Armachani.

Hic dico primò, quòd ſic arguendo contradicunt dictis ſuis propriis. Nam inter omnia homini data, pro præſtando deo debito ſervitio, quaſi principale eſt uſus rationis. Si ergo homo peccando mortaliter perdit omnia pro debito ſervitio domino ſuo faciendo ſibi impenſa: ergo quilibet homo, qui peccat mortaliter, perdit uſum rationis. Cujus contrarium expreſsè docet Armachanus dicens, Quòd peccator habet naturale imperium ſuper bruta quamdiu habet uſum rationis. Ponit ergo peccatores habere uſũ rationis: quia niſi haberent uſum rationis actualiter, non mortaliter peccarent. Item adverſarius in ſuis determinationibus dicit, quòd Deus dat peccatori & infideli eſſe principem corporis, & eſſe principem animæ. Sed æquè dat deus homini eſſe principem corporis, & eſſe principem animæ pro debito ſervitio ſibi impendendo, ſicut facit dominium: ergo peccando mortaliter forefacit, & perdit eſſe principem corporis & animæ, ſicut & perdit dominium, cujus contradictorium ipſe dicit. Item æque naturale imperium ſuper bruta eſt homini collatum pro debito ſervitio deo & domino ſuo impendendo, ſicut & dominium. Cum ergo peccando mortaliter perdit homo & forefacit omnia pro debito ſervitio deo faciendo ſibi impenſa: ſequitur quòd æque perdit peccando mortaliter imperium naturale ſuper bruta, ſicut & perdit dominium: cujus contradictorium planè ponit dominus Armachanus. Item dominium ſuper actus interiores voluntatis, & ſuper appetitu peccati eſt homini collatum à deo pro debito ſervitio deo impendendo, ut omni notorium eſt Catholico. Si ergo peccando mortaliter, perdit homo & forefacit ſibi omnia impenſa, pro debito ſervitio deo impendendo: ſequitur, quòd eo ipſo quo peccat mortaliter, perdit dominium ſuper actus interiores voluntatis & ſuper appetitu, quod eſt manifeſtè falſum. Et cujus contrarium docet dominus Armachanus duodecimo capitulo libri primi de pauperie Chriſti, tractans illud Geneſ. dictum ad Cain: Sub te erit appetitus ejus & tu dominaberis illius. Item viceſimo quarto primi libri diſtinguit dominus Armachanus inter bona amiſſibilia per peccatum, & bona inamiſſibilia per peccatum. Unde bona amiſſibilia per peccatum ſunt, ut dicit, illa quæ cum modo dantur, ut modo non ſervato, eo ipſo amittantur: & talia (inquam) ſunt dominia. Sed dona (inquam) naturalia non ſunt cum tali modo datá, ut cum modus amittitur, perdantur. Nam ſunt dona naturalia inamiſſibilia per peccatum, ut ipſe dicit. Cum ergo omnia dona naturalia ſint homini à deo impenſa pro debito ſervitio deo impendendo: ſequitur ex dictis ſuis propriis, quòd homo mortaliter peccando non perdit ex hoc, vel forefacit omnia à deo ſibi impenſa pro debito ſervitio deo faciendo. Et ſic patet ex dictis iſtorum duorum doctorum, quòd aſſumptum in argumento illorum eſt falſum, & quòd ipſimet habent aſſumptum negare. Et ideo non concludit argumentum. Non ſolùm ex dictis illorum propriis patet quòd aſſumptum eſt falſum, ſed etiam ex communi lege dei & ex communi lege hominum. Nam ex communi lege dei deus ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & dat tam bonis quàm malis lumen ſolis: & non perdunt peccatores, ex hoc quòd peccant mortaliter, lumen ſolis, nec fiunt cæci corporaliter propter hoc: & tamen & potentiam viſivam & lumen ſolis dat deus homini pro debito ſervitio impendendo. Ex cõmuni ergo lege dei patet, quòd non omnis peccans mortaliter perdit & forefacit omnia quæ ſunt ſibi à deo impenſa pro debito ſervitio deo faciendo. Quia ſic peccans videndo corporaliter, perderet potentiam viſivam & fieret cæcus corporaliter: & peccans mortaliter audiendo, perderet potentiã ſenſitivã audiẽdi & fieret eo ipſo ſurdus. Et ſic de multis aliis quæ manifeſtè falſa ſunt. Etiam ex cõmuni lege humana, quando dantur à dominis aliquibus de familia certi redditus ad vitã, vel pro perpetuo, non pro quacunq; inobedientia in debito ſervitio faciẽdo domino qui dedit, forefacit & perdit inobediens jus ad redditũ cõceſſũ, immo ſecundũ leges humanas milites & militares qui pro ſervitio homagii & ſervitio feudi militare ſolvendo tenent

Reſponſio Wodfordi ad argumentum Armachani idem ſentiens cum Wicleſo.

Gen 4. 7.

maneria

maneria ex donatione superiorum dominorum: quamvis notati pro homagio faciendo non faciant, & vocati ad feuda militaria solvenda non faciunt, non ex hoc forefaciunt statim sua maneria pro tali servitio faciendo eis data, sed debent per dominos distringi & sic compelli ad sua servitia facienda. Igitur tam lege divina, quàm lege humana hoc assumptum principale in argumento est falsum, & ideo non valet argumentum. Unde & adversarius tenet expressè, quod prædestinatus quamvis peccet mortaliter, non est dignus ex hoc pœnâ æternâ: quia deus non vult, quòd habeat pœnam æternam, & ideo non est justum quòd habeat pœnam æternam. Et sic consequenter tenet, quòd prædestinatus licet peccet mortaliter, habet jus ad vitam æternam: quia hoc non obstante, deus vult quòd habeat finaliter vitam æternam & ideo est justum quòd sic habeat. Ex quo ergo prædestinatus mortaliter peccando, non est necessitatus perdere jus ad vitam æternam, quomodo perdit ex hoc jus ad bona temporalia? Patet ergo quòd sic arguendo assumunt falsum, & contradicunt sibiipsis, &c.

Secundò arguit sic, & tangit dominus Armachanus argumentum 4. lib. ca. 4. libri. Et adversarius 6. ca. determinationum suarum de dominio.

Argumentum Wiclefi secundum, quo etiam utitur Armachanus.

'Nullus paterfamilias sciens, potens & prudens committeret præposituram bonorum 'suorum servo proditori, dissipatori & inobedienti, dominum contemnenti, specialiter dum 'nominat ipsum esse talem & habuerit ex uno latere sufficientiam degradandi sine expecta'tione probationis testium, & ex alio latere habuerit copiam servorum fidelium & pruden'tium: Non est (inquam) dubium, quin sic facere foret suprema fatuitas. Non ergo po'test competere justissimo judici omniscienti, omnipotenti, habenti omnia bona mundi 'distribuenda, & ad manum istas duas maneries famulorum, sic bona proditori, dissipatori, 'inobedienti distribuere.

Prima Responsio Wodfordi ad argumentum, per consequentias.

Hic sequitur primò ex modo arguendi, quòd non est dare dæmonem principem dæmoniorum contra Apostolum & contra Evangelistam: quia præposituram & principatum super res deo subjectas, non potest habere nisi à deo, & à deo nullus talis habet præposituram, secundum hæc dicta. Hic sequitur secundò, quòd Christus fecit * supremam fatui-
2a. tatem, quando commisit Judæ proditori, quem scivit furem & latronem, præposituram loculorum dominicorum: quia habuit ex uno latere sufficientiam eum deponendi ab illa præpositura sine probatione testium, & ex alio latere alios Apostolos & discipulos sanctos &
3a. bonos in copia, quibus poterat illam præposituram commisisse. Hic sequitur tertiò, quòd ipso facto quo episcopus aliquis est in mortali, etiam occulto, perdit præposituram super
4a. clericos suos, & non est prælatus eorum. Hic sequitur quartò, quòd deus non permittit aliquos in mortali, ex quo sunt sui proditores & sibi inobedientes & dissipatores, occupare aliqua bona mundi, quæ sua sunt, vel illis bonis male uti: quia paterfamilias sciens & potens, cum omnibus conditionibus in argumento tactis, non magis permitteret tales occupare bona sua, & illis male uti in casu illo, quàm committeret sibi præposituram illorum bonorum: consequens est tamen manifestè falsum contra dicta utriusq; doctoris. Multa

* Bona verba logice garrule & inepte!

Responsio directa prima.

& alia absurda sequuntur ex modo arguendi, Dico ergo ad argumentum primò, quòd non omnis injustus vel injustè agens contra dominum suum est eo ipso proditor ejus. Potest enim inferior contra dominum suum injustè etiam criminosè agere, quamvis non proditoriè, ut patet in legibus ecclesiæ, in legibus seculi & in legibus privatarum religionum. Et ideo dato quòd quis vellet concedere, quòd deus non concedit præposituram bonorum suorum alicui suo proditori: ex hoc non sequitur, quòd non hoc committit ali-
2a. cui injusto, vel in mortali. Hic dico secundò, quòd paterfamilias sciens, potens & prudens multoties ad cautelam, & ad malum servi iniqui & proditoris committit sibi præposituram, ut occasionaliter ex præpositura puniatur, secundum quod 2. Macc. 3. ca. habetur de Heliodoro à deo Hierosolymis flagellato, quem rex præposuerat negotiis suis, qui post flagellationem respondit regi interroganti, quis esset aptus adhuc semel Hierosolymam mitti? Si quem habes (inquit) hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte eum illuc, & flagellatum eum recipies, si non evaserit. Et paterfamilias, de quo Evangelica parabola, villicum iniquitatis diffamatum de dissipatione bonorum & pòst magis fraudantem in diminutione debitorum collaudat de prudentia, non legitur quòd eum amovit de præpositura, licet antequam reddidisset rationem villicationis, de amotione à præpositura comminationem fecerat: sed ut prædicitur, de prudentia villicum iniquitatis commendat: & ideo non
3a. generaliter verũ est, quod assumitur in articulo, quòd nullus paterfamilias, &c. Dico tertiò, quod à multiplicatiõis hominũ tempore, per climata mundi usq; post ascensionem Christi non habuit deus tantam copiam servorum fidelium & bonorum, quibus traderet possessionẽ terræ, & dominia rerum, quantum habuit copiam iniquorum. Unde præter Judæos pauci fuerunt alii fideles servi dei in tempore legis datæ, & per ante plures mali, quàm boni, ut patet ex serie scripturæ. Nunc autem patet ex descriptione beati Hieronymi, quòd tota terra, quam occupaverunt Judæi tempore gloriosi Salomonis, non fuit tantæ latitudinis, &

& longitudinis, quantæ est Anglia nostra. Et ideo quasi sine comparatione plures fuerunt tempore legis infideles, quàm fideles: & ex fidelibus in fide, multi mali vita & conversatione processerunt. Et sic toto tempore illo plures habuit deus servos malos & iniquos, quā servos bonos. Et modernis temporibus Saraceni & alii infideles, hæretici, schismatici & perversi Christiani, manentes in fide, sunt quasi sine comparatione plures, quàm boni servi Christi in sanctitate & charitate viventes. Et ideo non est verum, quod innuit argumentum de majori copia suorum fidelium. Dico hic quartò, quòd non est similitudo sufficiens ad propositum, inter deum patremfamilias, & hominem patremfamilias: quia homo purus talis prudens, potens & sciens non multiplicat sibi plures servos malos, quàm bonos, quod non facit deus omnipotens & omnisciens. Est enim numerus præscitorū deo sciente multo major numero prædestinatorum. Et sicut humanus dominus non potest post hanc vitam præmiare bona de genere, quæ facit malus servus; pauci sunt enim mali servi, quin multa servitia bona de genere faciant dominis suis, propter quæ non possunt illos præmiare in futuro post hanc vitam, neq; propter mala servitia ipsorum & proditiones ipsos punire post hanc vitā, quod tamen potest deus & facit. Et ideo licet paterfamilias homo prudens non communiter committit præposituram bonorum suorum suo proditori, & dissipatori & inobedienti: de quo tamen prudenter & justè hoc facit, ut remuneret bona opera de genere quæ faciunt servi mali, & finaliter mali quos æternaliter propter malefacta puniet, quod non potest dominus civilis purus homo. Et hanc fuisse causam, quare deus dilatavit Imperium Romanorum, multipliciter ostendit beatus Augustinus in libro de Civitate Dei. Et sic patet, quòd illud argumentum peccat in materia, pariter & in forma. Tertiò arguunt sic:

'Dominus à domo dicitur, eo, quòd præsit aut quòd præesse debeat domui. Nullus peccans mortaliter domui præest, quin potius subesse per cupiditatem domui est censendus & aliis rebus ab eo detentis: & ideo est illorum servus non dominus. Et confirmatur per hoc, quòd omnis qui facit peccatum servus est peccati, Johannis octavo: Et ideo omnis peccator degradatur ad serviendū inferiori, quàm sit aliqua creatura, quia peccato: & ideo peccator ut hujusmodi nulli creaturæ proprie dominatur. Istam rationē pro prima parte ponit Armachanus, 4. ca. 4. lib. adversarius pro toto. 5. ca. suarū determinationū de dominio.

Argumentum Armach & Wiclefi tertium.

Hic dico, quòd contradicunt sibiipsis etiam isto modo arguendi: quia ponit adversarius alibi duodecimo capite determinationum illarum, quòd reciprocè homines sibi invicem sunt domini & sibi invicem sunt servi. Et ideo nullo modo sequitur: Iste est servus hujus, ergo non est dominus ejusdem: quia sic non essent sibiinvicem reciprocè servi & domini. Et septimo ponit cap. quòd omnis justus dominatur toti mundo sensibiliter. Et cum servi multi civiles sunt justi: sequitur necessario, quòd multi servi sunt domini, etiam illorum quorum sunt servi civiles. Dominus Armachanus ponit etiam pluries, quòd non stat aliquem esse pauperem, nisi habeat dominium originale & possessionem alicujus rei parvæ. Et per hoc distinguit inter pauperem & inopem, & concedit deum posse esse inopem sed non pauperem in temporalibus. Et 3. ca. 6. lib. de pauperie loquendo propriè & grammaticaliter, de paupertate & pauperie dicit, quòd paupertas spiritûs, respectu privationis opum, importat virtutem. Hoc autem verbum pauper seu paupertas per se sumptum, virtutem in sensu non habet, sed sustinet vitium, Juxta illud Salomonis: Tres species odivit anima mea, pauperem, superbum, &c. Ex quibus apertè concluditur, quòd stat propriè pauperem esse superbum & vitiosum. Et cum nullus sit propriè pauper, nisi habens dominiū originale super aliqua re parva, ut patet ex dictis suis: sequitur etiā, quod stat existentē in mortali esse servū rerum quibus dominatur, quod hic negat. Hic dico secundò, quòd, si argumentum esset validum, contra evangelium Christi, oportet concedere quod nullus verus Papa * est servus servorum dei: immo nec Christus voluit in terris esse servus & minister: quia Christus fuit dominus, etiam discipulorum, juxta illud evangelicum: Vocatis me [magister & domine] & bene dicitis. Si ergo hic modus arguendi esset bonus, non fuisset Christus servus & minister illorū. Item dominus Papa scribit se servū servorū dei, ex deliberatione, juxta illud Matthæi secundo: Quicunq; voluerit inter vos major esse, sit vester servus. Ergo est dominus Papa verus servus servorum dei, quod non esset verum, si nullus Papa ejusdem rei esset servus & dominus: quia non dubium quando dominus Papa est servus multorum, communiter loquendo: & propriè etiam habet multos servos civiles. Dico ergo finaliter ad argumentum, quòd nullum inconveniens est, quòd ejusdem rei quidam sit servus & dominus in diversis * maneriebus dominii & servitutis, sicut stat quòd dominus civilis etiam bonus, si sit non multum prudens ad se regendum, & sua bene regantur per servum suum civilem & prudentem & multum sapientem: & tunc secundum philosophiam ille servus civilis est dominus naturalis illius domini civilis, & sic dominus civilis servi est ejusdem servus naturalis, & econverso, servus civilis domini civilis est ejus dominus naturalis.

Responsio ad argumentum prima.

* Quid Evangelio Christi cum simulatis Papæ titulis? qui, quicquid fingit in fronte bullarum cum se scribit Servum servorum Dei, male habebit, nisi æstimetur Dominus Dominantium.

22.

* i.e. Modis: non expectanda est hic Latinitas: sufficit si suo more Armachanum & Wiclefum exagitet Wodford.

Conformi-

Conformiter servus civilis quando est justus, sanctus & bonus, est dominus dominio originali inferioris mundi. Et secundum adversariū & secundū veritatem est dominus evangelicus, etiam domini sui civilis, si sit malus. Et ideo non sequitur: Est servus istius uno genere servitutis, ergo non est dominus illius alio genere dominii. Quapropter non sequitur: Iste peccator servit domui suæ, vel est servus domûs suæ, nimis diligendo terrena: ergo non est dominus illorum, sed bene sequitur, quod non est dominus illorum dominio evangelico, vel dominio meritorio vitæ æternæ: cum quo satis stat quod sit dominus illorum dominio humano & civili: & * patet, quòd argumentum non concludit, &c.

* Patet, Patet: patuisset autē clarius si tu-tacuisses.

Argumentum quartum Wiclefi & Armachani.

Quartò dominus Armachanus de quæstionibus Armenorum, ca. 4. arguit ad argumentum, & concordat adversarius capite primo, de dominio civili, sic:

'Oseæ octavo scribitur de infidelibus regibus: Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes 'extiterunt, & non cognovi, & pro causa subjungitur: Argentum suum & aurum fecerunt si'bi idola ut interirent. Qui ex deo non regnant, & quos in principando non cognoscit: non 'dubium (inquit) quando carent justo dominio. Et concludit in fine cap. Manifestum (in'quit) videtur, quòd nullus in mortali habet aliquarum creaturarum dominium verum apud 'deum: sed tyrannus, ut fur, sive raptor meritò est vocandus: quamvis nomen Regis, aut 'principis, aut domini propter aliquam legem humanam retineat.

Responsio prima Wodfordi ad argumentum eorum.

Hic dico primò, quod dominus Armachanus nimis superficialiter consideravit textum Prophetæ allegatum: quia ad literam ibi loquitur Propheta de regibus Israel, qui regnaverunt super decem tribus, postquàm Roboam filius Solomonis durè responderat eis: non obstante quòd deus regnum decem tribuum, sicut & aliorū dederat David & filiis suis in sempiternum. Et propter istam causam dicit dominus de solis regibus Israel, quòd ipsi regnaverunt & non ex me, id est, non ex mea ordinatione primaria: quia ordinaverat illud regnum pro David & filiis suis. Principes extiterunt, & non cognovi, id est, non approbavi malitiam principum decem tribuum se à regno David dividentium. Argentum suum & aurum fecerunt sibi idola, ut interirent: quia decem tribus fecerunt sibi vitulos: & postea idololatria fuit causa interitûs eorum & captivitatis eorum. Unde sequitur in textu Prophetæ: Projectus est vitulus tuus, &c. Quia tempore captivitatis fuerunt ibi vituli projecti & destructi. Et sic ad literam textus allegatus intelligitur de regibus Israel, qui fuerunt infideles pro magna parte, & non de regibus aliis infidelibus. Et ideo incongruè est iste textus pro articulo adductus. Unde dicere generaliter, quòd nulli reges infideles fuerunt reges à deo, est, dicere expressè contra sacram scripturam, ut superius est expressum. Hic dico secundò, secundum B. Augustinum 5. de Civitate Dei, licet deus regnum cœlorum det solis piis, tamen regnum terrenum dat piis & impiis. Et hoc dicit sanctus Augustinus conformiter ad sacram scripturam. Duplici tamen causa dicuntur impii regnantes non regnare à deo, vel deo non cognoscente. Una est generalis, quia nullius impii dominium approbat deus ad meritum vitæ æternæ: licet aliquorum impiorum dominia approbet dominus propter alias causas, vel propter virtutes morales, quas habent & exercent, vel propter jus hæreditarium à deo approbatum, vel propter electionem populi habentis à deo potestatem eligendi, vel propter domandam nequitiam & injustitiam moralem in certa gente: vel propter causas alias deo notas, propter quas vera dominia obtinent, licet non vitæ æternæ meritoria, sicut peccator verum corpus & veram animam, licet non habeat corpus & animam meritoriè ad vitam æternam. Alia causa speciali dicuntur certi impii non regnare à deo, vel deo cognoscente: quia aliqui tyrannizant & tyrannicè vivunt & occupant dominium sine justo titulo divino vel humano, injustitiam manifestam faciunt subditis communiter & nationibus propinquis. Pacta non observant, sed sicut male intrant, sic male regulant & tyrannicè, & sine dubio de istis verificatur, quòd regnant, & non ex deo approbante eorum dominium: & principes sunt, deo non cognoscente quòd sunt veri principes. Sed ex hoc nullo modo sequitur, quin alii impii, justè titulo divino vel humano dominantes, & justè moraliter regulantes sint veri domini vera dominia habentes: & sic patet diversimodè, quòd argumentum non concludit, &c. Quintò ad idem arguit adversarius de suo. Et est primum argumentum primi ca. de dominio civili.

Argumentum Wiclefi quintum.

'Omne bonum quod peccator mortalis possidet, injustè possidet: ergo deficit à cujuscun'que dominabilis justo dominio. Antecedens arguit sic: Peccator solùm illo modo quo est, 'possidet: sed qualitercunque est, injustè est: ergo qualitercunque possidet, injustè possidet. 'Minorem arguit sic: Mortale cum inficit naturam, multò evidentius inficit omnem mo'dum, vel accidens ejusdem: ut si vita hominis sit injusta, quia, injustè vivit, quælibet ope'ratio ejus est injusta: cum non aliter operatur quàm vivit: & ideo sicut injustè vivit, ita in'justè est dominus & injustè subjacet cuilibet signabili suo accidenti. Et inferius concedit 'peccatorem in omni operatione sua mortaliter peccare.

Responsio ad argumentum per consequ. 1.

Hic dico, quòd ex modo arguendi sequuntur errores diversi. Primò sequitur, quòd omnis peccator

peccator in mortali peccat & injuftè agit. Et omnis puer non baptizatus actualiter, anhelando aerem, digerendo cibum, expellendo fuperfluum, multiplicando fpecies per medium, peccat. Confequens manifeftè erroneum, tamen hi actus non fubjiciuntur imperio voluntatis: & ideo exercendo naturaliter & neceffitate naturæ hos actus, non actualiter peccat quis, nec infantes fic actualiter peccant. Et patet fequela, quia fi peccator folùm illo modo quo eft, poffidet omne quod poffidet: ergo & folùm illo modo quo anhelat aerem & multiplicat fpecies naturaliter per medium. Sed fi modo quo eft injuftè eft: ergo qualitercunq; anhelat aerem & multiplicat fpecies per medium, injuftè anhelat & injuftè fpecies multiplicat & peccat actualiter fic anhelando & fic multiplicando: ergo planum quòd deficit argumentum. Secundò fequitur, quòd completè fatui non baptizati & completè furiofi, arrepti peccato mortali, injuftè agunt & peccant mortaliter in omni operatione fua: quia non aliter operantur quàm funt,& qualitercunq; funt,injuftè funt: ergo qualitercunq; operantur, injuftè operantur & peccant mortaliter. Confequens contra determinationem doctorum & ecclefiæ. Tertiò fequitur, quòd omnis maritus poffidendo uxorem & prolem, dum eft in mortali, mortaliter peccat poffidendo uxorem & prolem: quia omnis poffeffio ejus eft injufta eo modo quo ipfe eft injuftus: quia dicit quòd mortale inficit naturam & omnem modum & omne accidens ejus, & per confequens omnem operationem ejus: fed ipfe maritus eft mortaliter injuftus, ergo & omnis poffeffio mortaliter injufta: ergo & poffeffio fua qua poffidet uxorem & prolem eft mortaliter injufta, & per confequens illa poffeffio uxoris & prolis eft fibi peccatum mortale. Quartò fequitur, quod peccator mortalis peccat mortaliter credendo in Deum & fignando fe Signo Crucis: quia qualitercunque eft, taliter operatur injuftè: ergo fi credit cum fit injuftus, & injuftè fe fic fignat mortaliter peccando, & fic faciendo dum eft in mortali. Quintò fequitur, quòd facerdos in mortali, quotiefcunque dicit aliquam partem officii ecclefiaftici toties peccat mortaliter: & fic quot verba dicit in matutinis, in horis & in exequiis & aliis, tot committit mortalia peccata, patet ficut prius. Sextò fequitur, quòd animæ infantium decedentium fine baptifmo fluminis, flaminis & fanguinis,continuè peccant mortaliter, patet conformiter. Septimò fequitur, quod peccator mortalis peccat mortaliter poffidendo manus,pedes,caput,vel aliquam partem corporis: & cum infinitæ fint partes corporis proportionabiles, fequitur quòd infinitis peccatis peccat continuè dum eft in mortali. Octavò fequitur, quòd peccator mortalis fi fit niger corpore, injuftè eft niger: fi albus,injuftè albus: fi alicui fimilis, injuftè fimilis: quia injuftè fubeft cuilibet fignabili accidenti fuo: & cum infinitæ fimilitudines fint in eodem homine, quarum quælibet eft accidens reale fecundum doctrinā fuam: fequitur quòd infinitæ injuftitiæ funt in quolibet homine mortaliter peccatore. Nonò fequitur,quòd quilibet homo peccator eft injuftè quantus,cum injuftè fubfit cuilibet fignabili accidenti: & confequenter fequitur quod peccator quantè eft, tantè injuftè eft: quia omnimodo quo eft,injuftè eft ex modo arguendi: ergo quantè eft,tantè injuftè eft. Signo ergo duos æquales in naturalibus,& quantitatibus per a & b: quorum unus peccet peccato intenfo, puta a, & alius remiffiori, puta b folùm: & fequitur quòd a eft magis injuftus quàm b: quia major peccator, cum peccatum fuum fit intenfius & gravius peccato b: & quod a non eft magis injuftus quàm b: quia uterq; æqualiter eft qualitativè, quantitativè & fubftantialiter, & uterq; præcisè quantè eft b, tantè injuftè eft: ergo a non magis injuftè eft quàm b, ergo contradictio. Similiter ponatur, quòd Socrates fit quantitativè longior quàm Plato, & quòd peccet peccato iracundiæ remifsè, & Plato peccato idololatriæ intensè: & tunc fequitur, quòd Socrates magis injuftus eft quàm Plato: quia quantè eft, tantè injuftè & injuftus eft, & non eft magis injuftus quàm Plato: quia injuftitia peccati fui non eft tanta, quanta injuftitia Platonis. Et fic iterum fequitur contradictio. Decimò fequitur, quòd omnes primi motus in peccatoribus mortalibus funt peccata mortalia: quia concedit talia opera talium effe peccata mortalia: confequens contra determinationem fanctorum doctorum. Undecimò fequitur quòd omnes primi motus in juftis viris & fanctis funt opera meritoria vitæ æternæ: quia fi mortale fic inficit naturam quòd inficit omnia opera naturæ & facit ea injufta & mortalia: ergo & gratia gratum faciens fic perficit naturam quòd facit omnia opera ejus jufta & vitæ æternæ meritoria. Et fic confequenter infantes baptizati actualiter merentur vitam æternam, anhelando aerem, multiplicando fpecies per medium, digerendo, egerendo, plorando, & in omni operatione fua naturali, quòd nullus fani capitis unquam dixit. Duodecimò fequitur, quòd nihil gratificat viatorem ad bona temporalia, nifi quod gratificat eundem ad bona æterna. Confequens falfum etiam per adverfarium, qui in eodem tractatu de dominio civili dicit cap. 5. quòd nullus præfcitus in gratia, quantumcunq; magna fecundum præfentem juftitiam meretur vitam æternam: fed aliquod bonum citra. Confequens etiam falfum de operibus moraliter bonis ex genere factis in mortali, per illa meretur faciens bonum temporale: non bonum æternum, ut fanctus Auguftinus exemplificat de Romanis. Confequens falfum

2a Confeq. 3a. Confeq. 4a Confeq. 5a Confeq. 6a Confeq. 7a. Confeq. 8a. Confeq. 9a. Confeq. 10a. Confeq. 11a. Confeq. 12a. Confeq.

etiam, quia multa opera gratificant facientes penes prælatos, & dominos temporales ad bona temporalia: quæ tamen non gratificant eos ad æterna præmia. Et sequela patet, quia secundum modum istum arguendi, siquis sit in mortali, nihil gratificat eum ad aliquod bonum temporale: sed omnia opera sua sunt mortaliter infecta; si in gratia, tunc erunt omnia opera sua justa & vitæ æternæ meritoria. Et ideo si aliquod opus gratificat eum ad bonum

13a. Conseq. morale, illud gratificat eum ad bonum æternum. Decimo tertiò sequitur, quòd actualiter damnatus ad pœnā æternā, à deo injustè est damnatus. Nam qualitercunq; iste est, taliter damnatus est: & quicunq; injustè est, injustè sub est cuilibet suo accidenti signabili. Ex argumento ergo injustè subest omni pœnæ suæ sensibili: ergo injustè est ipse damnatus actualiter. Et sic sequitur econtrario, quòd Christus justè fuit condemnatus ad crucis patibulū & justè passus est pœnas sibi à Judæis inflictas. Et consequenter, quòd omnis martyrizatus justè patitur passiones quas patitur dum martyrizatur: & consequenter, quòd omnis justus justè patitur quicquid à tyranno injusto injustè patitur, quia solū modo quo est patitur, & omni modo quo est justè est: ergo omni modo quo patitur justè patitur. Multæ ineptæ consimiles possunt deduci quæstiones ex modo arguendi, quas pertranseo propter abbreviationem sermonis, &c.

Responsio Wodfordi directa prima. Respondeo igitur primò ad argumentum, quia prima propositio potest habere duplicem intellectum, cum dicit, quòd peccator solùm illo modo quo est, possidet aliquid quod possidet. Unum talem: Peccator solum eo modo quo est possidet aliquid quod possidet: & hoc potest concedi. Aliū vero talē: Peccator solùm illo modo quo est, possidet omne quod possidet: & hoc est falsum, quia peccator substantialiter est, & non substantialiter sed accidentaliter possidet accidentia sua separabilia. Fur non furtivè est, neq; prædo rapinativè, & tamen fur furtivè possidet furata, & prædo rapinativè deprædata. Unde nec justus solùm illo modo quo est, possidet omnia quæ possidet, quia primus parens pro tempore parvo, quo fuit innocens ante peccatum, substantialiter fuit, & non substantialiter habuit innocentiam, quam tunc habuit primus angelus. Etiam primus angelus in primo instanti sui esse pro morula, antequam peccavit necessario fuit, sic quod fuit verum dicere: Iste angelus est necessariò necessitate respectiva, sic quòd nec potest, nec poterit non esse de communi lege, & sic non necessariò possedit innocentiā, quia cito perdidit illam. Similiter præscitus, nunc in gratia naturaliter est, & non naturaliter possidet gratiam gratum facientē quam possidet, sed miraculosè à domino dono. Et ideo justus uno modo est, & alio modo, & non illo modo possidet aliqua quæ possidet: & consimiliter est de justo. Patet ergo, quod in secundo intellectu universali assumptum est simpliciter negandum: & patet apud logicum, quòd si assumptum sumatur solum in

2a. primo sensu, quia consequentia est nulla. Respondeo secundò ad argumentum, quod minor propositio cum dicitur, quòd qualitercunq; peccator est, injustè est, est simpliciter falsa, loquendo de injustè, ut ipse facit, pernitiosè ad demeritū pœnæ æternæ: nisi enim sic loqueretur de injustè, non esset ad propositum suum de injusto dominio. Sic enim loquendo patet quòd peccator naturaliter est & substantialiter, & non est substantialiter sic vitiosè, nec naturaliter vitiosè. Et ad ejus probationem cum sic arguit: mortale cum inficit naturam, multo evidentius omnem modum ipsius, & omne accidens ejus: ut si vita hominis sit injusta, quælibet ejus operatio est injusta cum non aliter operatur quàm vivit. Dico constanter, quòd non oportet si mortale inficit naturam hominis, ita ut faciat eam vitiosam & dignam pœna æterna, quod propter hoc facit omne accidens ejus & omnem modum ejus vitiosum & dignum pœna æterna. Nam albedo justi non est digna vita æterna, nec nigredo injusti pœna æterna, sicut nec multiplicatio naturalis speciei per medium, nec est digna vita æterna in justo, nec pœna æterna in injusto. Et sic consequenter falsum est, quòd si vita hominis sit injusta, quælibet operatio hominis est injusta, ut superius patuit, & inferius amplius patebit. Et consequenter est falsum universaliter loquendo, quod non aliter operatur quàm vivit: quia vivit substantialiter & naturaliter, & multa operatur quæ operatur merè actualiter, & multa quæ merè artificialiter. Et ideo istud argumentum prudentem nullum movere debet, &c. Iterum arguit adversarius argumentum sic:

Argumentum Wiclefi sextum. 'Si contingit injustum justè simpliciter temporalibus dominari, per idem contingeret injustū purè juste uti temporalibus, quorū habet simpliciter justū dominium. Sed contra Facit 'Petrus injustus eleemosynā egentibus cum quibuscunq; circumstantiis volueris, ipso tamen 'stante injusto. Et arguitur, quòd non purè justè distribuit. Nam nullum opus extrinsecū est 'justū simpliciter, nisi ut procedit à virtute justitiæ, sed distributioni Petri deficit virtus justitiæ, cum sit habituatus in injustitia repugnante, ergo distributio data non est justa simpliciter. Cōfirmat primò sic: Deus requirit ab isto quod nihil operetur nisi in gratia, iste operatur 'extra gratiā: ergo operatur aliter quam deberet, nec ista alienietas operandi exacta obligat 'Petrum ad aliter operandum sub quacunq; pœna, sed sub pœna mortalis peccati. Ex quo patet, inquam, quòd si Petrus est injustus, quicquā, sive comedendo, sive dormiendo, sive quodcunq; bonū opus de genere faciendo, peccat mortaliter cōtinuè. Cōfirmat secundò per illud

Aposto-

'Apostoli: Si distribuero in cibos pauperū omnes facultates meas, charitatē autē non habue-'ro,nihil mihi prodest. Et cū injustitia & charitas sunt duo immediatè opposita, oportet al-'teram inesse homini. Et si unum inest, alterū deest: ergo sicut non est possibile injustū uti 'aliquo,nisi injustè utatur eodē vel potius abutatur: sic nō est possibile injustū alicui domina-'ri,nisi injustè dominetur, vel potius tyrannizet, cum injustè extorquet & occupat aliena.

Patet quòd ex hoc modo arguendi sequuntur multi errores,ut patet ex erroribus adductis contra præcedens argumentū. Et nihilominus sequitur ulterius: primò,quòd filius in mortali honorando patrem & matrem,eo ipso peccat mortaliter: quia quodcunq; opus bonum de genere faciendo dum est in peccato mortali, peccat mortaliter. Et consequenter sequitur quòd parochianus dans decimas ecclesiæ dum est in mortali, ex hoc quod dat dum est in mortali, peccat mortaliter: & tenentes de dominiis temporalibus, solventes redditus quos debent, dum sunt in mortali, peccant mortaliter. Et consequenter, quòd peccator atterendo de peccatis, & disponendo se ad veram contritionem, peccat mortaliter in hoc: & consequenter prodest homini & expedit homini peccatori multipliciter peccare mortaliter: quia prodest sibi & expedit facere multa opera bona de genere dum est in mortali, ut etiam adversarius concedit cap. 2. tractatus de dominio civili: & in omni tali opere peccat mortaliter, ut hic dicit: ergo prodest & expedit peccatori mortaliter multipliciter peccare mortaliter. † Et sic consequenter sequitur, quòd quanto plus peccat mortaliter in certis peccatis mortalibus, tanto cæteris paribus plus prodest sibiipsi: quia quanto plura bona opera de genere facit in mortali, tanto cæteris paribus plus prodest sibiipsi. Et in omni tali opere mortaliter peccat: ergo conclusio. Consequenter sequitur, quòd ex hoc quod infidelis obedit divino præcepto peccat mortaliter: quia in omni operatione sua peccat mortaliter, ut hic dicitur. Et cum pateat in scriptura quòd infidelibus Deus præcepit multa, quibus præceptis Deo volente obediebant, & pro quibus obedientiis fuerunt à Deo temporaliter præmiati. Consequenter sequitur quòd obstetrices Ægypti, quæ reservabant masculos Hebræorum ad vitā & timuerunt deum & mentiebantur Pharaoni, sic reservando masculos peccaverunt mortaliter & timendo deum peccaverunt mortaliter & mentiendo Pharaoni peccaverunt mortaliter, contra sententiam ecclesiæ & antiquorum doctorum. Et patet sequela, quia istæ obstetrices Ægyptiæ erant idololatræ & in peccatis mortalibus. Et multæ tales * ineptiæ erroneæ sequuntur ex his dictis. Dico ergo primò ad argumentum, quòd est justitia naturalis, consequens omnem creaturam essentialiter, ut ipse adversarius concedit 3. cap tractatus prædicti. Et dico quòd ista est bonitas qua conformatur voluntati primi principii: & est justitia moralis, philosophica, quam habuerunt philosophi pagani & multi Imperatores Romani, ut docet sanctus Augustinus, & adhuc habent multi in peccatis mortalibus existentes. Unde aliqui inveniuntur lubrici, qui in judiciis publicis sunt multum justi: Et est justitia moralis, evangelica sive theologica, & hæc semper est informata gratia. Et tunc consequenter dico, quòd stat primam justitiam esse justitiam simpliciter in genere suo, & secundam justitiam simpliciter in genere suo, sicut & tertiam esse justitiam simpliciter in genere suo. Per hæc dico ad argumentum principale, quòd distributionem Petri non deficit virtus justitiæ moralis & philosophicæ, licet illi deficiat virtus justitiæ evangelicæ. Et consequenter dico, quòd non est habituatus in injustitia repugnante virtuti justitiæ moralis & philosophicæ (aliàs evangelicæ) licet sit humanitus in injustitia repugnante virtuti moralis justitiæ evangelicæ. Et ideo non sequitur, quòd distributio data non sit justa simpliciter: sed solùm sequitur quòd non est justa simpliciter justitia evangelicà: cum quo satis stat, quòd sit justa simpliciter justitia naturali, & justitia morali philosophica. Et sic est in casu dato, & sic patet quòd non valet argumentum principale. Quantum ad primam confirmationem, patet ex modo arguendi, quod Deus non potest creare, & ad tempus conservare creaturam rationalem sine gratia gratum faciente, & sine mortali peccato: cujus tamen oppositum magister sententiarum dicit esse verum de primo parente. Et sine dubio, dicere quòd Deus hoc non posset facere, est dicere contra articulum de omnipotentia divina. Et sequela patet: tali creatura rationali sic existente & aliquid operante, patet ex modo arguendi, quòd quia operatur extra gratiam & sine gratia, quòd operatur aliter quàm deberet: & per consequens ex modo arguendi sequitur, quòd peccat mortaliter: ergo non est sine mortali, & est sine gratia: quia nondum est in mortali. Si ergo modus arguendi est bonus, non potest esse homo ex Dei potentia in tali dispositione, quod hæreticum est dicere. Dico ergo, quod non oportet quòd Deus requirat à quolibet viatore, ut nihil operetur nisi in gratia: ut patet ex hoc dicto: & etiam quia Deus requisivit à multis infidelibus, quòd facerent multa sua peccata: & non requisivit quòd facerent illa in gratia, nec voluit simpliciter quòd in gratia illa facerent: & quamvis Deus requireret à quolibet viatore quòd nihil faceret nisi in gratia, hoc non requirit ab eis sub pœna mortalis peccati, ut ex præmissis palam ostenditur, sed requirit hoc sub pœna perditionis æterni præmii pro operatione illa. Et ideo cum

Responsio Wodfordi argumentum, per modum Consequentiæ.

†Quales ineptiæ! quò non divertit garrulus & nugax in respondis consequentiis stultis?

* Quæ non manant ex quæstione sed somniis autoris, qui eas cogit & eruit præter naturam argumenti.

Responsio directa.

Triplex justitia, naturalis, moralis Philosophica, & moralis Evangelica.

ulterius concludit, quòd talis operatur aliter quàm deberet: patet quòd non, ex prædictis; & quamvis concedatur, quòd talis distribuendo eleemosynas, operatur aliter quàm deberet: concedo pro eo quod operatur aliter quàm deberet sub pœna mortalis peccati, ut falsissimè in argumento assumunt: & sic patet quòd argumentum non concludit. Quantum ad secundam confirmationem ex authoritate Apostoli dico primò, quòd authoritas concludit oppositum propositioni adversarii, quia Apostolus supponit in authoritate, quòd stat existentem extra charitatem habere verè facultates, quas potest egenis distribuere, sicut & supponit ibidem, quia verè stat talem extra charitatem corpus suum tradere, ita ut ardeat, & verè habere fidem, qua montes transferat, & verè linguis hominum loqui & angelorum, & verè habere prophetiam & scientiam, ergo ex authoritate patet, quòd potest extra charitatem verè habere facultates, quod tamen vult adversarius vitare. Dico secundò, quod

Responsio ad argument. sumptum ex Apostoli verbis prima.

2a. Apostolus vult quòd talis distributio facultatum nihil prodest distribuenti quoad meritum vitæ æternæ, quamdiu est sine charitate, non negat tamen quin verè potest habere tales facultates, & verè mereri præmia temporalia, & alia bona à bonis æternis per illarum di-
3a. stributionem egenis, & ideo argumentum non concludit. Dico tertiò, quòd quoad assumptum quando dicit, quòd quia injustitia & charitas sunt immediatè opposita, oportet alterum illorum inesse homini, quia doctores qui ponunt primum parentem creatum in puris naturalibus suis sine gratia gratum faciente, habent istud planè negare. Verum tamen est, quòd injustitia mortalis peccati contraria est charitati: sic quòd non possunt inesse simul eidē homini non multiplicato, sed quamvis alicui insit injustitia mortalis peccati respectu unius actus duorum vel trium, non oportet quòd injustitia peccati mortalis insit sibi respectu omnium actuum suorum. Sicut nec econtrario, quamvis charitas insit homini respectu aliquorum actuum suorum, non oportet quod insit sibi respectu omnium actuum suorum. Quapropter dicit sanctus Gregorius in homilia de apostolis: Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Et subdit: Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritualiter, sed carnaliter impendunt. Patet ergo ex sententia sancti doctoris, quod bonus homo potest in charitate diligere aliquos spiritualiter & assequi sublimia dilectionis præmia, & potest diligere proximos de parentela per affectionem cognationis, & tamen propter talem dilectionem non assequi sublimia dilectionis præmia. Et ergo charitas potest inesse homini respectu unius actus sui, quamvis non insit sibi respectu aliorum actuum suorum. Et sic econtrario est de injustitia mortalis peccati, quod potest homini inesse respectu aliquorum actuum suorum, & non respectu omnium actuum suorum. Et sic patet quòd argumentum in nullo concludit, &c. Consequenter arguit adversarius per authoritatem sancti Augustini in epistola* 37. ad Macedonium, ubi sic

** Epist. 54. sub finem, in edit. Basil. 1569.*

Argumentum Wiclefi septimum.

'Si prudenter intueatur quod scriptum est, fidelis hominis totus mundus divitiarum est, 'infideli autem nec obolus: nonne omnes qui sibi gaudere videntur licitè conquisitis, eisq; 'uti nesciunt, aliena possidere convincimus? Hoc enim certe alienum non est, quod jure 'possidetur: hoc autem jure quod justè, & hoc justè quod bene: omne ergo quod male 'possidetur, alienum est. Male autem possidet, qui male utitur. Justitiam nemo male habet, & qui non dilexerit non habet. Pecunia vero & à malis male habetur, & à bonis tanto melius habetur quanto minus amatur. Hæc Augustinus.

Wodfordi Responsio ad septimum argumentum prima.

Hic dico primò, si adversarius considerasset libros beati Augustini omnes, potuisset adduxisse magis prægnantes authoritates. Nam 4. de Civ. Dei, ponit Augustinus expressè quòd quamdiu apud Romanos fuit cultus plurimorum deorū, non fuit apud eos verū imperiū, & per consequens nec verum dominiū. Et in 4. cap. quarti, enumeratis multis mirabilibus de actis Romanorum, qui poterant videri actus miræ fortitudinis: finaliter concludit, quòd cum essent tunc infideles, nulla fortitudo vera fuit in eis, nec aliqua virtus alia vera. Et 5. de Civitate, ponit, quòd non est vera virtus quæ non intendit ad illū finem, ubi est bonū hominis, quo melius non est: & multa consimilia dicit Augustinus in libris illis, quæ prætendere videntur, quòd
2a. apud infideles nec est verum dominium nec aliqua vera virtus. Hic dico secundò, quòd beatus Augustinus in libris suis valde æquivocè loquitur de vero dominio, & de vera virtute. Nam aliàs multipliciter contradiceret sibi ipsi. Nam in multis locis librorum de Civitate Dei ponit Augustinus Deum dilatasse dominium Romanorum propter virtutes quas habuerunt. Et enumerat octo virtutes magnas Romanorum, dum adhuc essent infideles. Et iterum 9. cap. 5. lib. distinguit Augustinus dominiū tyrannicum à dominio regali & imperiali: & ponit quòd apud Romanos successivè fuit utrumque dominium dum adhuc essent infideles. Item 11. cap. 4. de Civitate ponit Augustinus, quòd Romani potius debuissent coluisse deam iniquitatis pro dilatione imperii, quàm Deum Jovem, quia iniquitas aliena, puta aliarum nationum, fuit causa quare bella illorum fuerunt justa. Ergo sentit Augustinus quòd bella Romanorum

manorum infidelium fuerunt justa, per quæ dilataverunt imperium. Item 15 de civitate Dei 5. lib. dicit Augustinus, quòd fælicitatem veram dat Deus verus viris solis piis, regnum vero terrenum piis & impiis. In eodem cap. distinguit Augustinus inter quatuor imperatores pessimos, & inter quatuor imperatores paganos bonos, quibus dedit imperium & dominium. Sciebat & sentiebat ergo Augustinus, apud infideles esse verum dominium & etiam veras virtutes. Patet ergo quòd valde æquivocè loquitur de vera virtute & vero dominio. Hic dico tertiò, quòd ille terminus, verum, sumitur aliquando transcendenter, prout convertitur cum ente, juxta illud antiquum, ens verum & bonum convertuntur. Et sic omne ens est verum, & omne quod est, verè est, & sic omne ens est verum ens: & à pari omne dominium quod est, sit verum dominium: & omnis virtus, etiam quæ est in pagano, est sic vera virtus. Aliquando iste terminus, verè, sumitur pro esse tali à proprietate idem, & sic dicimus, quòd homo naturalis est verè homo, sed non homo pictus. Unde quandocunque definitio rei prædicatur de aliquo, ipsum est verè tale. Et sic quia definitio moralis virtutis prædicatur de virtute acquisita ex actibus elicitis in anima philosophi pagani, hinc est quòd illa est vera virtus moralis, etiam in anima pagani, nec hoc negat Augustinus. Aliquando verè tale sumitur pro esse beatificè tale. Et hoc modo loquitur beatus Augustinus 5. de civitate Dei, cap. 12. de esse verè, quando ponit quòd divitiæ æternæ sunt verè divitiæ: & non divitiæ temporales, quantumcunque magnæ divitiæ, sed sunt falsæ divitiæ, quia non satiant appetitum. Ubi non dubium quin Augustinus sumat verè pro beatificè. Aliquando sumitur verè pro gratificè esse tale, & hoc vel per gratificationem ad præmia cœlestia, vel per gratificationem ad præmia terrena. Et primo istorum modorum loquitur Augustinus de vera virtute & vero dominio, quando negat apud infideles fuisse veram virtutem & verum dominium: hoc est, non fuit in eis virtus aliqua gratifica, per quam gratificarentur ad vitam æternam. Nec aliquod dominium gratificum, per quod gratificarentur ad præmium æternum. Cum quo satis stat secundum intentionem sanctorum doctorum, quòd fuit in eis vera virtus gratifica gratificans ad præmium temporale: & sic de dominio: cum quo etiam satis stat, quòd fuerunt in illis veræ virtutes & vera dominia, loquendo transcendenter de verè, & etiam loquendo de verè, pro appropriatè: & sic possunt concordare verba doctoris, & responderi ad infinita argumenta aliorum, &c. 3.

'Iterum arguit deducendo longo processu, quòd si dominium creaturæ est, est per Deum 'ipsum approbantem. Ex quo ulterius arguit sic: Si Deus approbat istud dominium, per 'idem approbat usum istius dominii, & omnia alia quæ sibi pertinent. Et cum omnis talis 'abutatur bonis Dei, sequitur quòd Deus approbat hunc abusum: imò cum quodlibet opus 'talis injusti sit peccatum, sequitur quòd Deus est author & approbator peccati, non solùm 'quoad esse secundum, sed quoad esse primum: quia si Deus vult quòd iste dominetur, & 'iste solùm dominatur tyrannizando: sequitur quòd Deus vult quòd iste tyrannizet, & per 'consequens, ut peccet, quod est blasphemum dicere.

Argumentum Wiclefi octavum.

Hic admitto primum consequens, ad quod deducit, quod nullus verè dominetur, nisi Deo hoc approbante: quia Deus approbat omnes leges humanas suæ legi non contrarias: & ex legibus civium & regnorum habent diversi diversos titulos ad occupandum injustè diversa rerum dominia. Et cum ulterius arguitur quod si Deus approbat dominium, tunc & Deus approbat usum dominii: patet quòd argumentum non valet, quia secundum sententiam ecclesiæ & sancti Augustini & etiam sacræ scripturæ, contingit multoties uti injustè justâ potestate. Et ideo non sequitur: Deus approbat potestatem vel dominium, ergo approbat usum dominii. Satis tamen stat, quòd Deus in aliquibus injustè habentibus dominiũ, approbat usum ejus: ut quando peccator utitur dominio suo civili ad correctionem delinquentium, ad promotionem virtuosorum, ad elargitionem eleemosynarum, ad defensionem patriæ. Et cum ulterius assumit, omnis talis abutitur bonis Dei: & ex hoc concludit quòd Deus approbat abusum rei: Si loquatur modo juristarum de abusu, & modo philosophorum de abusu, satis potest concedi, quòd Deus approbat abusum rei. Nam juristæ dicunt quòd usus est jus utendi re aliena, salva rei substantiâ. Et abusus secundum juristas est rei consumptio, suæ substantiæ destructio. Unde bonus homo comedendo panem, bibendo vinum & digerendo licitè, abutitur pane & vino secundum juristas, & hoc licitè & justé. Et ideo abusum juristarum multoties Deus approbat. Philosophi distinguunt usum contra dissuetudinem: & est usus secundum philosophos, frequens operatio secundum aliquam potentiam: & aliquando loquitur scriptura sic de usu. Nam David noviter armatus ad pugnandum contra gigantem, dixit: non possum sic incedere, quia non habeo usum. Et modicum ante præmittitur, primi Regum 17. Non enim habebat consuetudinem: ita quòd usus sumitur pro consuetudine operandi secundũ aliquam potentiam, & abusus pro dissuetudine operandi secundum aliquam potentiam: & cum Deus approbet illam dissuetudinem multoties, ut dissuetudinem operandi

Responsio Wodfordi ad argumentum octavum.

 secun-

secundum potentiam generativam in perpetuis virginibus, & post votum castitatis: & sic de multis aliis patet, loquendo philosophicè de abusu, quòd Deus multoties approbat abusum rei. Et iterum loquendo, modo quo alibi loquitur sacra scriptura de abusu, satis potest concedi, quòd Deus approbat abusum rerum, cum Deus ipse possit hoc modo rebus abuti. Nam Hieremiæ 18. sic loquitur propheta ad Deum de impiis: Ne propitieris iniquitati eorum, fiant corruentes in gladio, & in tempore furoris tui abutere eis. Sive hæc Hieremias dixit impetrativè sive pronunciativè, quod est magis verisimile, manifestum est quòd intendebat Deum creaturis posse abuti, & sic Deum posse abusum approbare. Loquendo etiam vulgariter de usu & abusu, stat Deum multoties approbare abusum rerum. Nam vulgariter loquendo, utitur re, qui eam tractat ad finem, ad quem per naturam vel artem ordinata est: Et abutitur, qui rem tractat ad finem contrarium, vel notabiliter alium, quam ad ipsum, ad quem per naturam, vel artem ordinata est. Et sic qui scindit cum serrá, abutitur serrá, quia ordinata est finaliter ad serrandum non ad scindendum. Et sic loquitur Apostolus de usu & abusu, & scriptura multoties. Et sic etiam abutitur Deus hominibus damnatis, quia homo factus est ad vitam æternam habendam, & ideo quando Deus tradit malum hominem ad mortem æternam, abutitur eo, hoc modo vulgari loquendo, & satis licitè, quia justè loquendo de usu & abusu, ut loquitur dominus Armachanus 2. cap. 3. lib. de pauperie. Sic dico, quòd assumptum est falsum, & etiam conclusio inducta, quia ille dicit ibidem, quod usus est rationalis & utilis rei tractatus, & abusus est irrationalis & inutilis rei tractatus. Et non omnis injustus irrationabiliter & inutiliter tractat omnem rem quam tractat, ut ex præmissis patet multipliciter. Et ideo non omnis talis abutitur semper bonis Dei, conformiter loquendo de abusu ut Deus approbat talem rei abusum, ut ex prima authoritate concluditur. Sed beatus Augustinus non ita loquebatur de usu, quando dixit quòd summa perversitas est, uti fruendis & frui utendis, quia ad modum loquendi domini Armachani, nullus potest esse usus perversus. Patet ergo, quòd argumentum non est alicujus evidentiæ, ut cum concludit in fine, quòd quia omne opus injusti est peccatum mortale, ideo est Deus author & approbator peccati. Patet quòd assumit falsum, ut pluries est ostensum. Iterum arguit sic.

Argumentum Wiclefi nonum.

'Non est possibile Deū aliquid præstare alicui, nisi digno: nullus injustus est dignus esse Dei 'præstarius, ergo nulli pro tempore quo est injustus præstat vel donat Deus aliquid. Majorem 'probat ex hoc, quòd Deus non potest nisi volūtariè & rationabiliter præstare, & ideo eo ipso 'quo præstat aliquid alicui creaturæ, dignificat ipsam, ut sit Dei præstarius. Et cum hoc sit 'magna gratia, sequitur quod prius vel simul gratificat creaturam, quando aliquid sibi donat.

Responsio ad argumentum nonum prima.

Hic sequitur primò, quod Deus non præstat puero in primo instanti animationis suæ in ventre matris, corpus & animam, cum tunc sit in originali. Sed istam conclusionem concedit adversarius cap. 2. de dominio civili, ubi facit argumentum, pro eo quod præstare & donare, præsupponunt existentiam præstarii, & per consequens nulli hominum præstat substantiam animæ. Ex quo sequitur primò, quòd puer in ventre matris, quando primò habet animam & vitam, non habet illam à Deo, quia tunc haberet illam animam ex divina præstatione vel donatione. Nec habet tunc animam intellectivam ab aliqua creatura, ergo à nullo habet animam, quando primò habet eam. Item ipse ponit, quòd primus parens creatus fuit in gratia, ergo Deus in primo instanti sui esse præstitit & donavit sibi gratiam, ergo præstare & donare non præsupponunt existentiam præstarii. Et sic hæc conclusio contradicit sibiipsi. Unde non habuit à se gratiam in primo instanti sui esse, & habuit illam in primo instanti sui esse, ut dicit: ergo ab alio, & à nullo si non à Deo, ergo habuit à Deo gratiam in primo instanti sui esse, ipsam sibi præstante & donante; & ideo falsum est quod præstare & donare præsupponunt, generaliter loquendo, existentiam præstarii. Secundò sequitur, quòd nulli infideli dat Deus animam vel corpus, vel aliquod bonum naturæ vel fortunæ. Quam conclusionem negat adversarius cap. prædicto: sed bene concedit, quod Deus nihil donat eis. Et dicit, quòd datio est æquivoca ad traditionem, secundum legem naturæ, & ad esse primum ac ad bonum gratiæ & ad perfectionem secundam. Primo modo dat Deus omni animato vel injusto quicquid habet. Sed secundo modo dationis, quæ est donatio, non dat aliquid nisi justis, quia donatio (ut dicit) importat gratuitam donationem ad præmium & bonum temporale vel naturale: aliàs nihil præstaret irrationali creaturæ, aliàs non præstaret gratiam gratum facientem, nisi prius grato. Et ideo patet, quòd argumentum non concludit maledicti † Wiclefi hæretici, adversarii sanctæ veritati. Iterum arguit sic.

† Cave tibi pauper Wiclefe, cum antagonista, loco arguendi, debacchatur & furit impotenter.

Argumentum Wiclefi decimum.

'Nullum dominium civile est justum simpliciter, nisi in naturali dominio fuerit fundatum, 'sed nemo habet naturale dominium pro tempore quo est in mortali, ergo nullū dominium 'civile est justum pro tempore quo est homo in mortali. Minorem arguit ex hoc, quòd ju'stissimus judex expulit primum hominem de paradiso post peccatum: & cum dominatus 'fuerit paradiso, injustè hoc fecisset, nisi homo naturale dominium perdidisset, eo quod non 'potest

'potest punire nisi ratione peccati, ergo cum sit eadem ratio de quolibet naturaliter peccan-'te: sequitur quòd naturale dominium est incompossibile peccato mortali. Majorem prin-'cipalis argumenti arguit sic: Adam vel aliquis de filiis suis habuit verum dominium civile 'in hac valle miseriæ, ergo aliqua fuit causa inceptionis hujus dominii veri: & cum nuda oc-'cupatio non sufficit, relinquitur quòd restitutio naturalis dominii post gratiam datam pœ-'nitenti, est causa inceptionis hujus dominii, aliter non posset justificari quomodo domi-'nia civilia originaliter fuerunt justa, ut capto primo civili dominio, cum ipsum non sit justum 'ex sola ordinatione hominum, cum homines ideo ordinant, quia requiritur justum, quod 'Deus prius justificet: quod tamen facere non potest, nisi dando gratiam & dominium na-'turale: requiritur ergo veritas naturalis dominii ad humanum dominium.

Hic dico primò, quòd minor in argumento principali est falsa, quando dicit, quòd nemo habet naturale dominium pro tempore quo est in mortali: quia sic sequitur, quòd nemo habet actus voluntatis elicitos naturaliter, & est hoc dominium naturale in omni habenti usum rationis quantumcunque sit peccator: falsum ergo est, quòd nullus habet naturale dominium, dum est in mortali. *Responsio Wodfordi ad argumentum decimum prima.* Secundò, quia potentiæ sensitivæ inferiores quoad diversa naturaliter obediunt volitivæ superiori: nam cum voluntas præcipit manui se movere, manus naturaliter obedit voluntati, & sic de aliis, & hoc in peccatoribus æque sicut in justis, ut docet experientia: falsum est ergo, quòd nullus in mortali habet dominium naturale. *2a.* Tertiò, quia in omni mixto elemento, unum elementorum se habet per prædominium naturaliter, & ideo omnis homo peccator habet in corpore suo unum naturale dominium unius elementi super alia: falsum est ergo quòd nullus in mortali habet naturale dominium. *3a.* Quartò, quia (ut Christus dicit) filii hujus seculi prudentiores filiis lucis sunt: signo ergo filios hujus seculi prudentes multos, & filios lucis nescientes se regere, sed quodammodo fatuos cum eis. *4a.* Et patet ex philosophia quòd illi filii lucis fatui sunt naturaliter servi illorum prudentium, & per consequens illi prudentes naturales domini illorum sunt. Et cum sic filii hujus seculi distincti à filiis lucis sunt peccatores: patet ergo falsum esse nullum in mortali peccato habere dominium naturale. Quintò, quia illi ponunt primum parentem creatum sine gratia gratum faciente, ut multi doctores ponunt, habent consequenter dicere, quòd prius habuit originale & naturale dominium exteriorum, quàm habuit gratiam talem, ergo non requiritur talis gratia ad dominium tale naturale. *5a.* Sextò, quia sine tali gratia leo habet quoddam naturale dominium super animalia alia, & aquila quoddam naturale dominium super aves alias: ergo peccator potest à pari habere sine tali gratia dominium naturale. *6a.* Et sic patet multipliciter quòd minor est falsa. Hic dico secundò, quoad probationem minoris, cum assumit quod Deus injustè expulisset primum hominem de paradiso, nisi homo per peccatum naturale dominium perdidisset, quod à pari habet dicere quòd detentio hominis extra paradisum in hac valle miseriæ esset injusta, nisi sic detentus perdidisset per peccatum naturale dominium. *Responsio alia ad minorem.* Consequens de Christo falsum, & expressissimè loquendo de illo secundum hominem: & consequens falsum de primo parente postquam restitutus fuit ad gratiam, & ad completum suum originale dominium, ut adversarius fatetur. Nihilominus continuè pòst extra paradisum fuit detentus, & non injustè: & consequens falsum de omni innocente detento in hac valle miseriæ, qui est dominus naturalis paradisi, etiam secundum adversarium, & totius mundi. Et sic consequenter dico, quòd quamvis primus parens nunquam peccasset, nec perdidisset naturale dominium, Deus nihil faciendo injustè potuit eum posuisse extra paradisum in hoc nostro habitabili. Erat enim hæc terra antequam fuisset maledicta, amœna valde, sicut paradisus, & secundum sententiam diversorum doctorum ponentium Adam fuisse creatum in agro Damasceno: prius fuit Adam in hac terra antequam in paradiso sequestrato, non obstante quòd in primo instanti sui esse habuit dominium originale paradisi, & totius terræ etiam per adversarium. Et cum Deus in primo instanti sui esse, non fecit cum eo injustè: verisimile est quòd ipse, vel aliqui ex suis positi fuissent in hac terra, dato quòd nullus eorū peccasset, quia omnia ligna pomifera hujus terræ data fuerunt sibi & suis pro statu innocentiæ in alimentum & consolationem corporalem, & ideo sine injuria & sine peccato ejus potuit poni tunc in hac terra tunc multum amœna, sicut Christus sic fuit positus hic sine suo peccato, vel aliqua injuria sibi facta. Enoch etiam & Elias, qui modò sunt in paradiso, habentes dominium originale ejusdem, tempore Antichristi erunt emissi extra paradisum sine peccato ex parte illorum, & sine injustitia eis facta ex parte summi judicis. Et Elias de facto sic fuit missus extra paradisum, tempore transfigurationis Christi, hic in terris, sine culpa ex parte sui, & sine injuria ex parte dei, non obstante quòd pro tunc fuit dominus naturalis paradisi. *Somnium egregium de statu & reditu Enochi & Eliæ.* Et ideo constanter dico quòd primum assumptum pro probatione minoris est falsum. Et consequenter cum dicit quòd Deus non potuit punire aliquem, nisi ratione peccati: aut intelligit ratione peccati sui, aut ratione peccati alterius. Si primo modo, patet quod est falsum, quia Deus punivit Christum

Christum multis pœnis, non pro peccato suo. Et tempore passionis Christi, punivit beatam virginem multis pœnis, non pro peccato ejus: & multi innocentes manentes cum iniquis puniti fuerunt, & non pro peccatis suis propriis. Filii etiam contrahunt multoties, multas pœnas debilitatis, deformitatis & infirmitatis à parentibus, non propter peccata sua, sed magis propter peccata parentum. Et ideo est assumptum, sic intellectum, omnino falsum. Si autem intelligat quòd Deus non potest punire aliquem, nisi ratione peccati sui, vel alterius, patet quòd consequentia sua est nulla; quia licet Adam non fuisset expulsus propter peccatum suum, potuit tamen propter peccatum uxoris vel filiorum, ipso in innocentia remanente. Et tamen multi negant hoc ultimò dictum: quia (ut dicunt) quamvis nullus homo peccasset, fuissent bestiæ mortales & aliquæ naturaliter rapaces, & sic sustinuissent & intulissent pœnam sine peccato suo vel alterius: peccat ergo argumentum undequaq;. Hic dico tertiò, quòd loquendo de naturali dominio, quod includit gratiam gratum facientem ad vitã æternam (ut loquitur adversarius) quod major propositio est simpliciter falsa, quando assumit quòd nullum dominium civile est justum, nisi in naturali dominio fuerit fundatũ. Dico ergo ad probationem ejus: admittendo primò quod Adam vel aliquis de suis habuerit verum civile dominium in hac valle miseriæ: admittendo secundum, quòd aliqua fuit causa inceptionis hujus dominii: & admittendo tertium, quòd nuda occupatio non sufficit ad justificationem dòminii, vel ad causandum illud, sed cum assumit, quòd restitutio naturalis dominii perditi, post datam gratiam pœnitenti, est causa inceptionis hujus dominii, simpliciter nego, & quòd sit ut falsum negandum ostendo: quia si restitutio dominii naturalis post gratiam datam pœnitenti, esset causa veri dominii civilis: & sic grato & pœnitenti, cum non magis sit causa civilis dominii in unam partem terræ, quam in aliam ex se: sequitur quòd sic gratus est dominus civilis cujuslibet partis terræ. Consequens falsum, quia sic nullus civilis dominus esset proprietarius. Quicquid enim habet habet communiter cum omni alio justo, quod est contra rationem dominii civilis. Item probato legitimè, quòd quis sit naturaliter fatuus, quantumcunq; sit justus & in gratia, privari debet dominio civili: quamvis dominio originali non privetur: ergo restitutio ad dominium originale & gratiam, non est causa restitutionis civilis dominii, & tamen non habent dominium civile rerum mundi, & ideo talis restitutio non est sufficiens causa civilis dominii. Sed causa primi dominii civilis erant hæc tria: jus ab homine conditum, & à Deo approbatum: occupatio rei quæ nullius fuit propria: & capacitas occupantis. Modò tamen multis aliis modis acquiritur dominium civile à justis & injustis. Hic dico quartò, quod licet omne artificiale dominium in homine præsupponat naturale dominium in eodẽ, ut patet ex diversis dominiis naturalibus in primo dicto tactis: non tamẽ oportet propter hoc quòd præsupponat naturale dominiũ, respectu rerũ extrinsecarũ artificiali sive civili dominio subjectarum, & maximè loquendo de naturali dominio includente gratiam gratum facientem ad vitam æternam. Et cum arguit adversarius, quòd dominium artificiale non est justum, nisi Deus prius justificet illud, * placet mihi de prioritate naturæ, sed cum addit quòd Deus hoc facere non potest nisi dando gratiam, & dominiũ originale, si loquatur de gratia gratum faciente ad vitam æternam, hoc est simpliciter falsum & hæreticum contra sententiam sacræ scripturæ, & ideo nimis multipliciter peccat istud argumentum. Hic dico finaliter, quòd data conclusione quam inducit, non sequitur propositio probanda: nam nihil aliud infert, nisi quòd naturale dominiũ est incompossibile mortali peccato, † quod concedo, quia suppono quòd intelligat hoc de eadem persona, quia aliàs conclusio esset nimis manifestè falsa, & conclusio sic sumpta est vera de dominio naturali Dei, quod non stat cum mortali peccato nec cum naturali dominio hominis beati. Et licet quis vellet dare, quòd hæc conclusio esset vera pro certo dominio naturali viatoris: nullatenus tamen sequitur, dominium naturale viatoris est imcompossibile peccato mortali in eodem: ergo nullus habet dominium naturale pro tempore quo est in mortali, quia dominia naturalia sunt diversarum manerierum. Et licet cum dominio naturali unius maneriei, non stet mortale peccatum in eodem, cum dominio tamen naturali alterius maneriei bene stat mortale peccatum in eodem, ut primo dicto ad istud argumentum est ostensum. Habet ergo istud argumentum numerum magnorum defectuum. Iterum arguit sic:

Resp. 3a. ad majorem proposition.

Resp. 4.

* Miraculum! placuit Wodfordo Wiclefus: sed dicto citius cessat.

† Tandem aliquando concedit aliquid, sed quid, nescit: fluctuat & pugnat more Andabatarum; mergit se verborum & tricarum sophisticarum involucris ne vitio Pisoniano (ut inquit S. Hieron.) laborare videatur.

Argumentum Wiclefi undecimum.

'Nulla creatura potest esse dominus alicujus rei, nisi Deus ipsi donaverit: sed Deus non 'potest quicquam dare, nisi optimo modo donativo possibili: ergo si creatura sic dominus est 'dominus titulo hujusmodi donationis, ita quod est dominus optimo modo sibi possibili, 'secundum suam capacitatem: ergo est in gratia. Majorem supponit, & minorem pro'bat sic: Sicut Deus est quo major cogitari non potest, ita Deus est cui non potest compe'tere melior modus dandi, & cum oporteat omnem magnificum, servando virtutem dare 'proportionaliter ad sui magnificentiam: sequitur, quòd oportet Deum donare optimo mo'do possibili capacitati sui donatarii. Aliter enim redundaret in defectionem modi donatio'nis, ac in partialitatem donantis, quod non potest Deo competere.

Hic

Hic dico primò, quòd distinguendo inter donare & dare, ut ipse distinguit, & ponendo quòd Deus non donat aliquid alicui, nisi gratificet eum ad vitam æternam, ut ipse ponit: patet quòd primum assumptum in argumento est falsum, & quòd petit quod probare debuit, & contradicit sibi ipsi, quia superius dixit secundum veritatem scripturæ, quòd Cain peccator & malus habuit dominium appetituum suorum, juxta illud Gen. Sub te erit appetitus ejus & tu dominaberis illius, & hoc dominium habuit ex dono Dei, quem tamen Deus non gratificavit ad vitam æternam, sicut nec multos alios qui habent consimilia dominia super appetitus suos. Contradicit etiam veritati in hoc ut superius in primo dicto contra argumentum præcedens est deductum. Hic dico secundò, quòd in minori similiter assumit falsum, loquendo de optimo modo passivè, ut ipse loquitur: nam de optimo modo activè donandi & dandi, nullus dubitat Theologus, quin Deus donat & dat optimo modo. Ex quo nullo modo sequitur, quòd propter hoc donat quivis sit in gratia, ut manifestum est. Sed si donat optimo modo passivo, donativo possibili: bene sequitur conclusio. Sed quòd sic loquendo assumptum sit falsum, patet primo: Nam a pari non posset Deus aliquid dare, nisi optimo modo donatorio, sive illi cui datur possibili: & sic non posset Deus dare peccatori in mortali corpus & animam, vel aliquod bonum naturæ: quod ipsemet negat, & quod veritas catholica negat. Et patet conclusio omni eo modo quo ipse probat assumptũ suum, ut intuenti patet: sic ergo loquendo & arguendo contradicit sibi ipsi. Patet secundò, quia sic non posset Deus creare rationalem creaturam sine peccato, & extra gratiam, quia non donaret sibi esse optimo modo donatorio possibili, secundum suam capacitatem, consequens tamen contra articulum de divina omnipotentia. Tertiò patet, quia sic si Deus donaret alicui gratiam gratum facientem, tantam daret sibi gratiam quantæ est capax, quia non donaret sibi gratiam optimo modo sibi possibili secundum sui capacitatem, nisi tantam donaret gratiam quantæ est capax, quia si melioris gratiæ esset capax, meliorem modum posset habere in sua capacitate. Et sic nullus adultus ritè baptizatus, est majoris gratiæ capax, quàm gratiæ sibi pro tunc collatæ: & sic nullus posset de communi lege mereri sibi vel alteri majorem gratiam quam habet, & sic indebita susceptione aliorum sacramentorum non daretur augmentum gratiæ. Quartò sequitur, quòd Deus non dat alicui gratiam, nisi donet illam cum confirmatione, sic quòd omnis existens in gratia, est confirmatus in gratia, quia gratia cum sui confirmatione est donatorio possibilis, & est ejus capax: cum ergo non donet gratiam nisi optimo modo donatorio possibili & melius est habere eam modo confirmato, quàm non confirmato, Sequitur ergo, quòd non donat gratiam, nisi donet illam cum confirmatione. Et sic nullus præscitus esset in gratia: & sic nullus prædestinatus in gratia peccare posset pòst, etiam mortaliter, cum tunc non fuissent in gratia confirmati, quorum utrumq; erroneum est secundum adversarium. Quintò sequitur, quòd Deus nullum in hac valle miseriæ gratificat ad vitam æternam, nisi quem finaliter beatificat. Consequens planè hæreticum, & patet sequela, quia meliori modo gratificatur, qui gratificatur gloriosè & beatificè, pro perpetuo, quàm qui gratificatur in miseria hujus vitæ, & non gloriose: sed Deus non potest gratificare, nisi meliori modo gratifico possibili, secundum prædicta in argumento: ergo non potest gratificare aliquem, nisi finaliter beatificet eundem. Sextò sequitur, quòd nulli Deus donat baroniam vel comitatum, nisi det sibi ducatum, regnum & imperium, si sit valens miles & capax regni & imperii, quia Deus non potest sibi donare dominiũ civile, nisi det sibi dominium civile optimo modo suæ capacitati compossibili secundum prædicta, ergo non potest quis ex donatione dei esse dominus civilis, nisi sit dominus civilis optimo modo compossibili suæ capacitati. Ex quo ergo donatarius, de quo loquimur, est capax regni & imperii: & melius est esse regem & imperatorem, cæteris paribus, quàm baronem vel comitem solùm: sequitur conclusio quòd nulli donat Deus baronatum vel comitatum, nisi det sibi ducatum, regnum & imperium, si sit capax illorum dominiorum: consequens manifestè falsum. Septimò sequitur, quòd nullus contritus de peccatis horribilibus in hora mortis, habebit poenam purgatorii post mortem ipsius finalem, quia Deus donat contrito remissionem peccatorum meliori modo contritionis compossibili secundum hæc dicta: & contritus in articulo mortis est capax remissionis plenariæ omnium peccatorum & quoad culpam & quoad poenam: ergo Deus dat sibi remissionem omnis culpæ & poenæ peccato debitis post hanc vitam. Ex quo melius est sibi sic habere remissionem, quàm solùm remissionem poenæ æternæ, & non poenæ purgatorii. Et ex quo post hanc vitam non meretur quis sustinere poenam majorem, vel gaudium in vita æterna. Sequitur ergo conclusio illa satis hæretica: multæ & aliæ hæreses sequuntur ex modo arguendi, quas omitto tangere propter brevitatem sermonis. Dico ergo ad argumentum, quòd major est falsa ad sensum suum sumpta, & quòd minor est figura secundum sensum suum sumpta. Si enim verterentur verba contra sensum loquentis ad optimum modum activum donandi, non ad optimum modum passivum, tunc nullo modo concluderet argumentum, quia stante dicit Catho-

Marginal notes: Responsio Wodfordi ad argumentum undecimum prima. — 2a. — Contra assumpt. prima. — 2a. — 3a. — 4a. — 5a. — 6a. Baronia. — 7a. — Hæc consequentia pro nihilo reputanda est, cum fundamentum Purgatorii poeticum est. Et quis nisi... de remissione poenæ æternæ certus, de poenâ aliâ laboraret?

Ars obscurandi & perplexandi causas valde scientifica est, iis præsertim qui hieroglyphicè sapiunt: sed sua monachis dialectica peculiaris est & propria; quibus artis est celare artem; & quibus cordi est ut discrucietur intellectus, suâ illi libertate gaudeant.

Catholicus, quòd quamvis optimo modo activè donet deus aliquod dominium civile, non tamen optimo modo passivè, & ideo non oportet quod cum gratia; unde ex hoc quòd deus est ille cui non potest competere melior modus dandi activè, non sequitur quòd deus non dat, nisi optimo modo passivè illi cui datur possibili, ut etiam dicit adversarius. Et si non sequitur, deus est ille cui non potest melior modus creandi activè competere: ergo deus creat optimo modo passivè, illi possibili quod creatur. Et subdit, non sequitur, deus est ille cui non potest melior modus activè conservationis rei competere: ergo deus conservat meliori modo passivè compossibili conservato. Consequenter dicit: Nullus à Deo conservatus esset cæcus, vel surdus, vel claudus, vel infirmus, vel in peccato mortali: sic non sequitur, deus est cui non potest competere melior modus donandi activè: ergo deus dat optimo modo donativo compossibili passivè. Et ideo ad illum intellectum consequentia est nulla, & quod ad primum intellectum propositio est simpliciter falsa. Et consequenter dico, quòd non semper oportet magnificum servando virtutem in dando proportionabiliter ad sui magnificentiam dare, vel donare cuilibet, cui dat vel donat, quantum iste cui dat vel donat, est capax. Nam sicut potius esset prodigus quàm virtuose magnificus, si modicùm dives & magnificus tantum daret alicui, quantum multùm dives & magnificus eidem virtuosè: sicut Rex regi advenienti non plus magnificè daret, quàm militi suo vel armigero: quæ sunt falsa planè, & ideo patet debilitas istorum † argumentorum. Aliqua alia argumenta magis debilia facit adversarius pro articulo. Sed triplici de causa illa pertranseo. Una, quia per hæc dicta patet quid sit dicendum ad illa. Secundò propter abbreviationem sermonis, Tertiò, quia intendo super isto articulo facere tractatum specialem & ibi ad singula respondere. Habet enim iste articulus plures defensores, & ideo * nolo circa istum amplius laborare.

† Et tuarum solutionum.

* Habemus gratias.

Decimus septimus articulus Wiclefi. Responsio Wodfordi prima.

Decimus septimus articulus pro hæresi condemnatus est, quòd omnia quæ evenient, absolutè necessariò evenient. Quòd autem iste articulus sit hæreticus, patet primò: quia aliàs fuit ut hæreticus in Concilio solenni condemnatus: nec fuit condemnatio pòst reprobata à sapientibus. Patet secundò, quia est
2a. condemnatus antiquitus inter hæreses Alkindi philosophi: ut in libello philosophorum est
3a. de erroribus manifestum. Patet tertiò, quia condemnatus est per sententiam sancti Augustini approbatam ab ecclesia, & quæ pósita est in Canone 23. q.4. cap. Nabuchodono-
4a. sor. Patet quartò, quia iste articulus multipliciter repugnat sacræ scripturæ: quòd pa-
Ecclesi. 31. 10. tet primo Ecclesiastici 31. De viro justò scriptum est, quod potuit transgredi, & non
Responsiones aliæ. prima. est transgressus: facere mala, & non fecit. Sed si omnia quæ evenient, absolutè necessariò evenient, ille qui non transgredietur, non posset transgredi: nec ille qui mala non faciet, non poterit facere mala: & à pari nec unquam fuit verum de aliquo quòd potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: & sic falsificatur sacra scri-
2a. ptura. Secundò patet, quòd repugnat sacræ scripturæ, scilicet, quia dato articulo sequitur, iste non resistet tentationi, sed erit victus à tentatione: ergo non potest resistere illi tentationi, nec vincere illam: quia absolutè necessariò erit victus à tentatione, & absolutè necessarium est quòd non resistat tentationi. Quantumcunq; ergo aliquis sit prædestinatus, si peccet mortaliter, ex tentatione tentatur, & permittitur tentari ultra id quod potest, nec habet cum tentatione proventum, ut possit sustinere, quod est expresè contra Apostolum
1 Cor. 10. 13. ad Corinth. 10. Tertiò sequitur, quòd deus pater non potuit salvum facere Christum à
3a. morte, id est, facere quòd non moreretur: quia ex articulo sequitur, quòd absolutè necessariò
4a. moriebatur. Consequens tamen contra Apostolum ad Hebræ 5. cap. expresè. Quartò patet de illo evangelico unguento effuso super caput Christi. Nam illud non poterat venundari multo & dari pauperibus, ut scriptura dicit, ex quo non fuit venundatum neque datum pauperibus, & per consequens juxta datum non potuit venundari & dari pauperibus. Quin-
5a. tò patet, quòd repugnat sacræ scripturæ: quia dato articulo sequitur quòd deus nunquam misericorditer egit cum peccatoribus, ex hoc quòd puniendo non consumpsit eos simpliciter: quia impossibile absolutè fuit, deum puniendo eos simpliciter conservare, ex quo non fuerunt conservari. Et ideo deus puniendo & non conservando, nullam pœnitentiam remisit, quam potuit infligere: ergo ex hoc quòd non consumpsit eos in puniendo, cum hoc non potuit, non misericorditer cum eis in hoc egit. Consequens contra illud scripturæ: Misericordiæ domini, quia non sumus consumpti. Et contra multa loca sacræ scripturæ, quæ
6a. loquuntur de Dei misericordia in punitione. Sextò patet, quòd repugnat sacræ scripturæ: quia dato articulo sequitur, Deus non conservabit istos sine peccato mortali: ergo non potest conservare istos sine peccato mortali, contra scripturam in fine epistolæ sancti Judæ expresè. Et multis aliis modis potest deduci, quod articulus repugnat sacræ scripturæ: sed omitto propter

propter abbreviationem. Septimò principaliter patet, quòd articulus est hereticus, quia ex illo 62.
sequuntur hæreses. Sequitur enim primò, quòd nullus peccat demeritoriè, nisi peccato quod
nullo modo vitare potest. Nam si peccat demeritoriè juxta articulum, absolutè necessariò
peccat demeritoriè. Sed si absolutè necessariò sic peccat, nullo modo potest vitare sic pec-
care. Unde Augustinus 3. de libero arbitrio, abominatur istam sententiam, asserendo multi-
pliciter, quòd nemo peccat saltem demeritoriè in eo quod nullo modo vitare potest: & idem
de quæstionibus veteris & novi testamenti, sic scribit: Ut quid prohibet quod scivit averti 1°.
non posse, aut quemadmodum damnat hominem, quia non fecit quod facere non potest?
Et sequitur: Quid enim tam iniquum, quàm ut credatur neminem aliud potuisse facere quàm
fecit? Hoc autem ponit articulus iste, ergo articulus valde iniquus & hæreticus. Secundò se- 2°.
quitur, quòd nullus peccat mortaliter & demeritoriè agendo contra divinū præceptum, cum
nec unquam fecit vel facere potest. Consequens multipliciter hæreticum, & sequela patet sic:
Nullus peccat mortaliter & demeritoriè in hoc, quod facit omnino ex naturali necessitate,
vel omnino ex facto: si ponatur modo antiquo, loquendo ut doctores concordant. Sed quic-
quid homo agit contra divinum præceptum, agit ex tanta vel majori necessitate, ex quanta hoc
faceret omnino naturali necessitate, vel omnino ex facto: sequitur, quia secundum articulum
omne quod agit vel faciet, absolutè necessariò agit vel faciet, ergo nullus peccat mortaliter &
demeritoriè agendo contra divinum præceptū. Tertiò sequitur, quòd primus parens in prima 3°.
sui creatione antequā peccavit, non potuit non mori: nec fuit in tali plasmatus statu, quòd
potuisset non mori. Consequens tamē contra communes expositores sacræ scripturæ, & speci-
aliter contra Augustinū in Enchiridio, cap. 73. & patet sequela ex articulo, quia absolutè ne-
cessariò tunc fuit casurus, & absolutè necessariò moriturus, & per consequens tunc non fuit in
tali statu, quòd potuit non mori. Et sic sequitur consequenter alia hæresis, quòd primus pa-
rens nunquā propter peccatū perdidit immortalitatē, quia non illam quam non potuit habere,
ut constat: nec illam quam potuit habere, quia nulla erat tunc possibilis. Quartò sequitur, 4°.
quòd nullus justus viator purus, erat laudandus de justitia sua. Consequens multipliciter con-
tra sacrā scripturam & contra moralem philosophiam: Quia secundum Anselmum 2. Cur
Deus homo, nullus est laudandus viator purus, ex hoc quod tenuit, quod non potuit amittere:
sed nullus viator justus potuit amittere justitiam, quam tenuit: quia absolutè necessariò non
tenuit ex articulo. Quintò sequitur, quòd Christus non loquebatur de corporibus & anima- 5°.
bus apostolorum, quando dixit apostolis: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animā autē
non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest & animā & corpus mittere in gehen-
nam. Consequens planè contra processum Evangelii, & patet sequela ex articulo, quia cor-
pora apostolorū non erant mittenda in gehennā, nec animæ eorundē, cum essent prædestina-
ti, ergo Deus non potuit corpora eorum & animas mittere in gehennam. Si ergo loquutus
fuisset de corporibus & animabus apostolorum, tunc falsè hoc dixisset Christus. Sextò sequi- 6°.
tur, quòd Deus non potest creare alium mundum: consequens damnatur inter errores Astro-
logiæ. Et patet consequentia, quia non creabit alium mundum: absolutè necessariò non crea-
bit aliū mundū ex argumento, & per consequens non potest creare alium mundū. Septimò 7°.
sequitur, quòd nullus qui benefecit, potuit melius fecisse quàm fecit: nec aliquis qui male
fecit, potuit pejus fecisse quàm fecit, quia quilibet qui bene fecit absolutè necessariò, sic &
non melius fecit: & quilibet qui male fecit necessariò, sic & non pejus fecit. Octavò sequi- 8°.
tur, quòd tam necessario producit Deus ad extra, quàm necessariò producit ad intra. Conse-
quens contra sententiam communiter omnium sanctorum doctorum: & patet sequela, quia
producit ad extra: ergo absolutè necessariò producit ad extra secundum articulum, & non
magis necessariò producit ad intuitum intra: ergo conclusio. Nonò sequitur, quòd nulla 9°.
est libertas contradictionis in Deo, angelo vel homine. Consequens contra sententiam
ecclesiæ & sanctorum doctorum & specialiter Hieronymi in epistola de filio prodigo. Et
patet sequela, quia quilibet istorum est absolutè necessariò determinatus ad unam partem
contradictionis, in quocunque opere suo, ergo in nullo eorum est libertas ad opposita, &
per consequens nec libertas contradictionis. Decimò sequitur, quòd quilibet homo, qui 10°.
merè spontaneè eligit aliquid, tam necessariò eligit illud quàm necessariò sol lucet in me-
ridie, vel homo non potest merè spontaneè aliquid eligere: quorum primum contradictio-
nem includit, & secundum expressè contra scripturam, quæ in multis locis ponit permul-
ta esse facta merè spontaneè. Et patet sequela, quia nulla necessitas naturalis in creaturis
est major necessitas, quàm sit necessitas absoluta: sed absolutè necessariò quilibet, qui
merè spontaneè eligit, eligit partem quam eligit: & sol non magis necessariò lucet in me-
ridie, licet naturali necessitate luceat, quando est in meridie, ergo conclusio. Undecimò se- 11°.
quitur, quòd non magis potest quis vitare peccatum suum futurum, quàm potest vitare pec-
catum suum præteritum: quia æquè absolutè necessariò faciet hoc futurum: sed absolutè est
necessarium quod fecit hoc præteritum secundum istum articulum. Duodecimò sequitur, 12°.
quòd

Jam tibi prospice Wiclefe, cum præterquam quod scripturæ S. visus es contradicere, hæreseos etiam insimulandus es.

quòd quilibet Catholicus viator, quantùm est de communi lege, habet dubitare si Deus potest eum à malo liberare, si Deus potest sibi dare augmentū gratiæ, si Deus potest sibi debita sua dimittere, quia sine speciali revelatione habet dubitare, an Deus hoc velit: & nemo scit, an odio vel amore est dignus, quantum est de communi lege. Et si Deus hoc non vult, Deus hoc non potest, secundum sententiam istius articuli. Et sic quilibet viator talis deberet Deum orare, ut fecit ille incredulus, habens filium lunaticum, Marci nono: Domine siquid potes, adjuva me. Ubi Glossa ordinaria dicit: Manifestat in verbis se de ejus potentia dubitare, & hoc habent facere de dei potentia, omnes hujusmodi sententiam tenentes:
13°. quod hæreticum est dicere. Tredecimò sequitur, * quòd Deus alio modo quàm per incarnationem filii & mortem ejus non potuit humanam creaturam salvare. Consequens plane contra determinationem sancti Augustini, decimotertio de Trinitate, cap. 10. Et patet consequentia per eum, quia ponit illum modum ibidem esse convenientissimum, & quòd non alio modo voluit Deus humanam naturam salvare, nisi per incarnationem, passionem & mortem filii: igitur secundum istum articulum non potuit Deus alio modo, quàm per incarnationem & mortem filii, naturam humanam salvare. Cujus contrarium deter-
14°. minaverunt Augustinus & alii doctores sancti. Decimoquartò sequitur, quòd præscitis non magis debuit Deus dare liberum arbitrium, pro vitatione peccati, quàm brutis: quia non magis ex libero arbitrio possunt vitare peccata quàm bruta: immo multo minus, quia necessariò absolutè præsciti peccabunt, non sic bruta: frustra ergo datum est eis † liberum arbitrium pro vitatione peccati. Consequens contra Augustinum secundo de
15°. libero arbitrio ex processu. Decimoquintò sequitur, quòd distinguendo voluntatem contra necessitatem, & econverso, ut facit sanctus Augustinus tertio de libero arbitrio, dicens, ea quæ volumus necessitate, & non voluntate: sicut senescimus necessitate, & non voluntate: quia æque necessariò volumus quicquid volumus, sicut necessariò senescimus. Consequens in toto contra processum Augustini ibidem, ubi sic: Non voluntate senescimus, sed necessitate: non voluntate infirmamur, sed necessitate: non voluntate morimur, sed necessitate: non voluntate volumus: quis vel delirus audeat dicere? quasi dicat, nullus. Hoc tamen habet dicere, tenens istum articulum, non distinguendo voluntatem à necessitate, ut facit Augustinus: quia necessitate volumus, ut patet ex articulo, & per consequens non voluntate, sic distinguendo, & per consequens sic sentiens, est pejor quàm delirus. Unde & Anselmus de libero arbitrio, posito casu comminationis, quod aliquis mentiri debeat vel occidi: dicit, quòd non est necesse istum occidi, quia potest mentiri: nec necesse est eum mentiri, quia potest occidi. Et dicit quòd venturum est determinatum in necessitate, sed utrumque est in sua potestate. Sed manifestum est, quòd totus iste
16°. processus Anselmi esset falsus si articulus esset verus. Decimosextò sequitur, quòd Deus non potest creaturas annihilare: & tamen iste articulus est condemnatus pro hæresi, alias in Concilio Londini provinciæ Anglicanæ. Et contra istum articulum est expressè Anselmus de libero arbitrio, cap. 4. ubi docet quòd Deus omnem creaturam potest annihilare: & tamen patet sequela, quia Deus nunquam annihilabit creaturas suas. Consequentia patet ex articulo.

* Cum non voluerit Deus genus humanum alio modo quàm per Filium suum unigenitum salvare, quis tibi vel cuivis alii de illius potestate curiosè speculanti & disputanti extra S Scripturæ metam, aurē facilem præbebit? quin potius frivolè & audacter te de mysteriis divinis loquentem increpet; cum Augustinum maximè in tuam sententiam trahis obtorto collo: is enim levissimè rem tangit, & non solùm alium modum convenientiorē non fuisse, sed nec oportuisse esse asserit (loco cit.) Wiclef, bono sis animo.

† Nescit hic homo quid sit liberum arbitrium.

Responsio Wiclefi.

Sed hic & in consimilibus respondet adversarius, quòd possibile est Deum annihilare creaturas si vult: sed quia non constat sibi, quod Deus hoc vult, ideo non admittit quod est possibile, quousque sibi constiterit, sed admittit quòd hoc est possibile si Deus vult.

Sed contra istam responsionem arguitur sic: Omne illud Deus potest, quod potest si velit: sed potest annihilare creaturas, si velit: ergo potest annihilare creaturas. Assumptum patet de quocunque homine, quòd omne illud potest, quod potest si velit: ergo à fortiori sic est de deo, quod omne illud potest, quod potest si velit. Admittendo ergo quòd Deus potest hoc si velit, incidit in contradictionem. Item si Deus non annihilabit creaturas, absolutè impossibile est quòd Deus annihilabit creaturas, secundum istum articulum. Et si sic absolutè impossibile est Deum velle annihilare creaturas: cum ergo ex responsione non est possibile Deum annihilare creaturas, nisi sub conditione si velit eas annihilare: ergo non est possibile Deum annihilare creaturas, nisi sub conditione impossibili, quæ pro non adjecta capienda est, ut dicunt jura, extra de pactis cap. ultimo, & extra de conditionibus oppositis, cap. ultimo. Ex quo igitur hoc non est possibile, nisi sub conditione impossibili: sequitur absolutè quòd hoc non est possibile. Item æque posset dici quòd hoc est impossibile, si Deus hoc velit, sicut esse chimæram: cum æque sit impossibile Deum hoc velle, sicut esse chimæram. Item si non potest omne illud, quod Deus non posset absolutè, quod tamen posset sub conditione, si vellet: tunc signo unum impossibile quod non potest, quod tamen Deus posset, si vellet juxta responsionem: & cum eadem sit ratio de omni sibi absolutè impossibili, sicut de isto signato absolutè impossibili: ergo omne impossibile est deo possibile, si Deus vellet: ergo Deum annihilare Deum secundum divinitatem est deo possibile, si Deus vellet

Sed potest, ergo potest: bene & argutè disputatum!

Chimæra.

vellet: & deum facere hominem eſſe, & nullum hominē eſſe, eſt etiam deo poſſibile, ſi deus vellet: & omnis contradictio eſt deo poſſibilis, ſi deus vellet: ergo deum annihilare deum, ſecundum divinitatem eſt deo poſſibile, ſi deus vellet. Item ſi deus non poteſt hoc facere aliquo modo, deus non poteſt hoc facere ſub aliqua conditione. Ex quo ergo omnino impoſſibile eſt deum annihilare creaturas aliquo modo: igitur nec poteſt illas annihilare creaturas ſub conditione, ſi velit. Item iſte modus reſpondendi eſt expreſsè contra ſententiam Auguſtini, de conſenſu Evangeliſtarum, tractando illud Marci 14. Et oravit, ut ſi fieri poſſet tranſiret ab eo hora: ubi diſtinguit Auguſtinus inter [ſi facere poſſet] & [ſi fieri poſſet] & poſt ſic adjungit, ne quis putaret eum minuere patris poteſtatē, manifeſtat quo intellectu accipiendū ſit quod dictū eſt. Nam ſequitur: Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt: in quo (inquit) oſtendit ſatis, non ex impoſſibilitate patris dictū eſſe, ſi fieri poteſt, ſed ex voluntate. Ponit ergo Auguſtinus patrem potuiſſe facere horā tranſiſſe à Chriſto, & feciſſe Chriſtum mortem non ſuſtinuiſſe: ſed quòd hoc non voluit. Poſſibile ergo erat patrē præſervaſſe Chriſtum à morte ſecundū Auguſtinum, patre hoc non volente: imò patre nolente eum ſic præſervare: & ideo hoc erat poſſibile deo volente hoc, & non ſi deus hoc noluit. Item nec philoſophicè, nec juridicè nec theologicè convenienter dicitur quòd potentia dependeat à ſuo actu ſub conditione, & maxime ſub conditione impoſſibili. Dicere ergo deū poſſe hoc facere, dependet ab actu volitionis divinæ, & maximè ſub conditione impoſſibile eſt omnino inconvenienter & irrationabiliter dictū. Item ſi hoc eſſet abſolutè impoſſibile, ergo eſt verū & abſolutè neceſſariū quod eſt abſolute impoſſibile: & per conſequens deus abſolutè neceſſario vult quòd hoc ſit abſolutè impoſſibile: ergo abſolutè impoſſibile eſt deū velle hoc eſſe poſſibile: ergo hoc non eſt poſſibile, ſi deus vult. Patet iſta ultima conſequentia ſic: Si abſolutè impoſſibile eſt deum velle hoc eſſe poſſibile: ergo tam impoſſibile eſt deum velle eſſe hoc poſſibile, quàm impoſſibile eſt deum velle hoc eſſe poſſibile, & hoc non poſſibile: quia tunc eſſet poſſibile ſub conditione quòd deus vult ipſum non eſſe poſſibile, igitur ſi abſolutè impoſſibile eſt deum velle hoc eſſe poſſibile, hoc non eſt poſſibile, ſi deus vult hoc eſſe poſſibile. Item ſi * abſolutè impoſſibile eſt poſſibile, ſi deus voluerit, ut patet ex reſponſione: ergo abſolutè impoſſibile non eſt abſolutè impoſſibile, ſi deus voluerit: igitur à pari ſimpliciter & abſolutè neceſſarium non eſt neceſſarium, ſi deus voluerit: & ſic deus non eſt deus, ſi deus voluerit: & deus non eſt trinus & unus, nec omnipotens, ſi deus voluerit. Et ſimiliter † aſinus eſt deitas & divina eſſentia, ſi deus voluerit: & per conſequens omnis creatura, ſi deus voluerit. Et ſimiliter omne non juſtum eſt juſtum, ſi deus voluerit: & omne non ens, eſt ens: & omnis damnatus eſt beatus, ſi deus voluerit: & non eſt bonus deus, ſi deus voluerit: & tales concluſiones ineptæ ſequuntur ex frivola iſta reſponſione. Iterum, ſi quod non eſt poſſibile, eſt poſſibile, ſi deus vult, ut dicit reſponſio: & quod non eſt abſolutè neceſſarium, eſt abſolutè neceſſarium, ſi deus vult: & per conſequens omnis creatura, etiam eſſentia diabolica, eſt eſſentia divina, & deus, ſi vult. * Et tales infames concluſiones ſequuntur multæ ex hac ratione, quod omne iniquum eſt bonū, ſi deus vult: & omne non ens, eſt ens, ſi deus vult: & conſimiles nimis multæ. Et ideo eſt hæc reſponſio frivola. Iterum per articulum iſtum adverſarius contradicit dictis ſuis propriis, quaſi neſciens quid diceret. Nam (ut patet ſuperius in fine articuli 14.) ponit arguendo, quòd ſi deus eſt deus, poteſt permittere eccleſiaſticos in tantū delinquere quòd mereantur à ſuis poſſeſſionibus ſpoliari: cum ergo in primo inſtanti mundi fuit ita, ſicut conſequens primò & primariè ſignificat, & in primo inſtanti mundi deus non permiſit eccleſiaſticos ad tantū delinquere quòd mererentur à ſuis poſſeſſionibus ſpoliari: quia tunc non fuerunt tales eccleſiaſtici qui deliquerunt. Igitur dicitur ſecundum iſtum articulum, abſolutè neceſſariò non permiſit deus eccleſiaſticos ad tantum delinquere, quod mererentur à ſuis poſſeſſionibus ſpoliari in primo inſtanti mundi, & ſi abſolutè neceſſariò non permiſit hoc tunc: ergo non potuit permittere hoc tunc: ergo non ſequitur deus eſt deus, ergo deus poteſt permittere eccleſiaſticos ad tantum delinquere, quod mereantur à ſuis poſſeſſionibus ſpoliari: quia in primo inſtanti mundi fuit antecedens verum, & conſequens falſum, ſi tunc fuiſſet formatum. Et ſic poteſt argui pro omni inſtanti, in quo eccleſiaſtici non ſic deliquerunt: quia non pro omni inſtanti pro quo poſſeſſiones non habuerunt, & ideo hoc dicendo ſibiipſi contradicit. Iterum dicit arguendo, quòd deus non poſſet talem ſpoliationem cauſare, niſi poſſet facere dominos temporales meritoriè exequi illam: cū ergo deus non poſſet ſpoliationē cauſare, niſi talem immediatè per ſe, vel per angelos, vel per tyrannos, qui non poſſunt eſſe domini, ſtante tyrannide, ſecundū adverſarium: ergo ſtat deum cauſare ſpoliationem illā, licet non meritoriè per dominos temporales exequatur illam, & licet per dominos temporales illā non cauſet, nec unquam cauſabit. Et ſi cauſabit illam ſpoliationem, & non per dominos temporales modò, vel in futurum cauſabit illam, ut patet per articulum iſtum: ergo falſum eſt quòd deus non poſſet ſpoliationem talem cauſare, niſi poſſet facere dominos temporales exequi

* Aranearum telæ.

† Dixiſſet melius autor ſeipſum fore aſinum, &c. ſed evomendæ ſunt hypotheſes in ipſam Dei majeſtatem injuriæ (qui nunquam eſſet nominandus, niſi cum ſummo honore & reverentia) potius quam reprimenda rixandi & diſputādi prurigo monachalis. Quis ferret hæc?

* Pro. 27. 22.

qui illam. Et sic adversarius non attendit quomodo sibiipsi contradicit.
'Iterum 7. cap. 2. Trialogi ponit casum, quòd de dei potentia exhinc usq; ad Romam 'figurantur naturæ corpora, quæ ad organizationem intellectus humani successivè disponan-'tur, & quòd idem immortalis spiritus successivè cum talibus corporibus hypostaticè copu-'letur. Et ex hoc posito arguit, quòd idem homo movebitur de uno loco ad alium, puta 'abhinc usq; ad Romam, & non corporaliter, cum omnia corpora stabunt fixa.
'Et cum non erat sibi certum quòd sic erit, vel quòd unquam sic fuit, admisit hoc quod ex 'sibi dubio non est possibile de dei potentia absoluta. Et contradicit in hoc sibiipsi, admit-'tendo hunc casum esse possibilem, & non admittendo consimiles esse possibiles, imò de-'struendo positionem & depositionem in arte obligatoria. Unde valde verisimile est quòd 'nunquam idem spiritus humanus informabit tot corpora organica fixa successivè, quòd 'possunt esse sic fixa hinc usq; ad Romam. Et ideo secundum articulum absolutè impossi-'bile est casus, quem de possibili recipit.
'Iterum 8. cap. 2. Trialogi arguit quòd intellectiva hominis est immortalis, sic: Homo sen-'tit in seipso quòd habet naturale desideriū semper esse: cum ergo natura non potest fru-'strari tanto proposito, sequitur quòd aliquis intellectus hominis potest naturaliter semper 'esse: sed æque sentit homo in seipso naturale desiderium semper bene esse, sicut sentit in se 'naturale desiderium semper esse: ergo quocunq; homine demonstrato, cum habet naturale 'desiderium semper bene esse: sequitur quòd quocunq; homine demonstrato, ipse potest sem-'per bene esse: ergo omnes præsciti possunt salvari, quod ipsemet negat, & habet secundum 'articulum negare, & sic iterum contradicit sibiipsi.
'Iterum cap. 11. ejusdem libri dicit, quòd corpus glorificatum potest per dotes agilitatis '& subtilitatis intrare januis clausis: & cum non sit sibi evidens ex scriptura sacra vel ali-'unde, quod per hoc aliquod corpus glorificatum sic intrabit januis clausis: patet quòd
S. Joh. 20.19. 'concedit esse possibile, quòd ex sibi dubio est absolutè impossibile: quia si nunquam sic 'intrabit, absolutè impossible est quòd sic intret, & sic contradicit sibiipsi.
Iterum 3. cap. 3. Trialogi ponit quòd spes differt à fide per hoc quod spes non est, nisi de bono possibili sic speranti. Fides autem est tam de bono, quàm de malo credenti pertinente, & de multis quæ impertinentia sunt credenti. Et statim pòst dicit quòd si proponatur prælato utrum sit hæreticus, debet sperare, & sperare ejus oppositum: sed non debet hoc dubitare, concedere vel negare. Et probat quòd non debet hoc negare: quia necessariò omnis præscitus est hæreticus: & ideo ille quem alloquitur, non debet omnino negare simpliciter quòd est hæreticus: quia non debet sine obligatione negare verum, quod à deo est ordinatum: & à deo est forsan ordinatum, quòd sit præscitus: ergo secundum hæc dicta prælatus debet sperare & supponere, quòd non sit hæreticus vel præscitus: sed hoc non debet sine obligatione dubitare, concedere vel negare. Cum ergo (ut præmittitur) spes non est, nisi de bono possibili sic speranti: ergo est bonum possibile huic prælato, quòd non sit hæreticus vel præscitus: ergo possibile est hunc prælatum non esse præscitum: ergo non est præscitus secundum argumentum: ergo absolutè necessariò non est præscitus secundum argumentum: ergo vel nullus est prælatus præscitus, quod ipse multipliciter negat: vel præscitus potest non esse præscitus, quod ipsemet negat: & sic sibiipsi iterū contradicit.
'Confirmatur, hic innuit, quòd propter obligationem debet aliquis negare verum, ergo ali-'quid potest esse verum, quod tamen non est verum : quia nihil debet admitti in positi-'one obligatoria nisi possibile: & à pari aliquid potest esse verum, quod nec est, nec fuit verum: & à pari & consimiliter aliquid potest esse verum, quod nec fuit, nec est, nec erit verum: & hoc repugnat dictis suis propriis.
'Et iterum inferius in fine 8. cap. illius tertii Trialogi destruit positionem & depositionē 'in arte obligatoria: ergo non debet quis per artem obligatoriam arctari ad negandum ve-'rum: cujus oppositum hic innuit. Confirmatur iterum: quia 6. cap. 3. Trialogi dicit, 'quòd omnis peccator superstes de dei misericordia debet confidere, & deletionem sui cri-'minis sperare: & non debet sperare, nisi bonum sibi possibile, ut dicit 3. cap. 3. Trialogi. 'Ideo non est peccator superstes, quin possibile sit quòd habeat deletionem sui criminis: 'quod ipsemet negat & sic sibiipsi contradicit.
'Iterum 22 cap. 3. lib. dicit assertivè, quòd procreans secundū fornicationē simplicē natū ex 'fœmina, potest in eodē tempore secundū ligamenta matrimonii ex eadem eundē puerum 'procreare: & constat quòd procreans secundum fornicationē natū ex fœmina, non pro-'creat eundem puerū ex eadem fœmina, secundū ligamenta matrimonii: ergo procreatio 'hujus pueri non est secundū ligamenta matrimonii in hoc tempore dato, & tamen potest esse 'secundū ligamenta matrimonii procreatio ejusdem in eodē tempore. Et consequenter se-'quitur, quòd procreatio secundū fornicationem hujus pueri est in hoc tempore dato ex hac 'fœmina, & tamen potest esse non procreatio secundum fornicationem in eodem tempore:

ergo

ergo non omne quod eſt, abſolutè neceſſariò eſt, &c. Nec omne quod eſt pro tempore, abſolutè neceſſariò eſt pro eodem tempore: & à fortiori, nec omne quod erit abſolutè, abſolutè neceſſariò erit: hæc ergo dicendo contradicit ſibiipſi.

'Iterū 24.cap.3.Trialogi ponit, quòd homo in paradiſo habuit diſpoſitionē corporis naturalem, ſecundū quam potuit pro perpetuo ſine morte durare: ergo fuit verum pro ſtatu 'innocentiæ, quòd homo poteſt perpetuò ſine morte durare: ergo non fuit verū tunc, quòd abſolutè neceſſariò homo morietur, loquēdo de eodē homine: quia ſi tunc fuiſſet verū quòd abſolutè neceſſariò morietur: ergo non fuit verū tunc quòd non poteſt perpetuò ſine morte durare, cujus contrarium dicit hic: ergo dicendo contradicit ſibiipſi.

'Iterū eodē cap. allegat dictum Ariſtotelis, quo dicit quòd quadratura circuli eſt ſcibilis, 'etſi nondū tamen ſcita eſt: & dicit quòd poſſet corrigi dictū quod non à nobis obſcurè vi- 'antibus adhuc ſcita eſt, eſt tamen ſcita à prima veritate. Sed eſt manifeſtum, quòd Ariſtoteles intellexit quòd ipſa eſt ſcibilis à nobis viantibus, quamvis quòd à viantibus fuit ſcibilis. Et ideo Ariſtoteles poſuit poſſibile fore de certo, quod tamen ex ſibi dubio nunquam foret, cujus contradictorium ponit adverſarius.

'Iterū 23 cap. 3. Trialogi, quòd perſonam verbi aſſumere plures humanitates ſimul, eſt 'ſimpliciter impoſſibile: & etiam quòd multæ perſonæ eandem humanitatem aſſumant, eſt 'ſimiliter impoſſibile: ergo neutrum iſtorū eſt poſſibile, ſi deus voluerit: cujus contradictorīū ſequitur ex prædictis in hoc libro; & patet conſequentia: quia ſi deum eſſe eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſarium, deum eſſe non eſt contingens, ſi deus voluerit. Et ſi deum eſſe trinum, eſt ſimpliciter & abſolutè poſſibile, deum eſſe trinum non eſt impoſſibile, ſi deus voluerit. Igitur ſi utrumq; iſtorum prædictorum eſt ſimpliciter & abſolutè impoſſibile, neutrum eſt poſſibile, ſi deus voluerit.

'Iterū eodem cap. ponit quòd omne poſſibile eſt verum: ergo omne poſſibile ſub condi- 'tione eſt verum: ergo cum utrumq; ſit poſſibile ſub conditione, ſi deus voluerit, ut ibi concedit: ergo utrumq; iſtorum non ſolum poſſibile eſt, ſed verum, quod tamen ibidem negat. Et patet prima conſequentia, quia ſic ſequeretur, quòd poſſibile ſub conditione eſt ita abſolutè impoſſibile, ſicut contradictio eſt abſolutè impoſſibile: & ſicut aliud impoſſibile ſine contradictione eſt abſolutè impoſſibile.

Iterū 5. cap. 4 Trialogi ponit quòd quotquot hoſtiæ poſſunt inſimul eodem verbo domi- 'ni conſecrari: & vinū poteſt in quocunq; vaſe, & quacunq; quantitate conſecrari. Sed hæc 'dicta contradicunt huic articulo. Nam ſigno vas quod non continet, nec unquam continebat vinum: & ſequitur ex articulo, quod non poteſt continere vinum: ergo nec vinū poteſt in hoc vaſe conſecrari. Iterum: Aliqua eſt maxima quantitas vini, in qua vinum conſecratur vel conſecrabitur: & ſequitur ex articulo, quòd non poteſt vinum in majori quantitate conſecrari: cum igitur quantitate data non poteſt eſſe quantitas vini major, ſequitur quòd non poteſt vinum in quacunq; quantitate conſecrari: & ſic ſignanda eſt maxima multitudo ſimul eodem verbo dei conſecratarum, & qua major non erit: & ſic ſequitur ex articulo, quòd non poteſt eſſe major multitudo hoſtiarum inſimul in eodem verbo dicto conſecratarum: ergo non eſt verum quòd quotquot hoſtiæ, &c.

'Iterū 4 cap. 4. Trialogi, loquens de ſeipſo, ſic ſcribit: Confido de miſericordia domini 'quòd poteſt hanc vitam brevem & miſeram, ero ſuperabundanter præmiatus: & ſcio ex fi- 'de Evangelii, quòd Antichriſtus ex ſuo conſilio non poteſt niſi corpus occidere: & Chri- 'ſtus (cujus partem ſuſtineo) poteſt tam corpus quàm animam mittere in gehennam ignis. 'Et hoc ibidem de ſeipſo fatebatur.

Sed ſecundū iſtum articulum hoc non poterat Chriſtus, niſi hoc eſſet futurum: & ſecundum alia dicta ſua, ſi hoc eſt poſſibile, hoc eſt verum: ergo corpus ſuum & anima ſunt in gehenna ignis, ſaltē pro cap. ſuo ad viam ſuā loquēdi in alia opinione: in qua dicit, quod omne quod erit, eſt. Vana ergo fuit confidentia, quam habuit de miſericordia domini, de ſuperabundanti præmio poſt hanc vitam: & ſic deſtruit non ſolùm dicta ſua propria, ſed etiam ſeipſum. Conſimiles contradictiones poſſent deduci ex dictis ſuis in multitudne magna: quarū deductionē omitto cauſa † brevitatis. Non ſolùm iſte articulus eſt antiquitus condēnatus, nō ſolùm repugnans ſacræ ſcripturæ, non ſolùm ex illo ſequuntur hæreſes multæ, contradictiones: ſed tenentes articulū multas ſcientias habent deſtruere: Primò dialecticā, quia deſtruit artem obligatoriā, quæ eſt magna pars dialecticæ. Et quòd illud deſtruit adverſarius, fatetur in fine 8. cap. 3. lib. quoad artem poſitionis & depoſitionis in eadem. Deſtruit etiam dialecticam Ariſtotelis in libro Perihermenias, ubi deducit tanquam ad magnum inconveniens, quòd nihil fit à caſu, nec contingens ad utrumlibet. Deſtruit ſecundò philoſophiam naturalem, quæ ponit plura evenire à * caſu & fortuna. Et una pars philoſophiæ eſt naturalis, de his quæ ſunt à caſu & à bona fortuna. Deſtruit etiam philoſophiam moralem,

† Brevis eſſe laborat, obſcurus fačtus: quicquid enim crepat de dialecticā, ejus ingenium verſatur maximè in obnubilandis argumentis & offuſcandā ipſa rerū natura & veritate, etiam cum potiorem ſuſtinet partem. *Loquitur parum Chriſtianè, quaſi nunquā legerat Evangelium S. Matt. 10. 29, 30. vel primum caput retractationum S. Auguſtini.

cujus 3. Ethicorum docet philosophus, quod electio & consilium non est nisi de his quæ ad utramq; partem contradictionis in nostra consistunt potestate: & nihil tale est vel potest esse secundum tenentes istum articulū. Destruit etiam Astronomiam: nam una pars astronomiæ est de electionibus, quam partem annullat iste articulus. Alia pars est de significatione super fortuna, & impedimento super substantia, & negotiatione super principatu, & prælatione super conjunctione, & separatione super infirmitate & sanitate. Et docet Cancellarius Parisiensis, magister Philippus in libello suo de his, in quibus licet fidelibus judicio astrorum uti: & qui libri astronomiæ suscipiendi, & qui non: & quod in tantum prodest præscire futura judicia astrorum propter dispositionem sui corporis: quia potest variare dispositionem suam & sic vitare infirmitatem: quia idem ignis operatur in luto ad condensationem & ad arefactionem, & liquefactionem in cera. Et sic est de actionibus corporum cœlestium in corpora nostra secundum eorum diversas dispositiones. Istam tamen partem astronomiæ multum diminuit articulus iste: quia præscius infirmitatis futuræ judicio astrorum. Alia pars astronomiæ * est de interrogationibus non super rebus necessariis vel impossibilibus, ut docet dominus prædictus: sed de futuris possibilibus, de quibus distinguit ibidem, quòd interrogatio potest fieri de rebus possibilibus, quæ libero arbitrio penitus sunt suppletæ: vel de rebus possibilibus, quas non potest cujusquam puri hominis liberum arbitrium impedire. Et ad interrogationem primarum, duo sunt modi: ut interrogationes futuri, quid fiet de assumpto, an si dabit substantiam vel non dabit. Et sunt interrogationes consilii, ut quid melius conveniat, hoc an illud. Interrogationes (inquit) consilii non destruunt arbitrii libertatem, sed potius eam dirigunt & rectificant, quod oportet consiliari: & unum (inquit) ex mediis urgentibus: per quæ ostenditur non omnia esse ex necessitate, sed quædam à casu & ad utrumlibet. Ponens ergo omnia ex necessitate evenire, destruit hanc partem astronomiæ, quæ est de interrogationibus consilii, de interrogationibus primi modi, quid fiet de his quæ pertinent ad lib. arbitrium, ut utrum dabit vel non dabit substantiam. Dicit consequenter, quòd si millesies significatum fuerit, quòd non dabit, nihilominus poterit illam dare: & ideo peritus Astronomus non judicat quod dabit, sed quod per figuram interrogationis significatum est quòd dabit, quo non obstante potest non dare, & econverso. Et si dicatur, quòd si significatum non erit magisterium, est falsum: & ideo oportet dicere, quòd significatum erit, & per consequens non potest non esse. Sed respondet Cancellarius prædictus adducendo pro se Albumasar, quòd non sequitur, hoc erit, ergo hoc non potest non esse: quia contingens sive sit natum in pluribus, sive in paucioribus, sive ad utrumlibet, semper antequam sit, potest esse & non esse. Ponens ergo nihil contingenter fore, sed omnia absolutà necessitate, destruit istam partem astronomiæ. Et in eodem libello docet, quomodo ex hac positione destruitur magisterium medicinæ. Et non est difficile videre, quomodo destruit etiam magnam partem juris Canonici, & etiam juris Civilis †: & quomodo repugnat sacræ scripturæ multipliciter est ostensum. Meritò est ergo iste articulus pro hæresi, non solùm de novo, sed ab antiquo condemnatus.

Philippus Grevius Cancellar. Paris. anno 1230. Oudin. 1280. Trithem.

* Consule Isai. 47. 13. de hujusmodi astriconsultis & planetariis.

† Wiclefus destruit Logicam, Ethicam, Physicam, Astronomiam (ô quanta est jactura illius artis eximiæ apud Wodfordum!) magisterium medicinæ, magnam partem Juris Civilis & Canonici: & nequid intactæ & illæsæ sint artes aliæ, ipse Wodfordus ubique destruit Grāmaticam, Rhetoricam & Musicam barbarâ suâ, incultâ & dissonanti loquutione.

Pro isto tamen articulo arguit adversarius, primo per antiquum argumentum tale:

'Christus asseruit hoc esse futurum: ergo hoc est, fuit vel erit: antecedens est necessariū, 'ergo & consequens. Non enim est in potestate creaturæ, quando Christus talia multa asse- 'ruit, nec assertio animæ Christi per accidens est hujusmodi: & ideo sicut necessariò Chri- 'stus illud asseruit, ita necessariò illud eveniet. Confirmat hoc: quocunq; futuro signato ante 'mundi constitutionem deus determinavit hoc fore, ergo hoc erit: quanta ergo erit necessi- 'tas in antecedente, tanta est necessitas in consequente: & quis enim potest facere vel im- 'pedire, quin deus determinavit hoc ante mundi constitutionem? quasi diceret, nullus. 'Quoad istud argumentum dicit adversarius cap. 9. 3. Trialogi, dominum Armachanum 'per duos annos studuisse pro ejus dissolutione, & finaliter nescivit (ut dicit) aliter evadere 'nisi concedendo quòd Christus * errasse potuit & ecclesiam decepisse: quam conclusionem 'nullus catholicus (ut dicit) concederet, & sic videtur ponere dominum Armachanum extra 'numerum catholicorum. Alii sequaces Aristotelis, quoad istum articulum dicerent, quòd 'in futuris contingentibus ad utrumlibet, & maxime in illis quæ plenariæ subsunt hominis 'libertati, non est veritas determinata apud deum, vel apud homines. Et ideo dicerent illi, 'quòd tali futuro signato, deus ante mundi constitutionem non determinavit hoc fore, nec 'Christus de aliquo tali futuro asseruit hoc esse futurum, & sic leviter expediverunt se 'discipuli Aristotelis, istis argumentis.

Argumentum Wiclefi.

* Egregius fructus studii biennis.

Responsio ad argumentum.

Dico ergo ad argumentū primò, admittendo contra sententiam articuli, Christum asseruisse hoc futurum esse, loquendo de tali futuro, quod subest hominis libero arbitrio, & concedendo consequentiam, & conclusionē primam, quòd hoc fuit, vel erit: & cum dicit, quòd antecedens est necessarium, loquendo de absolutè necessario, ut facit adversarius in argumento de Christo secundum humanitatem, ut consequenter loquitur. Dico quod hoc simpliciter

pliciter eſt falſum: quia abſolutè neceſſarium eſt, quod nec potuit, nec poterit non eſſe: ſed antequam Chriſtus erat incarnatus, Chriſtus ſic non aſſeruit ſecundum humanitatem, & tunc poterat hoc nunquam aſſeruiſſe: & ideo eſt manifeſtum, quod hoc antecedens non eſt abſolutè neceſſarium. Et ideo non ſequitur ex illo, quod conſequens ſit abſolutè neceſſarium, licet conſequens ſit verum: & ſic patet ad argumentum principale. Quantum ad confirmationem, cum dicitur, quocunq; futuro ſignato ante mundi conſtitutionem deus ordinavit hoc fore, ergo hoc erit: quanta ergo eſt neceſſitas in antecedente, tanta eſt in conſequente. Sed in antecedente eſt tanta neceſſitas quod nullus poteſt impedire dei ordinationem, quando ſic ordinavit: ergo nullus poteſt impedire quando hoc erit: ergo articulus. Quantum ad iſta concedo, quòd nulla creatura poteſt impedire dei primam ordinationem per ſe: dicendo tamen, quod quicquid deus ordinavit fore de talibus futuris ſubjectis libertati humanæ, poteſt nunquam illud ordinaſſe fore ſine omni ſui mutatione. Et ideo licet deus ordinavit ante mundi conſtitutionem hoc fore, non eſt abſolutè neceſſarium, deum ante mundi conſtitutionem hoc ordinaſſe: cum poſſit ſine ſui mutatione hoc nunquam ordinaſſe, & ſic poſſe eſt proprium ſolius dei: & ideo ex tali ordinatione non ſequitur neceſſitas abſoluta immediatè conſequentis, ſed neceſſitas ſuppoſitionis, quæ ſatis ſtat cum contingentia effectus futuri. Unde & reprobos poteſt deus facere prædeſtinatos ſecundum ſententiam Apoſtoli ad Romanos 11. ubi loquens de Judæis infidelibus & reprobis: Potens eſt (inquit) deus iterum miſereri, hoc eſt, ſalvare eos ſecundum doctores. Et Auguſtinus, de bono perſeverantiæ, ſic ait: De reprobis certè poterat deus eos præſciens eſſe lapſuros, antequam illud fieret, auferre de hac vita: ergo, non obſtante illa præſcientia, poterat facere quod non laberentur. Et ideo hic modus loquendi fundatur in apoſtolica ſententia, & ſententia Auguſtini, & ſententia antiquorum doctorum: & ſic patet reſponſio ad argumentum. Per hæc ad omnia quæ adducit pro articulo, poterit eſſe ſatisfactum: & finaliter dico circa iſtum articulum, quod non ſolùm repugnat ſacræ ſcripturæ, nō ſolùm ex eo ſequuntur hæreſes multæ, non ſolum eſt deſtructivus multarum ſcientiarum: ſed ex eo ſequuntur vulgares fatuitates diverſæ. Nam ſequitur primò quòd dolium magnum non poteſt continere tantum de vino, quantum continet iſta pinta ſignata. Ponatur enim quod hæc pinta ſit plena vino, & quod de dolio magno totum vinum ſit extractum, & quod nunquam pòſt continebit vinum, & ſequitur: Nunquam poſt continebit vinum, ergo abſolutè neceſſarium nunquam poſt continebit vinum: ergo ſimpliciter impoſſibile eſt quod continet vinum: ergo non eſt poſſibile, quòd illud dolium magnum, tantum contineat de vino, quantum continet iſta pinta: quòd vulgares deriderent. Secundò ſequitur, quòd cultellus bonus & acutus non poteſt ita ſcindere panem, ſicut iſte cultellus obtuſus: quia ponatur quòd cultellus obtuſus ſcindat panem, & quòd iſte cultellus acutus & bonus nunquam ſcindet panem, ſed continuè erit in ciſta. Et ſequitur concluſio modo prædicto. Et ſic ex articulo poſſunt deduci tales fatuitates vulgares in magno numero: & ideo eſt articulus meritò deſpiciendus.

Auguſtinus.

Decimus octavus articulus Wiclefi.

DEcimuſoctavus articulus & ultimus, pro hæreſi condemnatus, eſt, quòd quicquid Papa vel Cardinales ſui ſciunt ex ſacra ſcriptura deducere clarè, illud duntaxat eſt credendum, vel ad ſua monita faciendum. Et quicquid ultra præſumpſerint, ſit tanquam hæreticum contemnendum. Quòd ſit meritò pro hæreſi condemnatus, patet primò ex hoc, quòd eſt contra ſacram ſcripturam, & ex ipſa condemnatus. Secundò ex hoc, quòd eſt in Canone ab eccleſia condemnatus. Tertiò ex hoc, quòd eſt ab antiquis doctoribus condemnatus. Quartò ex hoc, quod fuit diverſarum hæreſium fundamentum. Quintò ex hoc, quòd non reciperentur interpretationes ſanctorum doctorũ de propoſitionibus ambiguis ſacræ ſcripturæ, quæ non poſſunt ex ſcriptura ſacra per prælatos clarè deduci. Sextò ex hoc, quòd ex articulo ſequuntur hæreſes multæ. Primò ergo deduco, quòd iſte articulus eſt contra ſacram ſcripturam, & per conſequens eſt ab ea damnatus. Nam in ſacra ſcriptura habetur, quòd multa ſunt vera & credenda, quæ in ipſa literaliter non continentur: nec poſſunt ex literali ſenſu ſcripturæ deduci: quia de tali modo loquitur adverſarius, ut patet ex proceſſu. Unde in fine Evangelii Johannis ad excludendum falſam opinionẽ, quòd non plura fecerat Jeſus, quã ſint ſcripta, ſic dicit Evangeliſta: Sunt etiam alia multa quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundũ capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros; ergo multa fuerunt facta Chriſti, quæ nõ ſunt ſcripta, & maximè in ſacra ſcriptura: & per conſequens multæ ſunt veritates etiã de Chriſto, quæ ex ſacra ſcriptura minimè poſſunt deduci. Apoſtolus etiã Paulus, ſecundã ad Theſſal. 2. cap. in fine, expreſsè diſtinguit inter traditiones quas tradidit ſermone, & quas tradidit per ſcriptu-

Reſponſio Wodfordi ſextuplex.

Prima quòd contra S. Scripturam.

ſcripturam, præcipiendo utraſq; teneri, ſic dicens: Itaque fratres ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. Ex ipſa ergo patet ſcriptura ſacra, quòd multæ ſunt traditiones tenendæ & credendæ, quæ ſolummodo ſermone ſunt traditæ per apoſtolos, quæ non ſunt in ſacra ſcriptura ad literam contentæ. Unde iſtam authoritatem Apoſtoli tractat Damaſcenus quarto ſententiarum ſuarum, cap. 8. & totius libri cap. nonageſimo quarto, deducens per illam,& alias Apoſtoli authoritates, quòd plurima ſancti apoſtoli ex non ſcripto tradiderunt, quæ tamen obſervare debemus; & hoc docet cap. nonageſimo primo,quod intitulatur de adorando ſecundũ orientẽ, ubi concludit quòd traditio de adorando verſus orientem, eſt traditio apoſtolorum non ſcripta: & in fine dicit,quòd multa non ſcripta tradiderunt. Patet ergo ex ipſa ſacra ſcriptura quòd multa non ſcripta in ſacra ſcriptura ſunt credenda & obſervanda: & ideo hic articulus eſt contrarius ſacræ ſcripturæ. Iterũ ex ſacra ſcriptura, & notorie veris, quæ non poſſunt tergiverſari, patet, quòd multa ſunt authenticè vera, quæ non ſunt contenta literaliter in ſacra ſcriptura: & per conſequens patet ex ſacra ſcriptura, quòd multa ſunt authentica & credenda, quamvis non poſſint per Papam & Cardinales clarè deduci ex ſacra ſcriptura. Aſſumptum patet primò ad Coloſſen. ultimo cap. ubi Apoſtolus fatetur ſe ſcripſiſſe epiſtolã,& ibi præcepit Coloſſenſibus illam legere ad Laodicen. Sed notoriũ eſt, quòd illa epiſtola ad Laodicenſes non eſt contenta in ſacra ſcriptura,nec eſt in Canone Bibliæ. Aſſumptũ patet 2 Maccabæorũ ultimo, ubi allegatur liber ſacerdotii Johannis: & notoriũ eſt quòd * iſte liber non eſt in Canone Bibliæ. Aſſumptũ patet tertiò, quia in libris Regũ tractat ſacra ſcriptura de Achab, notando eum de curioſitate pro domo eburnea quam fecit, ſic dicendo, 3. Regum ultimo: Reliqua ſermonũ Achab, & univerſa quæ fecit, & domus eburnea quam ædificavit, nonne hæc ſcripta ſunt in libro ſermonũ dierum regum Iſrael? Iſte liber hic allegatus, non eſt aliquis liber Regũ: quia non allegat ſeipſum. Et quia nullibi ſcribitur in illis alibi, quàm hic de domo illa eburnea: nec eſt aliquis liber Paralipomenon in quo fieret mentio de domo illa eburnea: & ideo (ut dicit doctor de Lyra) erat liber authenticus Anabuzardan combuſtus, nec pòſt reparatus. Aſſumptum patet quartò, quia 2 Maccabæorum 2. cap. allegantur deſcriptiones Hieremiæ prophetæ, deſcriptiones etiam & commenta Nehemiæ prophetæ: & manifeſtum eſt, quod illos libros non habemus in Canone Bibliæ, ſed nec habent Judæi, ut dicit doctor de Lyra. Ibidem etiam allegat textus quinq; libros Jaſonis Cyrenei, ex quibus ſecundus Maccabæorum eſt abbreviatus: & notorium eſt quòd illi libri in Canone Bibliæ non ſunt poſiti. Aſſumptum patet quintò, quia 2 Regum primo allegatur liber juſtorum: & notorium eſt, quòd ille non ponitur in Canone Bibliæ. Aſſumptum patet ſextò, 3 Regum 4. fit mentio expreſſa de deſcriptionibus beſtiarum, arborum & herbarum, quas ſcripſit Rex Salomon, & illas ſcripturas non habemus in Canone Bibliæ. Aſſumptum patet ſeptimò, quia 2 Paralipomenon fit mentio de libro Achiæ Sylonitis & de libro Nathan prophetæ, qui libri non habentur in ſacra ſcriptura. Et ideo ex ipſa ſacra ſcriptura & notoriè veris quæ non poſſunt tergiverſari, patet, quòd multa ſunt authenticè vera, quæ non ſunt literaliter contenta in ſacra ſcriptura, nec ex contentis in ſacra ſcriptura poſſunt clarè deduci: & ideo iſte articulus eſt contra ſacram ſcripturam dogmatizatus, & per conſequens eſt hæreticus. * Secundò eſt iſte articulus in Canone condemnatus: quod patet prima diſt. 11. cap. Eccleſiaſticarũ. Ubi habetur quòd conſtitutiones eccleſiaſticæ ſunt in triplici genere. Nam quaſdam à ſacris ſcripturis, quaſdam apoſtolica traditione confirmatas accepimus, quaſdam conſuetudine roboratas approbat uſus, quibus † par ritus & idem utriſq; pietatis debetur affectus. Ex quibus manifeſtum eſt, quòd non ſolùm Canon obligat ad eccleſiaſticas conſtitutiones, quæ ponuntur in ſacra ſcriptura: ſed præter illas ad inſtitutiones apoſtolica traditione confirmatas, de quibus in eodem cap. fit mentio, quæ non continentur in ſacra ſcriptura, & præter iſtas & illas ad inſtitutiones quas conſuetudine roboratas approbat uſus. Dicere ergo, quòd non eſt credendum vel ad monita Papæ faciendũ, niſi quod ſciunt clarè deducere ex ſacra ſcriptura, eſt plane contradicere ſententiæ Canonis & eccleſiæ. Hoc idem habetur eadem diſt. cap. In his rebus: ubi ſic: In his rebus, in quibus nihil certi ſtatuit divina ſcriptura, mos populi dei & inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt. Et ſicut prævaricatores legis divinæ, ita & contemptores conſuetudinum eccleſiaſticarũ coercendi ſunt. Ex quibus patet,quòd eccleſia ſupponit multa eſſe inſtituta eccleſiæ, quæ non ſunt in ſcriptura ſacra contenta, & quæ non licet contemnere, ſicut nec legem dei prævaricari. Multas etiam conſuetudines eccleſiæ eſſe in ſacra ſcriptura non contentas, quas oportet obſervare, & nullatenus contemnere, habetur expreſsè eadem diſtin. cap. Catholica, ubi ſic: Catholica eccleſia per orbem diffuſa, tribus modis probatur exiſtere: quicquid in ea continetur, aut authoritas eſt ſcripturarum, aut traditio apoſtolica, aut propria & particularis inſtitutio ad ea quæ authoritate ſcripturæ, & quæ univerſali traditione to-

Damaſcenus.

* Sed magis notorium non fore authenticum, etiamſi extaret; ſicut nec iſte liber eſt, qui ejuſdem meminit, teſte S. Auguſt. cap. 23 contra ſecundam Gaudentii epiſtolam: qui ibidem aſſerit Judæos non habere ſcripturam Maccabæorum ſicut Legem, prophetas & Pſalmos (i. e. ſtrictè Canonicam) ſed recepta eſt illa ab Eccleſiâ non inutiliter, ſi ſobriè legatur, &c. & dum Apoſtolus monet (Rom. 3. 2.) Judæis eſſe credita eloquia Dei, & Auguſtinus teſtatur eos non recepiſſe hiſtoriam Maccabæorũ, cadit iſtorum libr. autoritas divina.

* 2. Contra Canonem.

† In Canone authoritas traditionis æquiparatur authoritati S. ſcripturæ.

tota constringitur ecclesia. Privatis autem constitutionibus, & propriis informationibus per locorum varietates, ecclesia subsistit & regitur. Ex quibus omnibus patet, quòd multa tenemur credere, & multa facere, quæ ex sola sacra scriptura deduci non possunt. Patet ergo ex definitione ecclesiæ, quòd articulus iste est falsus. Secundò patet idem 19. distin. cap. Si Romanorum. cap. Sic omnis. cap. Nulli fas est. cap. In Canonicis scripturis, quia in omnibus istis cap. 19. distincti: habetur id idem. Quorum recitationem remitto causa abbreviationis, & quia liber iste est communis. Tertiò patet idem dist. 89. 15. & dist. 18. quasi per totum. Quartò idem. 23. quæst. 4. cap. Non invenitur. Et de Conse. dist. 4. cap. Si eos. Et in aliis cap. diversis. Quintò patet idem, extra. de celebratione missarũ, cap. Cum Marthæ: de forma qua utitur ecclesia Romana in consecratione sanguinis: quia illa (ut ibi patet) non habetur in sacra scriptura: & constat cuicunq; respicienti textũ evangelii, & textũ Apostoli, quòd nullibi in scriptura habetur completa forma consecrationis sanguinis qua utitur ecclesia: & tamen patet ibidem, quòd illa est una forma consecrationis & quòd hoc credi debet. Condemnat ergo sententiam quæ ponit, quod nihil est credendum nisi quod clarè potest deduci ex sacra scriptura. Patet ergo, quòd hic articulus est in Canone ab ecclesia condemnatus. Tertiò, principaliter dixi quòd iste articulus est ab antiquis doctoribus reprobatus. Nam primò Dionysius Areopagita, Apostolorum contemporaneus, primo cap. sui libri de ecclesiastica Hierarchia, versus finem cap. asserit Quoniam & non scriptas doctrinas & traditiones seu leges Apostoli tradiderunt, quas oportet suscipere: ergo multa non contenta in sacra scriptura oportet credere: quia ipse sanctus Dionysius multa docet credenda de institutione Apostolorum circa sacramenta ecclesiæ, quoad orationes ecclesiæ, circa monachos ecclesiæ primitivæ: de quibus nulla fit mentio in sacra scriptura. Secundò Johannes Damascenus in libro sententiarum suarum, tam in cap. De adorando versus orientem, quàm etiam in cap. De sacris imaginibus, hoc idem docet. Unde traditio de adorando versus orientem, & traditio de imaginibus sanctorum, sunt traditiones Apostolicæ, non scriptæ, secundum eundem. Tertiò patet idem per Johannem Cassianum de institutis Monachorum, asseverantem multa per Apostolos instituta, de quibus constat quòd nihil literaliter continetur in sacra scriptura. Et quartò patet idem de diversis libris sancti Augustini, de quibus cap. Canonis prius allegata diversa sunt accepta, de quibus plura inferius erunt inserta. Quintò patet idem ex diversis libris beati Gregorii, & specialiter ex registris ejusdem. Sextò patet idem multipliciter ex sententia doctoris de Lyra, qui egregiè literaliter scripsit super totam Bibliam, & deducit super multis locis multas veritates esse tenendas ab ecclesia, quæ non continentur in sacra scriptura, ut consideranti poterit esse manifestum, &c. Quartò principaliter est iste articulus justè pro hæresi condemnatus: quia fuit fundamentum diversarum hæresium. Fuit enim primo fundamentum hæresis Arrianæ, quæ pessima fuit. Docet enim manifestè historia Tripartita; quòd Arriani insultabant Catholicis, eò quòd ponebant dei filium consubstantialem patri, pro eo quòd sacra scriptura hoc non exprimit. Unde & ponebant hoc verbum esse barbarum, pro eo quòd scriptura sacra non ponit hoc verbum in divinis. Et Catholici doctores concesserunt Arrianis, quòd tunc de verbis [consubstantialis, ousia & homousion] quòd idem significant in divinis de deo, in sacris scripturis nihil repertum est: sed dixerunt, quod fides illa accepta est ex antiqua traditione recepta ab initio ecclesiæ: ut partim libro quinto, capite octavo & completè libro sexto, capite vicesimo patet. Patet ergo quòd articulus iste fuit fundamentum hæresis Arrianæ. Nolebant enim Arriani aliqua recipere, maximè circa divina, nisi contenta in sacra scriptura: & ideo inciderunt in illam hæresim. Fuit secundò hujusmodi articulus fundamentum hæresis Donatistarum. Donatistæ hæretici tenebant, quòd baptizati ab hæreticis, quantumcunque baptizati ab eis sub forma ecclesiæ, non essent verè baptizati: sed quòd venientes ad ecclesiam Catholicam deberent rebaptizari. Unde & baptismum hæreticorum vocabant lavacrum diaboli. Et illius opinionis fuit aliquando sanctus Cyprianus & multi magni prælati cum eo: ut patet in libris sancti Augustini de unico baptismo. Sed ante Cyprianum recepit ecclesia baptizatos ab hæreticis, sub forma ecclesiæ, sine novo baptismo: quam consuetudinem Cyprianus cum magno consilio reprobavit. Postea illa determinatio Cypriani & sui consilii fuit ab ecclesia condemnata & reprobata. Et tunc Donatistæ conquesti sunt de ecclesia, quòd reprobavit sententiam illam ut hæreticam, ex quo contrarium ejus non habetur in scriptura sacra. Quibus respondit magnus Augustinus, concedendo quòd oppositum illius sententiæ non reperitur in sacra scriptura, sed consuetudo recipiendi baptizatos ab hæreticis, sub forma ecclesiæ, sine novo baptismo, licet non fundatur in sacra scriptura, fundatur tamen in Apostolica traditione: sicut & multa sunt (inquit) quæ universalis tenet ecclesia, & ob hoc ab Apostolis bene præcepta creduntur quàmvis scripta non inveniantur, & hæc ponit Augustinus libro quinto contra Donatistas citò post medium libri.

Tertiò, Contra antiquos doctores, &c. Dionysium falsò Areop.

Joh. Damascenum.

Joh. Cassianum.

S Augustinum.

Gregorium primum.

Lyram.

Quartò, ut fundamentum hæresium diversarum, sc. Arrianæ:

Donatistarũ.

Patet

Patet ergo, quòd sententia istius articuli fuit fundamentum hæresis Donatistarum: quia nolebant aliquid esse hæreticum, nisi cujus contrarium in sacra scriptura esset repertum. Et beatus Augustinus cum ecclesia Catholica reputat hæreticum, quod contrariatur traditioni Apostolicæ: quamvis illa traditio scripta non sit purè in sacra scriptura. Ex quibus patet quod sententia hujus articuli fuit velamen & fundamentum hæresis Donatistarum: & quod beatus Augustinus cum ecclesia Catholica reputat eam hæreticam. Est ergo hic articulus meritò pro hæresi condemnatus. Fuit etiam fundamentum hæresis Leonis Imperatoris & Constantini filii sui, qui damnaverunt imagines sanctorum & ipsas combusserunt. Quibus Papa Gregorius & Germanus Constantinopolitanus universaliter restiterunt, allegantes morem antiquorum & approbatam ab ecclesia consuetudinem. Cujus hæresis Philippus Imperator eorum prædecessor, erat fundator, quem Sisinnius Papa, circa annum domini septingentesimum sextum, propter hoc denuntiavit hæreticum, ut in historia Polychronica & aliis est manifestum, & aliarum multarum hæresium fuit sententia hujus articuli fundamentum & velamen: & ideo est meritò condemnatus. Quintò principaliter est articulus pro hæresi condemnatus: quia dato articulo non essent recipiendæ interpretationes sanctorũ doctorũ de propositionibus ambiguis sacræ scripturæ, quæ non possunt per Papam & Cardinales ex ipsa sacra scriptura deduci clarè: patet enim sequela, & est hoc dictum occasio & velamen diversarum antiquarum hæresium. Nam propter hoc quod Christus dixit in evangelio: Fures fuisse & latrones, omnes quotquot ante ipsum venerunt: & propter quod Faustus noluit recipere interpretationes sanctorum doctorum, sed verba illa intelligere secundum quod grammaticaliter sonabant: ideo incidit in hæresim, quod non sint à Catholicis recipiendi Moses & Prophetæ: quia fuerunt fures & latrones, ut asserebat, male intelligendo verba Christi contra interpretationem sanctorum doctorum. Hæc patent per beatum Augustinum decimosexto contra Faustum. Item propter hoc quod æque negativè secundũ vocẽ dicitur: Non occides, sicut dicitur: Non furaberis: dicebant hæretici, quòd sicut non est licitũ furari hominem, bovẽ aut ovẽ, sic non est licitũ occidere hominem, bovem aut ovem. Quam hæresim destruit Augustinus in libro de Civitate dei. In hanc hæresim prolapsi sunt: quia utrobiq; verba scripturæ sicut sonabant prima facie, & ad sensum grammaticalẽ, & non secundũ interpretationẽ Apostolicorũ virorũ, intellexerunt. Item dixerunt alii hæretici, quòd non esset licitum jurare in aliquo casu propter hoc quod Christus dixit: Ego autẽ dixi vobis, nolite jurare omnino. Et propter hoc quod dicit Jacobus: Ante omnia, fratres charissimi, nolite jurare, neq; per cœlum, neq; per terram, nec per aliud quodcunq;. Ista ut sonant grammaticaliter intelligentes, & non secundũ sensũ & interpretationes sanctorũ doctorũ, erraverunt. Consimile est de multis aliis, de quibus pertrãseo. Iterũ ipsemet Christus ostendit Lucæ 6.cap.& Matthæi 13.quòd mandata & præcepta habent interpretari multoties per modũ aliũ, quam sonant prima facie & grammaticaliter. Nam præceptũ erat in lege, quòd nulli manducarent de panibus propositionis, nisi soli sacerdotes. Præceptũ erat etiam in lege, quòd cibaria præpararentur die præcedenti diem sabbati, non in sabbato. Et quia discipuli Christi evellebant spicas in die sabbati & fricabant ac propter esuriem comedebant, ideo Judæi reprehendebant Jesum, dicentes: Quare discipuli tui faciunt quod non licet in sabbatis? Quibus Christus respondit: Nonne legistis quid fecerat David, quando esuriit, & qui cum eo erant: & quomodo intravit in domum dei & panes propositionis comedebat, quos non licebat comedere, nisi solis sacerdotibus? Ubi Christus excusavit discipulos quòd propter necessitatem poterant evellere & fricare spicas in sabbato licitè, sicut & David ac sui licitè comederunt propter necessitatem de panibus propositionis: non obstante quòd erat divinũ præceptũ, quòd non comederent de eis nisi sacerdotes. Illud ergo divinum præceptũ, juxta doctrinam Christi aliter debuit interpretari, quàm prima facie & grammaticaliter sonabat. Et ideo non recipientes interpretationes sanctorum doctorum de propositionibus ambiguis sacræ scripturæ, sed intelligentes illas ut sonant prima facie, in hæreses multas oportet incidere, & sunt contrariæ Christi doctrinæ, ut ex dictis patet planè. Tales tamen interpretationes despicit articulus iste: & ideo est meritò condemnatus. Sextò principaliter dico, quod articulus pro hæresi merito est condemnatus: quia ex articulo sequuntur hæreses multæ. Sequitur enim primò, quòd doctrina illa est tanquã hæretica condemnanda, quæ ponit quòd sanctus Petrus fuit episcopus Romanus, Romæ docuit & Romæ martyrizatus fuit. Hoc enim docent Papa & Cardinales & omnes communiter Catholici: & tamen hanc doctrinam non possunt clarè deducere ex sacra scriptura, quia in tota sacra scriptura nullibi fit mentio * quòd sanctus Petrus Apostolus unquam fuit Romæ. Sed quòd sic fuit, habetur ex fide patrum & Apostolicorum virorum, per successiones patrum usque ad nos descendentium, & nullatenus ex Canone Bibliæ. Et cum nihil sit credendũ, nisi quod Papa & Cardinales sciunt ex sacra scriptura clarè deducere, & quicquid ultra

Jconomachorum.

Sisinnius Papa dicitur pontificatum iniisse anno Chr. 707 Panvin. 52.

Contra interpretationes doctorum de propositionibus ambiguis S. Script.

62. Quia ex articulo Eccles. Rom. feret conscia multarum hæresium.

12.

* Quàm diversa hæc ab opinione Pontificiorum recentium, qui Babylonem (1. S. Pet. 5. 13.) Romam contendunt, cum Papiâ, fuisse tropicè dictam? esto igitur, fuisse Petrum Romæ: dum Romam Babylonem concedunt. Prosit illis argumentum.

ultra præſumpſerint docere, ſit tanquam hæreticum condemnandum: ex iſto articulo ſe-
quitur, quòd iſta doctrina ſit tanquam hæretica contemnenda, quæ ponit quòd ſanctus Pe-
trus fuit epiſcopus Romanus & Romæ docuit. Ex iſto ſequitur ſecundò, quòd iſta doctri- 2a.
na eſt tanquam hæretica contemnenda, quæ ponit Apoſtolos condidiſſe ſymbolum. Et ſe-
quitur conformiter, quia in tota ſacra ſcriptura non ſit mentio, quòd Apoſtoli ſymbolum
condiderunt. Hæc tamen doctrina eſt Papæ & eccleſiæ Romanæ, quæ ad nos deſcendit per
ſucceſſiones patrum à tempore Apoſtolorum. Sequitur ergo concluſio. Tertiò ſequitur 3a.
quòd illa doctrina eſt tanquam hæretica contemnenda, quæ ponit quòd illud quod incipit,
Liber generationis Jeſu Chriſti, ſit evangelium Matthæi. Et illud quod incipit: In princi-
pio erat verbum, ſit evangelium Johannis: quia licet illa evangelia ſunt in ſacra ſcriptura con-
tenta, non eſt tamen contentum in ſacra ſcriptura, quòd illud ſit evangelium Matthæi, vel
iſtud Johannis. Sed habetur ex rubricis propoſitis & prologis: quæ rubricæ, & qui prologi nō
ſunt de ſacra ſcriptura, nec partes ejus, nec ab ipſis Evangeliſtis ibi poſitæ, ſed à ſucceſſoribus
eorum. Cum ergo hæc ſit doctrina Papæ & Cardinalium, ſequitur ex articulo quòd hæc ut
hæretica contemnenda eſt. Quartò ſequitur, quòd hæc doctrina eſt ut hæretica contemnen- 4a.
da, quæ ponit quòd deus eſt tres perſonæ. Nam illa eſt doctrina Papæ & Cardinalium &
eccleſiæ Romanæ, quæ non poteſt ex ſacra ſcriptura clarè deduci per eos, dicente Auguſti-
no magno, ſeptimo de Trinitate, ubi quærit, quare tres res in divinis dicuntur tres perſonæ
quam tres dii? Et dicit quòd propter neceſſitatem diſputandi dicuntur tres perſonæ. Non
(inquit) quia ſacra ſcriptura hoc dicit, ſed quia ſacra ſcriptura non contradicit: ſicut contra-
dicit de tribus diis, ibi: Dominus deus tuus unus eſt. Hæc Auguſtinus. Ex quibus patet, quòd
Auguſtinus neſcivit ex ſacra ſcriptura invenire quòd deus eſt tres perſonæ: & à fortiori, nec
Papa, nec Cardinales ſciunt hoc ex ſacra ſcriptura clarè deducere: & per conſequens juxta
articulum eſt hæc doctrina ut hæretica contemnenda. Quintò ſequitur, quòd eſt tan- 5a.
quam hæreticum contemnendum, quòd filius in divinis eſt patri conſubſtantialis. Nam
(ut præmiſſum eſt) Arriani hoc negabant, propter hoc quòd non reperitur in ſacra ſcriptu-
ra: & Catholici illius temporis hoc conceſſerunt Arrianis: ergo non poteſt clarè deduci
ex ſacra ſcriptura per confeſſionem utriuſque partis quòd filius in divinis eſt patri con-
ſubſtantialis: & per conſequens juxta iſtum articulum, eſt hoc ut hæreticum contem-
nendum. Sextò ſequitur, quòd doctrina ponens alios Apoſtolos* à Paulo baptizatos fuiſſe 6a.
ſacramentaliter, eſt ut hæretica contemnenda. Licet enim de Paulo legatur, quòd fuerat
ſacramentaliter baptizatus, hoc tamen non legitur in ſacra ſcriptura de aliis Apoſtolis.
Unde Auguſtinus magnus epiſtolâ quinquageſima ſecunda,* quæ eſt ad Seleucianam, ſic ait,
Non omnia quæ facta ſunt ſcripta reperiuntur. Scriptum eſt, quando baptizatus eſt Paulus
apoſtolus, & non eſt ſcriptum, quando baptizati ſunt alii apoſtoli. Veruntamen (inquit)
ipſos baptizatos intelligere & credere debemus. Ex quo ergo deduci non poteſt ex ſacra
ſcriptura, quòd alii Apoſtoli à Paulo fuerunt ſacramentaliter baptizati: ſequitur, per arti-
culum iſtum, quòd iſta doctrina ſit, ut hæretica, contemnenda. Septimò ſequitur, quòd 7a.
doctrina ſit, ut hæretica, contemnenda, quæ ponit, quòd ſignare ſe ſigno crucis ſit a-
ctus bonus Chriſtianus, cum tamen dicit magnus Auguſtinus, quòd ſignare ſe ſigno crucis
ſit actus Chriſtianiſſimus: & tamen ad ſic ſe ſignandum ſigno crucis, ſunt pueri
Catholicorum ab antiquo primitus edocti, & tamen patet ſequela: quia ut patet in Ca-
none diſtin. 11. cap. Eccleſiarum, talis doctrina non habetur ex ſcriptura ſacra, ergo
juxta iſtum articulum eſt ut hæretica contemnenda. Octavò ſequitur, quòd doctrina eſt ut 8a.
hæretica contemnenda, quæ ponit Chriſtum conceptum octavo Calend. Aprilis & natum
8. Calend. Januarii. Hæc enim doctrina non poteſt clarè deduci ex ſacra ſcriptura, prout
teſtatur magnus Auguſtinus, quarto de Trinitate, cap. 5. Dicit enim, quòd hæc non haben-
tur ex ſacra ſcriptura, ſed authoritate ſuſcepta à majoribus. Et ideo non obſtante quòd
hanc doctrinam tenet univerſalis eccleſia, eſt ipſa ſecundum iſtum articulum, ut hæretica,
contemnenda. Nonò ſequitur, quòd doctrina eccleſiæ eſt ut hæretica contemnenda, 9a.
quæ ponit quòd diebus dominicis eſt ordinariè ſolennizandum, quia quòd ſic ordinariè de-
bemus ſolennizare diem dominicum, non habemus per ſacram ſcripturam, immò juxta
ſenſum ſcripturæ grammaticalem, quem prima facie prætendit, potius deberemus ſolenni-
zare ordinariè dies ſabbatinas: cum ſic de feriis feſtis ordinarie ſolennizandis non habeatur
præceptum in ſcriptura aliquo præcepto ſcripturæ, ſed ex traditione Apoſtolica uſque ad
nos per ſucceſſiones patrum deſcendente. Igitur ſecundum iſtum articulum erit hæc do-
ctrina ut hæretica contemnenda, quæ ponit quòd debemus ſolennizare feſtum Nativitatis
Chriſti, feſtum Aſcenſionis Chriſti, feſtū† Aſſumptionis Virginis Mariæ, feſta Apoſtolorū
vel aliorum ſanctorum. Decimò ſequitur, quòd doctrina eſt ut hæretica contemnenda, 10a.
quæ ponit quòd tenemur jejunia jejunare quatuor temporum, prima hebdomada quadrage-
ſimæ, hebdomada Pentecoſtes & in menſibus Septembri & Novembri.

* i.e. Præter Paulum; juxta rudem loquendi modum hujuſce authoris.

* Ep. 108. Edit. Baſ. 1569.

† Hoccine etiam ex traditione Apoſtolica uſque &c? dic, ſodes.

Nam

Nam quòd illis temporibus debemus jejunare jejunia quatuor temporum non habemus in
sacra scriptura : quia jejuniũ quatuor temporum impositum à sacra scriptura fuit jejuniũ
quarti, jejunium quinti, jejunium septimi, & jejunium decimi : ut patet Zachariæ octavo ca-
pite. Et sic jejunia scripturæ fuerunt in Julio, Augusto, Octobri & Januario, ut docet Hiero-
nymus in commentario. Et ideo ex sacra scriptura non habemus, quòd debemus jejunia
quatuor temporum jejunare, prima hebdomada quadragesimæ, in hebdomada Pentecostes,
in mensibus Septembri & Novembri: & per consequens secundum articulum, doctrina
11a. quæ sic docet, est ut hæretica contẽnenda. Undecimò sequitur, quòd illa doctrina est ut hæ-
retica contemnenda, quæ ponit quòd Christiani adulti & sani debent abstinere à carnibus
per quadragesimam immediatè ante Pascha: quia illa doctrina non potest clarè deduci ex
sacra scriptura. Unde Christus non legitur jejunasse, nisi uno anno quadragesimam : &
illam non jejunavit immediatè ante Pascha, sed immediatè post festum Epiphaniæ. Nec
aliunde facit scriptura sacra mentionem de tali abstinentia faciendâ tali tempore. Est ergo
12a. juxta istum articulum hæc doctrina ut hæretica contemnenda. Duodecimò sequitur, quod
non fuerit in ecclesia Romana vera consecratio sanguinis Christi, à tempore, quo uteba-
tur forma, qua utitur quando nititur sanguinem consecrare: quia illa forma non reperitur in
tota sacra scriptura, ut superius allegatum est, ex cap. Cum Marthæ. Et ut experientia do-
cet textus evangeliorum, & textus Apostoli Pauli, in locis ubi materia tractatur. Unde
nec verbum [æterni testamenti] nec verbum [mysterium fidei] reperitur in aliqua forma
tradita in scriptura sacra. Cum ergo nulla sit vera forma consecrationis, nisi tradita in scri-
ptura sacra, juxta hunc articulum : sed omnis alia est ut hæretica contemnenda : sequitur
quòd ab illo tempore, quo ecclesia Romana utebatur forma qua utitur, non fuit vera conse-
13a. cratio sanguinis in ecclesia Romana, quæ sententia est satis hæretica. Decimotertiò sequi-
tur, quòd ab illo tempore, quo ecclesia Romana firmiter statuit & definivit, quòd sepa-
randum est matrimonium, scilicet contractum sine dispensatione in tertio vel in quarto
gradu consanguinitatis vel affinitatis, vel solummodo propter cognationem spiritualem,
vel legalem: vel solummodo propter publicæ honestatis justitiam : vel solummodo, quia
vir prius polluit mulierem per adulterium interposita fide de matrimonio futuro, cum
machinatione mortis mariti primi : quòd ab illo tempore ecclesia Romana fuit hæreti-
ca, quia nulla istarum causarum est causa divortii ex sacra scriptura, ut fatetur adversari-
us : nec est aliquod ex prædictis legitimum impedimentum matrimonii: ut adversarius
habet dicere, cum hoc non posset clarè deduci ex sacra scriptura. Cum ergo omne ma-
trimonium, quod sine legitimo impedimento est contractum, est verum matrimonium,
& à deo : sequitur, quòd à tempore, quo ecclesia Romana hoc firmiter statuit & defi-
nivit firmato proposito, statuit & definivit contra illud Evangelicum præceptum, Quos
deus conjunxit, homo non separet : & per consequens ab illo tempore fuit ecclesia Ro-
mana hæretica. Decimoquartò sequitur, quòd omnis religiosus legitimè professus,
14a. & omnis sacerdos, qui in susceptione sacri ordinis fecit votum castitatis, credens fir-
mato proposito, quòd matrimonium ab ipso contractum, post votum annexum sacro
ordini, vel professioni religionis approbatæ, ipso facto potius nullum, quàm post votum
in manu episcopi, quod faciunt viduæ. Si ergo omnis traditio ecclesiæ, quæ non potest
deduci clarè ex sacra scriptura, sit ut hæretica contemnenda : sequitur, quòd hæc tradi-
tio de voto solenni, annexo sacro ordini, vel religionis approbatæ professioni, quod
impediat ipso facto matrimonium post contractum, sit ut hæreticum contemnendum : Et
per consequens omnis religiosus legitimè professus, & omnis sacerdos qui in susceptione sacri
ordinis fecit votũ castitatis, credens firmato proposito, quòd matrimoniũ ab ipso post con-
tractum propter votum suum sit ipso facto nullum, hæreticus est firmiter credendo : quia
firmato proposito, à quo non vult recedere, credit esse verum, quod tamen est ut hæreti-
15a. cum respuendum. Decimoquintò sequitur, quòd juramenta consueta Regum in suis co-
ronationibus : prælatorum primò intrantium suas ecclesias, justitiariorum, in receptione
suorum officiorum : doctorum & baccalaureorum in universitatibus, quando recipiunt suos
gradus : collegiatorum, quando recipiuntur ad sua collegia : & omnium qui jurant obser-
vare leges humanas, vel consuetudines in sacra scriptura non contentas, sunt juramenta per-
nitiosa. Quia omnes tales leges humanæ in sacra scriptura non contentæ, non sunt veræ
leges, secundum istum articulum, &, secundum doctrinam adversarii in pluribus locis,
sunt leges Luciferinæ & Antichristianæ. Et ideo omne juramentum ad observantiam taliũ
legum est juramentum pernitiosum, imò habet dicere quòd omnia talia juramenta sunt
juramenta ad serviendum diabolo & ad serviendum Antichristo. Et consequenter, quòd Ju-
stitiarii regni, doctores juris civilis & doctores juris Canonici, non sunt veri doctores le-
gum : sed potius doctores Antichristi & diabolicarum traditionum.

Verbum Æterni testamenti. Hebr. 13. 20. Mysterium fidei. 1 Tim. 3. 9. Sed quid ab homine expectandum est qui nihil sapit nisi Papã & Cardinales ? quasi eorum dictatis standum esset de rebus fidei statuentium, nec alia foret credendi regula nisi ex Oraculo Vaticano. Sed forsasse concordantia Wodfordi non erat ad manum, vel manca.

Luciferinæ leges & Antichristianæ. Dicuntur hæc, ut omnium ira & invidia in Wiclefum concitentur. Ignorantia cum malitia conjuncta quid non molitur ?

Decimosextò

Decimofextò fequitur,quòd nulli archiepifcopi deberent effe in ecclefia dei magis, quàm 16a.
Chorepifcopi; & confequenter,quòd nulli fuffraganei fuis archiepifcopis deberent obedire: quia licèt de ipfis * magna fit mentio in facra fcriptura,de archiepifcopis non magis fit mentio quã de chorepifcopis. Bene tamen habentur traditiones Apoftoli Petri de inftitutione archiepifcoporum: ut fuperius erat dictum circa articulum fextum. Si ergo traditionibus apoftolicis, non fcriptis in facra fcriptura, non fit fides adhibenda, fed funt tales ut hæreticæ contemnendæ juxta iftum articulum, fequitur, quòd nulli archiepifcopi deberent effe in ecclefia dei magis quàm Chorepifcopi, & quod nulli tenentur eis obedire fuffraganei, fed quod funt ab eis, tanquam hæretica traditione inftituti, contemnendi. Decimofeptimò fequitur, quòd 17a.
tanquam hæretica eft contemnenda Pafchalis obfervatio Chriftiana: quia Chriftiani non obfervant feftum Pafchale eo tempore, quo præcipiebatur obfervari in lege veteri, ut eft Theologis notum: nec de tempore, quo Chriftiani obfervant hoc feftum, vel obfervare debent, eft in novo teftamento aliquid determinatum. Unde fuper obfervatione Pafchalis fefti, magna fuit aliquando difceptatio in ecclefia dei, quoufque per miraculum materia fuit decifa. Si ergo modo non debemus credere, nifi quæ ex facra fcriptura poffunt clare deduci, ut dicit articulus ifte: & fi omnes aliæ doctrinæ Papæ & Cardinalium funt ut hæreticæ contemnendæ, ut dicit etiam articulus: fequitur, quòd tanquam hæretica contemnenda eft Pafchalis obfervatio Chriftiana. Et eft hæc fententia fatis iniqua. Decimooctavò fequitur, quòd Ecclefia Romana à tempore Gregorii tertii fuit & eft * hæretica. 18a.
Nam cum tempore fuo Leo Imperator & Conftantinus Imperator comburerent & deftruerent imagines fanctorum, & à Gregorio Papa reprehenfi, fe non corrigerent: congregavit Papa ille Gregorius Concilium generale, quafi mille epifcoporum, ut patet in multis Chronicis, in quo imagines fanctorum confirmavit, & opinionem contrariam ut hæreticam reprobavit. Et tamen quòd illa opinio fit hæretica vel falfa, † non habetur ex fcriptura, cum antiqua dicat facra fcriptura: Non facies tibi fculptile. Sed hoc habetur ex traditione Chrifti, non fcripta in facra fcriptura: quando Chriftus ipfe impreffit imaginem faciei fuæ in fudario, quæ adhuc * Romæ habetur: & ex traditione ecclefiæ primitivæ, non fcripta in Canone Bibliæ, ut docet Damafcenus loco fuperius allegato: Ubi etiam dicit fanctum Lucam Evangeliftam depinxiffe imaginem domini, & aliam Virginis gloriofæ, quæ adhuc eft Romæ, & quam Gregorius magnus tempore peftilentiæ fecit deportari ante proceffionem folennem & quievit extunc peftilentia. Habuit etiam Sylvefter Papa imagines antiquas Petri & Pauli, quas fecit ante Conftantinum Imperatorem deportari: ut ex Chronicis multis patet manifeftè. Ita ecclefia contra illos Imperatores proceffit, ex traditionibus ecclefiæ primitivæ, non fcriptis in Canone Bibliæ, & non per deductionem ex facra fcriptura. Si ergo eft contemnendum ut hæreticum omne illud quod Papa cum clericis fuis non poteft clarè deducere ex facra fcriptura quando aliquid magni docet: ut articulus ifte ponit, fequitur quòd ecclefia Romana, fic hæreticando fententiam Imperatoris, hæreticavit quod hæreticare non debuit nec licitè potuit: & per confequens eft hæretica. Et cum ufque ad hæc tempora tenuit ecclefia Romana prædictam fententiam, fequitur, quòd adhuc eft: Propter hoc hæretica & maledicta eft talis fententia. Decimononò fequitur, 19a.
quòd temporibus Petri, Lini, Cleti, Clementis, Anacleti & Evarifti epifcoporum Romanorum non tenebantur Chriftiani ad prædicationem eorum credere ea, quæ folus ponit Johannes Evangelifta in fuo Evangelio. Nam ut patet ex prologo Hieronymi fuper Evangelium Johannis, Johannes fcripfit Evangelium fuum poftquam fcripferat Apocalypfim tempore exilii fui in infula Pathmo & poftquam rediit de exilio; ita quòd inter libros fcripturæ facræ evangelium Johannis ultimò fuit fcriptum. Rediit autem de exilio anno Gratiæ centefimo, vel poft: quia illo anno fecundum Chronicas mortuus eft Domitianus, qui ipfum mifit in exilium, & poft mortem ejus rediit de exilio. Johannes vero Evangelifta, fecundum Chronicas, † mortuus eft anno Gratiæ centefimo decimofexto: & ideo prope finem receffûs fui fcripfit hoc evangelium, & non fuit ftatim pofitum in Canone Bibliæ, fed proceffu temporis fuit hoc factum, & ideo nec tempore Petri, nec tempore

Chorepifcopi. * Magna mentio fuffraganeorum in S.Scriptura, etiamfi nulla Æterni Teftamenti & myfterii fidei, paulò fupra: bene habet: tunc determinafti publicè Oxoniæ? (vt pag 218.) & literis etiam mandafti nequid periret ejus memoria, cum tam ineptè argumentaris? Sed tunc fuit tunc, & nunc eft nunc, ut ftylo loquar Wodfordiano.

* Valde laborat ne Ecclefia Rom. audiat hæretica, præfertim poft ftabilitum imaginum cultum.

† Non habetur ex facra fcriptura illam opinionem effe hæretic. vel falfam, quamvis antiqua fcriptura dicat, Non facies tibi fculptile, &c. egregiè; ficut omnia: Non facies, &c. Ergo facies. Celaffet melius autor illa fcripturæ verba prout fuæ religionis myftæ hodie faciunt in rem fuam.

* Sudariolum S. Veronicæ Romæ affervatũ, cujus fides penes fit Joh. Damafcenum, ficut & fequentiũ penes fuos autores. vide Legend. 51.

Evangelium S. Johannis fcriptum poft Apocalypfim.

† Secundum autem Chronica mortuus eft anno 99. fed 16. aut 17. anni nullius funt momenti inter amicos. Quid igitur impedit quo minus Clementis & Anacleti temporibus fcriptum fuerit Evangelium S. Johannis? Chronicæ iftæ fœminiræ ut plurimum fabulis anilibus funt refertæ.

pore

pore Cleti, nec tempore Lini, nec Clementis, nec Anacleti fuit hoc evangelium ſcriptum: ſed prope finem Euariſti Papæ, ut patet Chronicas conſideranti. Ex quo ergo Chriſtiani tunc non tenebantur credere ad prædicationem Papæ vel cleri ſui, niſi ea quæ poterant clarè deducere ex ſacra ſcriptura: & cum illa, quæ ſolus Johannes ponit in ſacra ſcriptura evangelica non erant temporibus illorum in ſacra ſcriptura, ſequitur, quòd Chriſtiani tunc non tenebantur ad prædicationem illorum ea credere. Et ſi dicatur ex parte adverſarii, quòd tunc tenebantur credere multa nôn contenta in ſacra ſcriptura: quia ſacra ſcriptura nondum erat completa: ſed modò cum ſit completa, non tenentur credere non contenta. Et ita patet ex ſuperius dictis quòd multa prædicabant tunc, quæ non adhuc ſunt poſita in ſacra ſcriptura, vocando Canonem Bibliæ ſacram ſcripturam. Et cum omnia per Apoſtolos dicta de Chriſto & factis ejus ſint credenda à Chriſtianis, patet quòd adhuc multa ſunt credenda quæ non ponuntur in ſacra ſcrip. Unde & veritates evangelicæ erant veritates evangelicæ diu antequam poſitæ erant in ſacra ſcriptura, ſic loquendo de ſacra ſcriptura: & poſſunt adhuc eſſe veritates eccleſiæ Evangelicæ & Catholicæ, quamvis non ponerentur in Canone Bibliæ. Nam quamvis omnes libri novi teſtamenti eſſent per inimicos fidei combuſti, ſicut aliquando fuerunt combuſti omnes libri veteris Teſtamenti. adhuc fideles Chriſtiani tenerentur de neceſſitate ſalutis tales veritates à Chriſto evangelizatas & ab Apoſtolis, credere tanquam Catholicas, propter hoc quod per ſucceſſiones patrum à tempore

Sacra ſcriptura non fuit olim completa.

20. Apoſtolorum, tales doctrinæ ab eccleſia Catholica fuerunt dogmatizatæ. Vigeſimò ſequitur, quòd omnes experientiæ de præpoſitura Papæ, & ordinatione Apoſtolorum & aliorum clericorum, & experientiæ quæ in ſacra ſcriptura non ſunt contentæ, ſunt tanquam hæreſes contemnendæ: quamvis illi ad quos pertinet electio Papæ & omnes clerici mundi docerent firmiter quòd talis eſt verè Papa & verè electus, ex quo non probatur ex ſacra ſcriptura quòd ſit Papa, non tenentur Chriſtiani laici hoc credere, juxta iſtum articulum: ſed reſpuere hoc tanquam hæreticum, & ſic conformiter debent reſpuere hoc tanquam hæreticum, quòd dominus Thomas Arundell eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, & contemnere ut hæreticum, quòd * Robertus Braibrooke eſt epiſcopus Londinenſis: reſpuere etiam ut hæreticum, quòd dominus † Henricus eſt Rex Angliæ. Et ſic de ſimilibus, quantumcumque Papa & Cardinales hæc affirment, ex quo non poſſunt iſta clarè deducere ex ſacra ſcriptura. Et ſic eſt articulus deſtructio & ſpiritualis politiæ & temporalis. Et poſſent ex illo multæ aliæ hæreſes & alii errores multi deduci, ſed propter abbreviationem * omittuntur. Patet ergo primò, quòd iſte articulus eſt juſtè condemnatus, quia repugnat ſacræ ſcripturæ. Secundò, quia eſt multipliciter condemnatus ab eccleſia in Canone. Tertiò, quia eſt ab authoribus antiquis condemnatus. Quartò, propter hoc quòd fuit fundamentum diverſarum hæreſium. Quintò, propter hoc quòd non recipit interpretationes ſanctorum de propoſitionibus ambiguis ſacræ ſcripturæ, niſi illas quas ex ſcriptura clarè doctores deducunt. Sextò & * præcipuè, quia ex articulo ſequuntur hæreſes multæ. Et nihilominus iſte articulus deſtruit ſeipſum: quia qua ratione nullus Chriſtianus tenetur credere Papæ & Cardinalibus in ſuis doctrinis, niſi ſciant doctrinas ex ſacra ſcriptura clarè deducere: eadem ratione nec tenetur aliquis Chriſtianus doctrinas adverſarii credere, niſi deductas clarè per ſacram ſcripturam. Sed iſtum articulum non deducit ex ſacra ſcriptura nec deducere poteſt, cum multipliciter repugnet ſcripturæ & multipliciter veritati: ergo juxta ſeipſum articulum, eſt articulus ut hæreticus à Chriſtianis contemnendus. Et ſic articulus deſtruit ſeipſum & condemnat. Meritò ergo iſte articulus eſt condemnatus Et æſtimo, quòd iſtius articuli credulitas eſt magna cauſa, & maxima doctrinarum † Lollardorum. Et æſtimo, ſi eſſent curati de iſta mala credulitate, quòd faciliter reducerentur in omnibus ad Catholicam veritatem. Et mirum eſt de iſtis hominibus qui credunt hunc articulum, qui multa valde docent, quæ in ſacra ſcriptura non continentur, & quæ nec ſciunt, nec poſſunt ex ſacra ſcriptura clarè deducere, ut de multis contentis in libris adverſarii patet manifeſtè. Unde ut de innumeris * fatuitatibus, quas in ſcriptis reliquit, unam tangam quæ eſt de quatuor ordinibus mendicantium, quam omnino impoſſibile eſt ex ſacra ſcriptura clarè deducere. Dicit enim, quòd in Cain fuerunt quatuor ordines mendicantium inchoati, juxta quatuor literas iſtius nominis Caim, ut per C, Carmelitæ; per A, Auguſtinenſes, per I, Jacobitæ, per M, Minores. Ubi patet, quòd frater Abel malus non dicitur in ſacra ſcriptura Caim per m, ſed Cain per n, ut patet in antiquis libris & in libris correctis. Ex quo loquitur de illo fratre Abel, ut patet ex proceſſu, manifeſtum eſt, quod accipit ſcripturam omnino incongruè. Et quòd in hoc docet, quod non poteſt ex ſacra ſcriptura oſtendi. Unde dato quòd ſcriptura ſacra haberet Caim, quod tamen non eſt verum, poſſet ſic dici, quod

* Cujus cadaver integrum reperiebatur & palam cuivis volenti videre oſtendebatur, poſt ædem S. Pauli igne conſumptam Anno 1666.

† Hen. IV. Rex ultimo loco poſitus: Ego & Rex meus.

* 20. Conſequentiæ ſunt ſatis ſuperq; niſi fuiſſent melius & honeſtius elicitæ.

Recapitulatio.

* Aliquid hominem premebat, quod non potuit aut noluit eloqui: beneficio hujus articuli ſponte ſe produnt quædã quæ debili fundamento nituntur.

† Hic articulus origo Lollardorum.

* Wodfordus (ut ait) tangit unam de fatuitatibus Wicleſi in myſteriis hujus nominis [C A I [illegible]] Multo fœlicius S. Irenæus (l. 5. c. 30.) applicat vocem [illegible].

quòd Canonici, Apoſtoli Chriſti, Juſtitiarii juſti & Monachi inchoati fuerunt per Caim quia per C literam æque poſſunt intelligi Canonici ſicut Carmelitæ. Et per A, Apoſtoli Chriſti æque ſicut Auguſtinenſes. Et per J, Juſtitiarii juſti, ſicut Jacobitæ. Et per M, Monachi æque ſicut Minores. Et tamen nec m litera invenitur in illo nomine, nec fratres Prædicatores dicebantur Jacobitæ in principio, ſed poſterius valde caſualiter: quia Pariſius morabantur juxta portam ſancti Jacobi. Et tales fatuitates multæ poſſent deduci ex conſimili modo loquendi: utpote quòd Cardinales, Archiepiſcopi, Judices ordinarii & Magiſtri univerſitatum inchoati fuerunt in Caim, ut ſuperius. Et conformiter poſſet dici, quòd ii boni ſtatus inchoati fuerunt à dæmone, & omnia quaſi mala conformiter poſſent dici. Et ſicut dicit iſtam fatuitatem, quam non poteſt ex ſacra ſcriptura clarè deducere: ſic & multas quaſi innumeras ponit alias, quas non poteſt ex ſacra ſcriptura deducere: ideo in iſto articulo contrarius eſt ſibiipſi. Dico ergo finaliter, quòd non ſolum debemus credere contentis in ſacra ſcriptura, ſed etiam traditionibus apoſtolicis per ſucceſſiones patrum à tempore apoſtolorum uſque ad nos deſcendentibus, quamvis non ſcriptis, ſicut & illis quæ ſcribuntur in ſacra ſcriptura. Debemus etiam credere multis veritatibus ab univerſali eccleſia receptis, ſive ſcribantur, ſive non. Debemus etiam credere multis veritatibus, quæ ex contentis in ſacra ſcriptura non ſequuntur, nec ex traditionibus apoſtolicis: eo quod ex prædictis vel aliqua illorum, & quibuſdam aliis, quæ in facto notorio conſiſtunt, ſic quod rationabiliter non poſſunt tergiverſari, ſequuntur. Et tales ſunt iſtæ veritates, Symbolum Athanaſii eſt catholicum ſymbolum: Nicænum eſt catholicum. Sancta quatuor Concilia generalia hæreſes condemnaverunt & fidem * catholicam docuerunt. Arriani, Pelagiani & Donatiſtæ fuerunt hæretici. Debemus etiam credere interpretationibus doctorum catholicorum approbatorum, de propoſitionibus ambiguis ſacræ ſcripturæ. Debemus etiam credere determinationibus Concilii generalis legitimè & univerſaliter congregati: quando ſapientibus non reclamantibus eccleſia perſeverat longo tempore in illa determinatione: & conformiter decretis eccleſiæ Romanæ & † epiſtolis decretalibus. Debemus etiam credere veritatibus oſtenſis certitudine miraculorum. Unde per miracula oſtenſum eſt eccleſiæ, quando Paſcha debet celebrari, poſt magnam diſceptationem in materia in eccleſiis diverſis. * Debemus etiam credere veritatibus expertis, quamvis non ſcriptis in hiſtoriis, quas homines veraces conſcripſerunt, quamvis in ſacris ſcripturis minimè ſint contentæ. Et ideo adverſarius arctando credulitatem Chriſtianorum ad illa, quæ ſolummodo continentur in ſacra ſcripturâ, vel ex illa ſequuntur, turpiter erravit & propriæ doctrinæ multipliciter contradixit. Nec pro articulo aliquam evidentiam adducit, niſi authoritatem Auguſtini, ponentem quòd omnis veritas in ſcriptura ſacra eſt cõtenta. Patet tamen ex ſuperioribus quòd hanc univerſalem non intelligit Auguſtinus univerſaliter: quia ſic multipliciter contradiceret ſibiipſi, ut ex ſuperioribus eſt manifeſtum. Nec iſtam authoritatem Auguſtinus deducit vel adverſarius ex ſacra ſcriptura, prout ſimpliciter univerſaliter ſumitur. Et ideo ſic ſumendo ſecundum iſtum articulum, eſt dictum ut † hæreticum reſpuendum. Vult ergo Auguſtinus, quòd pro majori parte omnis veritas quam catholicus tenetur credere de neceſſitate ſalutis, eſt in ſacra ſcriptura contenta explicitè vel implicitè. Multæ tamen ſunt veritates credendæ de neceſſitate ſalutis, quæ ex ſacris ſcripturis deduci non poſſunt, ut ipſemet concedit, & ut eccleſia concedit: & ideo argumentum non valet ad propoſitum. Et iterum multæ ſunt veritates propheticæ in ſacra ſcriptura contentæ, quas nec Papa, nec Cardinales, nec majores doctores eccleſiæ ſciunt ex ipſa clarè deducere: & tamen illæ veritates propheticæ, de futuro ſic contentæ, non debent contemni ut hæreticæ, cum ſint in ſacra ſcriptura contentæ. Igitur dato, quòd ſimpliciter univerſaliter intelligi poſſit authoritas Auguſtini, adhuc non ſequeretur articulus ex authoritate, ut eſt manifeſtum. Nihil ergo validum adducit adverſarius pro articulo. Et ideo hic ſtatuo * finem negotii, proteſtando, Domine Reverende, quòd ſtabo correctioni veſtræ & eccleſiæ, ſi in his dictis alicubi receſſi à via veritatis.

Jacobitæ.

Veritates catholicæ.

* Quid de Occumenico paſtoratu Pontificis Rom. fiet, ſi illis 4. Conciliis ſtandum eſſet? cave igitur quid dicis bone Wodforde.

† Teſte Blondello.

Paſcha miraculosè celebratur.

* Loquere compendioſius: Debemus credere quod Papæ placet: hoc enim tibi vis ſine ulla ambage.

† Solamen miſeris ſocios habuiſſe doloris. Res non tam male cedit Wiclefo, cum S. Auguſtinus ipſe una cum illo particeps ſit iræ Wodfordi, eiq; dedit occaſionem ſcribendi quod ſcripſit.

* Aliquid quidem eſt, finem noſſe facere: iis præſertim qui ſua ipſorum garrulitate capiuntur. Vereor autem ne lectorum oculos & animos eouſque fatigaveris aridâ & jejunâ diſputatione, ut plurium quam velis correctioni ſubſis & cenſori tuo multùm devinciaris ne illi te tædio victi prætereant & projiciant: utcunque eſt, vale bone vir.

Finis tractatûs Magiſtri Wilhelmi Wodfordi, de ordine Minorum, contra errores Wiclefi in Trialogo, qui damnatus eſt in Concilio provinciali Londin. ſub domino Thoma † Cantuarienſi Archiepiſcopo. Anno domini M. CCC. XCVI. *

† Arundel.

* Fieri non poteſt ut iſte numerus verus ſit, cum Henricus 4, de quo paulò ſuperius, non regnare cœpérit ante 1397.

¶ AD LECTOREM.

SI Romanæ ecclesiæ fidelis filius esse volueris, quemadmodum & nos omnes, in omnibus, quæ honesta, sancta & evangelica sunt, esse oportebit, hosce subsequentes Wiclefi articulos, à patribus nostris in Concilio Constantiensi condemnatos, tanquam quandam pestem fuge. Pestiferi enim sunt & sacro digni anathemate.

¶ Cæterùm nos roget quis, quam igitur ob causam, aut qua ducti ratione, illos ipsos in publicum ediderimus? Ut suo (inquam) sorex indicio pereat. Venenum quippe præsentissimum est, quo se ipsum quis è medio tollit. Nam qui sibi malus, cui (obsecro) bonus? Fœnum cornu gerit Wiclefus, & suo ferox jumento, velut suo plaustro, læthale sibi invehit malum & Polypi mentem callenter habens, genio satis sinistro multa corrasit. Tu igitur, lector, albis illum præcedens equis, & perfrictæ hominem frontis visusque terrificum, non Wiclefum, sed basiliscum, non Anglum, sed tartareum, in malis quibus oberravit opinabere. Non mirum si male loquatur. Nam alia (ut in proverbio est) voce psittacus, alia coturnix loquitur. Itemque quonam (precor) alio, aut ordine, aut modo hosce Wiclefi articulos ederemus, quàm ab aliis fide dignis impressos invenimus? Integritas nobis servanda fuit. Quæ si hoc loco neglecta esset, aliud nos multi pro nostra libidine posuisse, aliud pro nostra nos temeritate suppressisse, proclamarent. Melius itaque fuit fraudare doctos notis (ut sanctissimo Leoni placuit) quàm defraudare rudes incognitis. Non araneorum in cunctis malitiam, sed apum rectius bonitatem sequeris, ut mel potius asperis exugas carduis quàm venenum. Si malus est Wiclefus, sibi ipse soli & non tibi malus erit, ut suo sic (quemadmodum statim diximus) indicio pereat sorex. Ex impugnationibus tandem & redargutionibus in Wiclefum editis, pessimis quibusque hæreticis respondere disces & ecclesiæ rebelles convincere. Vale lector feliciter.

ARTICULI JOHANNIS WICLEFI Angli, damnati per Concilium Constantiense, in quibus perfidi hominis vesaniam cognosces.

¶ Articuli contra Deum & potentiam ejus.

Deus nihil potest annihilare, nec mundum majorare, nec minorare: sed animas usque ad certum numerum creare & non ultra.

Deus non est alicujus potentiæ intensivè.

Item omnis pars mundi corporea continuatur cum alia, cum mundus sit maxima creatura possibilis, mole magna constans ex omni possibili materia subjecta situi, tempori & aliis accidentibus.

Impossibile est duas substantias corporeas coextendi, unam continuè quiescentem localiter, & aliam corpus quiescens continuè penetrantem.

Impossibile est multiplicare corpus per diversa.

Credere debet catholicus, quòd nec Imperator, nec Deus, nec universalis ecclesia de potentia absoluta ordinare potest quòd eò quòd quis succedit, & post Petrum vocatur in facie ecclesiæ Romanus episcopus vel Papa, eo ipse sit caput vel pars ecclesiæ, cui obediendum est.

Ubique omne ens est, cum omne ens sit Deus.

Quælibet creatura est Deus. Quodlibet est Deus.

Item non sequitur: Quælibet creatura est Deus, ergo Deus est aliqua creatura.

¶ Contra sacramenta, & primò contra sacramentum corporis Christi.

Cum mendacium hæreticum de hostia consecrata, inter hæreses singulas teneat principatum, ut ipsa ecclesia extirpetur, securè denuntio modernis hæreticis, quòd non possunt declarare nec intelligere accidens sine subjecto, & ideo omnes istæ sectæ hæreticæ sunt, ignorantium illud Johannis 4. cap. Nos adoramus quod scimus.

Movere debet fideles principes atque regna, quòd dum talia capita sunt hæretica, vel ex errore proprio, vel consensu in materia de hostia consecrata, non sunt actualiter membra ecclesiæ Jesu Christi.

Non dubium quin Christus suffragabitur fidelibus piè laborantibus in illa materia, cum non fuerit materia martyrii plus laudanda.

Fratres

Fratres isti qui ex defectu suæ fundationis à fidelibus recitandi non essent, sunt recentes hæretici plus stulti quàm mures, qui diligunt quod ipsi comedunt, accidens sine subjecto.

Quidam prognosticant probabiliter quòd regna non erunt, utpote sine perturbatione notabili, dum ista hæresis venenosa fuerit dominata.

Audacter prognostico omnibus istis sectis & suis complicibus, quòd non defendunt fidelibus, quòd sacramentum sit accidens sine subjecto, antequam Christus & tota triumphans ecclesia venerit equitans, in finali judicio super flatum angeli Gabrielis.

Quando fidelis communicandus panem postulat, moderni hæretici, secundum falsam fictionem ei porrigunt pejus quàm lapidem: quia accidens sine subjecto.

Si albedo posset per se existere, tunc ipsius unio ad subjectum foret accidens, quo subjectum foret accidentatum, immediatè formaliter, & non illa albedo: & talis unio esset verè qualitas & non albedo data.

Substantia panis manet in altari post consecrationem & non desinit esse panis.

Item, sicut Johannes Baptista figuraliter fuit Elias, & non personaliter: sic panis in altari figuraliter est corpus Christi. Et absque omni ambiguitate, hæc est figurativa loquutio, Hoc est corpus meum. Sicut illa, Johannes ipse est Elias.

Item in cap. Ego Berengarius. Romana ecclesia determinavit quòd sacramentum eucharistiæ est naturaliter verus panis: loquendo de pane materiali, albo & rotundo.

Nullum accidens potest esse aliquid per se existens, sicut in eucharistia manet unum corpus subjectans accidentia panis, quod voco corpus mathematicum & abstractum. Sicut enim substantia panis prius naturâ est corpus quam panis: sic idem esse quod prius est panis, manet corpus sub illo gradu quidditatis generalis.

Altaris sacramentum sensibile est accidens, sicut quælibet creatura. Sed est substantia quæ per se accidentibus, quæ videmus, est subjecta.

Hostia consecrata est naturaliter verus panis & sacramentaliter corpus Christi.

Cum via ponens panem manere, sit plus consona scripturæ, rationi, sensui, quam via fingens accidens manere sine subjecto, Deus verax non est author hujus operis somniati. ☞

Panis ille qui est corpus Christi, & vinum illud quod est sanguis Christi, quandoque fit muscidus & acidum.

Corpus Christi non est substantialiter in sacramento altaris, attendendo ad corpus Christi secundum naturam suam: sed est ibi substantialiter, corporaliter & dimensionaliter, attendendo ad modum hostiæ secundum naturam suam.

Corpus Christi in sacramento altaris est quantumcunque variè quantificatum ibi, cum sit quælibet pars quantitatis hostiæ consecratæ.

Sacramentum altaris est naturaliter panis, & vinum sacramentaliter corpus Christi: quamvis alii fingunt ipsum esse accidens sine substantia subjecta.

Oportet deponere infundabilem blasphemiam de fictis miraculis accidentis. ☞

Fructus istius dementiæ, qua fingitur accidens sine subjecto, foret blasphemare in Deum, scandalizare sanctos, illudere ecclesiæ per mendacium accidentis.

Papa, prælati & quicunque nominant se Christianos, contrarii dictæ fidei de quidditate hostiæ consecratæ, dum pertinaciter illud defenderint, sunt hæretici manifesti.

A principio millenarii usque hodie regnavit hæresis de hostia consecrata: ut patet legenti Decretales cum suis glossationibus, & sectis pertinaciter consentientibus huic hæresi postquam ipsam diabolus introduxit.

Sicut Christus est simul Deus & homo, sic hostia consecrata est simul corpus Christi & verus panis: quia est corpus domini in figura, & verus panis in natura. Vel, quod idem sonat, est verus panis naturaliter, & corpus Christi figuraliter. ☞

Prætermissa prædicatione materiali & formali, oportet catholicum prædicationes habitudinales concedere in scripturis, ut septem boves, septem anni sunt. Et ad Corinth. Petra autem erat Christus. Et Matthæi 11. Si vultis scire, Johannes Baptista ipse est Elias. Sic dicitur catholicè quòd panis sacramentalis est corpus Domini, & vinum in calice sanguis ejus.

¶ Contra sacramenta in communi.

Dubitare debent fideles, si moderni hæretici conficiunt, vel ritè ordinant, vel ministrant alia sacramenta. Quia non est evidentia quòd Christus assistit tali pontifici, propter hæc, quod tam hianter super illam hostiam sic mentitur: & in sua conversatione dicit contrarium vitæ Christi.

Populus conduceret tales prælatos, ne benedicant, vel ministrent ecclesiæ sacramenta: quia eorũ benedictiones maledictiones sunt, secundũ illud: Maledicam benedictionibus vestris.

Omnes operationes concernentes sacerdotes Cæsareos, in quantum tales, non proficiunt

directè ad beatitudinem, sed impediunt vel retardant. Et ita est de tribus dignitatibus vel officiis quæ episcopus sibi reservat, quæ sunt juvenum confirmatio, clericorum ordinatio & locorum consecratio.

Conversatio mala prælati subtrahit acceptationem ordinum, & aliorum sacramentorum à subditis. Qui tamen necessitate urgente possunt hæc ab eis capere, supponendo piè quòd Deus supplet per ministros suos diabolos opus, vel finem officii ad quod juvant.

¶ Contra baptisma.

Christus in baptismo suo non chrisma hujusmodi, sed aquam simplicem requisivit. Et sic difficultatur ecclesia infideliter propter solennizationem talis consuetudinis introductæ.

Definientes, parvulos fidelium sine sacramentali baptismo decedentes non fore salvandos, sunt stolidi & præsumptuosi.

Baptismus delet omne peccatum originale vel actuale, mortale aut veniale quod invenit: sed de veniali omissionis non oportet.

¶ Contra sacramentum pœnitentiæ, seu confessionem.

Confessio vocalis facta sacerdoti introducta per Innocentium tertium, non est tam necessaria homini, ut definit: Quasi non solùm cogitatu, verbo vel opere sufficiat pœnitere.

Papa Latinus erubescere debet de ista moderna pœnitentia sine fundatione posita, cum non liceat mortalibus, etiam apostolis difficultare legem domini, hoc quod ipsemet limitavit.

Divina sapientia Hebræorum & Græcorum deridet istam stultitiam Latinorum.

Grave est & infundabile, presbyterũ audire confessiones populi, modo quo Latini utuntur.

Sicut Christus injunxit adulteræ, quòd nolit amplius peccare: ita videtur & confessores debere injungere pœnitentiam confitenti, quia nulla est ars pœnitentiaria, à qua capi potest certior pœnitentia injungenda.

Quia tam gratiosus est deus, & alligationem astringentem homines tantum odiens, sicut in primitiva ecclesia: ideo dicunt fideles nostris satrapis: Disrumpamus vincula eorum & projiciamus à nobis jugum, &c.

In verbis istis: Vos mundi estis, sed non omnes. Posuit diabolus pedicam infidelem, in qua pedem caperet Christiani. Introduxit enim confessionem infundabilem & privatam. Et postquam illa confessori nota fuit, ut legem statuit, quod non prodatur populo malitia sic confessi.

¶ Contra matrimonium

Antiqui, qui ex cupiditate temporalium, vel ex spe mutuorum juvaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licet desperent de prole, copulantur adinvicem, non verè matrimonialiter copulantur.

Causæ divortii ratione affinitatis vel consanguinitatis, sunt infundabiliter humanitus ordinatæ.

Item hæc, Accipiam te in uxorem, eligibiliora sunt in contractu matrimoniali, quàm illa, Ego accipio te in uxorem. Et quòd contrahendo cum unâ per hæc verba de futuro, & pòst cum alia per hæc verba de præsenti, non debent frustrari verba prima, per verba secundaria de præsenti.

¶ Contra sacramentum ordinis.

Experimento cognoscimus quòd mortuo Papa deposito cum suis Cardinalibus & prælatis Cæsareis, non minus sed amplius prosperaretur ecclesia. Nam quantum ad sacramentum confirmationis, cum sacramento ordinis & benedictionum charismatis, cum ecclesiis dedicandis, quæ appropriantur episcopis, videtur quòd Christus perpendiculariter residens in cœlis super justos presbyteros daret illis potestatem faciendi talia.

Cum plus credi debeat operibus, quàm atramento vel chartis episcopi: magis est operibus presbyteri attendendum, quàm scripto episcopi ordinantis. Et ideo mille tales literæ testimoniales non darent fidem fidelibus, quòd quis foret sacerdos, sive episcopus: sed vita Evangelica hæc probaret.

Non ex testificatione hominis ordinantis, sed ex justificatione operis capienda est probabilis evidentia talis status. Deus enim potest sine tali instrumento digno, vel indigno personam aliam in tali statu constituere. Nec est probabilior evidentia, quàm ex vita: ideo habita vita sancta & doctrina catholica, satis est ecclesiæ militanti.

Status, statuta & ritus adjecti secundum traditiones humanas, omnes inseparabiliter sapiunt peccatum.

Quantum

Quantum ad conſecrationes locorum dicitur, quòd epiſcopi conſecrantes capiunt communiter quinque marcas. Sed longe minus malum foret celebrare ſub dio, quàm in loco taliter benedicto. Lepra enim ſpiritualis inficit preces & loca diſtantia, cum Deus pro leviori peccato ſubverterit Sodomam & Gomorrham.

Talis conſecratio epiſcopi non eſt vera conſecratio, ſed execratio, & maledictio retardans fideles à miniſterio debito deo ſuo.

Non occurrit ex ſcriptura, quare ſanctus laicus vel ſacerdos non poſſet talia benedicere & conſecrare.

Deficientibus prælatis, ut cifris, Chriſtus ordinat quamcunque, quemcunque, quandocunque voluerit. Sequens igitur Chriſtum in moribus ſecurè poteſt de ipſo confidere, quòd deficiente prælato Cæſareo, ſit à Chriſto legitimè ordinatus.

Conjectura probabilis eſt quòd talis qui ritè vivit, eſt diaconus vel ſacerdos. Sicut enim conjicio, quod iſte eſt Johannes, ſic probabili conjectura cognoſco quòd iſte ſanctè vivendo conſtitutus eſt in tali officio ſive ſtatu.

Videtur ſanctis doctoribus, quod ſuperfluerit in ſacramento ordinis, ponere plures quàm duos gradus, ſcilicet diaconos vel levitas, & presbyteros ſive epiſcopos: nam illi duo gradus ſuffecerant in lege veteri, ubi multiplicius fuit myſterium dei.

Ad quid oportet ponere illos tres gradus, ſcilicet clericum primæ tonſuræ, acolythum & ſubdiaconum? cum nec authoritas faciat evidentiam, quòd in ſtatu cleri iſti tres gradus clerici ſint diſtincti.

Videtur irrationabile & inſundabile quòd eccleſia militans ſit cum iſtis tribus ordinibus onerata.

Monſtruoſa videtur ordinis novi conglobatio, per hoc quòd diabolus ditat & honorat vocatum falſè clerum domini: cum talis conglobatio non ſit honoris ſed oneris, nec inſtitutioni Chriſti conſona, ſed contraria.

Tempore Pauli ſufficiebant eccleſiæ duo ordines clericorum, ſacerdos videlicet & diaconus: quia certum videtur quòd ſuperbia Cæſarea alios gradus adinvenit.

¶ Contra ſacramentum Confirmationis.

Quantum ad oleum quo epiſcopi ungunt pueros & peplum lineum, quod complexum eſt capiti, videtur quòd ſit ritus levis infundabilis ex ſcriptura. Et quod illa confirmatio introducta ſupra apoſtolos blaſphemat in Deum.

Levis & brevis confirmatio epiſcoporum cum adjectis ritibus ſolennizatis, eſt ex motione diaboli introducta, ut populus in fide eccleſiæ illudatur & epiſcoporum ſolennitas aut neceſſitas plus credatur.

Collatio ſacramenti confirmationis non eſt epiſcopis.

Experimento cognoſcimus, &c. prout poſitum eſt in primo arti. contra ordinis ſacramentum.

¶ Contra ſacramentum extremæ Unctionis.

Si corporalis unctio foret ſacramentum, ut modò fingitur, Chriſtus & ejus apoſtoli promulgationem ejus minime tacuiſſent.

¶ Contra venerationes Reliquiarum & Sanctorum.

Sepulchra mortuorum ſunt tripliciter illuſionis objecta. Lapides enim politi ſunt objectum primum. Aurum & argentum commaſſata ſuper ſuprema iſtorum lapidum, ſunt ſecundum. Et lapides pretioſi cum aliis jocalibus ſunt tertium illuſionis objectum: ut patet de ſepulchris noviter canonizatorum à Romana eccleſia.

Ratio neceſſitat, quòd fideles credant plus vivis operibus ſanctorum ſpirituum quàm mortuis illuſionibus, quæ fiunt communiter per diabolum in præſentia cleri ſepulchrorum.

Et damnatur illa concluſio propter venenum multiplicatum in cauda.

¶ Contra Orationes.

Sciamus orationem dominicam, Decalogum & Symbolum; cum mediis facientibus ad eorum notitiam: & quæcunque alia notitia viantium, nedum eſt ſuperflua, ſed nociva.

Utile foret eccleſiæ poni in priſtina libertate, & ſic ceſſarent miſſarum ſuperadditarum

solennia. & orationes cum horis canonicis adinventæ. Licet enim istæ tres adinventiones humanæ per accidens prosint ecclesiæ: non tamen tantum, quantum peccatum diaboli.

¶ Contra cæremonias.

Si cæremoniæ legis veteris, propter suam gravedinem & multitudinem cessare debuerunt in lege gratiæ: quanto magis tales traditiones hominum quæ sunt insundabiliter fictæ, isto tempore legis gratiæ deberent solvi?

Circumcisio & cæremoniæ legis veteris, non sunt à fidelibus observandæ: multo magis hodiernæ cæremoniæ præter legem novam & veterem introductæ.

¶ De testamentis.

Inutile est (ut plurimum) condere testamentum.

Omnes existentes in purgatorio communicativè participant merita ecclesiæ militantis, proportionaliter secundum suam capacitatem. Sic quòd qui decessit in majori gratia, magis participat & citius liberabitur. Et ideo divites mundi errant, putantes habere de bonis ab executoribus suis distributis appropriatè suffragium. Contingit enim pauperes, quantumlibet illis ignotos, plus illis participare, ex quo apud Deum fuerint majores.

¶ De peccatis mortalibus.

Quando clericus repetit aliquid in foro contentioso, vel facit quicquam contra Christi consilia, ex certa scientia, peccat mortaliter.

Loqui verbum otiosum ex certa scientia, est peccatum mortale.

Ira quantumlibet levis ex passione animi, non pia intentione colendi Deum, & ædificandi proximum, est peccatum mortale.

Aliquod peccatum mortale simpliciter, quod infert mortem secundam: & sic nullus prædestinatus potest peccare mortaliter.

Nescio excusare peccata sanctorum, qui traditiones illas missarum & horarum Canonicarum & orationum variarum invenerunt: cum melius occuparetur ecclesia & devotius, si Deum coleret liberè servando consuetudines apostolicas, licet non fuerint cum humanis ritibus dispensatæ

Multa sunt licita & meritoria, quorum dispensatio & obligationis infundatio est peccatum, sicut de istis traditionibus hominum adinventis. Et sic est sentiendum de jejuniis per ecclesiam institutis.

Ex principiis fidei est per se notum quòd quicquid homo in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter.

¶ Contra Eleemosynam.

Nos non debemus præstare, aut donare aliquid peccatori, dum cognoscimus ipsum esse talem: quia sic foveremus proditionem domini nostri.

Peccator sicut nec meretur protunc beatitudinem, sic nec meretur protunc, ut aliquis mereatur sibi gratiam, nec bonum aliquod temporale.

Omnes existentes in purgatorio, &c. Quære supra de testamentis.

Puræ & perpetuæ eleemosynæ sunt præsumptiones stolidæ per artem diaboli usurpatæ: imò nomen puræ & perpetuæ eleemosynæ est ex sophismate diaboli adinventum.

Non videtur magna prudentia eleemosynantis dare eleemosynam diuturniorem, quàm sit tempus quod Deus ei donavit ad merendum.

Cum Deus æternus limitet ad panem quotidianum dandum hodie, non debet quis secundum rationem eleemosynæ perpetuæ recipere quicquam ab homine.

¶ Contra ecclesiam & contra structuras.

Qui peccator est aliqua sorde maculatus, non potest de Christi ecclesia appellari.

Evidentius foret ad utilitatem ecclesiæ quòd & basilicarum & sumptuosarum structuræ & sectæ novorum ordinum, sicut in die judicii, jam cessarent.

Utile esset ecclesiæ quòd non foret Papa vel prælatus Cæsareus: ac decens foret ac utile, sicut erit post diem judicii, quod ecclesia foret ab eorum traditionibus expurgata.

Utile

Utile foret ecclesiæ poni in pristina libertate. Istum quære contra orationes.
Nescio excusare peccata sanctorum. Istum quære supra, de peccatis mortalibus.

¶ Contra censuras ecclesiasticas.

Omnes censuræ Antichristi non sunt nisi falsæ umbræ, à via domini timidos exterrentes. Et loquitur de censuris ecclesiæ.

Unum solatium est ecclesiæ fideli,quòd excommunicatio & suspensio & omnes tales censuræ mendaciter & fictè, non sunt in Christi lege sua fundatæ, sed ab Antichristo callidè machinatæ.

Si scripturæ sacræ & rationi debemus credere: patet quòd discipuli Christi non habent potestatem coactè exigendi temporalia per censuras: sed hæc tentantes sunt filii Heli & Belial.

¶ Contra dotationem ecclesiæ.

Domini temporales debent subtrahere à viris ecclesiasticis seculare dominium, ad damnum suæ animæ, contra fidem scripturæ stolidè occupatum.

Domini temporales possunt licitè auferre temporalia ab ecclesia delinquente, nec oportet in istis expectare Decretum Romani pontificis. Absit quod fallacia Antichristi seducat mundi principes & claudat tela araneæ manus suas, ne ex defectu sui juvaminis vadant præcipites ad infernum.

Domini temporales sunt hæresiarchæ, qui in ista materia tacent, contra juramentum factum ecclesiæ, atque suum officium limitatum à Deo.

Omnia bona istorum hæreticorum possessionatorum mobilia, confiscarentur principibus, qui hæresim ipsorum destruerent, & omnia bona eorum immobilia, ut redditus & prædia, quibus dotati redirent in manus secularium, sicut prius.

Licet progenitores superstitum privaverint se vero dominio talium prædiorum & reddituum, quoad Deum: tamen posteri contriti de sui & suorum progenitorum stultitia, acquirerent corrigendo errores titulum justitiæ quoad Deum, & quoad homines: qui quidem titulus foret longe justior quàm titulus gladii ex conquestu.

Stante dotatione ecclesiæ,quæ est mater & fotrix hæresis simoniacæ,miraculum foret manifestum quòd hæresis simoniaca foret extincta.

Intoxicata & excommunicata sunt regna per prælatos hæreticos in omni genere sacerdotum. Affectare namque copiosam adjacentium multitudinem temporalium, ut largius ministretur egentibus, & studiosè appetere officium laicale.

Apostoli laborabant quandoque manibus, ut parcè susciperent eleemosynas à populo, præcisè quantum fuerat eis necessarium, & utile populo ad spirituale ministerium rependendum. Unde videtur mihi indubiè, quia quicunque clericus intentione alia, vel mensura, à populo benedictionem acceperit, simoniacus est censendus.

Dominus Papa, episcopi, omnes religiosi, vel puri clerici titulo perpetuæ possessionis dotati, debent renunciare illis in manus brachii secularis. Quod si pertinaciter noluerint, per seculares dominos cogi debent.

Præcipitur simpliciter negativè, quòd nec sacerdotes Aaronici, nec levitæ haberent partē hæreditatis cum aliis tribubus: oportet ergo quòd primi vivant de decimis & oblationibus.

Non est major hæreticus vel Antichristus, quàm ille qui docet quòd licitum sacerdotibus & levitis gratiæ sit dotari in possessionibus & temporalibus: & si sunt aliqui hæretici vel blasphemi, sunt illi clerici qui hæc docent.

Non possunt solùm domini temporales auferre bona fortunæ ab ecclesia habitualiter delinquente: nec solùm eis hoc licet,sed debent hoc facere sub poena damnationis æternæ.

Cum clericus non debeat seculariter dominari, sed esse pauper, similis statui innocentiæ ad instar Christi: manifestè videtur quòd clerus, qui tam pertinaciter,in temporali dominio obviat legi Dei, est hæreticus maledictus.

Patet ex facto quòd Romana curia dogmatizans in opere tam pertinaciter & falsè dictæ sententiæ contrarium, est hæretica manifestè: & in eo potentius, quo approbat hæresim de cleri dominio, per ecclesiam militantem.

Non est potentior Antichristus, quàm qui huic fidei de dicta paupperie cleri Christiani est contrarius tam opere quàm sermone. Nec solùm isti prælati Antichristiani, sed mundani domini consentientes isti facinori, sunt capitales inimici domini nostri Jesu Christi.

Quantum ad chartas & concessiones secularium dominiorum, patet quòd clerus erubesceret inniti tam culpabili fundamento: quia in nullo valet humana concessio, nisi præhabita licentia à domino capitali: & cum non possint docere quòd domini de hoc habeant licentiā à Christo,

Christo, patet quòd lege tam humana quàm divina, est talis donatio stulta sentienda (aliàs causanda) & ita illicita & Catholicis respuenda.

Quantum ad leges & bullas Papales, patet quòd sint contrariæ legi Christi: quia cum non sit in Christo, est & non, patet quòd impossibile est ratione vel scriptura traditiones istas Papales, vel leges hominum in hac materia de dotatione ecclesiæ stabilire.

Si fiat objectio contra impugnantes dotationem ecclesiæ, in beato Benedicto, Gregorio & Bernardo, qui pauca temporalia in pauperie possidebant, dicitur quòd illi finaliter pœnitebant. Si iterum objicias, quòd fingo istos sanctos de illa declinatione à lege domini finaliter pœnitere: doce quòd sunt sancti, & ego docebo quod finaliter pœnitebant.

Nimis abusivè & Pharisaicè vocantur temporalia ecclesiasticis appropriata, vel mortificata, vel quòd sint domino consecrata.

Omnes puri clerici debent esse pauperes evangelici, in specie altissimæ paupertatis, quia debent renunciare omni proprietati civili, pro suo perpetuo.

Omnes Christiani sacerdotes tenentur imitari Christum, in specie altissimæ paupertatis,& per consequens omnem dominationem pro suo perpetuo abdicare.

Chartæ clericis possessionatis superfluunt, cum chartæ charitatis per se sufficiunt. Chartæ enim humanæ sunt semina litium, & faciunt homines præsumere quòd titulus humanus sufficit sine titulo charitatis.

Videtur mihi impossibile leges humanas & divinas dotationem cleri in temporalibus, quoad civilitatem perpetuam vel instantaneam stabiliri: quod patet tum in capacitate civilitatis in clericis, tum secundò quia cadendo à gratia, non obstantibus omnibus munimentis possibilibus, cadit à possessione & dominio.

Nec in proprio nec in communi debent clerici civiliter dominari.

Cum pertineat ad Imperatorem & alios Reges, qui contra legem domini ecclesiam stultè dotaverint, sibi satisfacere, videtur quòd ad illos pertineat, bona data potestativè restituere brachio seculari: cum propter hanc causam gladium suum portent.

Videtur quòd quicunque Papa vel prælatus ecclesiæ isti restitutioni dissenserit, est manifestus hæreticus, legi Christi contrarius, & per consequens tanquam perturbator pacis ecclesiæ à fidelibus removendus.

Quantum ad leges singulas de raptoribus & spoliatoribus ecclesiarum editas, credo quòd Spiritus Sanctus intelligat per has leges, quòd illi qui spoliant ecclesiam, quæ est homines excellentia status & virtutum, non dotationes cæcas instinctu diaboli exortas, sunt sacrilegi & à triumphante ecclesia maledicti.

¶ Contra Papam.

Papa non dispensat cum simonia, vel voto temerario: cum ipse sit capitalis simoniacus, vovens temerè servare statum summè damnabilem hic in via.

Papa est hæresiarcha fundans & authorizans novos ordines contra Christum: & mirum foret quòd Deus cooperaretur cum talibus dispensationibus frivolis quas intendunt.

Papa qui se falsè nominat servum servorum dei, sub nullo gradu est in opere evangelii, sed mundano. Et si sit in ordine aliquo, est in ordine dæmonum, deo plus culpabiliter servientium.

Papa ille est Antichristus, qui in scriptura exprimitur, cum sit specialis procurator diaboli, procurans promere datam proditionem annuè contra Christum: & sic est patulus Antichristi. Non solùm illa simplex persona, sed multitudo Paparum à tempore dotationis ecclesiæ Cardinalium, Episcoporum & suorum complicium aliorum est Antichristi persona composita, monstruosa. Non tamen repugnat quin Gregorius & alii Papæ, qui in vita sua fecerunt multa bona de genere, fructuosè finaliter pœnitebant.

Genus humanum, specialiter in Europa, profundatur in illa hæresi nimis cæca, quòd oportet totam militantem ecclesiam duci per regimen Antichristi.

Si fuit expediens ecclesiæ militanti, quòd careret corporali præsentia capitis Jesu Christi, sicut contigit quando crevit ecclesia post Ascensionem, secundum illud Johannis: Expedit vobis ut ego vadam, quanto magis prodesset ecclesiæ quòd careret Papa capitaneo, qui æquiparatur in virtutibus Jesu Christo? Tunc enim descenderet gratia perpendiculariter in homines, ut sint digni.

Papa est abominatio desolationis in abstracto, cum ex ficta antiquata malitia sit in perversitatem diaboli induratus.

Papa immediatus vicarius, princeps hujus mundi, ruinam celerem ex sua fallacia necessariò patietur, secundum illud: * Inimici vero dei mox ut honorificati sunt, &c.

* Psal. 36. 20.

Ex isto textu: Expedit vobis ut ego vadā, &c. eliciunt fideles quòd Christus qui promisit fideli-

fidelibus quòd maneret cum ipsis usque ad consummationem seculi, voluit perpetuè sine tali vicario in cœlestibus residere: ut conversatione atque affectatione aspirando ad cœlestia, colligant suam affectionem in domino Jesu Christo.

Papa Clemens cum cæteris adjutoribus in fide non fuerunt Papæ, sed dei adjutores, ad ædificandam ecclesiam domini Jesu Christi.

Papa & Cardinales non fuerunt ordinati à domino, sed per diabolum introducti. In cujus signum nomen Papæ, vel Cardinalium non inseritur in scriptura, sed ut Chronicantes referunt, quando venenum effusum est in ecclesiam, est inventum.

Rationi consonat & scripturæ, quòd non existente Papa aliquo, vel Cardinali, vel aliqua persona de quatuor sectis, non minus, sed probabiliter magis staret ecclesia militans in fide & virtutibus, quàm stat modò. Et intelligit utrobique per quatuor sectas, prælatos Cæsareos, monachos, bifurcatos canonicos atque fratres.

Licet Papa præcipiat in bullis, Nulli ergo hominum liceat paginam illam infringere, sed eo ipso quo præsumant, incurrunt, &c. Fideles tamen audacter exponunt igni bullas tales, tanquam hæreticas, contra fidem, secundum illud: Quod si sal evanuerit, &c. Et multò minus valent tales bullæ hæreticæ, quas asportant dyscoli de nido illo.

Est contra æternum judicium sancti sanctorum, quod talis inhabilis refuga, id est Papa, populo taliter præfigatur.

Non est alius color quare Roma sit locus aptus ut Papa ibi resideat, nisi ex altera infami istarum causarum. Primò, quia Papa ibi infideliter perdit vitas animarum, sicut Cæsar prius infideliter perdidit ibi vitas corporum martyrum domini nostri Jesu Christi. Secundò, quia Cæsar resedit in illa villa, qui dotavit Papam contra legem, quam Christus suis discipulis ordinavit.

Papa & sui complices sunt Scribæ & Pharisæi, claudentes regnum cœlorum, nec ipsi introeunt, nec alios intrare permittunt. Et principalis hujus ratio est nequitia traditionum, quas edidit Antichristus.

Sive clericus vadat, sive mittat etiam in rotulis studiorum ad Papam pro beneficiis ecclesiasticis, ut fit, seipsum ad ministerium dei indisponit.

Sicut non sequitur, Petrus fuit vocatus à Christo singulariter satanas: ergo Petrus cunctis fuit abjectior. Ita non sequitur, Petrus habuit singulariter hæc privilegia, ut sibi diceretur: Tibi dabo claves regni cœlorum, &c. Duc in altum, &c. Rogavi pro te, &c. ergo Petrus debuit post ascensionem esse Papa, & sic caput esse militantis ecclesiæ.

Certum videtur ex Chronicis, quòd non à Christo, sed à Cæsare Constantino Romanus episcopus accepit, vel potius usurpavit potestatem.

Quòd ex fide Evangelii, ista Papalis præeminentia cœpit ortum, est æque falsum, sicut quòd ex prima veritate quilibet est exortus.

Ex isto textu, Si non abjero, elicitur quòd fuit expediens Christum ascendere, & non perpetuè cum sua ecclesia conversari. Sed multo magis repugnat legi & ordinationi Christi, quòd sit unus talis fictus vicarius illicitè in ecclesiam introductus. Et vocat generaliter Papam fictum vicarium *.

Nullus potest fundare, quòd talis vicarius intravit per ostium in ecclesiam: sed quòd secularitet ex cautela diaboli ascenderit aliunde.

Videtur quòd nullus Christiãus debet tali vicario, sive præposito, nisi in obediẽtia resistiva.

Si prælatus præcipiat, quòd lex dei non præcepit, obediendum est mandatis istius præpositi resistendo.

Quicunque est humilior, servitivior & in amore Christi quoad suam ecclesiam amativior, ille est in ecclesia militante major & proximus Christi vicarius reputandus.

Quicquid Papa vel sui Cardinales sciunt ex sacra scriptura deducere, istud duntaxat est credendum, vel ad sua monita faciendum: & quicquid ultra præsumpserint, sit tanquam hæreticum, contemnendum.

Credere debet Catholicus, quòd nec Imperator, nec universalis ecclesia, nec deus de potentia absoluta ordinare potest, quòd eò quòd quis succedit, & post Petrum vocatur in facie ecclesiæ Romanus episcopus vel Papa, eo ipso sit caput vel pars ecclesiæ cui obediendum est.

Non promisit, quod quicunq; in officio pastorali Petro Romæ successerit, gaudebit dignitate, ut sit caput ecclesiæ.

Sicut Rex, princeps vel dominus, tempore quo est in peccato mortali, non sortitur nomen illius officii, nisi nomine tenus & satis æquivoce: sic nec Papa, nec episcopus, vel sacerdos dum lapsus in mortale.

Papa fingit mendaciter quòd est summus vicarius Jesu Christi in terris. Sed benedictus Deus, qui istud caput ecclesiæ in parte contrivit, & divisit in partes contrarias, caput hujusmodi benedictum.

* Proh Scelus!

Debe-

Debemus credere quòd nullus Papa Cæsareus est per ordinationem Jesu Christi, sed per cautelam diaboli in ecclesiam introductus.

Principes & potentatus debent potenter juvare quòd non sit talis Papa Cæsareus, & nullo modo, expensis vel laboribus fovere talem diabolum, vel juvare.

Quid aliud quàm obedientiam faciendam huic diabolo, sonat illa lex: Omnis utriusque sexus. Et sic de multis legibus Luciferinis ei similibus.

Quòd Papa sit summus Pontifex est ridiculum. Et Christus, nec in Petro, nec in aliò talem approbavit dignitatem.

Papa non habet potestatem condendi hanc legem: Omnis utriusque sexus.

Papa, prælati & quicunque nominant se Christianos, contrarii fidei de quidditate hostiæ, dum pertinaciter illud defendunt, sunt manifesti hæretici.

¶ Contra Cardinales.

Electiones Cardinalium cum cæteris humanis traditionibus, non sunt dignæ memoria: Cum non sit major color quòd Deus ipsas perficit, quàm sequitur, quod ex sua * vesina Deus Papam statuit socium.

Quicquid Papa vel sui Cardinales sciunt ex sacra scriptura deducere, &c. patet ut supra.

Quæ major infidelitas quàm approbare electiones Cardinalium, qui ex nobis indubiè sunt diaboli incarnati? Hæc autem hæresis loco sortis Apostolorum, qua elegerunt Matthiam, per diabolum introducta, ponit zizania ad Catholicos in fide Catholica discordandum. Medicina ergo foret, tales electiones cum non sint Apostolicæ, refutare.

Non propter electionem Cardinalium est quis Christi vicarius, vel membrum ecclesiæ plus quàm propter garritum avium, vel signum quodcunque impertinens quod contingit. Et idem est judicium de quibuscunque electionibus hodie celebratis.

¶ De Schismate in ecclesia Dei.

Deus non sinens apostema illud sc. Papam in ecclesia sua amplius perdurare, illam putredinem in nido illo diabolico congregatam, divisit in duo capita, ut melius pateat sanies Antichristi.

Dissensione Pontificum de Papatu magnum bonum provenit: quia jam debilitato Antichristo confortantur fideles publicare sententias multas evangelicas, quas stante ipso in suo robore differere non auderent. Et si placeret domino jam movere brachium seculare, ut tempore hujus debilitationis Antichristi nitatur efficaciter reducere ecclesiam ad ordinationem domini nostri Jesu Christi, fructus valde notabilis proveniret ex divisione hujus capitis Antichristi.

Si fideles unquam concordati fuerint, necesse est quòd in brevi temporis articulo sint viriles: quorum consolatio ad viriliter agendum, est Antichristi potentiæ memoratio: qui in Papas dividitur, & sui satellites sunt sæpissime contrarii sibiipsis.

¶ Contra potestatem, jurisdictionem vel authoritatem Prælatorum.

Potestates quæ finguntur à Papa & aliis quatuor novis sectis, sunt fictæ ad seducendos subditos diabolicè introductæ: ut prælatorum Cæsareorum excommunicatio, citatio, incarceratio & redditus pecuniarum venditio.

Superiores istarum sectarum fingunt se habere potestatem à domino ad subditos taliter puniendos: ut Papa fingit se habere potestatem ad excommunicandum: quam tamen potestatem non plus habent, quàm diaboli ad maledicendum populo Christiano.

Videtur fidelibus quòd talis ficta potestas prælatorum simul crevit cum hæresi de hostia consecrata. Nam moderni prælati sunt de numero illorum, de quibus dicitur per Prophetam: * Maledicam benedictionibus vestris.

* Malach. 2. 2.

Multi sacerdotes simplices superant prælatos in hujusmodi potestate: immo videtur fidelibus quòd magnitudo potestatis spiritualis plus sequitur simplicem imitatorem Christi in moribus, quàm prælatum, qui per Cardinales & tales apostatas est electus.

☞ Intendat fidelis rationi & fidei scripturæ & non credat talibus extravagantibus fabulis infundabilibus de potestate prælatorum: quia benedictio eorum est similis benedictioni, qua benedicunt hostiæ, & maledictio sua è contrario in benedictionem domini est conversa.

Prælato, quem subditi impium & improbum judicant probabiliter ex vita sua, nec debent retribuere honores mundanos solitos, nec temporalia tanquam debita, nec tanquam redditus aut proventus, sed debent sibi talia subtrahere, ne offendant in Christum.

Conversa

Converſatio mala prælati ſubtrahit acceptionem ordinum & aliorum ſacramentorum à ſubditis, &c. Hunc quære circa ſacramenta in communi.

¶ Contra privilegia & bullas Papales.

Privilegia vel libertates, quas Papa concedit hominibus, ſunt deliramenta à fidelibus deridenda: in cujus ſignum populus cui iſti maledicunt, benedicitur à deo, & econtra.

Niſi adſit lex charitatis intrinſecus, nemo propter chartas vel bullas habet habilitatem plus vel minus.

Chartæ clericis poſſeſſionatis ſuperfluunt, &c. Quære circa dotationem eccleſiæ.

Quantum ad leges & bullas Papales, &c. Quære circa dotationem eccleſiæ.

Licet Papa præcipiat in bulla quod nulli hominum, &c. Quære contra Papam.

¶ Contra Indulgentias.

Conſulendum eſt fidelibus quòd non petant curiam Romanam vel Avinionem, ad Papales indulgentias vel abſolutiones à pœna & à culpa ſibi vel aliis impetrandas, quia Dominus totius mundi non vult in tali brevi loco vel anguſto coarctari, ſed in cœlo exiſtens, perpendiculariter cuilibet vigilanti eſt paratus ad lumen ſuæ gratiæ influendum.

Defecit audax doctor, ſententia publicans hypocriſim iſtam eccleſiæ: non ſeductus populus pedibus talis hypocritæ propinquet. Si enim petitio ſua ſit rationabilis, ſumma dementia foret credere quòd aliquis talis refuga hanc concederet.

Quantum ad indulgentias, privilegia & regulationem eccleſiæ in lege nova, patet quòd foret expediens toti eccleſiæ quòd omnes novitates hujuſmodi ſint ſopitæ. Omnia enim talia videntur eſſe phantaſmata, nec fundata rationibus nec ſcripturâ.

¶ Contra decimas & jura debita prælatorum.

Duodecim ſunt procuratores & diſcipuli Antichriſti, Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, Officiales, Decani, Monachi bifurcati, Canonici, Pſeudofratres introducti jam ultimò & Quæſtores.

Non eſt potior Antichriſtus quàm qui illi fidei de paupertate clerici Chriſtiani eſt contrarius, tam opere quàm ſermone. Nec ſolùm iſti prælati Antichriſtiani, ſed mundani domini conſentientes huic facinori ſunt capitales inimici domini noſtri Jeſu Chriſti.

Curia Romana eſt minus diſpoſita ad convincendum aliquos ſuper hæretica pravitate, quod tamen præſumit temerè, quia ad ſenſum myſticum eſt caſtellum quod eſt contra apoſtolos Jeſu Chriſti.

In mendicitatem inciderent ſacerdotes, antequam pro temporalibus placitarent.

Religioſi & clerici poſſeſſionati ex dotatione quam contra Chriſti legem ſuſcipiunt & defendunt, ſunt dæmonium meridianum, & ad damnum eccleſiæ diabolicè indurati.

Quantum ad bullas & leges Papales, &c. Quære circa dotationem eccleſiæ.

Chriſtus in ſcriptura non docet aliquam ſpeciem ordinis de capitulo Antichriſti, & ideo non eſt de ſuo beneplacito quod ſunt tales. Capitulū autē illud in iſtis ſpeciebus duodecim continetur, quæ ſunt Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, Officiales, Decani, Monachi, Canonici, Fratres de quatuor ordinibus & Quæſtores.

Ex fide & operibus quatuor ſectarum, quæ ſunt clerus Cæſareus, Monachus varius, Canonicus atque fratres, audenter elicio quòd nulla perſona iſtarum eſt membrum Chriſti in ſanctorum catalogo, niſi in fine dierum deſeruerint acceptam ſtolidè ſectam ſuam.

Auguſtinus & Hieronymus cum cæteris deſeruerunt iſtas ſectas: & ſic religioſi noſtri poſſent religionem ſuam merdoſam deſerere, & Chriſti religionem relicta ſua apoſtaſia accipere ſapienter.

Approbabile creditur quòd vocata beneficia ab epiſcopis & vocatis rectoribus, forent omnino ſuſpenſa: & gratis evangelizantes haberent ſtrictè victûs neceſſaria, ſuſpenſis omnibus traditionibus Antichriſti.

¶ Contra jura & decimas in communi prælatorum.

Subtrahat populus decimas, oblationes & alias privatas eleemoſynas ab indignis Antichriſti diſcipulis, cum hæc facere debeat lege dei. Sed non eſt timenda ſed gaudenter acceptanda maledictio vel cenſura quam inferunt diſcipuli Antichriſti.

Sufficit laicis quòd dent quandoque ſervis decimas ſuorum proventuum, & cæteris paribus

bus ſemper dent eccleſiæ: licet ſemper clero Cæſareo à Papa vel ſuis ſubditis ſint aſſignatæ.

Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & parochiani poſſunt propter peccata ſuorum prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.

¶ Contra dominium in communi.

Nec teſtium depoſitio, nec judicis ſententiatio, nec corporalis poſſeſſio, nec deſcenſus hæreditarius, nec humana commutatio, ſive devotio confert homini ſine gratia dominium vel jus ad aliquid, vel omnia illa ſimul.

Si Deus det homini bonum quodcunque, ſtatim dum ipſe abutitur, deficit ſibi juſta vendicatio ex titulo donationis Dei. Et revera ſi titulus ille deficiat, neſcio alius quis valebit.

Omnis injuſtus, occupans quodcunque bonum dei, capit rapina, furto vel latrocinio.

Succeſſio hæreditaria eſt impertinens ad civile dominium, niſi forte pater meruerit filio gratiam ſequendo eum in moribus.

Quacunque communitate vel perſona eccleſiaſtica habitualiter abutente divitiis, domini temporales poſſunt legitimè & valde meritoriè ipſas auferre, etiam quantumcunque traditionibus humanis eis fuerint confirmatæ.

Deus non poteſt dare homini pro ſe & ſuis hæredibus in perpetuum civile dominium.

Titulus ſucceſſionis hæreditariæ non ſufficit ad fundandum verum dominium, ſed per ſe titulus charitatis.

Omnis habituatus in mortali peccato caret quocunque vero dominio & uſu operis licitè, etiam boni de genere.

¶ Contra Reges & Principes.

Virtus ſuperexcellens in Rege eſt præcipua cauſa regendi civiliter. Ipſe enim per ſe ſufficit ad regnandum evangelicè, & eſt ſufficiens cum approbatione populi ad regnandum civiliter.

Sicut Rex, Princeps vel Dominus terræ, qui eſt in mortali peccato, non ſortitur nomen illius officii, niſi nomine tenus & ſatis æquivocè: ſic nec Papa, epiſcopus vel ſacerdos ſi lapſus fuerit in via mortaliter.

Adveniente depopulatione patriæ, etiam per barbaros, melius foret pati humiliter quàm reſiſtere & debellare viriliter.

Dominus non approbat quenquam civiliter dominari, vel civiliter judicare.

¶ Contra Miſſas & Horas.

Qui peccator eſt aliqua ſorde maculatus, non poteſt Chriſti eccleſia appellari.

Utile foret eccleſiæ poni in priſtina libertate: & ſic ceſſarent miſſarum ſuperadditarum ſolennia & orationes cum horis Canonicis adinventæ. Licet enim iſtæ tres adinventiones humanæ per accidens proſint eccleſiæ, non tamen tantum, quantum peccatum diaboli.

Neſcio excuſare peccata ſanctorum, qui illas traditiones invenerunt.

Multa ſunt licita, &c. Iſtos duos quære ſupra de peccatis mortalibus.

¶ Contra Jura. Vide (ſi placet) ſupra, contra cenſuras.

Everſa eſt cleri religio à Chriſtiana in Cæſaream, & dimiſſo titulo recipiendi à populo ædificato eleemoſynas gratis datas, ſtatuuntur leges quædam Chriſtianæ ad pecunias extorquendas.

Leges Papales multæ ſunt hæreticæ, ut patet de lege Bonifacii viii. lib. vi. de reſcriptis, Si duobus: Et aliis hujuſmodi.

Omnes humanæ traditiones quas lex Evangelica non docet facere, ſunt ſuperfluæ & iniquæ.

Solam legem Chriſti licet practicare, diſcere vel docere: & quicunq; practicaverit legem aliquam quæ non dirigit directè ad beatitudinem, ex praxi facit ſeipſum damnabilem.

Non licet Chriſtiano poſt plenam publicationem legis Chriſti, extraneas ſibi leges condere ad regimen eccleſiæ Chriſti.

In adulterio, hæreſi & quolibet crimine tali, poſſunt judices ſeculares ſine confuſione juriſdictionem cognoſcere.

Cum Chriſtus legem Evangelicam non tradiderit diminutè, videtur quòd de ſenſu Chriſti

Christi sit, nullum discipulum suum pro aliquo bono fortunæ debere contendere.

A tempore quo curia Romana declinavit à Christi sequela, est demonstrabile quòd si curia Romana ex nuda authoritate sua hæc afferat: ergo hoc est falsum.

In omnibus suis legibus non stat profectus ecclesiæ, plus quàm in Ethnicis.

Quid aliud est quàm obedientiam faciendam huic diabolo, id est papæ, sonat illa lex ipsius: Omnis utriusq; sexus. Et sic de multis legibus Luciferinis & similibus.

Quòd doctrina Christi præcepit suis discipulis, haberi omnia communia, possunt seculares conjicere quomodo bona possessionatorum, non timendo vocatum sacrilegium, possunt meritoriè pauperibus ministrare.

Omnes censuræ Antichristi non sunt nisi falsæ umbræ, à via domini timidos exterrentes. Et loquitur de censuris ecclesiasticis.

¶ Contra dominos temporales.

A deo in seculare dominium requiritur justitia dominantis, sic quòd nullus existens in peccato mortali est dominus alicujus rei.

Dominus civilis si tractet servum suum non eadem mensura qua sibi vellet metiri in casu consimili, excidit à charitate & per consequens à civili dominio: & ex consequenti servus excidit respectu illius à servitute civili.

Successio hæreditaria est impertinens ad civile dominium. Quære de dominio.

Non est possibile ordinare, quòd si quis ex servo civili processit, tunc sit servus civilis.

Nisi adsit lex charitatis intrinsecus, nemo propter chartas vel bullas habet habilitatem, vel justitiam plus vel minus.

Omnis injustus occupans quodcunq; bonum, &c. Quære supra de dominio in communi.

¶ Contra Electiones.

Deficit humana regula de eligendo præpositos. Apostoli enim deficiente revelatione, elegerunt Matthiam per sortem. Sed factum eorũ debet in illo esse exemplar evidentius, quàm sequens dictum vel factum Romani pontificis. Quare adhuc ecclesia debet intendere huic formæ.

Implicans se electionibus secundum traditiones humanas, ubi posset secundum legem dei supersedere, peccat graviter. Et sic videtur mihi quòd omnes adinventiones hominum præter fidem scripturæ sunt secundum plus vel minus culpabiles.

Non propter electionem Cardinalium, &c. Quære contra Cardinales.

Quæ major infidelitas, &c. Quære contra Cardinales.

¶ Contra religiosos in communi.

Nec papa, nec angelus de cœlo habet potestatem difficultandi media, quæ Christus instituit viatoribus ad beatitudinem promerendam.

Si non in isto textu evangelico: Nemo accendat lucernam, &c. & non reperi ubi * anatonice inclusi in lapidibus, ut claustrales, in lege domini fundarentur: & cum hoc non fundatur ista religio, sed patenter ejus oppositum patet, quòd non est Christi religio, quam describit Jacobus: sed religio diabolica vel hypocritica, quæ ab ipso vana religio nuncupatur.

Cum non tantũ prosint illæ religiones sanctæ matri ecclesiæ indirectè, quantũ prodest casus diaboli: sicut diabolus nõ deberet taliter peccare, sed à peccato cõtinere: sic ordines isti privati, qui nõ sunt authorizati à domino, nõ se debent introducere in ecclesiã militantem.

Omnes religiosi moderni seipsos necessitant ut hypocrisi maculentur. Ad hoc enim sonat professio, ut sic jejunent, ut sic se induant & ut sic faciant, quanquam differenter ab aliis observant.

Causa totius mali in ecclesia militante est perversa introductio illorum novorum ordinum contra Christum.

Religiosi fideles debent ex verbis Christi colligere quòd constanter exeant suos privatos ordines, cum Paulus exierit ordinem Pharisæorum. Et cum Deus ex sua communi gratia concedit fidelibus suis, ut potiora eligant, renuant minus bona.

Religiosi nostri præter ordinationem domini introducti habent observantias hypocriticas: ut cantum in mediis noctibus, & jejunium in electis temporibus & alia talia, quæ non sonant in religionem domini Jesu Christi.

Religio privata est religio præter religionem domini expressam in Evangelio adinventa, & illa privatur omni fundatione laudabili.

Omnis privata religio sapit, ut sic, imperfectionem & peccatum quo homo indisponitur ad deo liberè serviendum.

Ritus sensibilis, ad quem religiosi privati ex suo ordine obligantur, est traditionum suarum observantia ultra mandata decalogi & consilia domini nostri Jesu Christi. Et traditio ista necessitat ipsos esse hypocritas & infringere mandatum Domini.

Si secundum prophetiam Ezechielis, peccatum Sodomæ duplex fuit iniquitas: quanto potentius aggregatio ex his privatis traditionibus ac privilegiis est colligatio impietatis, quæ jubetur dissolvi?

* Isa. 58. 6. Cum dominus dicit per prophetam: * Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: dimitte eos qui confracti sunt liberos & omne onus disrumpe: videtur tales privatos ordines præcipiendo dissolvere.

Sicut dio influentia cœlestis est liberius recepta, sic religionis oratio penetrat liberius cœlum sub dio, quàm venit ad aures domini in claustris.

Paulus quondam pharisæus, propter meliorem sectam Christi, ex ejus licentia illam sectam dereliquit. Et hæc est ratio quare claustrales, cujuscunq; sectæ fuerint vel obligationis, aut quocunq; juramento stulto astricti, debent liberè exire; ex mandato Christi; illa vincula & induere liberam sectam Christi.

Larvati diaboli, id est religiosi, ex nova simulata religione domesticati, non possunt in filios lucis, cum necessariò sunt filii diaboli.

Religio, sive regula privata sapit præsumptionem, blasphemiam & arrogantiam supra deum. Et religiosi talium ordinum per hypocrisim defensionis suæ religionis præsumunt se supra apostolos exaltare.

Non salvat imperfectionem religiosorum quòd incarcerentur in claustris materialibus suis, vel quòd habeant Priores qui debent ipsos regere & docere, nec hoc consonat rationi.

Christus in scriptura non docet aliquam speciem ordinis, de capitulo Antichristi & ideo non est de suo beneplacito quòd sint tales, &c. Vide contra clericos in communi.

Evidentias esset ad utilitatem ecclesiæ, quod basilicarum præsumptuosarum structuræ,& sectæ novorum ordinum, sicut in die judicii, jam cessarent.

¶ Contra patronos religionum.

Cuncti patroni istorum ordinum, ut sic, peccaverunt: licet isti ordines occasionaliter faciunt multa bona.

Si fiat objectio de beato Benedicto, Gregorio, Bernardo, &c. Quære circa dotationem ecclesiæ.

Augustinus & Hieronymus cum cæteris deseruerunt istas sectas: & sic religiosi nostri possent religionem suam merdosam deserere, & Christi religionem, relicta suâ apostasiâ, sapienter acceptare.

¶ Contra religiosos possessionatos.

Ex doctrina Christi, quæ præcepit suis discipulis habere omnia communia, possunt seculares conjicere, quomodo bona possessionatorum (non timendo vocatum sacrilegium) possint meritoriè pauperibus ministrare.

Ex proprietate viventes ut fratres, sunt hæretici, qui suis prædicationibus, exhortationibus vel confessionibus in prædictæ conclusionis materia obmutescunt.

Omnia bona istorum hæreticorum possessionatorum mobilia confiscarentur principibus, qui hæresim ipsorum destruerent, & omnia bona eorum immobilia, ut redditus & prædia quibus dotati sunt, redirent ad manus secularium, sicut prius.

¶ Contra religiosos mendicantes.

Quis excusare posset istas sectas fratrum, qui dimisso Christi ordine, blasphemè eligunt minus bonum? imò tota sua religio blasphemia est permixta.

Inter omnia monstra, quæ unquam intraverunt ecclesiam, monstrum horum fratrum est seductivius, infundabilius & à veritate & charitate distantius.

Quatuor ordines mendicantium sunt dispositi realiter, ut inferant ingratitudinem maximam seu peccatum.

Cum fratres sint alieni à secta Christi, probabile est quod sua merita non plus valent quàm opera paganorum.

Secta

Secta fratrũ non fundatur ex lege domini,ſed aſcendunt aliunde tanquam fures & latrones.

Diabolus non ſolùm defraudat ſimplices per hos fratres, ſed per ſectas alias infundabiliter introductas: ut ſunt monachi & canonici cum clero Cæſareo, qui auferunt dominia quæ haberent ſeculares domini.

Globus fratrum, ſicut non habet fundationem à domino, ſed ejus oppoſitum: ſic trahit fratres ad peccatum.

Introducentes & ſibi perpetuè diſpenſantes novas ſectas, nimis ingratè recuſant ſectam liberam Jeſu Chriſti, innuentes quòd ipſa ex imperfectione ſui authoris fiunt incompleta.

Iſtæ ſectæ volunt adverſari voluntati dei: quia volunt de ſecta Chriſti & ſua regula contentionari, ſed unam novam & frivolam & legi Chriſti contrariam machinantur.

Intrantes novas ſectas de hoc non pœnitent, ſed lætantur uſq; ad mortem cum male fecerunt.Et hæc eſt ratio quare tam ſæpe inveximus contra eos,ut de ſua hæreſi reſipiſcant & ad meliorem ſectam redeant.

Damnabilis eſſe videtur confectatio iſtarum quatuor ſectarum, qua pervertuntur fideles de ſimplici ſecta Chriſti ad ſectam frivolam Antichriſti.

Saraceni ſunt graviter increpandi ex hoc, quòd tollunt jugum Chriſti per ſeſe, ſed ambulant per ſectas alias ad infernum: ſic ſectæ iſtæ quatuor infra Chriſtianiſmum ſunt amplius increpandæ.

Nemo haberet conſcientiam omnes illas ſectas frivolas relinquere: imò infidelitatis ſignum foret, licentiam papæ vel alterius de hoc petere: quia in hoc videretur quis petere de illo licentiam ab Antichriſto, quod generaliter concedit diſcipulis Jeſu Chriſti.

Sicut quæcunq; dyſcraſiæ in humano corpore proſunt corpori, ſic iſtæ ſectæ proſunt ſanctæ matri eccleſiæ, quæ ſunt per diabolum introductæ.

Cum major militia in ſectis quàm perſonis ſingularibus radicetur, videtur ſequendo Chriſtum, quòd illæ ſectæ ſunt plus quàm perſonæ ſimplices reprobandæ. Et ideo reprobationes ſectales acutè debent exerceri.

Si impoſſibile doceri poſſet, quòd aliquæ illarum quatuor ſectarum à deo ſumpſerunt originem, tunc de tanto foret color fidelibus illas ſectas de conditione laudabili approbare. Cum autem non ſic à domino ſumpſerunt originem, Chriſtianis licet ipſas redarguere: quia qui non intrat per oſtium, fur eſt & latro.

Cum fidelis debeat ex mandato domini honorare corpus ſanctæ matris eccleſiæ: & iſtæ quatuor ſectæ tanquam quatuor humores infecti inficiunt & mortificant ipſam eccleſiam: omnes fideles debent niti ipſam ab iſtis humoribus expurgare.

Hypocriſis eſt fundamentum iſtis quatuor ſectis, & ideo ſic loquitur Eſaias: Et erunt qui *Iſa. 9. 14, 16.* beatificant, & qui beatificantur, præcipitat & diſperdet deus ab Iſrael caudam cum capite. Intelligendo per caput, Romanum pontificem: & per caudã ſectas fratrum.

Ex fide & operibus quatuor ſectarum, quæ ſunt clerus Cæſareus, Monachus varius, Canonicus atq; fratres, evidenter elicio, quòd nulla perſona iſtarum eſt membrum Chriſti in ſanctorum catalogo, niſi ex fine dierum deſeruerint acceptam ſtolidè ſectam ſuam.

¶ Contra jus patronatûs.

Periculoſum eſt quenquam dominum patronatum eccleſiæ occupare: quia niſi præficiat plus habilem, vel prudenter id intendat, damnabiliter cadit à jure patronatus.

¶ Contra univerſitates ſtudiorum, & Collegia.

Cum Chriſtus non ordinavit iſtas univerſitates ſive collegia: manifeſtum videtur, quòd ſicut graduationes in illis ſunt vanâ gentilitate introductæ, ſic dicta objecta contra ſecularia dominiâ clericorum & approbationes eccleſiarum, ſtant vivaciter contra ipſos.

¶ De futura contingentium neceſſitate.

Sicut deus neceſſitat futuritiones inſtantium, ſic neceſſitat & omnes eventus qui in illis inſtantibus ſunt futuri.

Ut fidem aſſero, quòd omnia quæ eveniunt, neceſſariò evenient. Et ſic Paulus præſcitus non poteſt verè pœnitere, hoc eſt contritione peccatum finalis pœnitentiæ delere, vel ipſum non habere.

Infans præſcitus & baptizatus neceſſariò vivet diutius, & peccabit in ſpiritum ſanctum,ratione cujus merebitur ut perpetuè condemnetur: & ita nullus poteſt ipſum comburere pro hoc tempore vel inſtanti.

¶ Errores in philosophia.

Quælibet essentia incorporea sive corporea est communis tribus suppositis: & omnibus illis insunt communiter proprietates, accidentia & operationes.

Contradictionem includit, aliquam essentiam creatam excedere, vel deficere à ternario suppositorum parium, quoad omnia in quibus commmunicat.

Deus non est alicujus potentiæ intensivè. Nullũ accidẽs potest esse aliud per se existens.

Si albedo posset per se existere, tunc ipsius unio ad subjectum foret accidens, quo subjectum foret accidentatum, immediatè, formaliter, & non illa albedo. Et talis unio esset verè qualitas, & non albedo data.

Nihil agit propriè nisi essentia absoluta, cujusmodi est substantia habens propriã inclinationem naturalem, à qua procedit actio extrinseca, quod alienum est à quocunque accidente.

Quælibet essentia habet unum suppositum, secundum quod producit aliud suppositum par priori, & illa est actio immanens perfectissima possibilis naturæ.

Impossibile est multa puncta, vel substantias punctuales esse simul in eodem situ indivisibili: ponendo situm & puncta metaphoricè, error est.

Impossibile est duas substantias corporeas extendi, unam continuè quiescentem localiter, & aliam corpus quiescens continuè penetrantem.

Imaginandum est unam essentiam corpoream in principio productam esse ex indivisibilibus compositam, & occupare omnem locum possibilem.

Ubiq; omne ens est, cum omne ens sit deus.

Solum deus cognoscit seipsum, & tamen non cognoscit omnia: quia non cognoscit ens quòd non est ipse.

Impossibile est deo multiplicare corpora per diversa loca.

Quamvis nec tunc, nec accidens aliquod possit agere: potest tamen facere multa bona.

Linea aliqua mathematica continua componitur ex duobus, tribus vel quatuor punctis immediatis, aut solum ex punctis finitis simpliciter, vel quamvis est, vel fuit, vel erit compositũ ex instantibus immediatis. Et damnatur conclusio simpliciter ut error in philosophia.

Quælibet creatura est deus.

Non sequitur, Quælibet creatura est deus: ergo deus est aliqua creatura.

Quodlibet est deus.

Finis Articulorũ Johannis Wiclefi Angli, damnatorum in Concilio Constantiensi.

¶ RATIONES ET MOTIVA, AC Reprobationes Articulorum Wiclefi, & sequacis ipsius Johannis Hus, in Concilio Constantiensi damnatorum.

1. ¶ Substantia panis materialis, & similiter vini, manent in sacramento Altaris.

Ista conclusio est falsa, erronea & hæretica. Patet primò per illud Matth. 26. Accepit Jesus panẽ, &c. & ait: Hoc est corpus meũ, &c. Ubi beatus Ambrosius, in libro de sacramentis, dicit: Iste panis ante verba cõsecrationis, panis est usitatus: ubi autem accesserit cõsecratio, de pane fit corpus Christi. Patet secundò per determinationẽ sacri Concilii Lateranen. extra. de sum. trin. & fid. cath. cap. Firmiter. ubi sic habetur infra: Una est fidelium universalis ecclesia, extra quã nullus omnino salvatur. In qua idẽ ipse sacerdos & sacrificiũ Jesus Christus, corpus & sanguis, in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem, potestate divina, &c.

2. ¶ Accidentia panis non manent sine subjecto in sacramento altaris.

Hæc est falsa & erronea & sapiens hæresim universaliter intellecta: quia tunc quantitas quæ fuit quantitas panis, non manet sine subjecto in sacramento altaris. Et tunc vel in corpore Christi, vel in pane, vel in utroq; vel in aere circumstanti. Non primum, quia corpus Christi non est quantũ tali quantitate: esset enim tunc monstruosum: quia talem formã habet, qualis in judicio apparebit, secundũ magistrum in 4. dist. 10. cap. Si autem quæritur. Nec secundum, quia tunc panis ille non esset conversus in corpus Christi, nec transubstantiatus

ſtantiatus, contra Decretalem de ſum. trin. & fid. cath. Eſſent etiam falſæ propoſitiones demonſtrativæ [Hoc eſt corpus meum] & [Hic eſt ſanguis meus] Matth. 26. quod eſt hæreticū: Non tertiū: nulla eſt ſubſtātia, quæ remanet ſubſtātia in ſacramento altaris, niſi corpus Chriſti, de conſe. diſtin. 2. cap. Omnia. ubi ſic dicitur, & ſunt verba Ambroſii, & recitantur à magiſtro in quarto, diſtin. 11. cap. Quidam vero. Illum panē, quem ſumimus in myſterio: illum utiq; intelligo, qui manu ſpiritus ſancti formatus eſt in utero virginis, & igne paſſionis decoctus in ara crucis. ideo Johan. 6. Ego ſum panis vivus: & Johannis quinto: Panis quem ego dabo, &c. Ex iis duabus ſententiis apertè poteſt intelligi, quòd panis iſte & ille non ſunt duo ſed unus. Nec quartum, quia aer circumſtans eſt locus iſtius quantitatis, vel ultima ſuperficies eius. Patet etiam hæreſis iſtius concluſionis: quia qui aliter ſentit de ſacramentis eccleſiæ, quàm Romana eccleſia ſentit, * hæreticus eſt. Romana autem eccleſia ſentit accidentia eſſe ſine ſubjecto in ſacramento altaris, ut extra. de cel. miſſ. cum Marthæ, de hær. Ad abolendum. igitur, &c.

* Scilicet, Te Dictatore, vel Judice Extravagante; quo nihil extravagantius.

3. ¶ Chriſtus non eſt in eodē ſacramento identitate realiter in propria eſſentia corporali.

Iſta concluſio eſt falſa, erronea & hæretica. Tum primò probatur de conſe. diſt. 2. cap. Quia corpus. ubi ſic habetur: Nam inviſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtātiam corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo ſecreto, poteſtate divinâ convertit, dicens: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et Auguſtinus in libro * ſent. Proſperi: Fateamur ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formavit: poſt conſecrationem verò carnem Chriſti eſſe & ſanguinem quod quidem benedictio conſecravit. Secundò, quia qui de ſacramento corporis & ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti aliter ſentire vel docere non metuunt, quàm ſancta Romana eccleſia prædicat & obſervat, hæretici ſunt cenſendi. extra. de hæret. Ad abolendum. Sed Romana obſervat & docet corpus Chriſt idem eſſe in ſacramento: ut de conſe. diſtin. 2. cap. In quibus. ubi dicitur, quòd ſancta ſynodus in urbe Roma congregata ſub Leone papa, fatetur quòd in ſacramento ſicut caro domini verè eſt cibus, & ſanguis verè potus. Et eſt illud idem corpus, de quo dictum eſt: Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Circa quod corpus aquilæ ſunt, quæ alis circumvolant ſpiritualibus, Gloſſā. i. virtutibus. Unde & idem corpus Chriſti edimus, ut vitæ æternæ poſſimus eſſe participes. Et ſecundum magiſtrum diſt. 10. cap. Sunt & alii, iſte eſt error inſania tranſcendens. Et Richardus diſt. eadem: Summè debent omnes catholici deteſtari & proſequi iſtum errorem peſſimum impiorum, qui dicunt corpus Chriſti non contineri realiter in ſacramento altaris, ſed tantummodo ibi eſſe ſicut in ſigno: quem errorem retractavit Berengarius Romæ coram centum tredecim epiſcopis: ut patet de conſec. diſt. 2. cap. Hos autem, &c.

* Sententiæ iſtæ à S. Proſpero (ſicut Bellarmino placet) collectæ, habentur in fine tomi 3. oper. S. Aug. uſq; ad 388. num. in iis autem Sententiis nihil tale occurrit: nec, ſi occurriſſet, valeret quicquam in probationem tranſubſtantiationis: fallebatur, opinor, hic autor à Gratiano, diſt. 2. de Conſecr. tale quid citante ſub hoc titulo.

4. ¶ Si epiſcopus vel ſacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, nec baptizat.

Iſta propoſitio videtur temeraria & hæretica, quia ex ea ſequeretur omnē ordinē, aut collationē eius in eccleſiaſtica Hierarchia eſſe incertū & dubium: cū nullus de cōmuni lege ſciat, an epiſcopus ordinans vel ſacerdos cōſecrans, vel baptizans, ſit in peccato mortali, vel non: quia nō ſcit homo utrū amore vel odio dignus ſit, Eccleſiaſtes 14. Item Apoſtolus prima ad Corinth. 4. Nihil cōſcius mihi ſum, ſed in hoc non juſtificatus ſum. Prædicta etiam propoſitio repugnare videtur dictis beati Auguſt. Nam loquens in epiſtola contra Parmenianum, dicit, quod ſicut habent in baptiſmo, quod per eos dari poſſit: ſic in ordinatione jus dandi. Item Auguſtinus, ut allegatur. 1. q. 1. cap. Quod quoddā. dicit ſic: Sacramētorū ſanctitatem in perverſis hominibus, ſive qui intus ſunt, ſive qui foris, cōſtat impollutā immobilemq; permanere. Item Auguſtinus primo ſuper Johannē, tractatu quinto circa finē, loquens de collatione baptiſmi, dicit ſic: Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic eſt qui me baptizat in ſpiritu ſancto, Johānis primo. Præterea præmiſſa propoſitio repugnat illi, quod habetur in legenda de corpore Chriſti, ubi dicitur: Nihil à bono majus, nihil à malo minus perficiatur ſacerdote. Item prædicta propoſitio videtur cōtra determinationem eccleſiæ. Nam dicitur extra. de hæreticis. Ad. quòd ſentiendum eſt de ſacramentis, ſicut Romana cōſentit eccleſia. Sed ipſa ſentit epiſcopos ordinare, & ſacerdotes conſecrare, & baptizare, ſive ſint boni, ſive mali: ut patet diſcurſim, 1. q. 1. per totum, &c.

5. ¶ Non eſt fundatum in Evangelio, quòd Chriſtus miſſam ordinaverit.

Ista conclusio est falsa & erronea. Patet primò per illud quod habetur Lucæ 22. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Item secundò per illud quod habetur prima Corinth. 11. Ego enim accepi à domino, & infra: Hoc facite in meam commẽorationẽ, ubi Ambrosius in libro de sacramentis: Ipse Christus est istius sacramenti sacerdos, cujus typum sacrosancta servat ecclesia.

6. ¶ Deus debet obedire diabolo.

Ista conclusio est falsa, malè sonans, piarũ auriũ offensiva, necnon simpliciũ ad obediendũ diabolo inductiva. Primũ patet: Nam sequitur ex ipsa, quod deus est debitor, & tenetur ex debito, & est alligatus diabolo obedire. Et consequenter, quòd diabolus licitè posset sibi præcipere & imponere legem: quia secundum Ambrosiũ de virginitate lib.2. super illo verbo: De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do, &c. Ubi exponit, præceptum in subditos fertur, consilium & in amicos. Nam ubi præceptum, ibi lex. Cum secundum regulam juris (quam allegat Gregorius 9. in determinatione regulæ fratrum Minorum) non habet imperium par in parem, neq; à fortiori subditus in superiorem. Et sic in hoc casu, in nomine Jesu non deberet omne genu flecti, cœlestium videlicet, terrestrium & infernorum, contra Apostolum ad Philippenses 2. nec esset sibi data omnis potestas in cœlo & in terra, Matthæi ultimo. Imò etiam sequeretur, quòd deus posset peccare: quia posset non facere quod deberet, & quod teneretur. Secundum patet, quia si deus deberet obedire diabolo, posset credere quisq; simplex, quod à fortiori quælibet creatura rationalis.

7. ¶ Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior esset sibi superflua & inutilis.

Ista conclusio videtur falsa, erronea & hæretica. Tum primò, quia contra determinationem doctorum, Chrysostomi, Augustini, Leonis, ex quorũ sententiis concludit magister dist. 17. cap. 2. quod sacerdotibus indubitanter: oportet deo primũ, & deinde sacerdoti offerre confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi si adsit facultas. Tum etiam, quia scriptum est Jacobi 5. Infirmatur aliquis ex vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & sequitur: Confitemini alterutrum peccata vestra. Christus etiam hoc præcepit implicitè in figura, cum dixit leproso mundato: Vade, ostende te sacerdotibus, Matth. 8. ut patet in glossa: Tum tertiò, quia in determinatione ecclesiæ præcipientis confessionem fieri, & quantum ad alia cui sit confitendum, scilicet proprio sacerdoti: & quantum ad tempus confitendi, scilicet semel in anno, in paschâ: & quantum ad medium, scilicet integrè cum cordis contritione uni sacerdoti, extra. de pœnit. & remiss. Omnis utriusq; sexus.

8. ¶ Si papa est præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab alio sibi datam, nisi forte à Cæsare.

Ista propositio est falsa & erronea: quia non minorẽ potestatem habent à deo sibi datã sacerdotes novæ legis, quã antiquæ ratiõe officii, sive existant in peccato sive non, sive etiã sint præsciti, quod soli deo & quibus revelavit, notũ est. Sed Caiaphas malus fuit, & (ut præsumitur verisimiliter) præscitus: quia ejus malitia legitur, & non pœnitentia: tamen habuit potestatem à deo sibi datam super fideles synagogæ, & ratione dignitatis pontificiæ prophetavit, ut patet per textum, & glossam Johannis 11. Cum esset pontifex anni illius, prophetavit, &c. Multo magis papa officio habet potestatem à deo datam sibi, & non à solo Cæsare: etiamsi in peccato mortali existat, prout habetur in figura, quando apostoli in cœna domini respondentes Christo, dixerunt: Ecce duo gladii hic: & ipse dixit: sufficit, Lucæ 22. Habes etiam figuram in veteri testamento, Genes. 1. (ubi deus fecit duo luminaria magna: unum, quod præesset diei, & alterum nocti. Item cum præscientia sit viatoribus ignota de communi lege, nullum haberemus papam certum & indubitatum, si papa præscitus nullam haberet potestatem super fideles.

Attende quã egregiè Papam cadentẽ erigit!

9. ¶ Post Urbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed vivendum more Græcorum, sub legibus propriis.

Ista conclusio est falsa, male sonans, erronea & contra bonos mores & hæretica, maximè quoad primã partem. Probatur primò, quoniam istud est contra determinationem & processum sacri Concilii Pisani, quod quidem universalem ecclesiam repræsentabat, & vices ejus gerebat, quæ spiritu sancto regitur, & errare non potest: in quo electus sanctæ memoriæ Alexan-

Alexander quintus, & à dicto Concilio sacro, ut verus & Canonicus Papa receptus. Item secundò, quoad secundam partem: quoniam nullus debet imitari schismaticos & hæreticos ab ecclesia præcisos, maxime in eo quo male agunt, secundum determinationem ecclesiæ. Igitur, &c. Patet etiam istud tertiò per authoritates sacræ scripturæ: Primò per illud quod habetur secundâ Corinthiorum sexto? Nolite jugum ducere cum infidelibus: Glossâ id est, eos imitari in legibus malis: quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? &c.

10. ¶ Contra sacram scripturam est, quòd viri ecclesiastici habent possessiones.

Ista conclusio est falsa, scandalosa & erronea. Sacra enim scriptura non contradicit: aliàs aliquid sacræ scripturæ necessariò foret falsum. Habetur enim Actuum quarto, qualiter in multitudine credentiū nemo eorum quæ possidebat dicebat esse suum: sed erant illis omnia communia. Inter quos constat quòd erant discipuli, & multi alii viri ecclesiastici. Legimus etiam de Christo, quòd ipse habuit loculos. Item ad Timotheum tertio. Et ad Titum primo: Oportet episcopum bene esse præpositum domus suæ, & esse hospitalem. Quod esse non posset, nisi domum possideret & hospitium. Unde Augustinus ad Bonifacium, loquens de se & Bonifacio coepiscopo suo, sic ait: Si privatim quæ nobis suffecerint possidemus, non sunt illa nostrum sed pauperum, quorum gerimus procurationem. Item Hieremias fuit sacerdos, cui præceptum ex parte dei fuit possidere agrum Anameel sacerdotis, Hieremiæ tricesimo secundo, ubi Glossa interlinearis, ager ille sacerdotalis, cujus emptio atque possessio Hieremiæ defertur. Item est seditiosa & incitatoria secularium ad recipiendas possessiones ecclesiasticorum & clericorum, &c.

11. ¶ Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat ipsum excommunicatum à deo: & qui sic excommunicat, fit hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.

Illa conclusio videtur esse temeraria: Tū quia primò nullus est dei secretarius & consiliarius, cui infallibiliter innotescat aliquem esse excommunicatum à deo, cum apostolus secundo Corinthiorū dicat: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Tū secundò, quia dei excommunicatio, est gratiæ subtractio: quis est qui per medium infallibile noscat deum alicui gratiam subtraxisse, sicut nec gratiam contulisse? quia hoc sciri non poterit per medium infallibile, nisi à revelatione (teste Alexandro de Hales) quia quandoq; excommunicatur innocens, cum probetur crimen contumaciæ contra ipsum in foro judicii: nec tamen in hoc judex reprehenditur secundū Richardū: unde caus. tertiâ, quæstione septima, cap. Judicet, ubi dicitur, quòd bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta jura & leges pronuntiat: & sicut audit, ita judicat. Tum quartò, quia Ambrosius super Beati immaculati, &c. Bonus judex nihil paratum & meditatum de domo defert: & sicut audit, judicat: & sicut se habet causa, ita discernit: sed in judicio stat exteriori contra innocentem & justum, per malos testes deponi & allegari. Igitur, &c. Tum quintò, ista conclusio est scandalosa & pacis turbativa, & pœnarum ecclesiæ, scilicet excommunicationis, suspensionis & interdicti conculcativa & vilipensiva: ut patet intuenti.

12. ¶ Excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem & ad consilium regni, eo ipso est traditor Regis & regni.

Ista propositio videtur falsa & perversa. Nam potestas spiritualis convenit episcopis in suis subditis ex ordinatione, nec in hoc subsunt Regibus, aut Principibus temporalibus quia ex officio spirituales sunt: * spiritualis enim judicat omnia, & ipse à nemine judicatur, ut dixit Apostolus, prima ad Corinthios secundo. Ideo in Concilio Chalcedonen. Imperatores Valentinianus & Martianus sacro Concilio reliquerunt decisionē: ipsi verò eorū quæ decisa sunt, susceperunt tuitionem: ut patet per Chronicas summorū Pontificū & Imperatorum.

* Pervertit sensum Apostoli.

13. ¶ Illi qui dimittunt prædicare, sive verbum dei audire, propter excommunicationem prælati, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Christi habebuntur.

Ista conclusio est falsa, temeraria, contra bonos mores, injuriosa. Probatur primò quia pro justa causâ juncta cum bona intentione, ordine juris servato, prælatus potest præcipere sub pœna excommunicationis suis subditis ne prædicent, & ne aliquis eum audiat, maxime propter falsam & erroneam doctrinā: ergo sic præcipiendo & obediēdo, tales non sunt excommunica-

municati, nec in die judicii Christi traditores habebuntur. Probatur consequentia, quia talis sic obediens conformat se dictis sacræ scripturæ & sanctorum, videlicet primo illi dicto Matthæi vicesimotertio: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Et per illud Hebræorum decimotertio: Obedite præpositis vestris, & subjicite vos eis. Ipsi enim pervigilant pro animabus vestris rationem reddituri. Et per illud ad Roman. 10. quomodo prædicabunt, nisi mittentur? Secundò patet per doctores, quoniam sententia pastoris justè vel injustè lata, * timenda est.

* De istiusmodi fulminibus brutis vide Apologiam pro Gersone scriptam à P. Paulo Veneto contra Bellarminum, in Goldasti collectaneis.

14. ¶ Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynas sunt excommunicati.

Ista copulativa quoad primam sui partem est hæretica, scandalosa & seditiosa. Primò, quia ex ipsa sequeretur quòd Christus & Apostoli fuerunt hæretici, quod nedum est hæreticum, sed blasphemum & auribus perhorrendum. Christus enim fuit mendicus ipso teste in Psalmo quadragesimoprimo, dicens de seipso: Ego autem mendicus & pauper sum. Ubi Glossa: Mendicus est, qui ab alio petit: Pauper vero, qui non sufficit sibiipsi. Idem habetur Psalmo centesimooctavo: Et persequutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Qui quidem Psalmus secundum magistrum Nicolaum de Lyra, ad literam exponitur de Christo à Juda tradito & à Judæis occiso. Etiam patet per allegationem beati Petri, exponentis hunc psalmum ad propositum prælibatum: ubi Glossa ordinaria: Persequutus est (inquit) hominem inopem & mendicum, id est, Christum. Item si omnes religiosi sunt hæretici, aut ut religiosi, & suam religionem observantes, aut non observantes, aut in quantū consentientes oppositis articulorū fidei, vel determinationis ecclesiæ. Non primum, quia sic sunt virtuosi, vota sua & religionem observando: nec secundo modo, quia tunc ex sola transgressione voti, regulæ, vel statuti, diceretur quis hæreticus: quod est falsum. Nec tertium, quoniam asserens hujusmodi conclusionem, nesciat assensū, quem habent omnes religiosi, deberet dubitare, & potius oppositūm affirmare: cum, ubi non constat, semper est in meliorem partem interpretandum, &c.

Stultissima defensio Fratrum Mendicantium ab exemplo Christi & Apost. Papæ Corona & monachorum ventres (ut lepidè sed verè Erasmus) magnos contradicentibus clamores concitabunt.

15. ¶ Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.

Ista conclusio est falsa, erronea & temeraria. Tum primò, quia contra ejus partem primam est sacra scriptura. Nam ad Romanos tertio: Omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta sit. Glossa: Non tantum bonis, sed etiam malis. Et prima Petri secundo: Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Et ad Rom. 3. Qui potestati resistit, dei ordinationi resistit: Glossa, id est, habenti potestatem dei ordinatione. Et de potestate subdit, quod patet, quia eam deus præfecit rationabiliter de malis, etiam dum boni per eos male damnantur. Et Saul cum à domino esset reprobatus, dei populum judicabat, & ejus judicium universus populus expectabat. Unde David post reprobationem Saulis profitens ipsum dominum, dixit? Propitius sit mihi dominus, non extendam manum meam in christum domini, primo Regum vicesimoquarto: Tum David cum esset adulter & homicida, interrogatus à Propheta sententiam, in divite cædit, qui ovē pauperis rapuit, dicens judiciū mortis, Mortis viro hic ovē reddet in quādruplū. Et Salomon, cum propter amorē mulierū deos Gentilium coleret, sicut dicitur, tertio Regum vicesimoprimo, universus Israel ad judicium ejus confluebat. Tum secundò, quia quoad ejus secundam partem de malis prælatis Judæorū dicebat dominus: Quæcunq; dicunt facite, &c. falsitas enim patet in Caiapha, Anna & aliis in veteri testamento senioribus & prælatis.

16. ¶ Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia, & possessiones habitualiter à delinquentibus.

Ista videntur favere avaritiæ & hæresi Juliani apostatæ dicentis, ut Christus dixit in evāgelio: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et sic colorabat avaritiā suā, auferendo bona à Christianis, ut * habetur in legenda sanctorū Johannis & Pauli. Sic & asserens istā propositionē, incitat dominos temporales ad avaritiam, rapinā & sacrilegiū, contra bonos mores. Nam viri ecclesiastici possunt habere bona temporalia, ut per Glossā super illud Johan. 12. loculos habens, dicit Glossa: Exēplū domini accipite conversantis in terra: quare habuit loculos, cui angeli ministrabant? nisi quia ecclesia ipsius † loculos habitura erat. Ex quo patet, quòd licet eis habere tēporalia. Et Beda super Canonicā Johan. 3. exponēs illud verbū Johānis evāgelistæ, nos debemus suscipere hujusmodi

* En! cum quibus historicis versantur monachi. † Itane vero? sed quàm magnos tandem? num qui Crœsi opibus recipiendis sufficerent?

modi ut cooperatores ſimus veritatis. Gloſſa: Qui poſſumus implere indigentiam illorum. Et ſic qui omnia relinquit, divitibus ſe comparat: hoc ideo facit, ut alacriores eos reddat, & promptiores ad inferendum pauperibus, vel quia bona omnia eccleſiæ in manu ſua erant. Ex quibus ſequitur, quòd qui auferunt bona temporalia ab eccleſia, non ſolùm epiſcopis & eccleſiaſticis poſſeſſionatis nocerent, ſed etiā * pauperibus Chriſti, quod eſt crudele, &c.

* Quaſi clerici Rom. eccleſiæ divitiis ſuis pauperibus ſoleant elargiri, quod ſibi, ultra ſumptus neceſſarios, ſupereſſet.

17. ¶ Populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

Iſta concluſio eſt falſa, ſcandaloſa, pacis turbativa, contra bonos mores & erronea. Patet primò, quoniam ſi ſic, tunc perverteretur ordo politicus & civilis, quod patet, quoniam tunc data hypotheſi ſubditi poſſunt exercere in ſuos ſuperiores & dominos judicium, poteſtatem juriſdictionis. Et ſi ſic, tunc ſequeretur, quòd ſubditi poſſent eſſe ſuperiores, & non inferiores reſpectu dominorum, quod eſt falſum. Patet ſecundò, quoniam iſtud eſt contra dictū Chriſti, Matthæi decimo, dicentis: Non eſt ſervus ſupra dominum ſuum. Item eſt contra dictum Apoſtoli, 1. Corinth. 6. Quicunq; ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur. Et prima Petri ſecundo: Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis veſtris, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiām dyſcolis. Item ad Epheſios, 6. Servi obedite dominis carnalibus in timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut in Chriſto.

18. ¶ Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & parochiani poſſunt propter peccata ſuorum prælatorum ad libitum eorum eas auferre.

Iſta copulativa pro prima parte eſt falſa & erronea, & contra determinationem eccleſiæ univerſaliter intellecta. Ad ſecundam partem eſt falſa, contra bonos mores & ſeditioſa. Primum patet, quia tunc nullæ decimæ ſolvere caderent ſub præcepto: quod eſt contra illud quod habetur Malachiæ 3. Decimas inferte in honorem meum. Et Levitici: Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, vel pomis arborum domini ſunt. Et Numeri decimooctavo: Filiis Levi dedit deus decimas in poſſeſſionem Iſraelis pro miniſterio, quo ſerviunt in tabernaculis fœderis. Item hoc eſt contra Gloſſam ſuper illo verbo: Decimas & primitias non tardabis offerre, ubi ſic dicitur: Si tardius dare peccatū eſt, quanto magis peccatū eſt non dediſſe? Item eſt contra Gloſſām ſuper illo verbo Chriſti: Væ vobis ſcribis & phariſæis, qui decimatis mentham & cuminum, & relinquitis quæ graviora ſunt legis. Hoc oportet facere & illa non omittere, ubi ſic ait Gloſſā: Præcepit deus omniū rerū decimas propter alimoniam ſacerdotum. Item hoc eſt contra Decretalem Alexandri quarti, extra. de decimis. Mandamus (inquit) quatenus parochianos ad ſolvendum decimas movere curetis, & ſi opus fuerit, ſub excommunicationis ſententia compellatis. Item eſt contra Decretalem Innocentii 3. in Concilio Lateranen. taliter continentis: Illæ (inquit) decimæ neceſſariò ſunt ſolvendæ, quæ debentur lege divina, vel conſuetudine approbata. Secundū patet, quia per iſtam ſecundam partem inducunt debentes decimas ad non ſolvendum, ut incitantur inferiores contra prælatum. Et econtra. Et facit inferiorem & ſubditum, judicem ſupra ſuperiorem & prælatum ſuum ſive rectorem, pervertendo jus naturale & etiam poſitivum.

19. ¶ Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per prælatos vel religioſos, non plus proſunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.

Iſta propoſitio eſt falſa & erronea. Tum quia ſequitur primò, quòd oratio beati Gregorii applicata Trajano, non plus profuiſſet eidem, quàm aliis. Conſequens eſt inconveniens quia meritis illius eſt reſuſcitatus & à gehenna pro ſua infidelitate, quam meruerat, præſervatus. Et tamen hæc oratio non valuit aliis. Idem de prælatis ubi commiſiſſet ſubditis, cæteris paribus. Tum ſequeretur ſecundò, quòd in conſimili caſu oratio beati Stephani in ſua lapidatione non plus valuiſſet Paulo, quàm aliis: qui fortè erant diſpoſitiores ad illam ſecundum poteſtatem juſtiorem. Conſequens eſt falſum ſecundum Auguſtinum in ſermone de beato Stephano, dicentem: Proceſſit Stephanus trucidatus lapidibus Pauli, illuc Paulus ſequutus eſt adjutus orationibus Stephani. Sequitur tertiò, ſubditum qui etiam ex injuncto prælati pro aliis orat, non plus ſibi proficere, quàm aliis. Conſequens eſt falſum. Nam ſecundum Gregorium, quiſquis pro illo mercede nititur, ſibi potius ex ipſa charitate ſuffragatur. Sequitur quartò, quòd iſte qui ex injuncto prælati pro uno defuncto tenetur dicere unam miſſam, & pro alio aliam: ſi dixerit pro illis duobus, cuilibet illorū ſolveret illud ad quod tenetur, quod eſt falſum. Sequitur quintò, orationem quæ ex injuncto ſufficeret ad

Vide Legend. 46. Jac. de Voragine, qui hanc fabulam de animâ Trajani ex inferno liberatâ Gregorii precibus, refert ex ſomniis Damaſceni. Quare ergo (ſi hoc credendum eſt) Pontificii poteſtatem Papæ ad purgatorium tantùm reſtringunt? niſi Gregorius I. (ut innuitur quidē in Legendâ) majorē cæteris Pontificibus gratiā & prærogativā aſſequutus eſt; idq; eâ tantùm vice. Tu autem, Alfonſe Ciacconi, qui ſibi viſus es vindicare Legendam, magnam mereris apud hujuſmodi hiſtoricos laudem.

plenam

plenam liberationem unius animæ de purgatorio, sufficeret ad liberationem aliarū ad æqualem pœnam obligatarum. Sequitur sextò, ecclesiæ consuetudinem esse erroneam, quæ orationes ad deum fundit pro specialibus personis, quod non est sanum credere, ac pium.

20. ¶ Conferens eleemosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

Ista assertio videtur consonare hæresi Diotrephis, qui prohibebat eleemosynam dare pauperibus: ut patet in tertia Johan. in textu & in Glossa, ubi dicitur: Quia primatum amat gerere in vobis Diotrephes, non recipit nos. Et sequitur paulò post: Quasi non ei ista sufficiant, nec ipse suscipit fratres: Glossa, id est, indigentes. Et eos qui suscipiunt, prohibet: Glossa; id est, ne impendant curam humanitatis. Et subjungit ibidem Glossa: Tu autem perseverare debes in operibus, quoniam scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus: Psalmo quadragesimo. Ex hoc satis apparet, quòd conferre eleemosynam fratribus est opus pietatis: & per consequens, qui hoc facit, non est excommunicatus eo facto. Et confirmatur, quia mulier Sareptana quæ pavit Eliam petentem ab ea aquam & panem, non propter hoc vituperatur. Et dominus Jesus dixit discipulis ad prædicandum missis: In quamcunque domum intraveritis, & susceperint vos: in eadem manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: Dignus est enim operarius mercede sua, Lu. 10. Matth. 10. Quicunq; potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine meo: amen dico vobis, non perdet mercedem.

21. ¶ Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcunq;, tam possessionatorū quàm mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum dei.

Mira fratrum mendicantiū obtemperatio præstita 1 S. Joh. 2. 16.

Ista conclusio est falsa & erronea, contra bonos mores & hæretica, ut patet primò, quoniam per ingressum cujuslibet religionis privatæ, de qua ipse loquitur, potissimè mendicantium, quilibet talis intrans, fugit mundum, & per consequens, occasionem illorum quæ sunt in mundo, quæ sunt peccata: juxta illud primâ Johannis secundo: Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non sunt ex Patre. Sed intrans religionem aliquam de supradictis, potissimè mendicantium: per votum castitatis, fugit concupiscentiam carnis: per votum paupertatis, fugit concupiscentiā oculorū: & per votum obedientiæ, fugit superbiā vitæ, ut patet de se. Igitur. Item, talis intrans religionē privatam de supradictis, conformat se dicto Apostoli ad Roman. 12. Nolite conformari huic seculo, &c. Ergo non redditur per ingressum religionis ineptior & inhabilior ad observandum mandata dei. Item talis etiam intrans religionem, accipit per hoc statū perfectionis, & attingit, juxta illud Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c. quæ quidē ad votum, seu ad consiliū paupertatis pertinent. Item est istud etiā contra determinationem ecclesiæ, quæ religionem mendicantium approbavit, & confirmavit, ac diversis privilegiis dotavit. Item istud est expressè contra doctrinam Christi: quia consilium Christus trium votorum prædicavit & docuit. Et ad hæc sic arguitur: Christus nihil consuluit, quo quis redderetur inhabilis & ineptus ad observantiam mandatorum dei: sed ipse expressè docuit, & consuluit servare consilia tanquā perfectionis causam: quæ quidem consilia, fundamenta & principia sunt religionum mendicantium: patent omnia supradicta per casum, seu textum evangelicum: qui habetur Matthæi decimonono de juvene, qui Christo dixit: Quid faciam, quod vitam æternam possidebo? Respondit Jesus: Serva mandata. Dixit ei adolescens: Hæc omnia custodivi, quid mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & sequere me. Item divitiæ humanæ difficultant hominem ad ingressum regni cœlorum, quod per observantiam mandatorum acquiritur. Patet etiam istud Matthæi decimonono, quàm difficile est divitem intrare regnum cœlorum. Sed per ingressum religionis potissimè mendicantium, fugiuntur divitiæ humanæ. Igitur, &c. Item sequeretur, quòd religio Apostolica à Christo instituta, Lucæ decimo: quæ quidem est privata, & non omnibus communis, esset causa quoad suum ingressum, qua aliquis redderetur ineptior & inhabilior ad divina præcepta servanda: quod est manifestè falsum. Item illa conclusio favet errori Arriani, qui pro nihilo ponit tria consilia utputa obedientiam, paupertatem & castitatem.

22. ¶ Sancti instituentes religiones præfatas, sic instituendo peccaverunt.

Ista conclusio est falsa, erronea, hæretica & piarū offensiva aurium. Ex ipsa enim sequeretur, quòd instituendo ut aliquis voveat & observet deo obedientiā, paupertatem & castitatē peccat,

peccat. Item inſtituendo obſervantiam evangelii, & imitationem vitæ Apoſtolorum, peccaret, quod eſt blaſphemũ: imò etiam * ſequeretur, quòd Epiſcopus ſanctorũ peccavit inſtituendo religionem evangelicam & Apoſtolorũ, quo nihil blaſphemius eſſe poteſt. Item ſequeretur, quòd Innocentius quartus, Nicolaus quartus, Clemens octavus & alii multi ſummi Pontifices, prædeceſſores & ſucceſſores approbando religiones, & confirmando, ſicut Nicolaus tertius de verbo illo: Exit qui ſeminat. Et in Sexto, & Clemens in cle. cum de Paradiſo peccaſſent. Videtur etiam male ſonans ex virtute vocabuli, religio, quod ſemper ſonat in bonum, eò quòd habet religare virtutibus, ſive votis: & opponitur diſſolutioni, quæ ſemper ſonat in malum. Inde dicitur religio Chriſtiana, de qua Jacobi primo: Religio munda & immaculata apud deum & patrem, hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo, & ſupra: Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt religio. Idcirco ironicè Jeſus filius Syrach. 4. Eccleſiaſtici ſic dicebat: Cum viro religioſo tracta de ſanctitate. Ubi Gloſſa: Prævidenda eſt conſiliorum prudentia, religio & voluntas, &c.

* Nihil habet commune hoc cum illo: ſi quid peccatur, peccatur ex parte hujuſce nugatoris, qui fingit conſequentias, eaſque demum quæſtioni affigit, quæ nihil ejuſmodi ſapit.

23. ¶ Religioſi viventes in religionibus privatis, non ſunt de religione Chriſtiana.

Iſta eſt falſa & temeraria. Tum primò, quia vitæ perfectio ſecundũ Auguſtinuũ in Apoſtolica, conſiſtit in amoris elevatione ab infimis, in cordis reformatione, ac libidinũ cohibitione, in adhærendo deo & ſuis. Sed in iis tribus conſiſtunt religiones privatæ: quia in voluntaria paupertate, elevantur ab infimis, dicentes cum Apoſtolis: Ecce nos reliquimus omnia, &c. Et ſyncera charitate, qua motus carnis cohibent libidines: quia ut ait commentator ſuper veræ evangelicæ Hierarchiæ: Caſtis intellectus oculis caſtitas & ſummus amor: omnino de pravitate corruptionis & integritatis. Et in obedientia, quæ eſt vòluntatis ſubjectio, (teſte Damaſceno libro tertio) quæ eſt melior quàm victimæ. Et ideo dicit melior Gregorius * mor. quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Igitur, &c. Tum ſecundò, quia cum vera religio ſit, qua unus Deus colitur, ut purgatiſſima pietate cognoſcitur ſecundũ Auguſtinũ de vera religione: ubi verius contingit iſta reperiri, quàm in religionibus privatis conformibus vitæ Chriſti & Apoſtolorum ejus, præſertim in abdicatione proprietatis? dicente Nicolao tertio, ut ponitur in 6. cap. Exiit. Hæc eſt via perfectionis, quam Chriſtus oſtendens verbo docuit, exemplo confirmavit, & quam militantis eccleſiæ primi fundatores, prout ab ipſo fonte hauſerant, in volentes perfectè vivere per doctrinæ ac vitæ ipſorum alienos derivaverunt. Tum tertiò, quia Eccleſiã Catholicam errare non contingit, ut habetur in Gloſſa ſuper illud: Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Et Eccleſia Catholica approbat religiones privatas & regulas earundem: ut patet de Auguſtino, Baſilio, Benedicto & Franciſco, cujus regula incorporatur in jure in ſexto Decretalium, ſub tamen vero ſigno, &c.

* Moral. lib. 35. cap. 10. edit. Par. 1586.

24. ¶ Fratres tenentur per labores manuum victũ acquirere, non autẽ per mendicitatem.

Iſta propoſitio eſt falſa, temeraria & erronea, ſi intelligatur univerſaliter. Patet. Repugnat enim Gloſſa, quòd ſancti meritò avibus comparantur, cœlum petunt: & quidam ita remoti ſunt à mundo, ut jam in terris nihil agant, nil laborent, ſed contemplatione jam cœlo degant. Item Gregorius ſuper Ezechielis 3. in ſecunda parte Homiliæ ſecundæ dicit, quòd contemplativa vita eſt, charitatem dei & proximi totaliter retinere, & ab exteriori actione quieſcere, ſoli conditori inhærere. Ex iis ſequitur, quòd fratres ducentes vitã contemplativam, non tenentur per labores manuum victum acquirere. Item vacantes prædicationi evangelii, licet de prædicatione evangelii vivere. Unde ſecundum Apoſtolum prima Corinthiorum nono: Dominus ordinavit iis, qui evangelium nunciant, de evangelio vivere. Item licet eis Chriſtum ſequi, in cujus perſona dicitur per Pſalmiſtam: Ego autem mendicus ſum & pauper, dominus ſolicitus eſt mei. Igitur licet eis mendicando victum acquirere. Item eſt contra regulam fratrum Minorum incorporatam in ſexto, ubi dicitur: Vadant pro eleemoſyna confidenter, nec oportet eos verecundari: quia dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Item eſt contra Decretalem Nicolai tertii ubi eximuntur à labore fratres modò dicti, divinis officiis occupati, & contemplationem cœleſtium deguſtantes, & Chriſto fratres tribus prædictis fratrum generibus miniſtrantes & ſervientes.

25. ¶ Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare prò aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.

Iſta

Ista conclusio si universaliter intelligatur, est falsa, temeraria, contra bonos mores & erronea. Patet primò, quoniam est contra charitatem & recognitionem beneficii accepti. Item secundò, quia tales subventiones temporales recipiens obligatur ex debito deum orare pro conferentibus. Item est contra doctrinam Christi, qui docuit pro beneficio temporali recepto dare spirituale beneficiū. Patet Lucæ 10. Dignus est mercenarius mercede sua. In quācunq; civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apud illos sunt, & curate infirmos, qui in illa sunt. Et Matthæi 20. Voca operarios & redde illis mercedem. Item tertiò patet per illud, quod habetur primâ Corinth. 9. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum est si nos carnalia vestra metamus. Item prima ad Corinthios 9. 7. Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Item Gregorius super illo verbo: Dignus est operarius, &c. ait: Sumunt enim jam de mercede operarii ipsa alimenta sustentationis. Et infra: qua in re considerandum est, quòd uni operi nostro duæ mercedes debentur: una in via, quæ nos in labore sustentat: & alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat. Item Christus exemplo etiam reddere pro temporali spirituale docuit, Lucæ 19. Dum Zachæus publicanus eum hospitio recepit, Christus idem Zachæo dixit: Hodie huic domui salus à deo facta est, venit enim filius hominis quærere & salvum facere quod perierat, &c.

26. ¶ Oratio præsciti nulli valet.

Ista est falsa, erronea, si universaliter intelligatur: quia tunc sequeretur, quòd opus bonum de genere factum, in charitate factum & ex charitate, non esset meritoriū alicujus temporalis præmii, vel æterni, contra illam regulam vulgarem. Sicut nullum malum impunitū, ita nullum bonum irremuneratum. Præterea bona opera facta in peccato mortali ad aliquid valent, saltem ad præmium temporale. Igitur à fortiori bona opera in gratia & ex charitate. Hæc enim conclusio est contra Augustinū ad Parmenian. sic dicentē: * Verba quæ pro populo dicuntur in precibus, etsi à malis dicantur episcopis: exaudiuntur tamen, non ob perversitatē præpositorū, sed pro devotione populorū. Itē Jacobi quinto sic inquit: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent pro eo, ungentes eum oleo sancto, & oratio fidei salvabit infirmum. Ubi constat secundū doctores s. magistrū disti. 24. quarti, & Hugonē de sacramentis, quòd Jacobus instituit sacramentū unctionis extremæ, quod datum in præceptū saltem ne contemnatur vel negligatur secundū magistrum dist. 24. quod esset difficile ad implendum, immo impossibile, nisi ex revelatione divina, cum sine illa nesciatur quis est præscitus, aut quis prædestinatus. Igitur, &c.

* S. Augustinus contra Epistolam Parmeniani. lib. 2. cap. 8.

27. ¶ Omnia de necessitate absolutâ eveniunt.

Ista propositio est falsa & erronea: quia ex ipsa sequitur primò superflua esse præcepta, prohibitiones, leges, Consilia & monitiones, omnia ista sunt absurda. Nā de monitione dicit Augustinus in [de lib. arbit] Qui æstimat non esse monendum hominem bene vivere, de hominum numero non est existimandus. Et ita conformiter de præceptis, prohibitionibus & similibus. Et consequentia patet, quis enim præcipit, prohibet, consulit, aut monet solē oriri, cras pluviam non esse, hyemem, & sic de cæteris, quæ necessitate absoluta legi naturæ inevitabili currunt? Sequitur secundò obliquitas, deformitates & peccata tolli, teste beato Augustino: Nemo peccat in eo quod vitare non potest. Et 34. quæst. 1. nullo modo ad opprobriū malæ voluntatis trahitur, quod conditio necessitatis extorsit. Sequitur tertiò, omnem actū laudabilem, virtuosū, meritoriū, etiam præmiū & liberum arbitriū excludi. Omnia ista absurda: nam de præmiis distinctione secunda, liberi arbitrii condidit nos deus, nec ad virtutes, nec ad vitia trahimur aliquando, ubi authoritas & corona non est. Et Tullius de fato & divinatione, Qui dicunt necessitate evenire, quæ futura sunt, fati necessitatem confirmant. Et sequitur statim ibidem: Hi hominem voluntate spoliant, necessitate devincunt: quod tolerabile non est, Consequentiæ patent, quia non laudamur, nec vituperamur, meremur aut præmiamur, nisi de iis quæ sunt in potestate nostra ad utramque partem contradictionis flexibilia: quæ non contingerent si omnia de necessitate absoluta evenirent. Præterea, sicut memoria nostra non cogit facta esse quæ prætereunt: sic dei præscientia non facienda quæ futura sunt, per Augustinum de libero arbitrio. Sed propter aliud nihil, teste Richardo 53. quàm propter divinam præscientiam monentes homines errantes ad concedenda omnia futura de necessitate evenire, &c.

28. ¶ Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

Ista

Ista est injuriosa & erronea. Infamat enim prælatos de cupiditate lucri & honoris, contra illud quod dicitur Exodi 22. Diis ne detrahas: Glossa, id est prælatis. Quod etiam sit falsa, patet per illud: quod est in jure divino & ecclesiastico, attribuit cupiditati. De jure enim divino soli episcopi possunt sacros ordines conferre: nam dominus habuit discipulos quosdam in numero duodenario Lucæ 11. Quosdam in numero septuagenario Lucæ 4. Primos apostolos nominavit, supra * quos ecclesiam fundavit, ad Ephesios 2. Superædificati supra fundamentum apostolorum & prophetarum. Et ipsis primò fuit collata potestas imponendi manus, & consecrandi Aaron, & simplices discipulos: ut patet in textu & glossa Actuum 8. Apostolis verò succedunt episcopi, & episcopis simplices sacerdotes, ut habetur 21. cap. in novo testamento: patet autem quòd potestas ordinandi & manus imponendi, seu confirmandi secundum formam ecclesiæ primitivæ episcopis approprietur: nimia enim esset confusio, si quilibet sacerdos posset sacros ordines conferre, & potestatem Hierarchicam: sed cuilibet presbytero liceret officia ecclesiasticæ Hierarchiæ exercere, distribuendo ordines ecclesiasticos, officia & gradus. Item consecranda est ecclesia per episcopum, ut patet de conse. dist. 2. cap. 1. Igitur, &c.

Extra glossam nihil sapit hic autorculus.

* Quid igitur fiet de petra Petri?

29. Universitates, studia, collegia, graduationes & magisteria in eisdem, sunt vanâ gentilitate introducta, & tantum prosunt ecclesiæ sicut diabolus.

Ista conclusio est falsa, injuriosa, scandalosa, contra bonos mores, in fide suspecta. Patet primò, quia illud quod recta & justa intentione, ac in sancta dei ecclesia pro utilitate reipublicæ ecclesiæ est introductum, non debet censeri quovis modo vanâ gentilitate introductum: sed universitates, studia, collegia, graduationes & magisteria sunt hujusmodi, igitur, &c. Major est nota de se: & minor probatur, quoniam non est verisimile, nec etiam ecclesiæ credendum, quòd ecclesia sancta universitates, studia, &c. fundaret & approbaret, & privilegiis dotaret, nisi ipsa forent talia, sicut & sunt: igitur. Item omne illud quod est authoritate ecclesiæ introductum, non est vana gentilitate introductum: sed universitates, studia, &c. sunt authoritate ecclesiæ introducta: igitur, &c. Major est nota de se: minor probatur, quoniam universitates, studia, &c. authoritate sedis apostolicæ, & nullius alterius sunt introducta. Item per universitates & studia, graduationes & magisteria, & talia collegia, valentes & notabiles personæ vita & scientiis, maximè sacræ paginæ fuerunt dotatæ, & in illis educatæ: quarum doctrina, scientia, libris, vita, ecclesia dei fulget ut sol & luna: ut patet inter alios de doctoribus, scilicet sanctis Bernardo, Anselmo & Thoma de Aquino, & pluribus aliis doctoribus. Istud etiam patet per generale Concilium ecclesiæ, extra. de magistrorum super specula. Item in antiqua lege fuerunt doctores & magistri, qui non fuerunt vana gentilitate introducti, Lucæ secundo. Invenerunt Jesum in templo, in medio doctorum sedentem, & audientem illos, & interrogantem. Item Johannis tertio, de Nicodemo, cui Christus dixit: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Super quo Hieronymus in prologo. 4. Oportet laudare Israelis doctrinam & sapientiam, & ita hortor, itáque fomentum benevolentia, attentione, & studio lectum facere. Item in lege nova fuerunt etiam doctores, quos Christus instituit, qui non fuerunt vana gentilitate introducti, ut patet ad Ephesios: Ipse, supple Christus, dedit quosdam doctores & pastores ad consummationem sanctorum, & opus ministerii. Actuum 13. Erant in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas, Simon, Lucius & Saulus. Ipse etiam Saulus, sive Paulus fuit ecclesiæ universalis doctor, &c.

30. Excommunicatio papæ, vel alterius prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

Ista causalis quantum ad ejus primam partem, est falsa & erronea, & contra determinationem ecclesiæ & clavium, & jurisdictionis ecclesiasticæ, & gladii spiritualis * damnabiliter contemptiva. Quoad secundam partem est falsa, injuriosa & etiam scandalosa. Primum patet in Decretali Gregorii, de Sen. excōmunicationis: cum excōmunicatio sit medela. Item quia tunc Paulus optasset Antichristi censurā, cum optavit pseudoapostolis anathema. Item Apostolus præcepit Corinthiis usum hujusmodi censuræ, unde mandavit turpem fornicatorem extra communionem poni, Corinth. 6. Item princeps spiritualis debet uti gladio principaliter ad correctionem malorum, aliàs frustra haberet gladium: qui quidem gladius est potestas excommunicandi. Cæterum excommunicatio etymologicè est à communione ecclesiæ separatio 11. q. 2. cap. Nihilq;. Prodest interdū excommunicatio ut erubescat, & ne sacramentis se indignè immisceat, expedit etiā excommunicatio: quia punitio ejus transit cæ-

* Articulus damnabiliter contemptivus clavium. Hic censor articulorū fuit certè professor eloquētiæ in aliqua earum, quas laudat, Universitatum; sed qua, nescio; argumenta hominis paria sunt loquutioni.

 teris

teris in exemplum, & ne alios inficiat. 24. quæst. 3. cap. Resecandæ. Et sunt putridæ carnes: & scabiosa ovis à caulis est repellenda, ne tota domus, massa, corpus & pecora, ardeant, corrumpantur per eas & intereant. Arrius in Alexandria una scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressa, per totam urbem flamma ejus propalata est. Secunda pars patet, quia per eam contemnitur ecclesiastica censura, scilicet excommunicationis, quæ est major, imò maxima ecclesiæ pœna. Etiam est injuriosa, videlicet excommunicationem Papalem attribuere Antichristo: quasi volens innuere quòd Papa sit * Antichristus, & ulterius quòd Antichristus talem censuram exercere non potest, cum non habuerit jurisdictionem in ecclesiastica hierarchia, &c.

* Monstrum horrendum!

31. ¶ Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.

Samuel Institutor Conventuum: Monasteria ergo sunt originis Judaicæ.

Ista conclusio est falsa, erronea & sapiens hæresim. Nam ex ista sequitur primò, Samuelem prophetam fuisse diabolicum. Secundò prophetas fuisse diabolicos. Tertiò Johannem Baptistam fuisse diabolicum. Quartò Christum & apostolos fuisse diabolicos: omnia ista sunt nefanda. Primum patet, quia religiosorum conventus primus Samuel constituit jugiter psallentium domino. Et magister in historiis super illo: Ebrium herbis gregem prophetarum. Secundum patet, quia religiosorum personam gesserunt prophetæ, & eorum sequaces, ut patet in eodem, & Hieronymus 62. filii quidem prophetarum, quos monachos in veteri testamento legimus, ædificabant sibi casulas prope fluenta Jordanis, & urbibus derelictis, polenta & herbis agrestibus victitabant. Tertium patet, quia Johannes Baptista in eremo vixit, cui vestis aspera, zona pellicea, mel sylvestre, omnia virtuti & continentiæ præparata. Unde Hier. in epistola 60. ad Eusebium, refert Josephum talium in secunda Judaicæ captivitatis historia scripsisse vitam. Anachoritarum author fuit Paulus & illustrator, ante Christum princeps Johannes Baptista. Quartum patet, quia filius Dei cum esset dives omnium, factus est tamen propter nos egenus: qui sacram religionem veritatis instituit, & authenticavit quando pauperes elegit, divites jussit ut relictis omnibus eum sequerentur, Matt. 4. Venite post me, &c. Et de qua apostoli gloriantur. Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quod est apostolici vestigii, ut ait Hieronymus epistola 8. Ex hoc fecit apostolos, ait Chrysostomus super Matthæum in homilia 46. Magna ergo apparet insania detrahentium religionibus privatis imitantibus vitam Christi, & apostolorum religionem, quam Christus discipulis tribuit, & aliis prædicavit, Matth. 4. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c.

32. ¶ Ditare clerum, est contra regulam Christi.

Ista videtur falsa & erronea, cum regula Christi extendat se non solùm ad contemplativos, sed etiam ad activos, ut patet per glossam Lucæ 10. ubi comparat Mariam vitæ contemplativæ, & Martham activæ. Prælati namq; utramq; vitam debent exercere, quia exemplo Moysi qui sæpe ingrediebatur tabernacula fœderis, & ibi vitam contemplativam ducebat; & sæpe egrediebatur ad populum per vitam activam regendam, ut patet in libris Levitici & Numerorum. Similiter Johannes laudat Gaium virum religiosum in tertia canonicâ dicens: Fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu ecclesiæ, quos benefacies deducens dignè Deo. Et sequitur postea: Nos ergo debemus suscipere hujusmodi. ubi gloss. videtur innuere, quòd viri ecclesiastici tenentur & dicuntur suscipere fratres peregrinos, quod pro nomine Dei profecti, & eisdem humanitatem impendere providendo de necessariis. Unde sicut præcipuè sacerdotes tenentur omni poscenti rationem de ea quæ in nobis est spe. 1. Petri 3. ad confortandum fidem pusillorum: sic valde utile est ad confortandum charitatem infirmorum, habere divitias quibus sustententur: exemplo beati Clementis, qui non sinebat pauperes quos unda baptismatis renovaverat, publicæ mendicitati esse subjectos, ne donis gentilium coinquinarentur, &c.

33. ¶ Sylvester Papa & Constantinus Imperator erraverunt, ecclesiam ditando.

Ista conclusio est temeraria, scandalosa, in fide suspecta, contra bonos mores & erronea. Patet, quoniam quilibet homo tenetur de jure obsequi Deo, sive servire de bonis fortunæ: igitur, &c. Major est nota de se, & minor probatur per illud quod habetur Matth. 10. Qui vos recipit, me recipit, loquebatur Christus de discipulis: & qui recipit, recipit illum qui me misit. Item Christus suæ ecclesiæ factum, sibi putat factum fore, patet Acto. 9. de Paulo, qui persequebatur ecclesiam, cui Christus dixit: Saule, Saule, quid me persequeris? Igitur si hoc quidem

quidem per Constantinum & Silvestrũ in ditando ecclesiam factum fuit non ex hoc ipsi erraverunt, cum Christus sibi factum fuisse putet, etiam per illud Matth. 16. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Item patet per illud: Quoniam ecclesiam ditare non est errare: patet, quoniam aliàs sequeretur, quòd Moses ex præcepto divino decimis, primitiis & aliis oblationibus ditando synagogam, quæ erat signum & figura ecclesiæ, errasset: quod est manifestè falsum. Item etiam & vir fortissimus Judas 12. millia drachmas argenti mittendo Hierosolymam sacerdotibus errasset: quod falsum est. Item & Patritius Romanas ditando de omnibus bonis suis ecclesiam in honore virginis Mariæ, errasset: quod est falsum. patet, quoniam beata virgo Maria mater Christi oblationem acceptavit, & miraculo nivis approbavit. Item papa, Christi vicarius, * est dominus omnium temporalium, sicut est spiritualium, ut patet 22. distin. cap. Omnes. ubi supra. Deus beato Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cœlestis imperii jura commisit. alicui dare quod suum est, non est errare: patet de se. ergo tempore apostolorum ditantes ecclesiam, non erraverunt, ut patet Actuum 4. Neque enim quisquis egens erat inter illos, supple apostolos & discipulos, in quibus tamen erat ecclesia: quotquot enim possessores agrorum erant, vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum. Item Ananias & Saphira uxor ejus, dum fraudarent de pretio agri, quod multitudinis credentium erat, subitanea morte extincti sunt Act. 5. igitur, &c.

* Papa Imperator Universalis constituitur à Gratiano & obscuro isto illius interprete.

34. ¶ Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum dei absque authoritate apostolicæ sedis, vel episcopi authoritate.

Ista conclusio est falsa, & contra determinationem ecclesiæ, erronea & temeraria. Unde extra de hære. cum ex injuncto, expressè ista conclusio damnatur, allegando illud Apostoli ad Corinth. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Ubi respondet papa antiphorice illis, qui prætenderent se à deo invisibiliter missos, cap. præallegato sic dicens: Non sufficit cuiquam asserere, quòd ipse sit missus à deo, cum hoc quilibet hæreticus asseveret. Sed oportet quod asseverat suam invisibilem missionem, vel per operationem. Unde cum dominus vellet mittere Mosen in Ægyptum ad filios Israel, qui ut crederent ei quod mitteretur ab ipso, dederat ei signum quòd converteret virgam in colubrum, & iterum informaret in virgam. Johannes quoque Baptista suæ missionis speciale testimonium protulit & scriptum, respondens sic sacerdotibus & levitis, qui missi fuerant ad interrogandum eum quis esset, & quare officium baptizandi assumpsisset: Ego vox clamantis in deserto, &c. Non ergo ei credendum qui dicit se missum à deo, nisi de se testimonium proferat speciale de scripturis, vel evidens miraculum operetur. Nam de his qui missi dicuntur à deo, Evangelista loquitur & testatur, quòd prædicaverunt ubique domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Item ex ista conclusione sequeretur, quòd quicunque, non obstante inhibitione sedis apostolicæ, sacerdos vel diaconus possit prædicare: & sic hæretici non possunt à prædicatione arceri: quod est temerarium dicere, & ecclesiæ periculum ex hoc non modicum immineret.

35. ¶ Ingredientes ordinem vel aliquam religionem, eo ipso sunt inhabiles ad observandum divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad regnum cœlorum, nisi apostataverint ab eisdem.

Ista conclusio est falsa & erronea & ad malum inductiva. Tum primò, quia via consiliorum difficilior est viâ præceptorum, propter quod Christus de consiliis ait: Qui potest capere, capiat, &c. De virginibus præceptum domini non habeo, consilium autem do: & Hieronymus in epistola 96. Grandis virtus, & solicitæ diligentiæ, servare quod natus sis in carne non carnaliter vivere, tecum perpugnare quotidie, & inclusum hostem Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare. Sed ingredientes religionem ad hujusmodi consilia se obligant, ut patet in tribus votis, & illa observare possunt, aliàs se ad impossibilia obligarent: igitur & à fortiori & præcepta. Tum secundò, quia Matthæi quinto: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; Insinuat Christus per hoc paupertatem fundamentum esse virtutum & beatitudinum: sed ingredientes religionem, ad hanc se obligant, secundum exigentiam sui status propter Christum, quod melius quàm monasteria construere, & pauperes sustentare, ut ait Hieronymus in epistola. Qualem vitam habuere credentes Alexandriæ sub Marco Evangelista, ut narrat Eusebius vir doctus libro primo Ecclesiasticæ historiæ, cap. 16. Primò (inquit) omnium, renunciabant cunctis facultatibus, & extra urbem egressi, in hortulis vel exiguis agellulis degebant: & effugientes impiorum proposita, & vitæ dissimilis contubernia, scientes impedimento esse arduum volentibus iter virtutis incedere: multa ibi sequuntur stipendia, quorum nonnulli servan-

tur à religionibus servatis. Tum tertiò, quia extremæ dementiæ est, dicere ingredientes religionem non posse pervenire ad regnum, nisi apostataverint: cum scitur quòd per ecclesiam approbati, & canonizati ad ingressum eorum mutentur: ut patet in epistolis beatorum Bernardi, Augustini & Hieronymi. Unde Hieronymus in epistola 35. Licet parvulus ex collo pendeat nepos: licèt crine, & scissis vestibus ubera quibus te nutriverat mater ostendat: licet in luto pater jaceat: proculcato patre progredere, & oculos ad vexillum eleva: nam solum pietatis genus in hac re est crudelissimum.

36. ¶ Papæ cum omnibus clericis suis possessionem habentibus, sunt hæretici, eò quòd possessionem habent, & omnes consentientes eis domini seculares, & cæteri laici.

Ista falsa videtur & temeraria, quia non omnes clerici voverunt paupertatem, nec videtur aliqua regula generalis data à Christo quæ eos obliget, quoniam ipsi possunt saltem ut dispensatores recipere divitias, dicente Augustino super Johannem: Habuit (inquit) dominus loculos, à fidelibus oblata conservans, ut suorum necessitatibus & aliis indigentibus subveniret. Et tunc primum ecclesiastica pecunia instituta est, ut intelligeremus quod præcepit non esse cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut potestate nihil servaretur à sanctis: sed ne deo propter ista non serviretur, & propter inopiæ timorem justitia deseratur. Unde sanctus Paulinus episcopus non contempsit facultates, ut patet in ejus legenda. Similiter sanctus Hilarius Arelaten. episcopus, non solùm ille quæ tunc habebat ecclesia possedit, sed etiam acceptis fidelium munerum hæreditatibus, ampliavit: ut 12. q. 1. Expedit. Item sanctus Ambrosius de vita & obitu in libro Theodosii, dicit, quòd Constantinus eò quòd hæreditatem fidei principibus reliquit, magni locum meriti reperit. Item quis præsumeret hæreditare beatissimos Sixtum Papam & Laurentium archidiaconum, Romanam ecclesiam, qui habuerunt thesauros ecclesiæ, ut patet in eorum legendis. Item levitæ erant figura cleri novæ legis, & tamen dicit dominus Moysi: Præcipe filiis Israel, ut dent levitis de possessionibus suis, Numeri 35. Igitur à simili, clerus potest habere possessiones: & per consequens non sunt hæretici, dummodo aliàs à fide non devient.

37. ¶ Ecclesia Romana est Synagoga satanæ, nec Papa est immediatus & proximus vicarius Christi & apostolorum.

¶ Ista conclusio est falsa, scandalosa, erronea & hæretica. Primò patet quoad primam ejus partem, quoniam omne illud extra quod non est salus, supple animæ quoad vitam æternam, non est synagoga satanæ, sed ecclesia Romana est hujusmodi: igitur, &c. Major nota est de se, minor probatur extra: de summa trinitate & fide catholica; capite. Firmiter. ubi primo sic habetur: Una est fidelis universalis ecclesia, extra quam non est salus, & est Romana ecclesia, ut patet 12. dist. cap. Non licet. ubi sic dicitur: Non decet à capite membra discedere, sed juxta scripturæ testimonia, omnia membra caput sequantur: nulli verò dubium est, quòd apostolica & catholica ecclesia, mater sit omnium ecclesiarum, à cujus regulis nullatenus convenit deviare: & sicut filio convenit facere voluntatem patris, sic & nos oportet replere voluntatem nostræ matris, quæ est ecclesia, cujus caput Romana consistit ecclesia: igitur, &c. Item secundò, omne illud cujus de necessitate salutis oportet sequi regulas, non est synagoga satanæ: sed ecclesia Romana est hujusmodi: igitur, &c. Major nota est de se, minor probatur dist. 2. quæst. 6. cap. Sacrosancta. ubi sic dicitur: Sacrosancta Romana & apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso salvatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Secunda pars probatur sic: Non aliter est sentiendum, quàm quod Romana sentit ecclesia: sed sancta Romana ecclesia sentit, quod Papa est immediatus & proximus Christi, & apostolorum vicarius: igitur, &c. Major est extra: de hoc, cap. ad Abolendum. minor nota est de se, maximè cum sit caput Romanæ ecclesiæ, quæ est caput universalis ecclesiæ: ex jam dictis, & etiam per illud quod habetur lib. 6. de pœnis, ecclesia Romana omnium ecclesiarum caput est, & magistra. & in Decretis dist. 12. cap. Romana ecclesia caput est omnium ecclesiarum. Item minor patet per illud, quod habetur Johannis ultimo: Simon Johannis diligis me plus iis, &c. Et dixit Jesus: Pasce oves meas. Cum igitur jam ex dicta Decretali, cap. Ad abolendum. universalis ecclesia, cujus caput Romana ecclesia, sentit Papam esse proximum & immediatum Petri, & verum vicarium Jesu Christi: ut patet de se & ex cap. præallegato: igitur, &c.

38. ¶ Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seductivæ à fide Christi: & clerici sunt stulti qui eas studeant.

Ista

Ista conclusio habet tres partes. Prima pars est contra determinationem ecclesiæ, extra. de const. ubi dicitur: Cujus constitutiones summorum pontificum sunt servandæ. etiam est contra dictum Hilarii papæ 24. q. 1. cap. Nulli fas. ubi sic dicit: Nulli fas sit sine sui status periculo contra divinas constitutiones, vel apostolicæ sedis Decretales temerariè loqui. Est etiam contra dictum Damasi papæ cap. Violatores, ubi sic dicit: Violatores Canonum voluntariè, à sanctis patribus graviter judicantur: & à Sancto Spiritu, cujus instinctu conscripti sunt, damnantur: quoniam * blasphemare Spiritum Sanctum congruè judicantur. Est etiam contra dictum papæ hoc, in eadem causa, cap. Prima salus. ubi sic dicit: Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutionibus patrum nullatenus deviare. Est etiam contra Decretalem Adriani papæ, ibidem cap. Generali. ubi sic ait: Generali decreto sic statuimus, ut extunc anathema fiat & velut prævaricator fidei orthodoxæ, semper apud Deum reus existit quicunq; regum, seu episcoporum, vel potentum, deinceps Romanorum pontificum, Decretorum censuram, quemquam delere, aut violare permiserit. Ex quibus omnibus patet, quòd Decretales non sunt apocryphæ summorum pontificum. Secunda pars est hæretica, cum Decretales permaneant, & profiteantur Christi fidem illæsam, ut de sum. trin. de cel. miss. de bap. & de aliis sacramentis insurgentes hæreses condemnando, ut patet Decretalium volumina perlegendo. Unde summus jurium vertex Franciscus de Zabarellis in sermone quem fecit Paduæ, Anno Domini M. CCC. XCII. pro principio lectionis suæ ibi in laudem hujus scientiæ pulchrè sic inquit: Quid enim legis maximè Canonicæ potissimum, nisi ut illabefactam & incontaminatam mentem, à terrestri contagione conservans, ducat in dei notitiam, dilectionem & inhærentiam? hæc est sola sapientia, præcipuè † Canonica, quæ ab altissimo, ante secula prodiens, & in statum pauperum ad creaturarum regimen delata hominibus, hominem gloriosè sublimat, à luxuque præservat, quibus utatur instruit, & quo ordine temporalia regantur suadet, ceremoniasque & earum cultus instituit: qualiter urbi quoque moderationem, parentibus, cognatis, affinibus, amicis, notis & ignotis omnibus per officia paremus. Et idem in sermone anni sequentis sic concludit: Hanc igitur amate, hanc exquirite; hæc conversorum: quoniam cæteræ partes erudiunt hominem; hæc secundum omnem modum perficit, per quam omnes gradus virtutum prompti redduntur & faciles: quemadmodum Deus colendus, qualiter diligendus proximus, honore quo celebrandi parentes, quali fide observanda, tutanda, regendaque patria, quis divinarum & humanarum rerum sit ordo, quis modus, quicquid denique secundum omnes ætatum distinctiones hominem deceat, hac sacratissima sapientia canonica tradit uberrimè: in hac enim est perfecta ætas, virtus & sapientia: & quicquid alibi quæritur, hic perfectissimè invenitur. 37. dist. 1. Sed econtra tertia pars est erronea, blasphema & injuriosa, impingens contra sententiam Innocentii 3. Gregorii 9. Bonifacii 8. Clementis 5. & Johannis 8. hi præcipientes universitatibus, clericis, doctoribus & scholaribus, tam Bononien. quàm Avinionen. quatenus eorum Decretales aliqui legerent & studerent. Item patet quòd Decretales, quæ parti suæ philosophiæ morali pro sui magna parte subalternantur, fugiunt vitium & stultitiam, ut supra plenè secunda parte demonstratum est: & per consequens studendo in eis, tales non sunt stulti, &c.

* Caus. 25. q. 1. Si violatores Canonum voluntariè blasphemant Spiritum Sanctum (ut statuit Damasus) quis potest esse certus de salute multorum Pontificum, imò vel ipsius Damasi, qui ejusdem blasphemiæ reus peragitur à Faustino presbytero? sed blasphemia in S. Spir. longè alia res est: cuiq. remittendæ nulla Pontificum autoritas ausa est se dicere parem.

† Vide eundem Zabarellam de Schismate alia prædicantem: inter collect. Schardii vel Goldasti.

Pentas Pontificum.

39. Imperator & domini seculares seducti sunt à diabolo, ut ecclesiam dotarent de bonis temporalibus.

¶ Ista propositio est falsa & erronea: quia Prover. 3. dicitur: Honora Deũ de tua substantia, &c. Imperator ergo honorando Deum in dotatione sponsæ Christi de sua substantia non est seductus à diabolo, imò fecit quod debuit, nam testante Gregorio: Tanto quis debet esse humilior, atq; ad serviendũ promptior: quanto se obligatiorem conspicit. Tum secundò, quia ratio dictat quòd dei minister sustentaretur de substantia divitũ & potentum: & quòd seminantibus spiritualia debent ministrare 1. Corinth. 13. Si nos vobis spiritualia seminamus, non est magnum, si carnalia vestra metamus. & super illud Psalmistæ. Sumite psalmum, & date tympanum: Glossa, id est, sumite spiritualia, & date temporalia. Igitur Imperator & principes seculares, ac alii ordinatione divina in temporalibus abundantiores, non fuerunt seducti igitur, &c. Tum tertiò, quia prælati sunt dispensatores ecclesiæ bonorum, teste Augustino ad Bonifacium: Si privatim quæ nobis sufficiunt possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperũ, quorũ procurationem gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus: seculares igitur principes ecclesiam de bonis temporalibus ad finem præmissũ dotantes, fecerunt opus pium & meritorium. Præterea cum sine fide salvatoris implicita vel explicita, nulli hominum poterat esse salus. Actuũ. 4. & in temporis processu fuerit majus & minus monstrata, secundũ Alexandrũ de Hales in sum. li. 3. Et primò in natura deitatis, hinc honorari

Psalmus & tympanum, spiritualia & temporalia: pulchrè.

debuit primitiis & primogenitis gregis Abel, ut significaretur quòd ille qui erat principium conditionis, & primogenitus dei filius, esset principium reparationis. Secundò, quia revelabitur in natura creata, in qua sumunt officium redemptoris, offerentis per oblationem prælationis pro hominibus ad deum, hinc honorari debuit in victimis & sacrificiis. Et tertiò, quia in natura humana, & non angelica explevit officium redemptionis, hinc honorari debuit in decimis, quibus designatur natura humana, ut patet Lucæ 15. igitur in tempore gratiæ, omnia de salvatore completa sunt, debuit honorari in amplioribus à fidelibus Christianis bonis temporalibus, maximè ab Imperatore & principibus: cum illi magis abundent, juxta dictum Christi, nisi abundaverit justitia. Et Numerorum 25. præcepit deus filiis Israel, ut dent levitis de possessionibus urbes ad habitandum, & suburbia pecoribus ac jumentis, Levitici ultimo. Si quis agrum possessionis vovit domino, sanctificatus domino erit, & possessio consecrata, & ad jus sacerdotum pertinebit. Seculares ergo principes sic facientes, zelo dei conformiter egerunt. Et igitur sic agendo, seducti non fuerunt à diabolo, &c.

40. ¶ Non est de necessitate salutis, credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

Ista conclusio est falsa, temeraria, erronea & hæretica, si intelligatur pro tempore præsenti; probatur primò sic: Omne illud quod Christus fundavit, & instituit tanquam summum in via omnium ecclesiarum, est de necessitate salutis credendum: sed Romana ecclesia est hujusmodi: igitur, &c. Major nota est de se, & minor probatur 22. dist. cap. Omnes. ubi sic dicitur: Omnes cathedras, vel ecclesiarum cujuscunque ordinis dignitatem instituit Romana. Illam verò solus Christus fundavit, & supra petram fidei mox nascantis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cœlestis imperii jura commisit. Item secundò sic: Omne illud cujus oppositum credere est hæreticum, est de necessitate salutis credendum, sed Romanam * ecclesiam sic credere, est hujusmodi: igitur, &c. Major nota est de se, & minor probatur dist. 19. ubi sic dicitur: Qui non obedit statutis Romanæ ecclesiæ, est hæreticus & excommunicatus: hoc est dictum †† Johannis ibidem, si talis, dicit, Romanam ecclesiam totaliter credat non esse caput universalis ecclesiæ, nec posse Canones condere. Ista eadem conclusio ad suam falsitatem & condemnationem, patet ex jam immediatè allegatis Decretis tribus: igitur, &c. Item & per Decretum, quod habetur 12. quæst. 1. c. Romana. ubi sic dicitur: Romana ecclesia caput est omnium ecclesiarum: igitur, &c. Item omne illud est credendum, quod est de necessitate salutis, ad cujus judicium majores ecclesiæ causas, ut principia fidei oportet referre, secundum illud est sedes Petri, qui est Romana ecclesia: igitur, &c. Major nota est de se, minor probatur extra: de bap. & ejus effec. cap. Majoris, &c. Item dist. 2. Decreti, cap. Omnis, ubi sic dicitur: Omnis qui Romanæ ecclesiæ privilegiis ab ipso summo omnium ecclesiarum in hæresim labitur, est hæreticus, &c.

* Est aliquid insigniter in- ... & syl- ... è de- ...

En! quàm fortiter arguit. Lex Pontificum arrogat sibi jus in Ecclesias alias --- Ergo: quasi totus terrarum orbis cæco syllogismo esset in servitutem abducendus.

41. ¶ Fatuum est credere indulgentiis Papæ.

Ista est erronea & contra bonos mores: ex ipsa enim sequitur, quòd ecclesia non haberet potestatem in remittendo peccata, & consequenter non esse verum verbum Christi, videlicet, Quodcunque ligaveris super terram, &c. Matth. 16. & Johan 20. Quorum remiseritis peccata, quod nedum intelligitur de reatûs culpæ remissione, sed etiam de pœnæ immutatione. Secundò similiter conclusio ad episcopos de relaxatione, &c. Item sequeretur, quòd sponsus universalis ecclesiæ, & sponsi peculiarium ecclesiarum, suscitantes semen fratris sui, scilicet Christi eosdem, & earum sponsi priorum non possent distribuere de bonis sponsi priorum, scilicet de merito passionis ejusdem relictis ad usum sponsæ. Sequeretur etiam, quòd non possunt de bonis sponsæ, & de peculio filiorum & filiarum ejusdem, scilicet de meritis supererogationis sanctorum martyrum, confessorum & virginum, quia sunt thesauri ecclesiæ sponsæ Christi: quod asserere, est contra leges divinas pariter & humanas.

Quantum profuisset huic authori, tempore Martini Lutheri vixisse!

42. ¶ Juramenta quæ fiunt ad humanos contractus & civilia commercia, sunt illicita.

Ista videtur falsa & erronea: tum quia licitum est, quod nulla lege vel jure prohibetur, per Augustinum in sermone apostolorum: sed jurare in contractibus licitis & honestis & commerciis civilibus politiæ utilibus, nulla lege & jure prohibetur: igitur, &c. Tum secundò, quia jurare est actus virtutis & latriæ, dum transeat super debitum objectum, per Hieronymum in glossa super illo, Reddas domino juramenta sua, sed justa commercia licita & honesta sunt super debitum objectum, cum sint utilia politiæ: igitur, &c. Tum tertiò, quia secundù Augustinum

gustinum in sermone de perjurio, Jurare est deum invocare ad testimonium. Et secundum Richar. implicitè est facere in deo infallibilem veritatem, & omnem cognitionem & provisionem. Et sic jurando, deo exhibet honorem debitum: igitur in contractibus & commerciis honestis jurare est licitum, dum causa assit utilis, necessaria & honesta. Legimus enim deum & sanctos in veteri testamento jurasse in pactis & fœderibus: quibus fortè ad bonum politiæ mundanæ non sunt minores contractus & commercia civilia.

43. ¶ Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt: nisi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt possessiones, & instituerunt & intraverunt religiones: & sic à Papa usque ad infimum religiosum, omnes sunt hæretici.

Ista propositio infert blasphemiam, contra Christi consilia, dictis sanctis. Nam sancti prænominati fundaverunt religiones suas, & instituerunt secundum vitam apostolicam & consilia Christi, relegando eos qui venerunt, ad certas cæremonias & circumstantias, per quas melius, sincerius & securius possent servare mandata dei, unà cum consiliis. Patet per discursum regularum ipsorum sanctorum, & per omnes constitutiones ab ipsis introductas. Item quare homo debet dici damnatus, ex eo quòd offert votum deo de omnibus suis bonis? Sed instituens religiones, prædicans, & eas intrantes, de omnibus bonis suis offerunt votum deo. Nam per votũ castitatis offerunt deo corpora sua, juxta illud ad Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam. Per votum paupertatis offerunt deo omnia bona exteriora, juxta illud Rom. 15. Obsequii mei oblatio accepta fiat in Hierosolymis sanctis. Per votum verò obedientiæ offerunt deo liberius quod habent, scilicet voluntatem ac spiritum contribulatum, de quo psalmus: Sacrificium deo spiritus contribulatus, &c. Quod verò dicit Papam & omnes intrantes religionem esse hæreticos, falsum patet ex præmissis & præcedentibus. Et ita patet esse absurdum, quod juxta sententiam Johannis Evangelistæ, ex quo non affert doctrinam evangelicam, & incidit in peccatum grave, non pro eo orandum arbitror, sed igne consumendum.

44. ¶ **Omnes religiones indifferenter introductæ sunt à diabolo.**

Illa conclusio est falsa, insana, scandalosa, temeraria, erronea & hæretica. Patet primò ex superius allegatis in condemnatione vigesimæ primæ conclusionis. Item secundò, quoniam si sic, ut dixi in supradicta conclusione, sequitur quòd religio Christiana sit introducta à diabolo: quod est absurdum & hæreticum dicere, cum constat quod à Christo sit introducta. Item tertiò, quoniam si sic, ut dicit antedicta conclusio, sequitur, quòd omne illud quod est vitæ æternæ meritorium, est introductum à diabolo: quod est absurdum. Sed sequela ita patet, quoniam ingressus religionis Christianæ, & religionum approbatarum, est vitæ æternæ meritorius, ubi saltem concurrunt omnia requisita ad ingressum religionis. Item quartò, quoniam si sic, sequitur, quòd omne illud quod est mundum & immaculatum apud Deum est introductum à diabolo: sed illud est falsum & erroneum. Falsitas patet per illud quod habetur Jacobi primo: Religio munda & immaculata apud deum & patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas, &c. Consequentia verò patet de se: igitur, &c. Et hoc principaliter dicitur propter illum terminum, indifferenter, positum.

FINIS.

QUO

QUONAM PACTO DOCTRINA Johannis Wiclefi in Bohemiam venerit, & de Johanne Hus, ac Hieronymo Pragensi, ex historia Bohemorum, cujus author fuit Æneas Sylvius.

SUB Wenceslao rege, nostra demum (inquit) memoria, ætatis verò suæ anno circiter quinquagesimo, perfida Hussitarum insania ortum habuit: cujus originem & progressum, hoc loco prosequi animus est: quando ea pestis omnem penè Germaniam conturbavit, neque adhuc extincta, regni Bohemici magnam partem occupat. Rexerunt scholam Pragensem usque in ea tempora Teutones. Id molestissimum Bohemis fuit, hominibus natura ferocibus atque indomitis. Ex quibus vir quidam genere nobilis, ex domo quam putridi piscis vocant, apud Oxoniam Angliæ civitatem literis studens, cum Johannis Wiclefi libros offendisset, quibus de realibus universalibus titulus inscribitur, magnopere illis oblectatus, exemplaria secum attulit. Inter quæ, de civili, de jure divino, de ecclesia, de diversis quæstionibus contra clerum, pleraque volumina, veluti pretiosum thesaurum, patriæ suæ intulit. Imbutus jam ipse Wiclefitarum veneno, & ad nocendum paratus: tum, quod erat familiæ suæ cognomen, putridum piscem, id est, foetidum virus, in cives suos evomuit. Commodavit autem scripta quæ attulerat, his potissimè qui Teutonicorum odio tenebantur. Inter quos Johannes eminuit, obscuro loco natus, ex villa Hus, quod anserem significat, cognomentum mutuatus. Hic cum esset ingenio peracri & lingua diserta, multumq; dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, avidè admodum Wiclefitarum doctrinam arripuit: eaque Teutonicos vexare magistros coepit, sperans eo modo confusos Teutones, scholas relicturos. Quod cum succederet, à Wenceslao impetratum, ut Pragense gymnasium ritu Parisiensi gubernaretur. Ea res magistratum scholæ Teutonibus abstulit. Quam ob causam commoti magistri ac discipuli Teutonici generis, jurejurando adacti, uno die supra duo millia sequuti, apud Lipsicam Misniæ civitatem, trium dierum itinere à Praga distantem, universale studium erexere. Bohemis scholæ suæ gubernatio liberè patuit, quorum princeps est habitus Johannes Hus, lingua potens, & mundioris vitæ opinione clarus. Qui ubi satis fidei comparatum sibi existimavit, venenum quod jampridem occultè conceperat, palàm evomuit. Fundaverat opulentus quidam civis in urbe Pragensi, sub nomine sanctorum Matthiæ & Matthæi haud ignobile templum, quod Bethleem appellavit, redditibus additis, ex quibus duo prædicatores alerentur, qui festis profestisq; diebus verbum dei Bohemico sermone plebibus insinuarent. Horum alter Johannes assumptus est. Qui cum se libenter audiri animadverteret, multa de libris Johannis Wiclefi in medium attulit, asserens in eis omnem veritatem contineri: adjiciensq; crebrò inter prædicandum, se postquam ex hac luce migraret, in ea loca proficisci cupere, ad quæ Wiclefi anima pervenisset, quem virum fuisse bonum, sanctum, coeloque dignum non dubitaret. Sequebantur Johannem clerici ferè omnes, ære alieno gravati, sceleribus ac seditionibus insignes, qui rerum novitate evadere poenas arbitrabantur. His & nonnulli doctrina celebres juncti erant, qui cum in ecclesia consequi dignitatem non potuissent, iniquo animo ferebant, sacerdotia majorum censuum his committi, qui quamvis nobilitate præirent scientia tamen viderentur inferiores. Excæcavit eos invidia, ut qui viderant, & qui intellexerant, non intelligerent. Proruperunt in blasphemias, & cum aliquibus ignaris fortasse ac vitiosis, maledicere possent, in omnes latrare sacerdotes coepere, & ab ecclesia Catholica recedentes, impiam Waldensium sectam atque insaniam amplexi sunt.

Johannes Hus.

Wiclefitarum dogmata.

Hujus pestiferæ, ac jampridem damnatæ factionis dogmata sunt. Romanum præsulem reliquis episcopis parem esse. Inter sacerdotes nullum discrimen. Presbyterum, non dignitatem, sed vitæ meritum, efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes, aut in æternas evestigio poenas mergi, aut perpetua consequi gaudia: purgatorium igneum nullum inveniri. Vanum esse orare pro mortuis, & avaritiæ sacerdotalis inventum. Dei & sanctorũ imagines delendas. Aquarum, palmarumq; benedictiones irridendas. Mendicantium religiones, malos dæmones invenisse. Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna. Liberam cuiq; prædicationem verbi dei patere. Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratiâ, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus sit, eum neq; seculari, neq; ecclesiastica dignitate potiri, neq; parendum ei. Confirmationẽ quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam unctionem, inter ecclesiæ sacramenta minime contineri. Auricularem confessionem nugacẽ esse, sufficere sua quemq; deo in cubili suo confiteri peccata.

Baptisma.

Baptiſma fluvialis undæ, nulla interjecta ſacra olei mixtura, recipiendum. Cœmiteriorum inanem uſum, quæſtûs cauſa repertum: quacunq; tegantur tellure humana corpora nil diſtare. Templum dei latè patentis ipſum mundum eſſe: coarctare majeſtatem ejus, qui eccleſias, monaſteria, oratoriaq; conſtruunt, tanquam propitior in eis divina bonitas inveniatur. Sacerdotales veſtes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patinas, vaſaq; hujuſmodi, nil habere momenti. Sacerdotem quocunque loco, quocunque tempore, ſacrum Chriſti corpus conficere poſſe, petentibuſq; miniſtrare: ſufficere ſi verba ſacramentalia tantum dicat. Suffragia ſanctorum in cœlis cum Chriſto regnantium, fruſtra impetrari, quæ juvare non poſſunt. In canonicis horis cantandis dicendiſq; fruſtra tempus teri. Nulla die ab opere ceſſandum, niſi quæ Dominica nunc appellatur: celebritates ſanctorum rurſus rejiciendas. Jejuniis quoque ab eccleſia inſtitutis, nihil ineſſe meriti. Subinco, cognomine Lepus, claris parentibus apud Bohemos ortus, per idem tempus Pragenſem eccleſiam pontificio retinebat conſilio & animo illuſtris. Qui orienti calamitati obviam ire cupiens, priuſquam amplius debaccharetur, libros Johannis Wiclefi ad ſe ferri, omneſque, doctorum virorum conſilio adhibito, publicè concremari juſſit. Supra ducenta volumina fuiſſe traduntur, pulcherrimè conſcripta, bullis aureis, tegumentiſq; pretioſis ornata. Johanni prædicatio interdicta, & adjectæ minæ, ſi quando priores in populo errores vulgare auderet. Ipſe Pragà excedens, apud villam, ubi ſibi origo fuit, ac cognomen, permittente loci domino, qui ejus inſaniæ favebat, vocare plebes ac docere non deſiſtit: multa in Romanum præſulem, multa in reliquos eccleſiæ pontifices maledicta congerens. Utque populi animos ſibi magis ac magis conciliaret: Decimas haud aliter quàm eleemoſynas ſacerdotibus debitas aſtruit: liberum prædia poſſidentibus, ſi velint, eas dare: ſi nolint, nullo jure cogi poſſe. Nondum error de ſacramento altaris irrepſerat. Sed attulit novam peſtem Petrus Draſenſis: id oppidum Miſnæ ſuper Zicium: qui cum aliis Teutonibus paulò ante Bohemiam reliquerat. Cognitus inter ſuos, quia Waldenſi lepra infectus eſſet, patria pulſus, velut hæreticorum aſylum Pragam repetiit, puerorumque docendorum curam accepit. Apud eccleſiam ſancti Michaelis, per id temporis populum prædicando inſtruebat Jacobellus Miſnenſis, literarum doctrinâ & morum præſtantia juxta clarus. Petrus hunc aggreſſus, mirari ſe ait, doctum & ſanctum virum, qui divina eloquia plebibus exponeret, errorem illum non animadvertiſſe communionis Euchariſtiæ, qui jampridem eccleſiam peſſundaſſet. In qua ſub una tantùm ſpecie dominicum corpus populo miniſtrat: cum apud Johannem evangeliſtam & apoſtolum Chriſto dilectiſſimum, ſub duplici ſpecie, panis vinique ſumi jubeatur, dicente apud eum ſalvatore: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis. Commotus his Jacobellus, cum perquiſitis vetuſtis ſanctorum doctorum codicibus, Dionyſii præſertim & Cypriani, communionem calicis laudatam inveniſſet: prohibitus apud ſacellum archangeli Michaelis prædicare, in templo majore ſancti Martini cathedram ſortitus, publicè commonere populum cœpit, ne deinceps communionem calicis, ſine qua ſalvari nemo poſſet, quoquo pacto negligerent. Huic omnes hæretici conſenſerunt, haud modica geſtientes lætitiâ, quòd articulum inveniſſent in evangelica lege fundatum, per quem Romanæ ſedis vel ignorantia, vel nequitia argui poſſet. Odioſo quamvis hæc animo Rex intelligeret, deſidia tamen corruptus & inertia torpens, impunè debacchari ſinebat hæreticos.

Subinco Lepus epiſcopus Pragenſis.

Petrus Draſenſis.

Jacobellus Miſnenſis,

Subinco archiepiſcopus, ubi nullum adverſus tantum emergens malum in Venceſlao præſidium invenit, ad Sigiſmundum Hungariæ regem confugit: obſecrans atque obteſtans, ut negligentiam fratris emendet, neq; labefactari orthodoxæ fidei ſacramenta permittat. Dat fidem Sigiſmundus petiturum ſe brevi Bohemiam, eccleſiæ catholicæ conſulturum. Sed dum dies die ducitur, Subinco apud Poſtinium in Hungaria moritur: & Albicus ei ſufficitur, natione Bohemus, arte Medicus, & Sigiſmundo propterea charus, unicum extremæ avaritiæ barathrum. Qui claves cellæ vinariæ nulli alteri quàm ſibiipſi credidit: & animalia viventia dono accepta, mox vendidit. Et quia ſumptuoſos eſſe coquos didicerat, abjectâ anum popinæ ſuæ præfecit. Interrogatus aliquando, ſonorū omnium quem moleſtius audiret: maxillarum, inquit, oſſa frangentiū. Idoneus profectò pontifex, qui ſurgenti fomentū hæreſi daret. Infeſtabat ea tempeſtate Romanā eccleſiā Ladiſlaus Rex Neapolitanus: adverſus quē Johannes Papa tertius & viceſimus, bellū decernens, plenariā peccatorū remiſſionem indulſit his, qui ad tuendam eccleſiam arma induerent. Recitabatur in eccleſia Pragenſi decretum pontificis. Quod cum quidam ſordidæ artis homines audiſſent, Johannem Papam Antichriſtum eſſe magna voce clamaverunt, qui crucem contra Chriſtianos decerneret. Eos eveſtigio Senatus in carcerem rapi juſſit: populus verò ſuſceptis armis, dimitti omnes petiit. Sed placatus oratione Senatus, tanquam vita captivorum in tuto eſſet, ſuam quiſq; domū rediere, de illis clàm ſuppliciū ſumptum. At cum ſanguis extra prætorii januam defluens, indicium necis feciſſet: iterum occurrens populus interemptorum corpora rapuit, & aureo circumvoluta panno, per omnes

Albicus.

Plenaria remiſſio peccatorum datur his, qui ad tuendam Rom. eccleſiam arma ſumunt.

omnes urbis ecclesias detulit, clamantibus ejusdem sectæ sacerdotibus: Isti sunt sancti, qui pro testamento dei sua corpora tradiderunt. Exin cadavera in sacrario in Bethleem reposita quasi martyrum reliquiæ aromatibus condita. Dum hæc aguntur, generale Concilium apud Constantiam Suevorum urbem cogitur. In quo de rebus Bohemicis sermo habitus patrum mentes ingenti cura confecit, volventium animo, quonam modo sanari provincia posset. Placuitque tandem, Sigismundo Imperatore suadente, Johannem & Hieronymum ad Synodum vocari: qui tum cæteris ejusdem regni doctiores, tum populi ductores, ac hæresium principes habebantur. Venerunt ambo, non tam verecundè aliena discere, quàm sua impudenter ingerere parati: docendi quippe quàm discendi cupidiores, & populares amantes aures. Auditi sunt in consessu patrum. Johannes ætate major & authoritate habitus: doctrinâ ac facundia superior Hieronymus. Lecti ex omni natione patres, divini atq; humani juris doctores. Sæpe cum his colloquium habuere: dogmata eorum à lege divina aliena esse monstrarunt, neq; bonis conducere moribus. Rogaverunt, ne plus sapere quàm ecclesia, vellent, sed saperent ad sobrietatem. Peregrinas opiniones relinquerent: ingenia sua, quæ quidē essent nobilissima, Wiclefitarum insaniâ ne fœdarent. Eloquentiam, qua præditi essent,in corroborandis ecclesiæ institutis, non evertendis: in edocendis populis, non dedocendis, exercerent. Posse eos & in conspectu dei,& in ecclesia militante,sublimem consequi locū, si rejectis novitatibus, patrum vestigia sequerentur, inventionesq; suas universali Concilio submitterent. Stetere in proposito pertinaces Bohemorum animi: neq; victi rationibus vinci voluere. Se veraces,se sancti Evangelii æmulatores,se Christi discipulos esse. Romanam ecclesiam, cæterasq; per orbem dispersas,longe à traditionibus Apostolorum abiisse: quæ opes & delicias sectarentur, dominatum in populos, & primos in conviviis accubitus exquirerent: canes, equos alerent: ecclesiarum bona, quæ Christi pauperibus debebentur, per lasciviam luxumq; consumerent. Aut nescire prorsus divina mandata, aut scientes contemnere. Primores magnæ Synodi, ubi pertinaciam, & immutabiles animos perditorum hominum animadverterunt. membra ecclesiæ putrida,quæ sanari non poterant, ne reliquum corpus inficerent, resecanda censuerunt. Lata est in consessu patrum adversus contumaces sententia, cremandos esse, qui doctrinam ecclesiæ respuerent. Prior igitur Johannes combustus est: Hieronymus diu postea in vinculis habitus, cum resipiscere nollet, pari supplicio affectus. Pertulerunt ambo constanti animo necem: & quasi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium. Ubi ardere cœperunt, hymnum cecinere, quem vix flamma & fragor ignis intercipere potuit. Nemo philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quàm isti incendium. Poggius Florentinus, ætatis nostræ nobilis scriptor, de morte Hieronymi, ad Nicolaum Nicoli concivem suum, elegantem scripsit epistolam: quamvis paululum sua consuetudine in mores cleri invectus videatur. Cineres exustorum, ne raperentur à Bohemis, in lacum projecti. Discipuli eorum ex eo solo terram abstulere, in quo ignis fuit, eamq; veluti sacram secum attulere in patriam. Johannes ac Hieronymus apud Bohemos martyrū honores meruere, nec minores quàm Petrus & Paulus apud Romanos habiti. Nuntiatis enim in Bohemia, quæ Constantiæ gesta fuerunt de Johanne ac Hieronymo, discipuli eorum, sequacesq; omnes, in unum convenientes, memoriam in primis defunctorum consecrant, celebrandamq; quotannis omnes decernunt. Exin per amicos nonnullas sibi ecclesias à Rege tradi extorquent,in quibus suæ prædicare plebi sacramentaq; ministrare liberè possint. Neq; hoc modo contenti, apud Slavoniam nobile monasterium fratrum prædicatorum, extra mœnia oppidi situm, à fundamentis dejiciunt. Eaque prima ecclesiarum ruina in Hussitarum novitate facta, decurritur in ecclesias, monasteriaque passim: nobilissima superis dicata templa, ferro atque igne vastantur. Nullum ergo regnum ætate nostra, tota Europa, tam frequentibus, tam augustis, tam ornatis templis ditatum fuisse, quàm Bohemicum reor. Templa in cœlum erecta, longitudine atque amplitudine mirabili, fornicibus tegebantur lapideis: altaria in sublimi posita, auro & argento, quo sanctorum reliquiæ tegebantur, onusta: sacerdotum vestes margaritis textæ: ornatus omnis dives, pretiosissima supellex, fenestræ altæ atque amplissimæ conspicuo vitro, & admirabili opere, ut lucem præbeant. Neq; hæc tantùm in oppidis atq; urbibus, sed in villis quoq; admirari licebat. Fuit inter cætera monasteriū aulæ regiæ,apud ripam Multaviæ, qua Mosa fluvius illi jungitur, situm, in quo Regū corpora condebantur,singularis excellentiæ. Nā præter ædē magni & memorabilis operis, amplum dormitorium, cæterasq; monachorum officinas magnificè constructas, habuere circuitum, qui non parvum conclusit hortū, ambitum vocavere. In hujus lateribus vetus novumq; Testamentum, ab initio Genesis usque ad Apocalypsim Johannis,literis majusculis in tabulis scriptum continebatur, notis quo altius irent, paulatim crescentibus: ita ut à summo usque deorsum facilis lectio præberetur. Sed hoc decus post Venceslai mortem, Hussitarū rabies delevit. Qui postquam ecclesias quamplurimas dejecerunt, monasteria incenderunt, castellū peten-

Contra fastum prælatorum ecclesiasticorum loquentes putrida ecclesiæ membra censentur.

Pag. 301. quære Epistolam Poggii. Sed hæc, de qua jam loquitur, alia est; cum illa sit ad Leon. Aretinum.

petentes, cui Bechingne nomen eſt, octavo ferè milliario ab oppido, quod nunc Thabor appellant, triginta circiter millia hominum convenere: atque ibi trecentas menſas in patentibus campis erexere, ex quibus populo ſacramentum calicis miniſtrarunt. Terruit ea congregatio Venceſlaum, verentem ne tumultu facto, in ſe arma converterent, regnumque ſibi adimerent. Nec ſua res periculo caruit. Venceſlaus ei ſaluti fuit cognomento Coranda, ſingulari facundia presbyter, & in plebibus auditus. Qui dum populum de republica admoneret, inter cætera quæ loquutus eſt: Quanquam, inquit, viri fratres, ebrioſum atque inertem ſortiti Regem fuimus: ſi tamen cæteros expendere principes pergimus, nemo eſt quem noſtro Regi anteferamus: quem rectè omnium regum ſpecimen dixerim, quietum, benignum, noſtri amantem. Nam quis eo regnante, nos laceſſere audet? licet nos ex voto vivere noſtro. Si non eſt eadem ſibi quæ nobis de religione ſententia, ritum noſtrum neque ipſe perturbat, neque alios perturbare ſinit. Quibus par eſſe arbitror, preces pro eo ad Deum fundamus: utque ſinguli ei vitam rogemus, cujus deſidia, noſtra ſalus, noſtra quies eſt. Quod cum ab exploratoribus Rex cognoviſſet, quieto animo fuit: & factus ex tepido frigidus, Corandam inter amicos habuit. Venceſlaus Coranda presbyter.

Per idem ferme tempus ſurrexit & alius pſeudoſacerdos apud Pragam, Johannes quidam ex ordine Præmonſtratenſium impius monachus, & ad omne ſcelus audax. Qui cum prædicaret apud ſanctum Stephanum in piſcina, neque bene ſapere videretur, inde amotus, monaſterium Carmelitarum invaſit. Hoc ſuaſere hæretici, ut ſuam potentiam oſtentarent. Singulis ferme diebus ſacram Euchariſtiam per ſuas eccleſias circumvectabant. Quas cum paucas eſſe dicerent, ductore Nicolao viro nobili, ejus loci domino, unde Johannem Hus originem trahere diximus, in regiam tumultuariè prorumpentes, Wenceſlaum oravere, ſibi ut ampliores eccleſias elargiretur, qui jam populi majorem partem obtinerent. Audivit Rex benignè Nicolaum pro multitudine loquentem, utq; in poſterum diem rediret, juſſit. Dein miſſo populo, ad Nicolaum, qui remanſerat, converſus: Tu, inquit, qua me regno ejiceres, orditus es telam: at ego laqueum inde efficiam quo te poſtea ſtrangulem. Ille è regis conſpectu abiens, populares magis ac magis incendit. Rex in arcem Viſſegradenſem urbi vicinam, parvoq; tantum fluvio disjunctam, ſeſe recepit: & paulò poſt in caſtellum novum, quod ipſe conſtruxerat, quinto diſtans lapide, cum paucis adiit: miſſis ad fratrem oratoribus, qui ejus auxilium implorarent. Conſulibus autem novæ civitatis Pragenſis, ne ulterius ab hæreticis dominicum corpus in pompa deferri ſinerent, imperavit. Johannes Præmonſtratenſis.

Hactenus Æneas Sylvius.

SENTENTIA DAMNATIONIS

Doctrinæ Johannis Wiclefi, & articulorum quadragintaquinque.

Sacroſancta Conſtantienſis Synodus generale Concilium faciens, & eccleſiam catholicam repreſentans, ad extirpationem præſentis ſchiſmatis, errorumq; & hæreſium ſub ejus umbra pullulantium eliminationem, reformationem eccleſiæ in Sancto Spiritu legitimè congregata, ad perpetuam rei memoriam.

FIdem catholicam (ſine qua, ut ait apoſtolus, impoſſibile eſt placere Deo) à falſis ejuſdem fidei cultoribus, imò perverſis impugnatoribus, & per ſuperbam curioſitatem intendentibus plus ſapere quàm oportet, mundi gloriam cupientibus, oppugnatam, ſæpius & contra illos per fideles eccleſiæ milites ſpirituales oppoſito ſcuto fidei defenſatam fuiſſe, ſanctorum patrū ſcripturis atq; geſtis inſtruimur. Hæc quippe bellorū genera, in bellis carnalibus populi adverſus gentes idololatras præſignata fuerunt. In his itaque ſpiritualibus bellis ſancta eccleſia catholica in fidei virtute, ſuperni luminis radiis illuſtrata, domino providente, & ſanctorū patrocinio opem ferente, ſemper immaculata permanens, erroris tenebris, velut hoſtibus profugatis, glorioſiſſimè triumphavit. Noſtris verò temporibus vetus ille, & immūdus hoſtis nova certamina, ut probati temporis hujus manifeſti fiant, ſuſcitavit. Quorū dux & princeps extitit quondam Johannes Wiclef pſeudochriſtianus: qui dum viveret, adverſus religionem Chriſtianā & fidem catholicā pertinaciter aſſeruit,

&

& dogmatizavit plures articulos. Idemq; Johannes Wiclef libros, Dialogum & Trialogum per ipsum nominatos, & plures alios tractatus, volumina & opuscula composuit. In quibus præscriptos & plures alios damnabiles inseruit & dogmatizavit articulos. Quos libros ad sui perversi dogmatis publicationem publicè legendos exposuit: ex quibus insuper multa scandala, damna animarum, & pericula in diversis regionibus, & præsertim Angliæ & Bohemiæ regnis sequuta sunt. Adversus quos in dei veritate exurgentes magistri & doctores universitatum & studiorum Oxoniensis & Pragensis, articulos prædictos scholasticè diu pòst reprobarunt. Reverendissimi insuper patres Archiepiscopi, Episcopi, pro tempore, Cantuariensis & Eboracensis, sedis Apostolicæ legati in Anglia, & Pragensis in Bohemiæ regnis condemnarunt. Libros etiam ejusdem Johannis Wiclefi comburendos fore, dictus Archiepiscopus Pragensis, sedis Apostolicæ commissarius in hac parte, sententionaliter judicavit, & eorum qui superessent, prohibuit lectionem fieri. Rursus his ad notitiam sedis Apostolicæ & generalis Concilii deductis, Romanus Pontifex in Concilio Romano ultimò celebrato, dictos libros, tractatus & opuscula condemnavit, jubens illos publicè concremari: districtius inhibendo, ne quis Christi nomine insignitus, auderet aliquem, seu aliquos, seu aliqua ex dictis libris, voluminibus, tractatibus & opusculis legere, exponere vel tenere: aut illis quomodolibet uti, vel illos, nisi in ipsorum reprobationem allegare publicè vel occultè. Et ut de medio ecclesiæ illa periculosa, spurcissimaq; doctrina eliminaretur, jussit omnes per locorum ordinarios, libros, tractatus, volumina & opuscula hujusmodi authoritate Apostolica per censuram ecclesiasticam, etiam si opus esset, cum adjectione, quòd contra non parentes procederetur, tanquam contra fautores hæresis diligenter inquiri, & repertos ac reperta publicè ignibus concremari. Hæc autem sancta Synodus præfatos articulos quadraginta * quinq; examinari fecit, & sæpius recenseri per plures reverendissimos patres, Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Episcopos, Abbates, Magistros in Theologia, doctores juris utriusque, & plures notabiles in multitudine copiosa. Quibus articulis examinatis, fuit repertum (prout in veritate est) aliquos & plures ex ipsis fuisse & esse notoriè hæreticos, à sanctis patribus reprobatos: alios non Catholicos, sed erroneos: alios scandalosos & blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios & seditiosos. Compertum est etiam libros ejus plures articulos continere similium qualitatum, doctrinamque in dei ecclesia insanam, & fidei ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine domini nostri Jesu Christi hæc sancta Synodus sententias prædictorum Archiepiscoporum, ac Concilii Romani ratificans & approbans, prædictos articulos & eorum quemlibet: libros ejusdem, dialogum & trialogum per eundem Johannem Wiclef nominatos, & alios ejusdem authoris libros, volumina, tractatus & opuscula, quocunque nomine censeantur, quos hic haberi vult pro sufficienter expressis, hoc perpetuo Decreto reprobat & condemnat. Et eorundem libros, & cujuslibet ipsorum lectionem, doctrinam, expositionem, & allegationem (nisi ad eorum reprobationem) omnibus Christi fidelibus prohibendo, inhibemus omnibus & singulis Catholicis sub anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos vel ipsorum aliquem audeant publicè prædicare, dogmatizare, vel tenere, vel quomodolibet allegare, nisi ad eorum reprobationem, ut dictum est: jubentes illos libros & tractatus, volumina & opuscula prælibata publicè concremari, prout Decretum fuerat in Synodo Romana, sicut superius est expressum. Super quibus exequendis, & debitè observandis mandat prædicta sancta Synodus ordinariis locorum vigilanter intendere, prout ad quemlibet pertinet secundum jura & Canonicas sanctiones.

* Numerantur solùm 44. ut antea.

CONCILIUM PRONUNCIAT HÆRETICUM JOHANNEM Wiclef, & memoriam ejusdem, & mandat exhumari ossa ejus.

Insuper quia authoritate sententiæ & decreti Romani Concilii, mandatoq; ecclesiæ, & sedis Apostolicæ datis dilationibus debitis, processum fuit super condemnatione dicti Johannis Wiclefi, & suæ memoriæ, edictis propositis, denunciationibusque ad vocandum eum,* qui eundem sive ejus memoriam defendere vellent, si qui penitus existerent: nullus verò comparuit qui eundem, sive ejus memoriam defensaret: examinatis insuper testibus super impœnitentiâ finalique pertinacia dicti Wiclefi, per commissarios deputatos per dominum Johannem Papam modernum & hoc Concilium, servatisque servandis prout in tali negotio postulat ordo juris, & ejus impœnitentia, ac finali pertinacia per evidentia signa testibus legitimis comprobata, fuit legitimè facta fides. Propterea instante procuratore fiscali, edictoque proposito ad audiendam sententiam, ad hanc diem, hæc sancta Synodus declarat,

* Vel eos.

declarat, definit & sententiat eundem Johannem Wiclefum fuisse notoriū hæreticū, pertinacem, ac in hæresi decessisse, anathematizando ipsum pariter & suam memoriam condemnando. Decernitq; & ordinat corpus ejus & ossa, si ab aliis fidelibus corporibus discerni possint, exhumari, & procul ab ecclesiæ sepultura jactari secundum canonicas & legitimas sanctiones. Super quibus lectura, publicatione, pronunciatione & definitione, sive condemnatione, dominus Hostiensis præsidens, & dicti quatuor nationum quatuor præsidentes interrogati an placeret? Responderunt omnes, & primò Hostiensis, deinde nationum præsidentes, quòd placeret: & approbaverunt omnia prædicta.

¶ Sententia definitiva lata contra Johannem Huss.

Sacrosancta generalis Constantiensis synodus, ecclesiam catholicam repræsentans, in spiritu sancto legitimè congregata ad perpetuam rei memoriam.

QUia (teste rei veritate) arbor mala fructus malos facere consuevit: hinc est quòd vir damnatæ memoriæ, Johannes Wiclef sua mortiferâ doctrina, non in Christo Jesu per Evangelium, ut olim sancti patres filios genuere: sed contra Christi salutarem fidem, velut radix virulenta plures genuit filios pestiferos, quos sui perversi dogmatis reliquit successores, adversus quos hæc sancta synodus, tanquam spurios & illegitimos filios cogitur insurgere, & eorum errores ab agro dominico, tanquàm vepres nocivas cura pervigili, & cultro authoritatis ecclesiasticæ resecare, ne ut cancer serpant in perniciem aliorum. Cum itaq; in sacro generali Concilio nuper Romæ celebrato, decretum fuerit, doctrinam damnatæ memoriæ Johannis Wiclef damnandam esse, & libros ejus hujusmodi doctrinam continentes, fore tanquam hæreticos comburendos, & doctrinam ipsam damnatam, & libros ejus tanquam doctrinam insanam & pestiferam includentes, combustos fuisse cum effectu, & hujusmodi decretum authoritate Concilii fuerit approbatum: Nihilominus tamen quidam Johannes Huss in hoc sacro Concilio hic personaliter constitutus, non Christi, sed potius Johannis Wiclef Hæresiarchæ discipulus, post & contra damnationem & decretum hujusmodi, ausu temerario contraveniens, errores ejus plures & hæreses tam ab ecclesia dei, quàm etiam à certis olim reverendis in Christo patribus, dominis archiepiscopis, episcopis diversarum regnorum, & magistris in theologia plurium studiorum condemnatos, dogmatizavit, asseruit, & prædicavit: præsertim damnationi scholasticæ ipsorum articulorum Wiclef factæ pluries in universitate Pragensi cum suis complicibus in scholis, & in prædicationibus publicè resistendo, ac ipsum Johnnem Wiclef virum catholicum, & doctorem evangelicum in favorem ejus doctrinæ coram multitudine cleri & populi declaravit: certos etiam articulos infra scriptos, & plures alios & meritò damnabiles, tanquam catholicos esse asseruit & publicavit, qui in libris ipsius Johannis Huss, & notoriè, continentur. Quapropter habita per prius plenaria informatione de præmissis, & diligenti deliberatione reverendissimorum in Christo patrum dominorum s. Romanæ ecclesiæ cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, & cæterorum prælatorum, & doctorum sacræ paginæ & juris utriusq; in multitudine copiosa, hæc sacrosancta Constantien. synodus declarat & definit, articulos infra scriptos, qui habita collatione per plures magistros in sacra pagina, reperti fuerunt contineri in ejus libris & opusculis manu propria scriptis, & quos etiam idem Johnnes Huss in publica audientia coram patribus & prælatis hujus sacri Concilii confessus fuit in suis libris & opusculis contineri, non esse catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos: alios scandalosos, & nonnullos eorundem esse notoriè hæreticos, & jamdudum à sanctis patribus & generalibus Conciliis reprobatos & damnatos, ipsosq; prædicare, dogmatizare, aut quomodolibet approbare, districtè inhibendo. Sed cum infrascripti articuli expresse contineantur in libris seu tractatibus suis, videlicet in libro, quē intitulat de ecclesia & aliis suis opusculis: ideo libros prædictos, & doctrinā suam, & singulos alios tractatus, & opuscula in latino, sive vulgari Bohemico per ipsum editos, aut in quocunq; alio idiomate per alium, vel alios translatos, hæc sacrosancta synodus reprobat atque condemnat, ipsos comburendos publicè & solenniter in præsentia cleri & populi in civitate Constantien. & alibi decernit & definit: adjiciens propter præmissa omnem ejus doctrinam meritò esse & fore suspectam de fide, & omnibus Christi fidelibus evitandam. Et ut de medio ecclesiæ illa perniciosa doctrina elimineter, hæc sacrosancta synodus prorsus jubet, per locorum ordinarios, tractatus & opuscula hujusmodi per censuram ecclesiasticam, etiamsi opus sit, cum adjectione pœnæ & fautoriæ hæresis diligenter inquiri, (Hussi liber de Ecclesiā.)

& repertos, ignibus publicè concremari. Si quis autem hujus sententiæ ac decreti violator aut contemptor extiterit, statuit eadem sancta synodus, per locorũ ordinarios & inquisitores hæreticæ pravitatis contra talem vel tales, veluti suspectũ vel suspectos de hæresi procedendũ. Visis insuper actis & actitatis in causa inquisitionis de & super hæresi contra prædictum Johannem Huss habitis & factis: habita ter prius fideli & plenaria commissariorum in hujusmodi causa deputatorum relatione, aliorumq; magistrorum in theologia, ac doctorum juris utriusq;, in, de & super actis, actitatis, ac dictis testium fide dignorum & plurimorum, quæ dicta ipsi Johanni Huss palàm & publicè lecta sunt, corã patribus & prælatis hujus sancti Concilii: per quorum testium dicta apertissimè constat eundem Johannem multa mala, scandalosa, seditiosa, & periculosas hæreses dogmatizasse in publico, & per multa annorum curricula prædicasse, Christi nomine invocato, hæc sacrosancta synodus Constantiensis, solum deum præ oculis habens, per hanc definitivam sententiam, quam profert in his scriptis, pronunciat, decernit & declarat dictum Johannem Huss fuisse, & esse verum & manifestum hæreticum, ipsumq;, errores & hæreses dudum damnatos, & plurima scandalosa, piarum aurium offensiva, temeraria & seditiosa dogmatizasse, & publicè prædicasse in non modicam offensam divinæ majestatis, ac universalis ecclesiæ scandalum, & fidei catholicæ detrimentum: claves etiam ecclesiæ, & censuras ecclesiasticas vilipendisse, in quibus per annos multos perstitit animo indurato, Christi fideles per suam pertinaciam nimium scandalizans: cum appellationem ad dominum nostrum Jesum Christum, tanquam ad summum judicem, omissis ecclesiasticis mediis interposuerit, in qua multa falsa, injuriosa posuit, & scandalosa ipsius sedis apostolicæ, censurarum ecclesiasticarum & clavium in contemptum. Idcirco propter præmissa & alia plura præfatum Johannem Huss hæreticum fuisse & esse, hæc sancta synodus pronunciat, & tanquam hæreticum judicandum & condemnandum fore judicat & condemnat per præsentes, dictamq; appellationem, tanquam injuriosam & scandalosam, & illusoriam jurisdictionis ecclesiasticæ reprobando: ipsumq; Johannem Huss populum Christianum, maximè in regno Bohemiæ in prædicationibus suis publicis, & scripturis per eum compilatis seduxisse, ac ejusdem populi Christiani, non veracem prædicatorem evangelii Christi, secundum expositionem sanctorum doctorum, sed fuisse verius seductorem. Verum, quia per ea quæ hæc sacrosancta synodus vidit & audivit, cognovit eundem Johannem Huss pertinacem & incorrigibilem: & adeo taliter, quòd non cupiebat ad gremium sanctæ matris ecclesiæ redire, neq; hæreses & errores per eum publicè defensatos & prædicatos velle abjurare: Idcirco hoc sacrum Concilium Constantien. eundem Johannem Huss ab ordine sacerdotali & aliis ordinibus, quibus extitit insignitus, deponendũ & degradandum fore declarat & decernit: committens nihilominus reverendis in Christo patribus, archiepiscopo Mediolanen. Feltren. Asteten. Alexandrino, Bagaren. & Vauren. episcopis, ut in præsentia hujus sacrosanctæ synodi dictam degradationem (secundum quod ordo juris requirit) debitè exequantur.

Appellatio Johannis Huss ad Christum.

TENOR SENTENTIÆ DEFINITIVÆ

Latæ contra Hieronymum de Praga.

In nomine domini, Amen.

CHristus Deus & salvator noster vitis matura, cujus pater agricola est, discipulos cæterosq; fideles suos in illis instituens, inquit: Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet. Cujus summi doctoris & magistri doctrinã sequens, & præcepta exequens, hæc sancta Constantiensis synodus in causa inquisitionis hæreticæ pravitatis per eandem sanctam synodum motæ, fama publica referente, & clamorosa insinuatione monstrante contra magistrum Hieronymum, dictum de Praga, dictum magistrũ in artibus, laicum. Ex cujus causæ actis & processibus constat eundem magistrum Hieronymum tenuisse, asseruisse & dogmatizasse nonnullos articulos hæreticos & erroneos, dudum à sanctis patribus reprobatos: quosdam vero blasphemos, & alios scandalosos, & alios piarum aurium offensivos, temerarios & seditiosos, dudum per damnatæ memoriæ viros, Johannem Wiclef & Johannem Huss assertos, prædicatos & dogmatizatos, ac in nonnullis eorum libris & opusculis insertos. Quiq; doctrina & libri prædictorum Johannis Wiclefi & Johannis Huss: ac Wiclefi memoria, dictiq; Johannis Huss persona, per eandem sanctam synodum, & ejus sententiam, de hæresi damnati & damnatæ fuerunt. Quamq; damnationis sententiam, idem Hieronymus postmodum pendente hujusmodi inquisitionis causa, in eadem sancta synodo cognoscens

Hieronymus de Praga.

&

& profitens, veram catholicam & apostolicam fidem approbavit, & eidem consensit: anathematizavit omnem hæresim, præcipuè eam, de qua erat infamatus, & se confitebatur infamatum, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt & tenuerunt Johannes Wiclef & Johannes Huss in suis opusculis, sermonibus & libellis: & propter quam, seu quas cum suis dogmatibus & erroribus ab eadem sancta synodo damnati fuerunt tanquam hæretici, & eorum doctrina similiter damnata: præmissorumq; omnium damnationem professus, & juravit se in hac fidei veritate permansurum. Et si ipse quicquam contra sentire vel prædicare præsumpserit, canonum severitati subjacere, & æternæ pœnæ voluerit obligari: necnon suam professionem manu sua conscriptam, eidem sanctæ synodo obtulit atq; dedit. Post quas professionem & abjurationem, multis diebus transactis, sicut canis ad vomitum rediens, ut virus pestilentissimum, quod in suo latitabat pectore, publicè evomeret, audientiam publicam sibi dari in eadem sancta synodo publicè congregata, asseruit, dixit & professus est in effectu, quòd præfatæ sententiæ damnationis dictorum Johannis Wiclefi & Johannis Huss iniquè consenserat, & illam sententiam approbando, mentitus fuit. Nec verebatur se confiteri mentitum, quinimò confessionem approbationem & professionem suas super illorum damnatione revocabat nunc & in æternum, asserens se in libris Johannis Wiclefi & Johannis Huss nullam unquam hæresim vel errorem legisse: licet ante fuerit confessus, & probatum sit evidentur ipsum libros eorum diligenter studuisse, legisse & dogmatizasse: & in quibus constat plures errores & hæreses contineri. Verùm, idem Hieronymus de sacramento altaris & transsubstantiatione panis in corpus, professus est se tenere & credere quod ecclesia tenet, dicens se plus credere Augustino & cæteris ecclesiæ doctoribus, quàm Johannis Wiclef & Huss damnatis erroribus adhærere: Illorumque fautorem fuisse & esse. Propter quæ eadem sancta synodus eundem Hieronymum palmitem putridum & aridum, in vite non manentem, foras mittendum decernit: ipsumq; hæreticum, & in hæresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum pronunciat & declarat atque damnat.

Hieron. fidem catholicam professus est.

Hieron. pristinum virus assumpsit.

O. G. AD LECTOREM.

Vides, lector Christiane, nisi (quod absit) cæcutire volueris, quàm impios, quàm enormes, quàm hæreticos ac planè diabolicos (non dico bestiales) articulos, blasphemo suo ore, per omnem impudentiam temeritatemq;, perditus ipse Wiclefus in Christum & sanctos ejus turpiter evomuerit, quam etiam perniciosa ac pestifera multiplicium errorum dogmata, de tenebroso furibundæ suæ mentis ergastulo & malorum omnium sentina, velut Cerberi spumam, in medium profuderit. Illos itaq; & hæc simul omnia (ut in illorum dixi frontispicio) tanquam quandam pestem fuge, & ex Wiclefi amentia ac cæco furore, aliorum disce hæreticorum vitare insaniam. Nam qui in ecclesia Christi (ut divus August. ait contra Manichæos, & habetur 24. q. 3.) morbidum aliquid, pravumq; quid sapiunt, si correpti, ut sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt. In supervacuis igitur rebus (ut Ecclesiasticus inquit) noli scrutari multipliciter, sed ambula potius in simplicitate cordis & mentis prudentia. Dixit enim Christus servator noster: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Mala videlicet prudenter legendo & in via domini ac fide catholica simpliciter ambulando. In sapientia igitur ambulemus, vel Paulo teste, ad eos, qui foris sunt tempus redimentes. Nam oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Verum hæc aliàs. ¶ Nunc ad epistolam Poggii properemus, * cujus paulò ante per Æneam Sylvium facta est mentio. Qui licet referat Hieronymum constanter in flammis obiisse, ex hoc tamen non inferes, aut sinistrè credes, eum minus fuisse hæreticum, quum hoc propriè proprium sit omnium in fide errantium. Eloquentia quoq; Hieronymum non excusat. Nam illa absq; sapientia, nihil est aliud quàm gladius in manu furentis. Qualis etiam Poggius ipse fuerit, tum scurriles ipsius infacetiæ, tum impiissimæ ejusdem in sanctissimum Fœlicem papam, doctissimumq; Philelphum invectivæ, satis superq; demonstrant. Vale fœliciter & omnia boni consule.

* Fallitur O. G. (ut notatur in Marg.) cum illa epistola sit ad Nicol. Nicoli, non ad Leon. Aretinum.

¶ Sequitur exustio atq; supplicium Hieronymi de Praga.

POGGII FLORENTINI DE HIERONYMI Pragensis obitu & supplicio, descriptio.

Poggius Leonardo Aretino S. P. D.

CUM pluribus diebus ad balnea fuissem, scripsi ad Nicolaum nostrum ex ipsis balneis epistolam, quam existimo te lecturum. Deinde cum Constantiam revertissem, paucis post diebus cœpta est causa Hieronymi, quem hæreticū ferunt, & quidem publicè. Hanc verò tibi recensere institui, tum propter rei gravitatem, tum maximè propter eloquentiam hominis & doctrinam. Fateor me neminem vidisse unquā, qui in causa dicendi, præsertim capitali, magis accederet ad facundiā priscorū, quos tantopere admiramur. Mirum est vidisse, quibus verbis, qua facundia, quibus argumentis, quo vultu, quo ore, qua fiducia responderit adversariis, ac demum causam peroratit: ut dolendum sit tam nobile ingenium, tamq; excellens ad illa hæresis divertisse studia, si tamen vera sunt quæ sibi objiciuntur. Non enim meâ interest tantam causam dijudicare: acquiesco eorum sententiis qui sapientiores habentur. Neq; tamen existimato me in oratorū morem, singulatim causam referre: longum id esset, & multorum dierum opus. Pertingam quosdam locos illustriores, quibus viri doctrinam possis perspicere. Cum multa in hunc Hieronymum congesta essent, quibus arguebatur hæresis, atq; ea testibus firmata, tandem placuit, ut publicè singulis quæ sibi objiciebantur, responderet. Ita in concionē deductus, cum juberetur ad illa respondere, diutius recusavit: asserens se debere prius causam suā agere, quàm respondere maledictis adversariorū. Ita se prius pro se dicentē audiendum esse asseverabat, tum ad æmulorū suorū probra in eum congesta deveniendū. Sed cùm hæc conditio sibi denegaretur, tum stans in medio concionis, Quænā est hæc iniquitas, inquit, ut cum CCC. XL. diebus, quibus in durissimis carceribus fui, in sordibus, in squalore, in stercore, in compedibus, in rerum omnium inopia, adversarios atq; obtrectatores meos semper audieritis, me unam horā audire nolitis? Hinc est, ut dum illis singulorū aures patuerint, atq; in tam longo tempore vobis persuaserint me hæreticum, hostem fidei, ecclesiasticorū persequutorem: mihi autem me defendendi nulla detur facultas: vos me prius improbum hominē judicaveritis in mentibus vestris, quàm qui forē potueritis cognoscere? Atqui (inquit) homines, non dii estis: nō perpetui, sed mortales: labi, errare, falli, decipi, seduci potestis. Hic mundi lumina, hic orbis terrarum sapientiores esse dicuntur: maximè vos decet elaborare, ne quid temere, ne quid inconsultè, neve quid præter justitiam faciatis. Equidē ego homuncio sum, cujus de capite agitur: nec pro me hæc loquor, qui mortalis existo: verū, indignū mihi videtur sapientia, aliquid tot viros adversum me statuere præter æquitatē, non tam re quàm exemplo nociturū. Hæc & multa præterea ornatè disserebat, strepitu & murmure plurimorū sermonē ejus interpellante. Tandē decretū est, ut primū ad errores qui in eū conferebantur, responderet: deinde loquendi, quæ vellet, daretur facultas. Legebantur igitur ex pulpito singula capitula accusationis, deinde testimoniis confirmabantur: tum rogabatur, an quid vellet objicere. Incredibile dictu, quā callidè responderit, quibus se tueretur argumentis. Nihil unquā protulit indignū bono viro: ut si id in fide sentiebat, quod verbis profitebatur, nulla in eum, nedum mortis causa inveniri justa posset, sed ne quidē levissimæ offensionis. Omnia esse falsa dicebat, omnia crimina conficta ab æmulis suis. Inter cætera cum recitaretur, illum sedis apostolicæ detractorem, oppugnatorē Romani pontificis, Cardinalium hostē, persequutorē prælatorum, & cleri Christianæ religionis inimicū: tū surgens querebunda voce, & manibus porrectis: Quò nunc me vertam, inquit, Patres Conscripti? quorū auxilium implorem? quos deprecer? quos obtester? vos ne? At isti persequutores mei, vestras mentes à mea salute abalienaverunt: cum universorū hostē me esse dixerunt eorum qui me sunt judicaturi. Nempe arbitrati sunt, si etiam quæ in me finxerunt, levia viderentur, tamen vos vestris sententiis oppressuros communē omniū hostem atq; oppugnatorem, qualem me isti falsissimè mentiti sunt: ita si eorū verbis fidem dabitis, nihil est quod de mea salute sperandum sit. Multos salibus perstrinxit, multos lœdoriis, multos persæpe in re mœsta ridere coegit, jocando in illorū objurgationes. Cum rogaretur, quid sentiret de sacramento: inquit, Antea panem, * & postea verū Christi corpus, & reliqua secundum fidem. Tum quidam: Aiunt te dixisse, post consecrationem remanere panem. Tum ille: Apud

Eloquentia Hieronymi miræ gravitatis.

In laudem Hieronymi.

* In exemplari antiquo Epistolarum Æneæ Sylvii impresso Nurenbergæ 1481. Epist. 426. sic se habet responsum Hieronymi---Antea panem, in consecratione & postea---

pistorem

piſtorem (inquit) panis remanet. Alii cuidam ex ordine Prædicatorum acrius invehenti: Tace (inquit) hypocrita. Alteri per conſcientiam ſuam contra ſe juranti: Hæc (inquit) tutiſſima eſt ad fallendum via. Quendam præcipuum adverſarium, nunquã niſi canẽ, aut aſinum appellavit. Cum verò propter * criminum multitudinẽ ac pondus, res eo die tranſigi nequiret, in diem tertium dilata eſt. Qua die cum ſingulorũ criminũ argumenta recitata eſſent, ac ſubinde plurimis teſtibus affirmarentur: tum ſurgens ille: Quoniam (inquit) adverſarios meos tam diligenter audiſtis, conveniens eſt, ut me quoq; dicentem æquis animis audiatis. Data tamen, licet multis perſtrepentibus, facultas dicendi. Hic primum à deo exorſus, deprecatus eſt eam ſibi mentẽ dari, eam dicendi facultatem, quæ in commodum ac ſalutẽ animæ ſuæ verteretur. Deinde: Scio (inquit) R. D. plures fuiſſe excellentiſſimos viros, indigna ſuis virtutibus perpeſſos, falſis oppreſſos teſtibus, iniquiſſimis judiciis condemnatos. Incipiens autem à Socrate, quẽ injuſtè à ſuis condemnatum retulit: nec cum poſſet, evadere voluiſſe: ut duorũ, quæ aſperrima hominibus viderentur, metum demeret, carceris ſcilicet & mortis. Tum Platonis captivitatem, Anaxagoræ fugam, ac Zenonis tormenta, multorum præterea gentilium iniquas damnationes, Rupilii exilium, Boëthii ſimul & aliorum, quos ipſe Boëthius refert, indignam mortem commemoravit. Deinde ad Hebræorum exempla tranſiit. Et primum Moyſen, illum liberatorem populi, legumlatorem, ſæpiſſimè à ſuis calumniatum eſſe dixit, tanquam ſeductor eſſet, aut contemptor populi. Joſeph inſuper à fratribus venditum ob invidiam, pòſt ob ſtupri ſuſpicionem in vincula conjectum recenſuit. Præter hos, Eſaiam, Danielem, & ferme prophetas omnes tanquam contemptores dei, tanquam ſeditioſos, iniquis circumventos ſententiis. Hinc etiam Suſannæ judiciũ ſubjecit: multorum præterea, qui cum viri ſanctiſſimi extitiſſent, injuſtis tamen ſententiis perierunt. Poſtea ad Johannẽ Bapt. deinde ad Salvatorẽ noſtrũ deſcendens, falſis teſtibus, falſis judicibus condemnatos inquit omnibus conſtare. Deinde Stephanum à ſacerdotũ collegio interfectũ: Apoſtolos autem omnes morti damnatos, non tanquã bonos, ſed ut ſeditioſos populorũ concitatores, contemptores deorũ, & malorũ operũ effectores. Iniquum eſſe condemnari injuſtè ſacerdotem à ſacerdote: & id factũ fuiſſe docuit iniquiſſimè à ſacerdotũ collegio, atq; id exemplo probavit. Iniquiſſimũ verò à ſacerdotũ concilio, id etiam accidiſſe monſtravit. Hæc diſertè, & magna cum omniũ expectatione diſſeruit. Atq; cũ omne pondus cauſæ in teſtibus ſitum eſſet, multis rationibus docuit, nullam his teſtibus fidem adhibendam: præſertim cum non ex veritate, ſed ex odio ac malevolentia & invidia omnia dixiſſent. Tum odii cauſas ita explicuit, ut haud procul fuerit à perſuadendo. Ita erant veriſimiles, ut (exceptâ fidei cauſa) parva illis teſtimoniis fides adhibita eſſet. Commotæ erant omnium mentes, & ad miſericordiã flectebantur. Addiderat enim, ſe ſponte ad Concilium veniſſe ad ſe purgandũ: vitam ſuam & ſtudia expoſuerat, officiorũ plena ac virtutũ. Dixerat hunc morem priſcis doctiſſimis viris, ac ſanctiſſimis fuiſſe, ut in rebus fidei, invicem ſententiis diſcreparent, non ad peſſundandam fidẽ, ſed ad veritatẽ reperiendam. Ita Auguſtinum & Hieronymum diſſenſiſſe: nec ſolùm diverſa ſenſiſſe, ſed etiam contraria, nulla hæreſis ſuſpicione. Expectabant autem omnes, ut vel ſe purgaret, retractando objecta, vel erratorũ veniam poſtularet. At ille nec ſe erraſſe aſſeverans, nec ſe retractare aliorũ falſa crimina velle oſtendens: Tandem deſcendens in laudationẽ Johãnis Huſſi, ad ignem damnati, virum illum bonum, juſtum & ſanctum appellans, & illa morte indignum: ſe quoq; paratum quodvis ſupplicium adire forti animo & conſtanti, ſeq; inimicis ſuis cedere, & teſtibus impudenter mentientibus: qui tamẽ aliquando corã deo, quẽ fallere non poterant, eſſent rationẽ eorũ quæ dixiſſent, reddituri. Magnus erat circumſtantiũ animi dolor. Cupiebant enim virum tam egregium ſalvari, ſi bona mens adfuiſſet. Ille autem in ſententia ſua perſeverans, ultrò mortem appetere videbatur. Laudanſq; Johannem Huſſum, ait, nihil illum adverſus eccleſiæ dei ſtatum ſenſiſſe, ſed adverſus abuſus clericorum, adverſus ſuperbiam, faſtum ac pompam prælatorum. Nam cum eccleſiarum patrimonia primò deberentur pauperibus, tum hoſpitibus, deinde eccleſiarum fabricis: indignum illi bono viro videri, diſpendi illa meretricibus, conviviis, equorũ ac canum ſaginæ, cultui veſtimentorum, & aliis rebus indignis religione Chriſti. Hic autem maximi ingenii fuit. Cum interrumperetur ſæpius oratio ſua variis rumoribus, laceſſereturq; à nonnullis ejus ſententias carpentibus, neminem illorum intactum reliquit: pariterq; omnes ulciſcens, vel erubeſcere coegit, vel tacere. Surgente murmure ſilebat, turbam quandoq; increpans: poſtea orationem proſequebatur, orans atq; obteſtans, ut eum loqui paterentur, cum non amplius ſe eſſent audituri. Nunquam ad hos rumores expavit, mente firma atq; intrepida. Illud verò admirabile memoriæ argumentum. CCCXL. diebus fuerat in fundo turris fœtidæ atq; obſcuræ: cujus aſperitatem ipſemet queſtus eſt, aſſerens ſe, ut bonum & fortem virum decet, non propterea ingemiſcere, quòd indigna perpeſſus eſſet: ſed mirari adverſus ſe inhumanitatem. Quo in loco nedum legendi, ſed ne videndi quidem habuit facultatem. Mitto

[Margin notes:]
* Alias, objectionum.
Pulchra defenſio.
Socrates.
Plato.
Anaxagoras.
Zeno. Rupilius.
Boëthius.
Moyſes.
Joſeph.
Eſaias. Daniel.
Suſanna.
Johãnes Bap.
Stephanus.

Sanctorum patrum mos in rebus fidei.
De bonis eccleſiæ ſententia Joh. Huſs.

 anxietatem

Testimonia scripturarum nihil profuerunt Hieronymo.

anxietatem mentis, qua oportuit illum quotidie agitari, quæ omnem memoriam excutere debuisset. Tamen cum tot doctissimos ac sapientissimos viros in testes suarũ opinionũ allegaret, tot doctores ecclesiasticos in medium protulit in sententiam suam, ut satis, superque satis fuisset, si toto hoc tempore, summo in otio, summa in quiete, sapientiæ studiis operã dedisset; Vox ejus suavis, aperta, resonans erat: quadam cum dignitate gestus oratorius, vel ad indignationem exprimendã, vel ad commovendã commiserationẽ: quã tamen nec postulabat, nec consequi cupiebat. Stabat impavidus, intrepidus: mortẽ non contemnens solum, sed appetens, ut alterũ Catonem dixisses. O virũ dignũ memoriâ hominum sempiternâ. Non laudo si quid adversus instituta ecclesiæ sentiebat: doctrinam admiror, plurimarũ rerum scientiã, eloquentiã, dicendi suavitatem, & argutiam respondendi. Sed vereor, ne hæc omnia in pestẽ suam sibi fuerint à natura concessa. Datum deinde spatiũ pœnitendi biduo. Multi ad illum accessere viri eruditissimi, ut ipsum à sua sententia dimoverent: inter quos Cardinalis Florentinus eum adiit, ut illum flecteret ad viã rectã. Sed cum pertinacius in erroribus perseveraret, per Conciliũ hæresis damnatus, & igni combustus, Jucunda fronte, & alacri vultu, ad exitum suum accessit: non ignẽ expavit, non tormẽti genus, non mortis. Nullus unquam Stoicorũ fuit tam constanti animo, tam forti mortem perpessus, quàm iste appetisse videtur. Cum venisset ad locũ mortis, seipsum exuit vestimentis. Tum procumbens, flexis genibus veneratus est palum, ad quẽ ligatus fuit: Primũ funibus madentibus, tum catena, nudus ad palũ constrictus fuit, ligna deinde circumposita, pectus tenus non minuscula, sed grossa, paleis interjectis. Cum flamma adhibita, canere cœpit hymnũ quendã, quẽ fumus & ignis vix interrupit. Hoc maximũ constantis animi signũ: cum Lictor ignem post tergum (ne id videret) injicere vellet: Huc (inquit) accede, & in conspectu accende ignem. Si enim illum timuissem, nunquã ad hunc locum (quẽ fugiendi facultas erat) accessissem. Hoc modo vir (præter fidẽ) egregius consumptus est. Vidi hunc exitũ, singulos actus perspexi. Sive perfidia, sive pertinacia hoc egerit, certè ex philosophiæ schola interitum viri descripsisses. Longam tibi cantilenã narravi otii causa: nihil enim agens, aliquid agere volui: & res tibi narrare, parũ dissimiles historiis priscorum. Nam neq; Mutius ille tam fidenti animo passus est membrum uri, quàm iste universum corpus. Neq; Socrates tam sponte venenũ bibit, quàm iste ignem suscepit. Sed hæc satis. Parces verbis meis, si longior fui. Res tamen majorem narrationem poscebat: sed nolui nimis esse loquax. Vale mi jucundissime Leonarde. Constantiæ 3. Calend. Junii; qua die hic Hieronymus hæresis pœnas luit. Vale, meq; dilige.

Constantia Hieronymi.

Constans Hieronymus.

Cum hæc Epistola reperiatur inter Epistolas Æn. Sylvii, verisimile est Sylvium eam ab interitu vindicasse: indicat illa facundiam & ingenium authoris, & admirandam hominis probi & Christiani Constantiam; eamq; posteritati commendabit, cum lictorũ Rom. barbaries & inhumanitas ab omnibus piis proculcabuntur.

O. G. AD LECTOREM.

PUlcherrima aspectu bestia hypocrisis, blanditur, ridet, jocatur, applaudit. Rursus autem cui vult indignatur, excandescit, mordet, lacerat, & quũ versipellis sit (ut suis hic depingatur coloribus) pardum exprimit, ascititio sese cultu, non vero decorans. Blandienti blanditur, palpantẽ vicissim palpat. Morosa nonnunquàm ac satis meticulosa. Optimum non nasci hanc bestiam, aut ocyssimè aboleri. Nã hydrã inficere & crocodili lachrymas emittere novit, Curios simulat, Corinthiũ in tenebris amans luxum. Humi dolosè serpit & accline est scabellum ejus, sub quo tamen scorpium dormientem fovet. Omnis igitur hypocrita, optimos quosque falsos fieri cogit, & velut tristis quispiã Areopagita, in superciliis suis, ac vultu ad fraudẽ cõposito, bonã fictæ suæ religionis partẽ callenter sedere putat. Lupus est igitur homo talis homini, non homo, qui etiam & mali fontẽ frequenter reperiens, multitudinem sibi malorum asciscit. Qui enim cum callido hypocrita commerciũ habet, auribus lupũ tenet, atq; ebur ipsum facilius atramento candefacies, quàm cum tali, tanquã superstitioso monstro domiciliũ serves. Herodẽ (si volueris) intuere, qui devotionẽ Magis promittens (ut Chrysostomus scribit super Matthæũ) gladiũ acuit, & malitiã cordis humilitatis depingit colore. ¶ Cæterũ, ad subdolam simulatoris matrem, ipsam videlicet simulationẽ, revertamur. Nunquid non & per mulierẽ illã designari potest, quæ purpura splendescens & coccino, aureisq; amicita chlamydulis, tum lapide etiã pretioso & margaritis adornata, poculũ dextra tenet, plenũ abominatione & immunditia execrabilis suæ superstitionis? Non veniet igitur in conspectu dei omnis hypocrita, uti Job testatur, & sicuti Augustino placuit, & habetur 11. q. 1. Mortuus est omnis hypocrita. Quales ergo haberi volumus (ut 2. offi. ait Amb.) tales & simus. At quorsum hæc tam multa? Ut Leonardi (inquã) Aretini, Oratoris clarissimi, justũ atq; perelegans contra hypocritas libellũ, sine omni specie mali prudenter legas, ne ab illis ipsis ante prospectũ incautius decipiare. Credimus enim, talem, tantumq; virũ, mala intentione, loquutum fuisse nihil. Vale fœliciter.

Leonar

LEONARDI ARETINI ORATORIS
Clarissimi, adversum hypocritas libellus.

Ex omni genere hominum, quos variis damnabilibusq; vitiis ingeniosa & ad malũ prona coinquinavit improbitas, nullum neque perniciosius, neq; odibilius esse reor, nec severiori censura animadversioneq; plectendum, quàm eos, qui cum perversæ mentis, animique malignantis sint, tamen fingendo id callidè conantur & agunt, ut sancti & integerrimi homines, omniq; carentes vitio habeantur. His namque, cum sint totius humani generis infestissimi hostes, & in capita cæterorum hominum, ad perniciem fraudemq; conjurati; dignum est, à cunctis, tanquàm adversus publicam luem, inexpiabile bellum indici. Cum verò ex hujusmodi detestabili abominandaq; sentina duo, (quos minime Gentium opinatus unquàm forem) me olim credentem fidentemq; deceperint: & alius item quidam ex eadem palæstra, proximis diebus mirabili quodam artificio adversus me idem facere tentarit (ac nisi per superiora damna edoctus, mihi cautè prospexissem, rursus proculdubio capiebar) non est consilii mei ultra simulare: sed clamabo quanta magis potero voce, admoneboq; hujusmodi circulatores, publiceq; detestabor, ne in me amplius suas fraudes præstigiasq; tentent. Nec tamen eorum nomina, quæ certè vix contineo, hic expresserim. Dabo hoc pudori meo, concedam verecundiæ: satis denique pœnarum accepisse putabo, si ista legentes audientesque, de se dicta haud dubiè recognoscent. Hypocritarum genus perniciosissimum.

Quid vobis adversum me est rei, perversissimi homines? quid in me tam crebrò flagitiorum vestrorum venenata tela jactatis? An ego dignus visus sum, qui seduci, idoneus qui falli, simplex, qui circumveniri à vobis possim? Frons (credo) placida, & benignitas vultus, nescia denegare quicquam facilitas, hanc vobis adversus me fiduciam præstant. Videte (quæso) ne fallendi aviditate fallamini. Fuit enim in me ista quondam humanitas: sed vos planè vestris eam versutiis in contrarium convertistis. Nullius autem vini species vehementius acescit, quàm quæ ab initio dulcedinem habuit. Frustra jam (mihi credite) aggredimini: frustra adversus me retia tenditis vestra. Qui semel fallitur, dignus est veniâ: qui rursus, castigatione: qui tertiò, nullo modo ferendus est. Non committam igitur, ut tertii deceptorum ordinis ipse sim. Non composita facies, non dejecti in terram oculi, non ora artificiosâ exterminatione pallentia, non deniq; per omnes gestus exquisitissimè ficta probitas: non sermo ille rarus, & crebrò in vestri capitis damnationem admiscens deum, me jam ultra seducere, aut movere, aut quicquàm proficere apud me possunt. Abunde doctus sum, &, quod minimè velim, meis damnis incommodisq; edoctus; calleo fascinationes vestras, & occultos quidem meatus, quibus quasi cuniculis ad ruinam hominum subitis, omneis agnosco. Rectè nimirum vos hypocritas appellavit, qui hujus significationem verbi à theatrali histrionum turba ad vestrum genus, consortiumq; traduxit: quippe nil aliud quàm histriones estis, & alienas induti personas, deum simul hominesque deluditis. Histrio enim dum fabulas agit, sæpe ex aula prodiens, regem se aut heroa profitetur exterius, cum intus neque rex, neque heros sit: sed vilis quidam ex infima plebe homuncio, & interdum etiam servus. Itaque eos Græci quidem ὑποκριτὰς, quasi actores & simulatores alienarum personarum, nostri autem histriones, id est ludiones, Etrusca lingua vocitarunt. Annon rectè vobis hujusmodi nomen inditum est? Annon pejus etiam quàm ludiones estis? Illi ad delectationem spectantium, alienas præ se ferunt personas: vos ad eversionem spectantium, fictam inducitis probitatem. Illi scenarum prophanissimum locum, vos templorum sanctuaria incestatis. O miserum ac detestabile genus hominum, qui etiam illa quæ cæteris sancta & intemerata sunt, vestris flagitiis prophanare non dubitatis! Si non hominum formido vos absterret, quoniam clam illis hæc perficere posse confiditis: Annon divinæ ultionis, quam meritò formidare & expavescere debetis, quoniam cuncta discernit, pœna vos territat? Sed nondum fortasse jugulum vestrum invadendi tempus. Ut enim quorundam pœnæ delictorum sic à legibus constitutæ sunt, ut antequam supplicium de reis sumatur, spoliationem ac verberationem præmittant: sic vos priusquam confodiamini, nudandi ac flagris orationis meæ verberandi estis. Non decet hypocritam vestitum necari: ante nudandus est, ut appareat: verberandus, ut doleat. Hypocritæ. Histriones.

Quare

Quare divina ista, quæ vestram perfidiam disperdant, in aliam partem reservemus, ac ut cœptum erat, de histrionibus agamus. Illi reges aut heroas simulant, Vos faciem induitis boni viri, à quo tamen magis distatis, quàm illi ab heroibus & regibus. Non utor excessu verborum, dum ita dico, sed revera sic est. Plus abest hypocritarum perversitas à probitate, quam seriò fingunt, quàm mimorum infimitas à culmine regio, quod per jocum imitantur. Siquidem illi fingendo se reges, nihil alieniores fiunt: vos autem quantò magis fingitis, tantò à bono viro disceditis longius. Et certè, si quid sit bonus vir considerare velitis, pudeat vos nimium professionis vestræ: quanquam non est professio hypocritarum, ut boni sint, sed ut boni videantur. Illud autem stultitiæ nostræ, quod per ea bonitatem æstimamus, quæ ad faciendum bonum virum nihil pertinent. Non enim vestis hispida, & talos adusq; profluxa toga: Non prægrande capitis tegmen, non tristis & severa alienis peccatis castigandis, suis ignoscendi curiositas: non importuna frequentatio templorum, non admiratio, admurmuratio confricatioq; picturarum bonum virum efficiunt. Vera sinceritas animi istud præstet, oportet: non improba & captiosa ostentatio sui. Sed vester hic unus labor est, ut boni videamini: ut verò sitis, nihil omnino laboratis. Itaq; sinceritate illa animi, quæ bonum virum efficere potest, spretâ atq; neglectâ, & tanquam inimica vestris rationibus conculcatâ, ad curam earum rerum confugitis, quæ probitatem non efficiunt, sed ostentationem; illud tantummodo vobis deposcentes:

> Da mihi fallere, da justum sanctumq; videri:
> Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Quæ, naturam vestram intelligens, doctè simul ac festivè Poeta descripsit. Cum verò omnis vestra (ut ita dixerim) bonitas, vestitu, vultu & affatu terminetur, nec ultra se extendat, de illis pauca dicenda sunt: ne fortasse blandiamini vobis, hanc vestram admirabilem, stupendamq; sanctimoniam, qualis & quanta sit, à nobis ignorari. In quibus profectò vos ipsi, si vera fateri volueritis, nobis ut verissima dicentibus assentiemini. A vestitu igitur incipiamus.

Vitia maxima atq; deformissima vobis insunt: Inter quæ superbia, avaritia, ambitio obtinent principatum. Ea ut celetis, longæ illæ chlamydes quæsitæ, magna illa capitis tegmina adinventa. Qua enim alia de causa, illa vestris corporibus circundatis, nisi ut sub humili habitu, superbia: sub contemptu, avaritia & ambitio delitescat? Non igitur sunt hæ vestes corporis tegumenta adversus intemperiem frigoris, aut caloris: sed vitiis latibula adversus oculos hominum comparata. Atqui si boni quemadmodum videri cupitis, ita esse velletis, ista quidem vitia ex animo ejicienda erant, non togarum velamine occultanda. Hispidior vestis est, & penula osse succincta, manicæ laxius negligentiusq; effusæ? Quid ergo? tene ob hæc sanctum, ut tu vis, sic etiã à me putari credis? Ego iis ostentationibus & figmentis fidem non præsto, nec tibi, hypocrita, credo. Sub illorum enim pannorum involucro, velut sub Canthara suffarcinata latere aliquid suspicor, & certè latet, modò aperiri & introspici liceat. Apparebit turpium vitiorum sentina, & lupi rapacitas sub agnina pelle abscondita. Ut enim esca hamum ad piscium deceptionem: sic panni vestras ad deceptionem hominum obtegunt pravitates. Hæc vos spectacula quasi escam in populum demittitis, ut per hujusmodi speciei illecebram alliciantur homines, & à vobis capiantur. Et vestium quidem genera ad hypocrisim multa sunt: in cunctis tamen una est regula, ut sub humilitatis specie, mentes intuentium ad falsæ bonitatis opinionem, credulitatemque * adducantur. Magis verò ac minus à communi vestimentorum usu disceditur, ut quisque plus minusve in hujus detestandæ pestis voraginem se † commisit. Quamobrem qui paulo meliores quàm sunt, videri affectant, submissiore paulò toga, calceamentoq; abutuntur: qui autem hoc cupidius flagrant, à communi usu discedunt longiùs: qui verò tota mente hypocrisim ardent, ac jam spreto hominum consortio, inter cœlestes numerari volunt, & in sanctorum Catalogo vivi adhuc * stertentes adscribi: hi jam non levibus certaminibus, sed toto (ut ita dixerim) agmine hypocrisim invadunt. Hi sunt quos videmus, non tam vestitos pannis, quàm involutos vestibus: quorũ sunt illa prægrandia & pendentia capitum tegmina, monstra hominũ & portenta, tunicis tanquàm culeis insuti, quibus si esset aliquid sinceritatis, nusquam tantopere studerent, hanc eorum pannariam sanctitudinem oculis nostris objicere, sed integritatem animi sub communi & usitato habitu latere paterentur: studerentq; potius ut homines nescirent, quod isti minimè faciunt, sed inculcant ea oculis nostris, & propalam ostendunt, per quæ sanctos & integerrimos se cupiant æstimari, sepulchra utique dealbata, quæ cum extra speciosa sint, intus si aperias, putida reperiuntur. Bonus enim vir, & hypocrita, quanquàm in nullo conveniant, in hoc tamen maximè differunt, quòd ille bonus esse vult, videri autem non laborat: hic esse quidem non laborat, videri autem vult. Itaq; omnia quæ internæ sunt virtutis negligens, ad ea tantummodo quæ supereminent & subjacent oculis, confucanda & in propatulo ponenda, intendit.

Canthara Terentiana. vide prov. Canthаro astutior.

* Al. erigantur.

† Al. permisit.

* Al. fœtentesq;.

Pannaria sanctitas!

Ad

Ad hæc, vanitas & cupiditas vos impellit. Vanitas, ut gloriam aliquam per hujusmodi habitum. Cupiditas, ut faciliorem viam ad decipiendum habeatis. Huic sordidæ deformationi habitus, tristitia vultûs & dejectio frontis adjungitur, quæ & ipsa ostentandi & decipiendi instrumenta sunt maxima, ut etiam cognomen vestrum exinde sit tractum, hypocritæ tristes. Motus oculorum gravis, obtorta cervix, sputus frequens, non tam ab abstinentia ciborum, quàm ab helluatione proveniens. Nam hoc habet hypocritarum studium, faciem exterminat, corpus impinguat: quæ sub veste latent, ad opera voluptatis: quæ supereminent,ad fictionem sanctitatis exercet. Quid tu hypocrita usq; adeo tristis es? Quid sibi vult ista obtorta cervix? Quid illa oculorum dejectio? Quid illa integritatis & innocentiæ ficta sinceritas? An potest quisquam vestrûm quoties alium ejusdem artis professionisq; aspexerit, risum tenere? Quas fraudes, quas circulationes vobis consciti? [quantum inter faciem vestram animumq; interest? quantum effectus vestrorum operum different ab aspectu?] An nescimus, quantum sub ista ficta humilitate lateat superbiæ, quantum iracundiæ? Nonne si vel parva in re quenquam vestrum quis offenderit, tanti æstus irarum, indignationumq; exundant, sicq; continuò effervescit spiritus, ut non humilem ac dejectum hypocritam, fæcem ac sterquilinium vulgi, ac postremæ sortis hominem: sed Agamemnonem dicas, aut Achillem, aut si quis fuerit heroum superbior? Nec verò gens est ulla ad crudelitatem pronior, si ulciscendi licentiam nanciscantur. Qua in re abundarem exemplis, nisi ab initio proposuissem neminem vestrum nominare. Sed quemadmodum sub illa ficta, & simulata hypocritarum humilitate, superbia quædam immanis, & æstuans acerbitas reperitur: sic etiam sub integritate quam fingunt, detestanda improbitas ac malignitas subest. Et quemadmodum si quis eos paulò irritaverit, superbia quæ sub humilitatis specie latitabat, erumpit: Ita si quis fidei eorum quicquam commiserit, repente improbitas quæ dissimulabatur, apparet. Nec magis pro humilitate superbia, quàm pro justitia rapacitas, pro æquitate Iniquitas, pro pietate impietas, si periculum facias, deprehendetur. Nam ego quid de verbis eorum loquar, in quibus nihil est simplex, nil verum, nil sincerum, & quod indignissimum est, peccata in aliis acerbissimè castigant, quibus ipsi præcipuè obnoxii sunt? Quàm multus eis sermo de conscientia, de integritate, de justitia, de continentia, de charitate, de humilitate? Hinc adversus improbos invehuntur, vociferantur, insaniunt. Sed iidem ipsi ubi omissis verbis ad res pervenerint: quasi alii quidam homines, ac propriorum præceptorum obliti, per fas & nefas cuncta facere properant, quæ prius in aliis detestabantur, ut cum eorum vitâ, mirum in modum pugnet oratio. Operæ pretium est audire hypocritam inter mulierculas, aut inter viros sic stultos, ut non multum à mulierculis differant,concionantem. Somnia fingit: cœlestia domicilia, quæ nunquàm aspexit, quasi inde prolapsus, enarrat. Ficta pro factis, invisa pro visis, turpissima impudentia asseverare non dubitat. Hujusmodi verbis infatuatæ domum redeunt, sanctum ac deo amicum prædicant, munera mittunt, cum majore cœtu revertuntur. Bacchanalia per hunc modum fiunt. Ille interea nares inflat. Somnia item quæ referre possit, quasi poeta quidam excogitat. Magistrum & archimandritam se vocari gaudet. Ut uberem ridendi materiam de ineptiis ac levitatibus suis, gravibus & prudentibus viris, hujusmodi homines crebrò exhibeant. Atque utinam hic ludus sisteret, sed procedit longius. Nam tam horum, quam cæterorum qui paulò urbaniores sunt, una est regula, unum denique institutum, ut verba quidem eorum optima sint, facta autem pessima. Nec ego solùm de Religiosis, verum etiam de Secularibus loquor. Nam in utroq; genere hæc infanda reperitur pestis. Equidem ex cunctis hominibus, quos versari in vita perspexi, nullos neq; acerbiores, neq; perversiores adhuc inveni, quàm istos qui bonâ conscientiam profitentur,qui picturas attrectant,qui plorant inter sacra: apud hos cave, quæso, pecuniam deponas, cave, quidquâ credas, cave tutelam liberorum committas, cave ad pudicitiam filiorû filiarûve tuarum aspirare permittas. Persuade tibi (nam persuadere tutò potes) hoc esse nocentissimû genus hominû, & cunctis flagitiis sceleribusq; coopertû; calamitatem perversionēq; propinquorum; spoliatores viduarum pupillorumq;, omnium deniq; qui aliqua in re fidei illorû se permiserint, eversores. O quot singulis diebus occurrimus, quibus cum vix morari paulò plus minimo licet, quin de jejuniis, de sacris, de conscientia, ut se bonos ostendant, multa loquantur: homines compositâ facie, tristi ac severo judicio, vestitu & calceamento, vel ad superfluam honestatis normâ excogitatis. Hos fuge (crede mihi) hos vita, cum iis nihil rei unquâ tibi sit, si quietem amas. Etenim nescio quo pacto alienarû quidem rerum semper illis scrupulosa & arguta conscientia est nimis: suarum autê nulla, aut supina & crassior. Itaque si quid cum illis explicandû sit, tot cavillationes, subterfugia, tergiversatiões superinducunt, ut nec suum quisquâ ab illis consequi, nec se explicare,aut liberare ullo modo queat.Injusti,impii, versuti,mêdaces,inexorabiles,inhumani,qui nunquâ ex bono & æquo quicquâ æstimêt: sed cuncta per rigorê iniquitatis suæ prosequantur.

Restituuntur illa verba ex editione quæ dicitur Lugdun. 1676. secundû M. S. bibliothecæ Illustr. Ant. Magliabechi Florentini.

Memine-

Meminerimus ergo cum isti nobis occurrunt, qui pannis, qui vultu, qui gestu, qui incessu, qui motu oculorum & corporis, qui verbis & oratione fictam humilitatem & exquisitissimā bonitatem præ se ferunt, ac se nostris oculis non præsentant modò, sed inculcant: non esse eos sanctos, non innocentes, non humiles spiritu, sed perversos, sed inflatos, sed perfidos, sed circulatores & deceptores hominum. Nihil est enim, quod hypocritis tutò credi possit: cum omnia eorum opera simulata sint, atq; conficta: nisi fortè quis dicat, in contrarium quæ ostensa sunt, accipi oportere, ut ea subesse proculdubio credamus, quorū ab illis contraria ostentantur. Et ita pannos, ita vultum, ita verba, ita cæteram eorum sanctimoniam esse perpendendam. Nec ego salutares monitiones ac exhortationes divinarum rerū reprehendo, sed fictiones detestor: & ab his qui sanctitatem & castimoniam profitentur, consentaneam suæ professioni vitam requiro. Vultum autem & gestum, & incessum, & verba ad speciem integritatis sanctitatisq; formare, intus verò turpissima vitia retinere, aliena peccata severè discutere, sua faciliter ignoscere, & bonus videri velle, cum non sis, idque ad deceptionem hominum facere, tetrum ac flagitiosum, & detestandum duco. Hoc est quod in te, hypocrita, reprehendo, hoc est quod carpo atq; detestor. Nam divina quidem illa veneror & adoro, & si quis ritè illis intendit, eum beatum puto. Sed hic bonus & integer vir omnia contrà facere reperietur, quàm tu facis. Et rectè quidem. Diversis enim propositis, diversa sequuntur. Tibi quidem propositum est, ut bonus videaris, illi ut sit bonus. Itaq; tu te ostentas, ille se contegit. Tu faciem exterminas, ut appareas hominibus jejunans: Ille lavat & ungit, ne jejunare appareat. Tu vestes induis, quæ oculos hominum in admirationem humilitatis & honestatis tuæ convertant: ille ne convertantur in admirationem oculi, communi vestitu calceamentoq; utitur. Tu templa infestas, ille modestè adit. Tu figuras attrectas, & picturis murmura admisces: ille secum tacitus Deum orat. Tu ploras inter sacra: ille lætatur. Tu tristitiam vultûs præfers: ille hilaritatem. Quid ad hæc respondebis hypocrita? Nónne bonus & sincerus vir hæc faciet omnia, quorum tu contraria facis? Quid igitur, miser, hanc sanctitatem tuam nostris oculis inculcas? Quid verba jactas? Quid te ostentas? Quid intumescis? * Quid in alio reprehendis, te bonum falsò simulans? Non horres integritatem & severitatem, seu sinceritatem fingere, cum ipse sis conscius injuriarū tuarum? Atqui leges adversus eum qui falsa nummis signa incuserit, ignis supplicio pœnam decernunt. Quid ergo tibi fieri expectas, qui non æs aut argentum, sed faciem hominis, vitamq; falsificas? Equidem vos & vestra interdum considerans, in eam nonnunquam opinionem adduci soleo, ut putem lachrymas illas, & consternationem inter sacra, ex conscientia malefactorum vobis provenire. Nam bonus quidem vir lætus & alacris est ex rectè factorum conscientia, & ex bona spe, quam nulla pœnarum formido conturbat. Hypocritas autem sua urunt facinora, & quasi furiæ ante oculos obversantur. Necesse est enim illos (quamvis sunt improbi) interdum de se & de suis erratis cogitare. Est enim unusquisq; rectè ac perperam factorum judex sibiipsi constitutus. Hoc est certissimum profectò ac verax judicium, quod neq; falli, neq; seduci, neq; circumveniri ullo modo potest. Non enim testibus creditur, non tabulis arguitur reus, non à patrono per gratiam vel eloquentiam defenditur: omnia scit judex, omnibus interfuit: non semel tantùm quis, sed sæpe frequenterq; judicatur. Hujus interni judicis condemnatio lachrymas illas tibi excutit, & inter sacra plorare compellit. Sed crede mihi (mihi vero?) immo divinis affatibus, hic ludus & jocus est. Id sempiternum est ineffabileq; judicium, quod te post mortem expectat. O diem illam tibi acerbissimam futuram, cum ante tribunal illud deposita facie ista, & pannis quibus nunc te fallendi gratia contegis, sempiterno illi judici vitia & scelera tua apparebunt! cum te deceptorem hominum, falsarium humanæ faciei, adulterum divinæ imaginis, indeficibili igne te audies condemnari. Et quid est, quod Deus in sermonibus suis acrius detestatus sit, quàm hypocritarum perversitatem? Quid quod crebrius repetatur, cui vehementius ac terribilius comminetur: quod majori odio magister ille supremus esse sibi ostendit? Hæc formida igitur, ô hypocrita, dum tempus est, & ante judicium, cum illo comminatore, quem fallere non licet, redi in gratiam. Omitte has fictiones, quibus fallendi gratiā hactenus studuisti. Veris magis virtutibus, quàm simulatis inhæreas, & communi vultu & vestitu utare. Nec tibi tanta cura sit, ut homines de tuis bonis sciant, quàm ut nesciant. In vitia autem aliena non curiosus sis, sed in tua.

* Al. quid in aliis reprehendendis te bonum falsò simulas?

Libelli Leonardi Aretini, in Hypocritas Finis.

Quomodo

QUOMODO BOHEMI VOCATI

Productique sint ad Basiliensem Synodum Oecumenicam: & quid illic egerint, ex verbosissimis commentariis compendio relatum.

QUUM Bohemi in erroribus suis persisterent, & primitivam ac apostolicam ecclesiam jactantes à Romana sede pertinacius evariarent: exulceratis nimirum illorum animis ob Johannis Hussi & Hieronymi Pragensis exustionem, missus est in Germaniam legatus Julianus, Cardinalis titulo sancti Angeli, ut expeditionem appararet in rebelles Bohemos, quam Romana consuetudo * Cruciatam appellat. Putabat enim Romanus Pontifex hanc Gentem à Germanis facile posse superari. Verum, res aliter evenit. Nam nostris sæpius in fugam versis, tantum vicinis omnibus terrorem incusserunt, ut nihil aliud quàm pacem optaret Germania. Rebus itaq; non succedentibus, cum semper Bohemi superiores essent, quanquam à novo jam Pontifice Eugenio sententia anathematis damnati, optimum factu visum est, si Basileam, ubi nuper indictũ erat Concilium, vocarentur. Quare Cardinalis Julianus eo loci præmisit Johannem Polomarium Pontificii juris doctorem, sacriq; palatii auditorem: & Johannẽ de Ragusio, Theologiæ professorem, ordinis Prædicatorum tum procuratorem generalem, qui postea Argensis episcopus factus, etiam in Cardinalium numerum meruit recipi, titulum sancti Xysti adeptus. Qui cum Basileam venissent, Anno M. CCCC. XXXI. Mense Augusto, vocarunt literis ad Concilium Johannem Mulbrunnæ abbatem, & Johannem Gelhusium ejusdem cœnobii monachum. Nam hoc homine propter dexteritatem ingenii, & regionum ac rerum experientiam in primis opus erat ad obeundas legationes. Abbas aliis negotiis distentus non venit: Johannem tamen morbo paulo ante vexatum, & adhuc valetudine non satis confirmata, Basileam misit. Quò non multis pòst diebus Julianus quoq; pervenit, ut promiserat. Is statim Johannem Gelhusium & Hammanum Offenburgium, consulem Basiliensem, primũ ad Sigismundum Cæsarem, Feldkirchii tum agentem: Deinde ad Fridericum ducem Austriæ mittit, pro componendo bello, quod huic erat cum Philippo duce Burgundiæ. Fiebat hoc, ut reddita pace, tutò liceret Basileam venire, non solùm proceribus Ecclesiasticis, sed & mercatoribus, atque adeo omnia quæ ad victum pertinent importare. Hanc legationem obeuntes, literas acceperunt à sancta Synodo, Sigismundo Cæsari reddendas quibus Bohemi & Moravi ad Concilium vocabantur: has ille mox in Bohemiam perferendas curavit. At cum in Italiam proficisceretur, Imperialem à Pontifice coronam suscepturus, protectorem interim velut vicarium sacro Concilio dedit Wilhelmum Bavariæ ducem. Porrò cum Synodus monita fuisset, nostros, conditiones pacis à Bohemis accipere velle post fœdam illam fugam: arbitrans hoc ignominiosum esse, misit Johannem Niderium ordinis Prædicatorum Theologum, & Johannem Gelhusium, qui commodùm redierat, ut vicinum Bohemis populum consolarentur, & Moravos Bohemosque ad Concilium ante vocatos, ad veniendum sedulò urgerent. Hi tertio Calendas Novembres Basilea discedentes, Monacum versus (oppidum id est Bavariæ) iter instituerunt. Ubi cum primùm Wilhemum ducem, & hujus fratrem Ernestum, atq; Ernesti filium Albertum salutassent, & mandata legationis suæ exposuissent, ipsumque Wilhelmum monuissent, ut quàm primum Basileam veniret, quod ei tutela Concilii commissa esset à Cæsare, mox Fridericum Marchionem Brandeburgii, Johannem ducem Bavariæ, & senatum Nurenburgensem, ac alios principes & dominos, partim literis synodalibus, partim etiam ore suo sunt adhortati, ut nullo pacto fœdus cum Bohemis inirent, quod ecclesiæ nocere posset. Adfuturum mox auxilium. Rogabantque nomine Concilii, ut si Bohemi legatos suos Basileam mittere vellent, deducerent eos per suam quique regionem salvos. Omnes se hoc facturos receperunt. De vocatis Bohemis dici non potest, quàm gavisi fuerint omnes, præsertim laici, cum etiam lachrymas emitterent, affectùs vehementissimi testes. Deinde cum senatum Nurenbergensem consuluissent, de mittendis in Bohemiam literis synodalibus, visum est melius esse, si prius sciscitarentur ab Egrensibus, num aliquid ad superiores Concilii literas Bohemi respondissent, quas ipsi perferendas curassent. Egrenses per literas moniti, tabellarium Nurenbergam miserunt, qui literas Concilii in Bohemiam ante pertulerat. Is retulit quanta cum reverentia literas acceperunt cepissent

Julianus Cardinalis sancti Angeli.
* Vide Appendicem.
Johannes Polom. Archidiaconus Barcinonensis.
Johannes de Ragusio.
Johannes Gelhusius, postea Abbas Mulbrunnensis.
Hammanus Offenburg.
Wilhelmus dux Bavariæ, protector Basiliensis Concilii.
Fridericus Marchio Brandeburgensis.
Johannes dux Bavariæ.
Nurenbergenses.
Egrenses.

cepisset Consul majoris civitatis Pragensis, & quibus ipse præmiis fuisset donatus. Unde spem legati conceperunt rem bene processuram. Itaq; consilio senatûs Nurenbergensis usi, & aliorum, præsertim abbatis sancti Egidii, Albertiq; pastoris apud sanctum Sebaldum, & Conradi Cuonhoferii, remiserunt ad Egrenses tabellarium illum, & suis privatim, & Concilii literis oneratum. Neque enim commodior erat ratio, literas in Bohemiam mittendi. Multum porrò laboratum est in hac re, cum ab Egrensibus ipsis, tum à Friderico Marchione Brandeburgensi, & Johanne duce Bavariæ, & à senatu Nurenbergensi: Tantopere cupiebant hi inter Christianos pacem instaurari. Exempla literarum, quibus sacra Synodus Bohemos denuo invitat, & alias item exhortatorias, ac literas oratorum ad eosdem, & ad hos Pragensium respondentes, causa brevitatis omisimus. Porro Bohemi non per omnia nostris fidentes, in literis petebant, ut oratores Concilii cum principibus vicinis ad Egram venirent, suos illic quoq; adfuturos, ut de commeatu, seu publica fide dandâ, quem salvum conductum appellant, & aliis rebus tractetur. Decretus fuit ei conventui dies dominicus, qui Pascha proximè sequebatur. Erat is Mensis Aprilis dies xxvii. Itaque venerunt Egram oratores sacri Concilii, Henricus abbas sancti Egidii Nurenbergensis: Johannes Nider, Theologiæ professor, ac Prior domûs Prædicatorum apud Basileam: Fridericus de Parspergo, decanus Ratisponensis, juris pontificii peritus: M. Henricus Tocgius, Canonicus Magdeburgensis, Theologus: Albertus pastor apud sanctum Sebaldum Nurenbergæ: & Johannes Gelhusius, cœnobita Mulbrunnensis: cum illustribus principibus Friderico Marchione Brandeburgii, & Johanne Bavariæ duce, ac aliis proceribus, ferè cum ducentis & quinquaginta equis. Verũ de Bohemis nullus aderat, quod Pilsenenses, & dominus Suanbergius salvum conductum non misissent. Id cum ex literis intellexissent, effecerunt ut ab Egrensibus & Elenbogensibus nuncii Bohemorũ Nicolaus Hunpoltzius, secretarius majoris civitatis Pragensis, & Matthias Clumpezanus, præfectus Piestensis producerentur: veneruntq; Egram cum decem & novem equis, octavo die mensis Maii. Postridie apud Marchionem, Henricus Tocgius eleganti oratione Bohemorum nuncios salutavit, evangelicum illud usurpans, declaransq;: Pax vobis. Mox ipsi proposuerunt, quàm atrocibus injuriis à nobis fuissent hactenus affecti, eamq; rem extitisse causam tot utrinq; cladium. Gaudere se quòd tandem spes affulsisset ut audirentur aliquando. Deinde de commeatu præstando disputatum est. Obsides postulabant Bohemi, non quosvis, sed principes & nobiles. Id cum nostris non placeret, & res ita differretur, cœpit vulgus apud Egram clamare, quo minus cum Bohemis procederet concordia, per ecclesiasticos stare & principes. Proinde pientissimi principes, Fridericus Marchio Brandeburgensis, & Johannes Bavariæ Dux suapte sponte se obligarunt. Hoc idem paulò post rogante Synodo fecit protector Concilii Wilhelmus dux Bavariæ, item ipsa Synodus, & Sigismundus Cæsar. Præterea promissio facta est, hoc idem omnes principes & civitates præstituros, per quorum ditionem essent profecturi Bohemi atq; adeo civitatem ipsam Basiliensem. Quæ de commeatu diplomata paulò post sunt Pragam missa. Postulatum & hoc est à Bohemis, ut ipse Cæsar præsens adesset in Synodo, quàm fieri posset plenè congregata. Conventus Egrensis duravit dies vigintiunum. In quo fuerunt etiam ornatissimi viri, Petrus Volkamer, consul Nurenbergensis, & Conradus Cuonhofer, jussu sumptuq; civitatis suæ. Verum Bohemi, quanquam audissent nostros miranda pollicentes, adhuc non plenè fidebant. Quare elegerunt duos nuncios Nicolaum Humpoltzium & Johannem Zaczensem, qui Basileam irent, & cuncta diligenter explorarent. Hos Conradus episcopus Ratisponensis, & Conradus Seglawer, decanus Eistetensis, Catelspurgum usq; ubi Marchio degebat, deduxerunt, in hoc à Synodo paulo ante emissi, ut expiscarentur, an essent venturi Bohemorum legati. In comitatu vero erant è nostris, abbas Eberacensis & cæteri nuncii sacri Concilii. Cum Biberacum venissent, quidam infœliciter curiosus ex altero Bohemorum nuncio quæsivit, undenam esset? Respondit is se Zaczensem esse. Illic (inquit ille) sunt execrabiles hæretici & pessimi homines, &c. Qui propter hujusmodi convitium, veluti violator publicæ fidei, statim in carcerem raptus est, plus pœnæ depensurus, nisi ipsi nuncii Bohemorum, & abbas Eberacensis precibus hominem liberassent. Cum venissent Basileam, vino & piscibus fuerunt à senatu donati. Manseruntq; illic dies quinq; & dimidiatum. Decimo Octobris die venerunt ad Synodum, quæ convenerat apud Prædicatores. Hi nuncii cum domum fuissent reversi cum diplomatibus Concilii, indicassentq; quæ viderant, rem videlicet agi seriò, nec subesse dolum: delecti sunt oratores ad Conciliũ mittendi de regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ, Johannes de Krainitz, Jacobus de Vurziessenitz, Benesius de Makrouvitz, Johannes Veluvar de Praga, Matthias de Clumpezam, Laurinus de Hradisse, Gregorius de Curia, Nicolaus scriba Pragensis, M. Johãnes de Roccizano, M. Petrus Payne de Anglia, Procopius ductor exercitus Taboritarum, Nicolaus de Pelerzinnau, Marcoldus de Zbraslavitz, Martinus de Chrudim, & Petrus Zaczẽsis. Qui cũ in Tusca cõvenissent, illinc per nostros

Conradus Cuonhofer, Nurenbergensis.

Conventus Egrensis.

☞

Diplomata salvi conductus.

Petrus Volkamer. Conradus Cuonhofer.

Abbas Eberacensis.

Oratores Bohemorum ad Concilium: inter quos fuit Petrus Paine Anglus, vir insignis, qui Wiclefi doctrina addictus patriam reliquerat & in Bohemia degerat religionis liberioris ergo: cujus Scripta recensentur in bibliotheca Gesneri edit. 1574.

nostros in Chambiam sunt producti cum 32. equis per nobiles viros, Hinskoverū, Pflugiū, Pavelstorferū, Fridericū præpositum Ratisponensem, & alios: ubi Conradus Ratisponensis episcopus substiterat. Ex Chambia Suenkendorphiū itum est. Atq; cum jam Nurenbergæ vicini essent, Matthias Clumpezanus præfectus Piestensis vexillū protulit: cujus una pars crucifixi imaginē habebat depictā, altera calicem eucharistiæ figura superposita; sicq; Nurenbergā ingressi sunt. Verū, cū à nostris moniti essent, id postea nusquā fecerunt. Nurenbergenses, præter vinariū atq; piscariū munus, etiā 22. equites concesserunt, qui illos Ulmam comitarentur. Ex Nurenberga Albertus Marchionis filius in Guntzenhusium produxit, Oringēsis comitis ministri Nordlingam, & postero die Ulmam: Ulmenses porrò Biberacum & Sulgoviā usque, inde exceptos Jacobus Truchses de Walpurgo, eques auratus Stockacum produxit: Satellites ducis Bavariæ Wilhelmi Schaffhusium pòst deduxerunt: Illic naves ingressi quarta die Januarii Basileam venerunt. Porrò nono die ejusdem mensis, cum synodum accessissent, habuit orationem Julianus Cardinalis, de eo quod quicquid uspiam dubiorum est, id authoritate Concilii definiri debeat: quando quidem omnes mortales judicio sanctæ matris ecclesiæ, quam generale Concilium repræsentat, se submittere tenentur. Quæ quidem oratio non omnibus Bohemis probabatur. Habuit & Roccizanus orationem nomine Bohemorum, diem postulans quo audirentur. Is fuit destinatus 16. ejus mensis. Quo die Johannes Roccizanus pauca præfatus, primum articulum de communione sub utraq; specie, proponere cœpit, usq; in tertium diem semper ante meridiem. Deinde Wencesslaus Taborita, secundum articulum de corrigendis & eliminandis peccatis publicis, in medium protulit, per bidui spatium. Post quem Udalricus presbyter orphanorum, tertium articulum, de libera prædicatione verbi dei, duobus item diebus proposuit. Postremò Petrus Payne Anglus, de quarto articulo, qui erat de civili dominio clericorum, per tres dies disseruit. Fecerunt autem copiam suarum disputationum sacro Concilio in scriptis, & gratias egerunt quòd auditi fuissent: Posterioresq; tres satis inciviliter in nostros invexerunt, Johannem Wiclefum, & Johannem Hussū à doctrina laudantes: nihil veriti doctores evangelicos vocare, quos pridem ecclesia damnaret. Exigebat res ut Bohemis aliquid responderetur. Itaq; surgens Johannes de Ragusio, theologiæ professor, ordinis Prædicatorum, procurator generalis, petiit clara voce in medio sacræ congregationis, potestatem sibi dari, ut responderet privato nomine ad primum Bohemorum articulum. Assensit synodus. Octoq; diebus respondit horis antemeridianis. Antequam autem inciperet respondere, Johannes abbas Cistertiensis orationem ad Bohemos habuit, ut se submitterent determinationi sanctæ matris ecclesiæ, quam id sacrum Concilium repræsentaret: ea res Bohemos non parum offendit. Inter respondendum, Johannes Ragusinus, Theologorum illorum more, quos scholasticos hodie vocant, crebrò hæreseos & hæreticorum vocabulum habebat in ore. Non poterat hoc tandem ferre Procopius Bohemus, quin surgens cum stomacho, de hac injuria apud sanctam synodum publicè conquestus est: Conterraneus (inquit) iste noster injuria nos afficit, hæreticos nos subinde vocans. Ad hoc Ragusinus: Quia (inquit) conterraneus vester sum lingua ac natione, propterea tam avidè cupio vos ad matrem ecclesiam redire. Erat is gente Dalmata. Constat autem Dalmatas in Bohemiam transgressos, ab occupata regione nomen accepisse: Parumque abfuit, quin ob eam offensionem Basileā abirent: vixque placari poterant. Quidam etiam ex Bohemis nolebant Ragusinum ad finem usque disputantem audire. Deinde respondit ad secundum articulum, insignis theologus Egidius Carlerius, decanus ecclesiæ Cameracensis, per quatuor dies. Ad tertium articulum Henricus, cognomento Frigidū ferrum, theologus, ordinis Prædicatorum, dies tres. Ad quartum postremò respondit Johannes Polomarius, auditor causarum sacri Palatii, tribus item diebus: afficiebatq; Bohemos tædio, nostrorum (ut illis videbatur) prolixitas. Quanquam verò nostri tam accuratè respōdissent, nihilominus illi suos articulos adhuc pertinaciter defendebant: præsertim primum, adeo ut Johannes Roccizanus responsiones Ragusini sex diebus fortiter impugnaret. Porrò cum disputatio pareret disputationem, & non videretur hoc pacto pax & concordia facile coitura, tentatum est aliud remedium ab illustrissimo Bavariæ principe Wilhelmo protectore sacri Concilii, videlicet ut omissis disputationibus, res amicè componeretur. Utrinque deputati sunt aliquot de concordia tractaturi: qui cum undecimo Martii die convenissent, jussi essent dicere sententiam suam, qui à parte Concilii erant, Optimum (inquiunt) sibi videri, si illi nobiscum unirentur, & unum corpus efficerentur: quod corpus tum omnes diversitates opinionum sive sectarum, concordare & declarare posset atq; definire quid in singulis agendum foret sive credendum. Bohemi cum aliquandiu deliberassent, aiebant hanc viam non videri satis aptam, nisi prius quatuor illi articuli exactius essent declarati, ita ut aut nos cum ipsis, aut ipsi nobiscum sentirent. Alioqui rem ridiculā futuram si jam uniti, in articulorum rursus decisione discreparent. Responsum est hic à nostris, si ritè unirentur, invocato Spiritu Sancto, nequaquam eos in hujusmodi decisione erraturos,

Veniunt Basileam.

Disputant.

Johannes de Ragusio respondet ad primum articulum.

Offensio Bohemorum.

Protector Concilii Wilhelmus dux Bavariæ.

quando quilibet Christianus tali definitioni credere debeat. Quod si hoc facere vellent, adamantinam plane coalituram utrinq; concordiam. Verùm surdis (quod aiunt) fabula canebatur. Sed & alii tres adversum responsiones datas, pertinaciter disputabant. Id temporis Julianus Cardinalis, Concilii præsidens, talem ad oratores Bohemorum habuit orationem: Audivit (inquit) hæc sancta synodus per decem dies cum magna patientia quatuor vestrorum articulorum propositiones. Et in fine subjunxit: Proposuistis (inquit) proximis diebus quatuor articulos: sed audimus præter hos quatuor, multa vos alia habere dogmata peregrina, in quibus à nobis dissentitis. Necessarium est, si vestra unitas & perfecta fraternitas inter nos sequi debet, ut omnia in hoc sacro Concilio propalentur, quatenus per gratiam Spiritus Sancti, qui pacis & veritatis est author, debita ac salubris provisio fieri possit. Nec ex levibus conjecturis ista accepimus. Partim enim à fide dignis personis audivimus: partim quidam qui hic sunt, propriis oculis in Bohemia viderunt: partim etiam ex vestra relatione perpendimus. Magister enim Nicolaus secundo loco proponens allegavit inter alia Johannem Wiclef Evangelicum doctorem. Si illum creditis esse Evangelicum, consequens est, ut dicta ejus authentica reputetis: si verò non ita putatis, æquum esset ut hoc nobis innotescat. De iis igitur, & quibusdam aliis vos rogamus, ut nos certificare velitis quid credatis,& quā super his fidem adhibeatis. Nec sic requirimus,ut motiva & rationes vestras nunc explicetis: sed satis nobis nunc est,ut ad singulos articulos nobis respondeatis per verbum,Credimus, aut non credimus. Quod si feceritis (ut speramus) tunc apertè cognoscemus vos cupere,ut bonam de vobis æstimationem capiamus. Si quid autem est, de quo velitis per nos certificari,interrogate audacter, & confestim vobis respondebimus. Parati enim sumus (juxta beati Petri doctrinam) unicuiq; poscenti reddere rationem de ea quæ nobis est fide. Ad hæc paucis responderunt oratores Bohemorum, venisse se tantum ut quatuor illos articulos proponerent, non tam suo,quam publico totius regni Bohemici nomine. Nec aliud dixerunt. Quare rursum illustris Concilii protector Wilhelmus, quatuor viris utrinq; ascitis, de re pacificè transigenda tractavit. Ex quorum consilio decrevit sacra synodus insignem legationem cum oratoribus Bohemorum Pragam mittere, ubi ad diem sacratissimæ trinitatis populus esset conventurus. Neq; enim conditiones concordiæ, quas offerebant nostri, volebant accipere: sed abire festinabant. Itaq; 14. Aprilis die, Philibertus Constantiensis in Normannia antistes,Petrus Augustensis episcopus, Johannes Polomarius archidiaconus Barcinonensis, juris pontificii professor: Fridericus Parsperger, præpositus Ratisponens: Egidius Carlerius,decanus Cameracensis: Alexander Sparur, jurisconsultus, Anglus: Thomas Haselbachius, theologus Viennensis: Henricus Tocgius, canonicus Magdeburgensis, theologus: Martinus Bernerius, decanus Turonensis: & Johannes Gelhusius, Mulbrunnensis monachus, jussu Concilii cum oratoribus Bohemorū Pragā sunt profecti. Longū esset narrare, quantū honoris fuerit impensum nostris,cum passim in itinere,tum ab ipsis Bohemis,præsertim à Pragensibus.Cæterum cùm Pragæ convenisset ad præfixum diem ingens multitudo Bohemorū, ex clericis,magnatibus & plebeis,adhortati sunt eos nostri,quod etiā ante sæpe fecerant,ut primam ecclesiasticā unitatē amplecterentur. Deinde, si qua dubia essent, melius ea sic discuti posse. Non placebat hoc Bohemis,quin volebant quatuor illorū articulorum in primis habere declarationē. Quam si possent obtinere, promittebant se pacem & concordiam amplexuros. Cum nostri viderent rem aliter agi non posse,petierunt articulos illos in certa sibi forma dari, quos ad synodū miserunt per tres Bohemorū oratores. Declarationem verò postea sacra synodus in Bohemiā misit in publico regni conventu populo promulgandam,legatis Philiberto Constantiensi episcopo,Johanne Polomario,Henrico Tocgio & Martino Bernerio: Qui jussi sunt hoc Bohemis referre nomine Concilii: quod si trium illorū articulorum declarationē,& pacem ecclesiasticā suscipere vellent,inveniri posse rationem, qua de quarto articulo, hoc est de communione sub utraq; specie, res per concordiam transigeretur. Proposuerunt autem apud Pragam in publico nobilium & plebeiorum conventu declarationes trium articulorum in forma sequenti. Quoniam circa doctrinam veritatis sic sobriè & cautè incedendum est, maximè à sacro generali Concilio, ut veritas declaretur, verbis sic ordinatè conceptis, ut nulli sit in futurum offendiculum ubi possit impingere & habere occasionem erroris, & ut verbis utamur beati Isidori, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat.

Oratio Juliani Cardinalis ad oratores Bohemo. u. n.

Responsio o atorum Concilii ad artic. de correptione peccatorum.

'Circa materiā de cohibitione & correptione peccatorū, in qua posuistis articulū sub iis 'verbis: Omnia peccata mortalia,& præsertī publica,per eos quorū interest,rationabiliter,& 'secundū legē dei cohibeantur,corrigantur & eliminentur. Ecce verbū,per eos quorū inter- 'est,nimis est generale,& posset esse offendiculū. Et juxta scripturæ sententiā, non debemus ponere offendiculū ante cæcū: & claudendæ sunt fossæ,ne bos vicini ibi lædatur: omnis talis occasio tollenda est. Dicimus ergo quod secundū scripturæ sacræ sententiā, sanctorūq; documenta doctorū sic catholicè est tenendū: Quòd omnia peccata mortalia, præsertim publica, quantū rationabiliter fieri potest secundū legē dei & sanctorū patrū instituta sunt cohibenda, corripien-

corripienda & eliminanda. Potestas autem puniendi criminosos, non ad privatas personas, sed ad eos tantummodo pertinet, qui jurisdictionem habent in eos fori, distinctione juris & justitiæ ordine observatis.

'Circa materiam de prædicatione verbi dei, in qua posuistis articulum hoc tenore, Quòd 'verbum dei à sacerdotibus domini & levitis idoneis liberè ac fideliter prædicetur: Ne ex verbo liberè sumeretur occasio vagæ & dispendiosæ libertatis, quam nec vos (ut sæpe dixistis) intenditis, circumstantionandum est. Dicimusq; quòd secundum scripturæ sacræ sententiam, sanctorumque documenta doctorum sic catholicè est tenendum: Quòd verbum dei à sacerdotibus domini & levitis ad hoc idoneis, & per superiores, ad quos pertinet, approbatis & missis, liberè, non tamen passim, sed ordinatè & fideliter prædicetur, salvâ authoritate pontificis, qui est præordinator in cunctis, juxta sanctorum patrum instituta.

Resp. ad articulū de libera prædicatione Verbi Dei.

'Circa materiam articuli ultimi sub his verbis expressi, Non licet clero Christi, tempore 'legis gratiæ, super bonis temporalibus seculariter dominari: Meminimus, quòd dum in sacro Concilio super hoc disputatio ageretur publica & solennis, ille qui ad disputandum per sacrum Concilium extitit deputatus, duas conclusiones posuit sub his verbis. Prima, quòd clerici non religiosi, seu qui voto se ad hoc non obligarunt licitè possunt habere & possidere quæcunque bona temporalia, hæreditates paternas, aut aliorum, si eis relinquantur, & alia bona justè acquisita ex causa donationis vel alterius liciti contractus, vel arte licita. Secunda, quòd ecclesia potest licitè habere & possidere bona temporalia mobilia & immobilia, domos, prædia, villas, oppida, castra & civitates, & in eis habere privatum & civile dominium. Ille siquidem ex vestris Ambasiatoribus qui disputabat, concessit easdem, dicens illas sensui sui articuli bene intellecto non contradicere. Cum ipse articulum suum intellexerit de dominio civili formaliter intellecto. Ex quo & aliis, posset intelligi quòd verba [seculariter dominari] in præinserto articulo exposita, ad aliquem specialem dominandi modum vel usum videantur referri. Sed quoniam doctrina ecclesiæ non est verbis ambiguis pertractanda, sed plenè: propterea id quod secundum legem dei & sanctorum documenta doctorum catholicè tenendum est, duximus exprimendum: Videlicet, præmissas duas conclusiones esse veras, quodque ecclesiastici viri bona ecclesiæ, quorum sunt administratores, debent fideliter administrare, juxta sanctorum patrum salubria instituta. Ipsaque bona ecclesiæ ab aliis, quàm ab his quibus administratio canonicè est commissa, usurpari sine sacrilegii reatu non possunt.

Resp ad artic. ult. de dominio Clericorum super bonis temporalibus.

Sacrum Concilium, circa materias dictorum trium articulorum curavit, semota omni ambiguitate, secundum veritatem evangelicæ doctrinæ veros sensus exponere. Verùm si circa ipsas materias aliquid dubietatis adhuc restat, juxta informationes quas in sacro Concilio accepimus, parati sumus, super illis, prima veritate (quæ Deus est) largiente, vobis declarare veritatem.

Si declarationem dictorum trium articulorum, quæ veritati sacræ scripturæ innititur, suscipitis & amplectimini, prout tenemini, ac unitatem puram, simplicem & perfectam realiter & cum effectu vultis habere, super libertate communionis sacratissimæ eucharistiæ sub duplici specie, quam postulatis & desideratis, quamq; sine * licentia sanctæ matris ecclesiæ licitè non potestis habere, nos habemus potestatem à sacro generali Concilio, certo modo vobiscum tractandi & concludendi. Speramus taliter ut mansuri sitis meritò consolati.

His explicatis, quia domini Bohemi habita sua deliberatione, dixerunt se nolle super prædictis dare responsum, nisi † prius super materia communionis, quid esset eis offerendum audirent, opus fuit explicationem rei ita facere: quæ facta fuit, & in scriptis tradita sub forma sequenti.

* Bene habet, quòd Ista mater institutioni ipsius Christi audeat contradicere.

† Prudentia Bohemorum.

In nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, de cujus sacratissimæ eucharistiæ sacramento tractaturi sumus, ut ipse qui hoc sacratissimum sacramentum instituit, quòd est unitatis & pacis, illud in nobis effici faciat, quod designat, ut videlicet simus unum in ipso domino Jesu capite nostro: & ut ipse conterat versutias diaboli, qui sua maligna astutia ex sacramento pacis & unitatis occasionem bellorum ingessit: ut dum de modo communicandi Christiani contendunt, communionis fructu priventur. Unde beatus Augustinus in sermone de infantibus, in Decretis de cons. dist. 2. Quia passus. Ita dominus noster Jesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & unitatis nostræ in mensa consecravit. Qui accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.

Forma explicationis in negotio communionis.

Hoc ante omnia duximus præmittendū, quòd consuetudo generalis ecclesiæ, quam etiam patres vestri, & vosipsi olim servastis, per longissima tempora hoc habuit & habet, quòd non conficientes, sub specie panis tantùm communicant. Quam consuetudinē ab ecclesia & sanctis patribus rationabiliter introductam, & diutissimè observatam non licet reprobare, aut sine ecclesiæ authoritate pro libito immutare. Igitur dictam consuetudinem ecclesiæ im-

mutando, assumere usum communicandi populum sub utraque specie, absque authoritate sanctæ matris ecclesiæ licitum non est, sed illicitum. Sancta vero mater ecclesia, suadentibus causis rationabilibus, facultatem communicandi populum sub utraque specie potest concedere & elargiri. Et talis communio, quæ sine authoritate ecclesiæ attentata, esset illicita, cum de authoritate & licentia sanctæ matris ecclesiæ fiet, erit licita, si alia non impediant. Si alia non impediant, propterea diximus, quoniam (ut ait Apostolus) qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Unde beatus Isidorus (& habetur de consecratione: distinctione 2.) Qui scelerate vivunt, & in ecclesia communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant nihil ad emundationem proficere sibi. Et Augustinus eadem dist. Et sancta malis nocere possunt, bonis sunt ad salutem, malis ad judicium: Sunt ad hoc plures authoritates. Etenim inter primos communicantes Apostolus Judas fuit, sed quia indignè suscepit, proditionis peccatum habens in corde, sibi nihil profuit. Quinimo extunc diabolus in eum majorem exercuit potestatem. Ratio hoc magna demonstrat. Quis vestrum dominum suum in hospitium suscepturus, non cum omni cura domum suam studeret mundare pariter & ornare, ut ipsum dominum posset honestè suscipere? Suscepturus igitur Dominum & Salvatorem nostrum in hospitio animæ, debet ipsam animam diligenter mundare & ornare. Mundare per sacramentum pœnitentiæ, cum amaritudine & contritione cordis, peccata sua humiliter, pure & integrè veraciter confitendo, & suscipiendo satisfactionem debitam & pœnitentiam salutarem. Ornare verò purpura sanctæ devotionis, ut sic corde purgato & fervore devotionis ornato, accedat ad divinissimum sacramentum, in quo Deus est, mundum reconcilians sibi.

Admonet igitur, exhortatur & præcipit sancta synodus, ut omnes sacerdotes exhortentur diligenter & moneat populum, & omne studium & solicitudinem adhibeant, ut nullus ad tam sacratissimum sacramentum, nisi debitè præparatus accedat cum magna reverentia & devotione, ne quod pro animæ salute suscipitur, in judicium condemnationis redundet, dum suscipiatur indignè.

Rationes frivolæ Oratorum quare communicatur sub unâ specie tantùm.

Præterea dicunt doctores quòd dicta consuetudo communicandi populum sub specie panis tantùm, ab ecclesia & sanctis patribus fuit rationabiliter introducta propter rationabiles causas, specialiter propter duo pericula, scilicet erroris & irreverentiæ. Erroris: fuit enim error Nestorii, credentium quòd sub specie panis sit sola caro Christi, & sub specie vini solus sanguis Christi, quod est error. Nam veritas est quòd sub qualibet specie est totus Christus, vivus & integer, caro, sanguis, anima & divinitas. Et sub specie panis est totus Christus, vivus & integer. Et sub specie vini, non est tantùm sanguis, sed totus Christus, vivus & integer. Quoniam (ut ait Apostolus) Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur. Semel ergo tantùm mortuus est, jam non moritur, nec sanguis à corpore separatur. Ut igitur huic errori obviaretur, & magis imprimeretur fidelium mentibus, quòd sub qualibet specie est totus Christus: dum non solùm verbo, sed etiam ipso signo indicaretur, visum fuit utile esse sub una specie tantùm ministrari. Efficacius enim imprimitur, quando cum doctrina verbali sensuale aliud signum concurrit, ideo sacramenta & sacrificia instituta sunt, ideo & dominus noster Jesus Christus in parabolis loquebatur, & sapientes in parabolis loquuntur, ut dum cum doctrina sua similitudo repræsentativa concurrit, efficacius mentibus imprimatur.

Secundum periculum est irreverentiæ. Etenim quamvis omnia sacramenta cum magna reverentia sint tractanda, istud tamen divinissimũ sacramentũ super omnia alia cum maxima & summa reverentia tractandum est. Alia siquidem sacramenta sunt vasa gratiæ divinæ, non tamen per ea realem Domini nostri Jesu Christi præsentiam obtinemus: in hoc verò sacratissimo sacramento Dominus noster Jesus Christus, sub alia quidem forma, in propria verò substantia est nobiscum: ideo tractandũ est cum omni studio & cautela ne aliquid contingat, quod cedat in irreverentiam ipsius sacramenti. Et cum in calice sit sub specie liquida, multa possunt contingere, quæ cederent in irreverentiam ipsius sacratissimi sacramenti, tam ex parte ministrantis, quàm ex parte suscipientis, quàm etiam ex parte speciei vini, quæ est magis ad alterationem suscipiendam disposita, quàm species panis. Vos qui practicastis, per experientiam nostis. Nam doctores de hoc multa dicunt, & nobis à fide dignis multa relata sunt: quæ cum audivimus, exhorruerunt pili corporum nostrorum, & animi nostri nimio terrore concussi sunt. Dictum est nobis accidisse, quòd cum sacerdos ad infirmum sacramentum sub duplici specie detulisset, quando infirmo voluit de calice ministrare, nihil ibi reperit, totum, dum per viam agitando veniret, distillaverat. Et alibi, cum mane diei dominicæ ministraretur, quod ex præcedenti die fuerat reservatum, talis alteratio facta erat, ut qui suscipiebat ferre nõ valens, emiserit. Heu casus horrendi, & non sine magna cordis amaritudine referendi! Et multa alia hujusmodi nobis relata sunt. Et quisq; volens prudenter advertere, poterit, quanta

quanta possint accidere, cogitare. At verò quam sint hæc gravia, ex Decreti sententia poteritis intelligere, de conse. dist. 11. Si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur: si non fuerit tabula, ut non conculcetur sanguis, locus radatur & igne consumatur, & cinis in altari recondatur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat: si usque ad tertium, octo diebus pœniteat: si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat. Et linteamina quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat calice subterposito: & aqua ablutionis sumatur, & juxta altare recondatur. Præterea audivimus sæpe contingere, quòd sacramentum in calice non sufficit multitudini communicantium: & tunc fit noviter consecratio calicis tantum, & à presbytero non communicante: quod est à sanctorum patrum doctrina plurimùm alienum. Et etiam dicitur, quòd aliqui interdum vinum non consecratum pro consecrato ministrant: quod maximum periculum est.

Fiet igitur isto modo, quod vobis suscipientibus ecclesiasticam unitatem & pacem, realiter & cum effectu, & in omnibus aliis, quàm in usu communionis utriusq; speciei, fidei & ritui universalis ecclesiæ vos conformantibus: vos qui talem usum habetis, communicabitis sub duplici specie cum authoritate ecclesiæ. Et articulus ille in sacro Concilio discutietur ad plenum & videbitis quid circa illum articulum pro veritate catholica sit tenendum & agendum pro utilitate & salute populi Christiani. Et omnibus maturè & digestè pertractatis, nihilo minus si perseverantes in desiderio vestro, hoc vestri ambasiatores postulaverint: sacrum Concilium sacerdotibus vestris communicandi sub utraque specie populum vestrum, eos videlicet qui in annis discretionis constituti, reverenter & devotè postulaverint, authoritatem & facultatem in domino largietur: hoc semper observato, quòd sacerdotes sic communicantibus semper dicant, quòd ipsi debent firmiter credere, quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie vini sanguis tantùm: sed sub qualibet specie est integer totus Christus. *Concessio calicis sub conditione.*

Hactenus decretum sacri Concilii retulimus. Ad dubia autē & quæstiones Bohemorum, quas magistri & sacerdotes postea movebant, sic responderunt oratores sacri Concilii.

Primò dixerunt, quòd non est intentionis sacri Concilii permittere communionem sub duplici specie permissione tolerantiæ, vel sicut Judæis fuit permissus libellus repudii: quia cum sacrum Concilium viscera maternæ charitatis exhibere dictis Bohemis & Moravis intendat, non est intentionis Concilii permittere tali permissione, quæ peccatum non excludat: sed taliter elargiri, ut authoritate Domini nostri Jesu Christi, & ecclesiæ veræ sponsæ suæ sit licita, & dignè sumentibus utilis & salutaris.

Item, quum circa materiam de punitione peccatorum, fuisset per dictos Bohemorum magistros & sacerdotes dictum, quod ex scripturis sacris habetur, quòd interdum Deus excitat corda privatarum personarum ad correptionem & punitionem peccatorum: & sic videretur licere inferioribus corrigere suos superiores, & punire.

Responderunt, & ostendentes textum sancti Augustini in Decretis 33. Qui percutit malos in eo quod mali sunt, & habet causam interfectionis, minister Dei est: qui verò sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit aut trucidaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur: & tanto acrius, quanto non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit. Et certè molestius susciperet ista civitas, si aliquis privatus attentaret punire unum criminosum, & erigeret furcam in platea, & ibi eum suspenderet, quàm si unus homo interficeret unum hominem in rixa, vel per insidias. Et alios textus beati Ambrosii & Hieronymi eidem concordes etiam allegarunt.

Dixerunt quòd nemo dubitat, quòd lex Dei sanctè & debitè posita est: & in ea legitur simpliciter, Non furtum facies. Et tamen mandato Dei filii Israel asportarunt bona Ægyptiorum, quæ receperant commodata. Item in eadem lege scribitur simpliciter, Non occides. Ex quo beatus Augustinus primo de civitate Dei probat, quòd nemini licet occidere seipsum. Et cum facit instantiam de Sampsone, respondet, & dicit hæc verba: Cum autem Deus jubet, seseque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet, quis obsequium pietatis accuset?

Hic in proposito verba beati Augustini habeatis pro responso. Sed videat quisq; si Deus jubet, & se jubere sine ambagibus intimat, & probet spiritus si ex Deo sint. Sed de talibus non est lex danda, nec est multū agitandū. Nam per hoc facile insurget occasio faciendi seditiones, & inferioribus insurgendi contra superiores. Et quando aliquis furatus esset vel interfecisset, diceret quòd Spiritu Dei motus est: sed certè nisi de hoc bene constaret, puniretur.

Dixerunt denuo, quòd aliqui sunt casus, in quibus laici habent potestatem in clericos.

Fuit responsū, quòd certi sunt casus in jure, in quibus laici habent potestatem super clericos & etiam aliquando super Cardinales. Nam si mortuo Papa, Cardinales non vellent intrare conclave

* Cardinales autem (ex quibus eligitur Papa) solerter hoc cavebunt.

† Hæccine tam citò post denegatum laicis calicem? quasi Lex Dei cessaret quando iis non favet.

conclave ad electionem Papæ faciendam: * Rex, Princeps, vel alius dominus, seu potestas secularis potest eos compellere. Sed in illis casibus jam ille non est privata persona, sed authoritate juris utitur jurisdictione. Similiter est intelligendum de aliis casibus in jure expressis.

Dixerunt ulterius, quòd nullum jus fori habet justitiam, nisi jus populi illud approbaverit.

Fuit responsum, quòd nullum jus fori habet justitiam, si sit contra legem Dei: quia † lex Dei est regula omnium legum, sed exigitur magna peritia in applicando regulam ad regulatum. Nam interdum alicui videtur quòd sit tortuositas in regulato, & non est, sed est defectus in applicando, quia non applicatur debito modo regula ad regulatum.

Circa articulum de prædicatione verbi dei fuit motum, quòd interdum aliquis prælatus ex sua invidia vel malitia, sine causa rationabili bonum & idoneum prædicatorem, bene & catholicè prædicantem inhibet prædicare.

Fuit responsum, quod satis intellexerunt quòd abusio prælatorum inordinatè agentium, magnam occasionem præstitit his turbationibus, & quòd in eorum partibus nunquam audiverunt tales querelas. Sed prælati favent bonis prædicatoribus, & eos ad prædicandum excitant precibus, favoribus & honoribus. In talibus autem casibus jam sunt à jure prædicta remedia. Quando aliquis prohibetur uti jure suo, habet remedium appellandi: & si bene confidit quòd sit appellatio justa, utatur jure suo, omni violentia brachii utriusque, spiritualis videlicet, & secularis, remota. Nam exitus causæ declarabit, si ipse habebat justam causam appellandi. Tunc declarabitur superiorem malè prohibuisse, & appellantem justè fecisse. Et superior injustè prohibens debet corripi. Si autem justè fuerit prohibitus, & ipse sua temeritate, superioris justum mandatum sprevit, dignum est quòd ipse digna animadversione puniatur.

Circa quartum articulum fuit motum, an liceat prælatis ecclesiasticis, actus secularis dominii in propria persona exercere.

Fuit responsũ, quòd si per verbũ [actus secularis dominii] intelligantur actus quos unus secularis dominus posset agere seu exercere: tunc dicendum, quòd aliquos tales actus potest licitè prælatus in propria persona exercere: sicut sunt vendere, impignorare, infeudare, modis & formis à jure ordinatis. Aliqui sunt, quos non licet in propria persona exercere, sed debent habere œconomum, vicedominũ vel procuratorem, qui hæc exerceat, de quibus actibus in jure cavetur, in rubrica ne cler. vel mon. secul. negoc. se immis. & aliis in rebus.

Fuit motum, an illa potestas coactiva, quæ debet exerceri per œconomum, &c. sit apud prælatum ecclesiæ.

Dictus Johannes Polomair respondit, quòd hæc quæstio præsupponit aliã: de qua sunt diversæ opiniones inter doctores, apud quẽ sit dominiũ ecclesiæ. Et ulterius, an actiones sint in persona tutoris vel procuratoris, vel licet non sint in earum persona, tamen per constitutionẽ actoris vel procuratoris, cujus exercitium ipsarum demandant ipsi actori vel procuratori, & alias intricationes, de quibus non est opus ad præsens agere. Sed cum multũ instaretur, dicere opinionem suam, dixit: Quod si etiam otium haberent, & liberet solatiari in disputando, daret optionem arguenti. Sed magis esset opinio sua, quòd dominium rerum ecclesiæ est apud Christum, & prælati & alii ecclesiastici, sunt canonici administratores ad instar tutorũ. Sed ampliorem habent potestatem, seu administrationem quàm tutores. Et constituendo œconomum seu vicedominum, &c. eorum constitutione debitè facta, œconomus seu vicedominus habet illam potestatem coactivam, seu exercitium jurisdictionis.

Item circa quartum articulum, pro declaratione primæ conclusionis, est concordatum, quòd verba [justè acquisita] in ipsa posita, omnia in eadem contenta determinant.

Item circa secundam conclusionem, cum sacri canones & doctores sancti sic loquantur, bona ecclesiæ, res ecclesiæ, facultates ecclesiæ, & inter doctores variæ sint opiniones, apud quem sit ipsarum rerum dominium, prout not. glo. in c. Expedit. 12. quæst. 1. ad nullam illarum opinionum intendunt aliquem coarctare, nec aliquam illarum opinionum excludere, sed sit unicuique facultas illam quæ sibi melior videbitur, probabiliter sustinere.

Dixerunt præterea dicti Bohemi, quòd ipsi tenent, quòd clerici, aut viri ecclesiastici rerũ temporalium ecclesiæ sunt administratores, & non domini, ad modum loquendi scripturæ, doctorum sanctorum & canonum.

Item Bohemi dicunt, quod in omnibus emergentiis stare volunt dictamini judicis ex unanimi consensu in Egra compactati. Hunc in modum nostri Bohemis responderunt.

Tandem post multos tractatus, ultrò citroque habitos, inita est concordia, & manuum stipulatione firmata: promiseruntque se Bohemi declarationem trium articulorum, ac pacem & ecclesiasticam unitatem accipere. Factum est id anno millesimo quadringentesimo trigesimooctavo, circa festum Martini. Conventum est postea, cum à legatis sacri Concilii, tum ab oratoribus Bohemorum, ut quæ reliqua erant componerentur: primum Ratisponæ,

1438.

tisponæ, deinde apud Brunnam diœcesis Olmutzensis, item apud Albam Regalem in Ungaria, coram Sigismundo Cæsare. Verùm nullibi res tota confici potuit: nunc enim erat consulenda synodus, nunc alia sunt exorta impedimenta. Postremò apud Iglaviam oppidum Moraviæ concordia instrumentis ac sigillis roborata est, Compactata vocant, quinto die mensis Julii, Cæsare præsente.

FINIS.

Petitiones Bohemorum postremò Propositæ in sacrosancta synodo Basiliensi Anno M. CCCC. XXXVIII. mense Novembri.

Reverendissimis in Christo patribus, & dominis nobis gratiosis. Nos oratores regni Bohemiæ humiliter, & quanta possumus affectione supplicamus, quatenus propter pacis & concordiæ finitæ perpetuam conservationem, & omnium quæ in Compactatis sunt, fœlicem ac firmam conservationem, dignemini nobis dare, concedere & de vestra clementia elargiri, cum effectuali executione omnes, & singulas postulationes infrascriptas.

1. Primò & ante omnia petimus & supplicamus, quatenus pro tollendis universis litibus, jurgiis & dissensionibus in populo nostro ex diversitate communionis indubitanter & infallibiliter sequentibus: & infinitis malis, quæ nec dicere sufficimus, sicut ea concepimus, prorsus auferendis & abolendis, dignemini clementer pro vestra bonitate & liberalitate regno nostro Bohemiæ & Marchionatui Moraviæ dare, concedere & demandare uniformem & unanimem omnibus & singulis sub utraq; specie sacræ Eucharistiæ communionem, videlicet Archiepiscopo Pragensi, necnon episcopis Linthomislensi, Olmutzensi, & aliis prælatis singulis regni & Marchionatûs curam animarũ habentibus, & eorum vicariis, necnon & plebibus eorum singulis & subjectis: Et hoc secundum ea, quæ in mandato bullæ legatorum, & in Compactatis, nomine sacri Concilii sunt inserta in cap. Pro firmitate, ubi sic dicitur: Et omnia alia fient, quæ pro observatione dictæ pacis & unitatis necessaria fuerint & opportuna. Nam hoc facto, ex vestro beneficio regnum totum supra quàm dici potest, consolabitur, & in dilectione fraterna firmabitur, ex quibus uniformis subjectio & obedientia sacrosanctæ ecclesiæ perpetuò tribuetur.

2. Item supplicamus, ut supra, Quatenus pro amputanda falsa suspitione & vacillatione multorum putantium, quòd sacrum Concilium præfatam communionem sub utraq; specie nobis concessam, ad tempus duntaxat concederet non utilem & Salutarem, sed ut libellum repudii, dignemini juxta illud capitulum in Compactatis positum. Primò dixerunt, quòd non est intentionis sacri Concilii, &c. nobis & vestræ concessioni salubriter & maturè providere, & illud capitulum unà cum aliis ipsum munus legatorum vestrorum consequentibus, bullis literarum vestrarum firmare & perpetuare.

3. Item supplicamus, ut supra, Quatenus pro consolatione obedientiæ, & totius ordinis ecclesiasticæ disciplinæ, & pro finali Compactatorum defensione & observatione, & bono & optimo in spiritualibus regimine, dignemini nobis providere cum effectu, de bono & legitimo pastore, Archiepiscopis & aliis episcopis, qui nobis pro regno nostro magis idonei, & magis grati & accepti viderentur ad illa officia salubriter exequenda.

4. Item supplicamus, ut supra, Quatenus Vestræ Paternitates pro tuenda in posterum inclita fama regni & Marchionatus, pro ostendenda & manifestanda nostra innocentia, pro eo quod communicaverunt & communicant, & communicabunt sub utraq; specie, dignentur dare & ordinare & destinare literas sacri Concilii in modo & forma magis ostensioni accõmoda & congrua, ad omnes principes tam seculares quam spirituales, civitates & communitates juxta Compactata. Et hoc idem domini legati nobis facere obligantur.

5. Item supplicamus, ut in discussione in materia communionis Eucharistiæ sub utraque specie, de ejus præcepto à Domino ad omnes fideles, non procedatur aliter nisi secundum judicem in Egra compactatum, hoc est secundum legem divinam, praxim Christi & apostolorum ejus, concilia generalia & secundum sententias sanctorum doctorum veraciter se in lege dei fundantium.

6. Item supplicamus, quatenus Paternitates Vestræ, considerata magna affectione populi nostri, velint dare nobis desideratam libertatem communicandi parvulos sacrâ Eucharistia. Nam si iste usus communicandi, quem regnum nostrum, piè motum, magnorum sanctorum doctorum scripturis & exemplis inductum, ut catholicum suscepit, & à multis annis effectualiter exercuit, aboleretur, certè magnum & intolerabile scandalum in populo orietur, immò animus eorum plurimum ex hoc implacabiliter perturbaretur.

Bohemi petunt ut parvuli sui participes fine sacræ Communionis; sicut hodie fit apud Christianos Græcos in Oriente.

Item

Petunt Evangelia, &c. recitari linguâ vernaculâ.

7. Item supplicamus, ut supra, quatenus ex eisdem causis, Vestræ Paternitates dignentur permittere ad minus evangelia, epistolas & symbolum in vulgari in missis & ecclesis corā populo ad excitandam devotionem libertari, legi & decantari. Nam in nostro linguagio Slavico, ex indulto ecclesiæ olim ab antiquo in vulgari suo exercetur, etiam in nostro regno.

8. Item supplicamus nomine ejusdem regni, & almæ universitatis Pragensis, quatenus erga ipsius universitatis desideratam reformationem, Vestræ Paternitates dignentur curam adhibere & operam dare solicitam, ut juxta modum & formam aliarum universitatum, taliter per ecclesiam reformatarum, præbendæ & collationes beneficiorum aliquorum ecclesiarum cathedralium & parochialium eidem universitati adnectantur, conferantur & incorporentur, ut per hoc universitas augeatur & promoveatur.

9. Item supplicamus, ut supra, quantum sufficimus, salvâ semper paterna reverentia, ex Compactatis Vestras Paternitates requirimus & instanter monemus, quatenus ad illam cunctis piis mentibus desideratam, & Christianæ religioni summè necessariam & opportunam totius ecclesiæ reformationem, dignetur vestra paternitas toto studio invigilare & effectualiter insudare pro extirpatione omnium malorum publicorum, in capite & in membris: prout regno nostro frequenter promittitis in Compactatis: & prout articulus noster quartus, de eliminatione omnium peccatorum publicorum, hoc manifestè exigit & requirit.

¶ Responsiones hæ sequentes sunt ordinatæ, sed non fuerunt datæ.

1. Prima petitio videtur inniti obligationi, tanquam ex compactatis sacrum Concilium hoc facere teneatur, ex illo capitulo quod incipit: Pro firmitate & observantia pacis, & sequitur, Per dictos legatos sacri Concilii dabitur omnis firma, & procurabitur Bulla Concilii, & mandata ipsius sacri Concilii ad omnes Principes, & communitates circumstantes & alia quæ necessaria fuerint & opportuna. Pro parte verò dictorum Regni & Marchionatûs dabuntur literæ cum sigillis firmis, ac munimentis opportunis: proclamabitur pax, & servari mandabitur: & omnia alia fient, quæ pro observatione dictæ pacis & unitatis necessaria fuerint & opportuna. Sed certè ex illo capitulo, neq; competit jus sacro Concilio faciendi Bohemis, quòd pro bono pacis & unitatis teneantur dimittere usum communionis sub duplici specie: cum promiserint omnia facere, quæ pro observatione pacis & unitatis fuerint opportuna. Hoc esset valde opportunum observationi pacis, ut ipsi in hoc, sicut & in cæteris, se conformarent usui omnium aliorum vicinorum, & totius ecclesiæ Latinæ. Nec econtra ipsis Bohemis competit jus ad petendum quòd sacrum Concilium compellat omnes de regno ad communicandum sub utraq; specie, tanquam hoc esset opportunum observantiæ pacis. Quia cum super hac materia jam sit in dictis compactatis specialis & certa dispositio, generalis, clara quæ subsequitur, non se refert ad illa: maximè, quia hoc contrariatur ei, de quo in ipsis compactatis specialiter agitur. sc. de libertatione, cui contrariatur coactio. Nam & in libertatione concedenda, dicitur de illis personis, quæ in annis discretionis constitutæ reverenter & devotè postulaverint. Et si devotioni & postulationi cujuslibet est relinquendum, non est ad hoc aliquis compellendus, secundum ipsorum compactatorum seriem & tenorem. Et aliàs hoc de se manifestum est, quòd illa verba non dant jus talia postulandi: quo verò ad libertationem concedendam, de qua continetur in Compactatis, sacrum Concilium intendit omnino servare ipsa Compactata & ab ipsis in nullo deficere. Ex quorum tenore manifestè apparet, quòd declaratio istius articuli, an sit de præcepto, præcedere debet ipsam libertationem. Sicut ergo sacrum Concilium in omnibus se offert Compactata adimplere, ita & ipsi domini Bohemi facere tenentur.

2. Ad secundam petitionem respondetur, quòd omnia quæ sacrum Concilium tenebatur ratificare, jam ratificavit, & super hoc literas suas dedit. Illa non tenetur ratificare: quoniam pacta & conventiones à legatis sacri Concilii nomine ipsius facta, habent ratificationis causam: non autem responsa, quorum aliqua per omnes, aliqua per unum tantum ex ipsis facta fuerunt ad interrogationes quorundam magistrorum. Unde tam res ipsa, quàm modus agendi manifestè ostendunt quòd ad ratificandum sacrum Concilium non tenetur. Verùm, quantum ad illum punctum, qui in illa petitione specialiter exprimitur, non quia tenetur ratificare, sed pro consolatione populi Bohemici, & tollenda occasione aliis detrahendi, dicit sacrum Concilium: Quòd sicut consuetudinem laudabilem ab ecclesia universaliter observatam, de communicando populum sub specie panis, absque authoritate ecclesiæ nemo debet immutare: ita postquam ab ecclesia usus communionis sub utraque specie aliquibus permittitur, talis permissio non est sicut de libello repudii, vel quæ peccatum non excludat, cum tales qui ex licentia & authoritate ecclesiæ sic communicant, transgressores ecclesia-

cleſiaſticæ inſtitutionis vel conſuetudinis dici non poſſint: dum tamen conceſſionis terminos non excedant. Erit igitur talis communio authoritate eccleſiæ conceſſa illis, quibus conceſſa fuerit licita, & dignè ſumentibus utilis & ſalutaris.

3. Ad tertiam petitionē reſpondetur, quòd juſtum & rationabile eſt, ut eccleſiæ Pragenſi de legitimo, idoneo & utili provideatur paſtore. Sed quoniam verba expreſſerunt magiſtrum Johannem de Rocozana, de quo non eſt rationabile ut ad illam dignitatem promoveatur, cum ad impediendum, perturbandum & diſrumpendum pacem & unitatem, poſt firmata compactata, fuerit multipliciter machinatus. Et non diu eſt, quòd à civitate Pragenſi Sereniſſimo domino Imperatore inſalutato, clàm & furtivè receſſit: & jam prodire & apparere incipiant, quæ poſt talem receſſum & ante in perturbationem pacis fuerit machinatus, cum ad Pontificem maximè pertineat, unitatem & pacem amare, & ad eas alios provocare verbo pariter & exemplo. Ideo melius videtur hoc pro præſenti ſuſpendere, ut habita meliori deliberatione & diligentia, cum Sereniſſimo domino Imperatore, poſſit eidem eccleſiæ utiliter provideri.

4. Ad quartam petitionē reſpondetur, quòd ex tota ſerie compactatorum, ſacrum Concilium non tenetur aliquas literas ad Principes & communitates circumſtantes dirigere: niſi juxta præinſertum capitulum, quod incipit, In firmitate. Illas promptum eſt facere & dirigere, juxta ſeriem ipſius in formâ rationabili & honeſta.

5. Ad quintam petitionē reſpondetur, quòd illa eſt intentio & voluntas ſacri Concilii, quòd in diſcuſſione & deciſione Spiritu Sancto authore facienda in materia communionis Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, & de ejus præcepto à domino ad omnes fideles, ut verbis eiſdem utamur, quæ in ipſa petitione continentur, non procedetur aliter, niſi ſecundum legem divinam, praxim Chriſti & Apoſtolorum ejus, concilia generalia, & ſecundum ſententias ſanctorum doctorum veraciter ſe in lege dei fundantium. Et ita debent ſperare & credere omnes fideles, quòd ille qui eccleſiæ ſuæ promiſit ſui aſſiſtentiam infallibilem, & Spiritum Sanctum cum eccleſia in æternum manſurum, Salvator noſter Jeſus Chriſtus, nullo modo permittit quòd ab ipſa eccleſia aliqua deciſio fiat circa materiam talem, quæ eſſet contraria ſuperius memoratis. Sed debent firmiter credere omnes Chriſticolæ, quòd Spiritus Sanctus per os eccleſiæ docet fideles omnem veritatem neceſſariam ad ſalutem, & ita debent firmiter credere & nullatenus dubitare.

6. Ad ſextam petitionem de communione parvulorum, reſpondetur quòd communio parvulorum per compactata expreſſè excluditur: cum ſolum ibi de illis loquuntur, prout ex tunc qui talem uſum hactenus habuerunt, & ad ultimum de illis, qui in annis diſcretionis conſtituti hoc reverenter poſtulaverint & devotè.

7. Ad ſeptimam petitionem, quòd illa eſt de directo contra Compactata & ipſorum Bohemorum promiſſionem, per quam tenentur ſe conformare ritibus eccleſiæ. Certum autem eſt, quòd ritus eccleſiæ hoc non habet, neque in ipſa Pragenſi eccleſia ante iſta diſturbia hoc fiebat. Unde juſtum & rationabile foret, quòd conformarent ſe ritibus eccleſiæ, & in hoc & in omnibus aliis Compactata efficaciter adimplerent, & tunc poſſent honeſtius à ſacro Concilio petere & rationabilius ſperare.

8. Ad octavam, gratiſſimum eſt ſacro Concilio quòd Univerſitas ſtudii Pragenſis reformetur & reparetur: & ideo ſuper hoc faciet commiſſionem legato ſuo, ut circa reformationem & reparationem Univerſitatis, operam & ſtudium præbeat: ordinando de aliquo certo numero præbendarum in aliquibus eccleſiis civitatis Pragenſis, quòd ad eas aſſumi habeant dictæ Univerſitatis doctores & magiſtri, ſecundum ordinationem rationabiliter faciendam.

9. Ad nonam & ultimam petitionem reſpondetur, quòd hoc ſacrum Concilium à ſuo exordio, ſtudium & operam circa deſideratam reformationem eccleſiæ præbuit, & præbere, deo authore, intendit, multaque ſuper hoc decreta edidit. Sed, inimico humani generis procurante, multa impedimenta circa hoc habuit: nihilominus in ſpe non deficit, nec per dei gratiam in ſtudio deficiet & labore. Multa quidem ſuper hoc aviſata ſunt & concepta, quæ ubi, Deo largiente, opportunitas fiet ad executionem ponendi, erunt ad Dei gloriam & eccleſiæ reformationem, honeſtatem & decorem accommoda. Sed quoniam (ut Sapiens ait) omni negotio tempus & opportunitas eſt, omnia ſunt cum ſapientia ſuaviter & opportunè diſponenda: ne ea quæ ſi opportunè fierent, poſſent eſſe multum accommoda, importunitas minus utilia reddat.

¶ Reſponſionum Finis.

Q. G.

O. G. LECTORI S. P. D.

Quia in Basiliensis Concilii historiam iterum incidimus, lector studiose, non abs re fuerit, prædictis Æneæ Sylvii collectaneis, sive ipsius de Bohemis ad illud vocatis libello, adjicere, quæ Nicolaus de Clemangiis Archidiaconus Baiocensis, summus inclytissimæ Universitatis Parisiensis Theologus, ac Petro de Alliaco episcopo Cameracensi, Cardinali (de quo infra dicetur) unicè in Christo conjunctissimus, in opere suo de reparatione justitiæ, non minus sapienter quàm eruditè in medium produxit, Eugenii IV. protervam calliditatem, & integerrimam Concilii ejusdem Basiliensis authoritatem prudentissimè ac verissimè describendo. Scribit enim citra omnium simulationem ac dissimulationem ipsum Eugenium, in pravam suæ factionis defensionem, ad Carolum regem Francorum suos misisse legatos, & quatuor ab eodem (ut sequitur) expostulasse, in quibus & Concilii Basiliensis & Pragmaticæ sanctionis, sufficiens patet approbatio. ¶ Verum enimvero si quis objecerit, Eugenium ipsum, in Italia, & ab ipso Francorum Rege, verum Christi vicarium Romanumque Pontificem habitum fuisse, Is profectò intelligat Eugenium IV. Venetum fuisse, & Franciæ Regem sibi, modis (nescio quibus) in amicitiam conciliasse. At non sufficit, eo in casu, unum duntaxat pro se habere principem. Hæ enim nationes, Germania, Hungaria, Polonia, Dania, Norwegia, Suecia, Scotia, Anglia & regna Hispaniarum, & non parva etiam Galliarum pars, quæ tunc Philippo Burgundiæ duci subdita fuit, Fœlici, Sabaudiæ duci, ac sanctissimo eremitæ, simul adhæserunt. Lege igitur quid Nicolaus Archidiaconus hac de re loquatur, & vale fœliciter.

¶ De facto ecclesiæ ambasiatores Eugenii in crastinum adventûs Regis fuisse auditos: qui inter cætera quatuor petierunt.

Vide opera Nic. Clem. Lug. Bat. 1613. pag. 106.

¶ Primò, ut Rex reprobaret Concilium Basiliense à tempore translationis in Ferrariam, & approbaret Concilium Ferrarien. & in eo acta.

¶ Secundò, ut nullo modo depositioni domini Eugenii consentiret in electionem per Basilien. Concilium factam, de duce Sabaudiæ, immò eam reprobaret, &c.

¶ Tertiò, quod in illam civitatem Moguntiam nullo modo, inconsulto Papa, (Eugenio videlicet) quenquam mitteret.

De congregatione Moguntiæ tunc habita, require supra in Concilio Basiliensi.

¶ Quartò, quatenus pragmaticam sanctionem vellet suspendi & tolli, & quod dominus Eugenius provideret. In crastinum auditi sunt ambasiatores Fœlicis, & loquutus fuit solennissimè & cum gratitudine omnium dominus Thomas de Corcellis: qui per duas horas tenuit, & valde Regi placuit. Prælati & alii per sex dies deliberaverunt, & finaliter fuit responsum: ad primum, quòd Rex tenuerat Concilium Basilien. pro Concilio: ad ipsum ambasiatores miserat: multa bona pro fide & moribus constituerat, quæ Rex approbabat: nec unquàm congregatum Ferrarien. pro Concilio habuerat, aut habebat. Quoad depositionem Eugenii, & electionem Fœlicis, nunquam eas approbaverat, aut approbat: immo tenuerat dominum Eugenium pro Papa, & adhuc tenebat, & volebat quòd sibi in suo regno obediretur, nisi aliud in Concilio generali celebrando juxta annum in aliquo loco Galliarum fuisset ordinatum: & quòd requirebat Papam, quatenus illuc mitteret dictum Concilium, & convocaret & celebrari procuraret, & quòd in eo personaliter interesset. Quoad mittendum Moguntiam, & ad illam civitatem ipse advisaret tempore opportuno quid agendum. Quoad pragmaticam sanctionem eam inviolabiliter volebat observari & custodiri. Et si aliqua videntur nimis rigida in illo generali Concilio, possent moderari. Monuit etiam ambasiatores Concilii, quòd tenerent manum, ad aliud futurum Concilium, transmisit. Datum Bituriæ nono Septembris.

Hæc

¶ Hæc sequens Epistola est in Libraria sancti Victoris prope Parisios in libro pp. X. folio ultimo pulpiti p. & declarat materiam quæ in principio Concilii Basiliensis ventilatur, quia fuerunt ex Concilio eodem Moguntiam missi, qui contra Eugenium, pro ecclesiæ concordia tractarent, &c. Est quoque hæc epistola non parum accommoda ad intellectum tertii articuli, jam paulo ante prætacti, ubi fit mentio de non mittendo ad Moguntiam, inconsulto Papa suprà nominato.

SERENISSIMO PRINCIPI CAROLO
Francorum Regi, fratri & consanguineo nostro charissimo.

FRedericus Romanorum Rex semper Augustus, Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ dux, Comes Tirolis, &c. serenissimo Principi Carolo Regi Francorum fratri & consanguineo nostro charissimo salutem, & fraternæ dilectionis affectum. Dum ad sacri imperii fastigia divino vocati munere, tantæ moli gravissimæ gubernationis humeros nostros in dei nomine, ne suæ videremur ordinationi resistere, sincero corde submisimus: inter innumera mala, quibus undique orbis terrarum concutitur, hoc maximè quo certamen agitur, ut ævo nostro sancta scindatur ecclesia: animum nostrum eo premit, ardentiusque solicitat quo eidem ecclesiæ matri nostræ filiali dilectionis amore & nobili advocationis officio fortius constituimur obligati: ut illi sæva nunc jacula patienti pro viribus nobis distributis ab alto, diligentia cleri succurramus, atque ad concurrendum in hoc tam necessario ac salutari opere Reges & Principes Christiano nomine gaudentes pura sinceritate hortemur. Nihil verò ad id æque patrocinaturum conspicimus, quàm si catholici simul conveniamus Reges & principes ecclesiastici & seculares, ut sentiant quicunque dissidentes unam esse vocem omnium. Tunc enim sperandum, quòd nemo usquam illam irridebit aut spernet, nemo non reverebitur, neque non timebit. Unde venerabilium & illustrium nostrorum & sacri imperii principum electorum oratoribus: qui pridem decretum electionis de nostra persona ad culmen imperii celebratæ conspectui nostro attulerant: aliis quoque prælatis, principibus, comitibus, baronibus, proceribus, & viris consularibus nostris fidelibus dilectis deliberatè consulentibus, conventionem seu diætam solennem pro communi constituimus omnium salute in civitate Moguntina, rebus gerendis pluribus ex causis accommodâ, in diem festum Purificationis gloriosæ Virginis Mariæ proximè futurum, quæ erit secunda mensis Februarii, ad quam dextera dei nobis assistente propitia, intendimus personaliter nos transferre, charissimam fraternitatem vestram puro cordis affectu rogantes, quatenus orthodoxorum progenitorum vestrorum imitantes vestigia, pro laude Dei, pro consolatione ecclesiæ suæ sanctæ, ac totius populi Christiani salute, ad conventionem seu diætam hujusmodi idoneos vestros oratores, de vestræ fraternæ dilectionis proposito, viis quoque & modis quibus ab imminentibus calamitatibus sancta possit respirare ecclesia distinctè instructos, & ad tractandum, consulendum, cooperandum & concludendum in his plena vestra potestate fulcitos, illic destinare velitis. Si autem fraternitas vestra convocationem & diætam eandem accedere posset & vellet propria in persona: id profectò ingentem gloriam & rebus gerendis fructum uberiorem afferret. Hortamur denique fraternitatem vestram, advertere velle mente fideli, quæ sit nostra exhortatio, quantaque ecclesiæ subsit necessitas, & quàm periculosum esset nostrum silentium, & agere libeat quod expetimus, propter salutem populi ac decus vestrum, respicientes ad illum cujus causa agitur, qui de cœlo descendit ut moriturus homo crucem ascenderet, in quo militans fundatur ecclesia, quatenus in ea suborta tollantur dissidia, & à gravioribus periculis eruatur. Datum Viennæ, anno domini M.CCCC. XXI. mensis Maii, regni nostri anno primo.

Sic in pede literæ, Ad mandatum domini regis Conradus præpositus Viennen. Cancellarius.

FINIS.

SYNO-

SYNODUS ARIBONIS ARCHIEPISCOPI Moguntini cum Coëpiscopis ac abbatibus suis, Anno Domini M. XXIII. apud Saligunstat celebrata, in qua de variis jejuniis, ac aliis cæremoniis fit decisio.

EGO Aribo Moguntinæ sedis Archiepiscopus, quamvis indignus, cæteriq; Confratres & Coepiscopi nostri, Burghardus Wormatiensis, Werinharius Argentinus, Bruno Augustunensis, Eberhardus Babenbergensis, Meginhardus Wirciburgensis, cum venerandis abbatibus Richardo Fuldensi, Arnoldo Heroveldensi, Reginhardo Laureshamensi, Herichone Treverensi, Everwino Tolejano, Heinrico de sancto Burgundo, Sigizzone de Schlutere, Gerberto de sancto Albano, Adelberto Clingensi, Ruodolpho Bildenestaten, synodum in Saligunstat condiximus, anno videlicet Dominicæ incarnationis M. XXIII. indictione quinta, secundo idûs Augusti. Anno autem domini Henrici regnantis XXI. Imperii vero VII. quatenus cum communi fratrum prædictorum consilio atque consensu multimoda divinorum officiorum atque synodalium legum componeretur dissensio, & disparilitas nostrarum singularum consuetudinum, honesta consensione redigeretur in unum. Inconveniens quidem conventui sancto visum est, quòd membra capiti discordarent, & ulla diversitas in unius compagine corporis esset. Ideoque propter illas lamentabiles dissensiones communi Decreto Concilii sancitum est, ut omnes Christiani duodecim dies ante festivitatem sancti Johannis Baptistæ in abstinentia sint carnis & saginis, nisi infirmitate impediente, aut alterius festi solennitate, quæ in illo episcopio celebris habetur, intercedente: & ante natalem Domini similiter, & in vigilia Epiphaniæ, & in omnibus vigiliis Apostolorum, atque in vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ, & in vigilia sancti Laurentii, necnon etiam in vigilia omnium Sanctorum, adjicientes prædictis vigiliis unam horam refectionis.

Henricus. *Concordia res optima.* *De jejuniis.*

¶ De incerto autem jejunio quatuor temporum, hanc certitudinem statuimus, ut si Calend. Mart. in quarta feria, sive antea evenerit, eadem hebdomada jejunium celebretur. Et si Calend. in quinta feria, aut sexta, aut in sabbato distenditur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo, si Calend. Junii in quarta feria, aut antea evenerit, in subsequente hebdomada jejunium celebretur. Et si in quinta feria, aut sexta, aut sabbato contigerit, jejunium in tertia hebdomada reservetur.

De jejuniis quatuor temporum.

¶ Et hoc est sciendum, quòd si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit: sed in ipsa hebdomada solenni Pentecostes: & tunc propter solennitatem Spiritus Sancti diacones Dalmaticis induantur, & [flectamus genua] non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio constitutum est, ut si Calendis Septembribus in quarta feria evenerit, aut antea, jejunium tertia hebdomada celebretur: & si in quinta aut sexta, aut sabbato contigerit, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decembri illud semper erit observandum, ut proximo sabbato ante vigiliam natalis Domini celebretur jejunium: quia si vigilia in sabbato evenerit, simul vigiliam & jejunium celebrare non convenit.

¶ De legitimis autem conjugiis ita visum est, ut nullus Christianus uxorem ducere debeat ab adventu Domini, usque in octavas Epiphaniæ: & à septuagesima usque ad octavas Paschæ: nec in supernotatis quatuordecim diebus ante festivitatem sancti Johannis Baptistæ, neque in prædictis jejuniorum diebus, sive in omnium solennium dierum præcedentibus noctibus.

De legitimis conjugiis.

¶ Decretum est etiam in eodem Concilio, ut presbyter aliquis post gallicantum æstivis noctibus bibens, proximo die missam non celebret: Hyemalibus similiter, nisi necessitas cogat. Item Decretum est, ut unusquisque presbyter in die non amplius, quàm tres missas celebrare præsumat. ¶ Conquestum est etiam in sancto Concilio de quibusdam stultissimis presbyteris, ut quando incendium videant, corporale dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem projiciant. Ideoque Decretum est sub anathematis interdictione, ne ulterius fiat. Interrogatum est, si duo de adulterio inculpati fierent: & unus profiteretur, alter negaret, quid inde agendum esset? Decretum est autem à sancto Concilio, ut ille qui negaverit, probabili se judicio expurget: & qui professus fuerit, dignè pœnitentiam agat.

Quando sacerdoti non celebrandum. *Stultissimi sacerdotes, &c.* *Decretum profundæ sagacitatis.*

FINIS.

O. G. STUDIOSO LECTORI S.P.D.

JOhannem Wesalien. insignem quondam Theologum, varios ac multiplices errorum hæresiumq; (sic enim, cancri instar, aliæ ex aliis serpunt) graviter incidisse, eruditis aliquot non est incognitum. Referam autem nunc, quonam modo ad tantam pervenerit dementiam, ut ab asinis lanam, & è pumice, velut insensatus, aquam postulaverit. A natali enim Christiano, M. D. XV. egregius quondam Judæorum Rabbi, Victor à Carben, Christi postea sacerdos, & in fide constans. XLII. suæ ætatis anno ad fidem conversus catholicam, duos & nonaginta annos fœliciter complevit. Cujus etiam & opuscula quædam (quæ in laudē ecclesiæ & beatissimæ Virginis Mariæ honorē edidit) è vulgari in latinum vertimus. Is inquam Victor, quum Achillicè adhuc valeret, mihi sæpius retulit, prætactum Johannem Wesalien. è Moguntia ob pestis metum Wormaciam se contulisse, atq; ibidem cum Judæis, Christi inimicis, frequentem habuisse conversationem, eumq; ab illis deceptum, in putidam errorum sentinam corruisse. Hic igitur senex, bis puer, & tota (ut dicitur) aberrans via, Judæos adit. Quo facto, asinus inter simias, & noctua inter cornices versatur. Cui quidem silicernio, fucum fecere Judæi. Qui (ut in veteri est proverbio) acetū habent in pectore, altera manu lapidem, altera panem porrigentes. Miser igitur hic homo, inter sacrum sese & saxum constituens, quum duabus sellis insidere tentarat, in cineres corruit. Postea autem Moguntiam rediens, & suis [illegible]generans majoribus, citatusq; ac vocatus à venerando hæreticæ pravitatis Inquisitore, cæterisq; ecclesiæ proceribus (dies enim revelat omnia) calculum secum reducendo, palinodiam cecinit, & aqua (ut dignum erat) adhæsit. Quæ supersunt, lector, tu ex subsequentibus diligentius perscrutabere. Vale fœliciter.

PARADOXA D. JOHANNIS DE Wesalia, sacrarum literarum Doctoris, ac concionatoris Wormaciensis, quæ feruntur à quibusdam Thomistis ex illius concionantis ore fuisse excepta: mox damnata per Magistros Nostros, hæreticæ pravitatis Inquisitores, de ordine Prædicatorum, M. N. Gerhardum Elten de Colonia, & M. N. Jacobum Sprenger, Anno M. CCCC. LXXIX. Moguntiæ.

¶ An prælati habeant authoritatem instituendi leges? Respondeo, quòd non: quia Christus in Evangelio dicit discipulis suis: Euntes in universum mundum, &, Ecce commisit prædicare Evangelium: ergo non debent nec possunt novas leges facere: sed debent fideles ad hoc inducere, ut servent Evangeliū. Item: Docete omnia quæ mandavi vobis, &c.

Omnes Christiani, quantumcunq; docti & sapientes, non habent authoritatem exponendi verba Christi. Quis vellet dicere inter homines mentem Christi, quam ipse prætendit in suis verbis, nisi ipse solus?

Quare oculati expositores, exponendo comportant textus, unum exponendo per alium.

* Indulgentias nihil esse credit.

† Glossæ non credit.

Doctorum scriptis, etiam sanctorum quantumcunq;, non credit.

Mandata ecclesiæ non ligant ad peccatum.

Adveniat regnū tuum, &c. Ibi non petimus regna cœlorū, quia illud non venit ad nos.

Raro reperio, vel non duos unanimes literatos, etiam in fide: nullus tenet mecum, dempto Evangelio, ubi omnes sumus concordes.

Deus ab æterno condidit librum, in quem scripsit omnes suos electos: quicunq; autem in eo non est scriptus, nunquam inscribetur in ipsum in æternum. Et qui in eo scriptus est, nunquam ex eo delebitur. Absq; specificatione dixit: unde simplices occasionem mali, seu malum sumpserunt.

Sola Dei gratiâ salvantur electi. Et quē Deus vult salvare, donādo sibi gratiā, si omnes sacerdotes vellent illum damnare aut excōmunicare, adhuc salvaretur ille. Et quē deus vult damnare, si omnes presbyteri, papa, & alii, vellent hunc salvare, adhuc iste damnaretur.

Quòd timeat, quòd nostri doctores male, fictè & falsè exponant sacram scripturam.

* Tanto sapientior.

† Quid tum postea? quasi ista forent pari fide atq; textus, amplexanda, quem toties corrumpit.

Si nullus unquam papa fuisset, adhuc salvati fuissent hi qui salvati sunt. Et quòd papa, & episcopi, & sacerdotes nihil sint ad salutem: sed sola concordia sufficit, & pax hominum, & pacificè vivere.

Qui potestati resistit, dei ordinationi resistit: sic scilicet, quòd velit potestatem non esse.

Si S. Petrus instituisset jejunium, fortè ideo fecisset, ut eò melius pisces suos vendidisset.

Christus nunquam instituit aliquod jejunium, nec prohibuit quemcunq; cibum quocunq; die, sicut carnes.

Sacrum oleum est sicut aliud oleum, quod comedis domi in offa.

Christus nullum festum praecepit celebrare. Item nullam orationem docuit, nisi dominicam: neq; mandavit sacerdotibus canere vel legere septem horas canonicas, jam longas, jam breves matutinas: Sic Missa jam est gravata in Christianitate. Dum enim beatus Petrus legeret Missam, praemisso solo [Pater noster,] consecravit, & se & alios cõmunicavit, tunc totũ fuit expeditum, nunc verò oportet sacerdotem stare in Missa ad horam vel ultra, sustinendo frigus, quod noceat ei ad annum, vel amplius. Et sic homo interimit seipsum.

Sancta ecclesia non instituit jejunium: neq; tempore septuagesimae interdixit celebrare nuptias.

Si quis confiteatur, injungitur illi ardua poenitentia, ut peregrinetur Romam, vel ad alia remotiora loca: strictum jejunium: quòd dicat multas orationes. Quod Christus non fecit, sed solùm dixit: Vade, noli amplius peccare. Sic gravata est Christianitas per humanas leges & constitutiones.

Scriptura sacra non dicit Spiritum sanctum procedere à Filio.

Peregrinantes Romã fatui sunt: quia hic invenissent & obtinuissent, quod alibi quaesierunt.

In symbolo fidei circa illum articulum, sanctam ecclesiam: ego non pono catholicam: neq; Hieronymus ponit: quia catholica, id est universalis: sed universalis congregatio omnium baptizatorum non est sancta, sed major pars reprobata. Sed fortè quidam apposuit, & postea venit in consuetudinem totius multitudinis.

¶ In priore Editione annexae erant hic sententiae aliquot Germanicae, quas ob penuriam istiusmodi characterum hic omisimus: nequid autem desit, easdem hic habes in sermonem Latinum traductas.

Sic quoque proceditur per orbem Christianum.

¶ Item Doctor Wesalia dicitur dixisse:

Quaecunq; non dicuntur esse peccata in S. Scripturâ, ea non pro peccatis habebo: siquis alius norit melius, illi cedam.

Ecclesia sancta dicitur ordinasse jejunia & abstinentiam à nuptiis, statis temporibus: hoc merum est mendacium: repetendo & exaltando vocem.

Patres qui instituerunt jejunia, aliquibus quidem cibis interdixerunt: nequaquam tamen prohibuere quo minus famelicus edat.

Quando quis esurit, necessum est ut manducet: immo in ipso Passionis Dominicae die licet caponem edere.

Contemno papam, Ecclesiam & Concilia. Amo Christum. Verbum Christi habitet in nobis abundanter.

Item dixit, Res est difficilis esse Christianum.

Examen

EXAMEN MAGISTRALE AC Theologicale Doctoris Johannis de Wesalia Concionatoris Wormaciensis, Præsidentibus Magistris Nostris hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, M. N. Gerhardo Elten, & Jacobo Sprenger de ordine Prædicatorum.

ANNO Domini, M. CCCC. LXXIX. Reverendissimus Præsul Moguntinus, Dietherus Isenburgius, misit literas ad Universitatē Heidelbergensem & Coloniensem, instigantibus, imò cogentibus Thomistis quibusdam: veritus, ne denuo ab episcopatu ejiceretur, jussu Romani pontificis, quod commeruerat ante levibus verbis, Romanorum in vendendis Palliis notata avaritia. Et minabantur ei Romani præsulis iram: quam pridem non tam ipse fuerat expertus, quàm tota Moguntia, & capta, & direpta, ac à victoribus nullum non contumeliarum genus passa. (Unde ferunt Pium Pontificem ad Moguntiæ mentionem semper ingemuisse, quòd jus suum tam insigni damno vindicasset). Misit inquam literas ad antedictas Universitates pro Theologis examinaturis articulos M. Johannis Wesaliæ de hæresi suspectos. Diether episcopus Moguntinus, Comes Isenburgen. Pius Secundus qui ante Æneas Sylvius.

Ad quas quidem literas ego N. N. nomine Universitatis respondi.

Itaq; feriâ sexta proxima post Purificationis, convocatione facta omnium doctorum Heidelbergensium & magistrorum, suffraganei, comitis de Wertheim vicarii, comitis de Sulms custodis, Breitenbach, Macarii, canonicorum ecclesiæ Moguntinæ, plebani Francfordiensis, Rectoris Universitatis & Decani facultatis artisticæ studii Moguntini, prælatorum ecclesiasticorum, & doctorum consulum præsulis inclytissimi, consultatum fuit de modo, ordine, processu, institutione examinis. Et conclusum quòd M. N. Wesalia jusjurandum facere deberet, quòd præsentare & tradere vellet omnes tractatus, opera, scripta sua qualiacunq; quæ condidisset, ut per proprios sermones vinceretur. Qui autem ab eo juramentum reciperent, deputabantur, comes de Wertheim, Michael Heim Fiscalis episcopi, Decanus sancti Victoris Johannes Faust & notarius. Adjungebatur, quòd doctores Heidelbergenses cum tribus aliis, scilicet Macario, decano sancti Victoris & quodam alio perspicerent tractatus ejus, errores excerperent, dearticularent. Tempore intermedio advenerunt doctores Colonienses religiosi, M. N. Gerhardus Elten Inquisitor, & M. N. Jacobus Sprenger ordinis Prædicatorum. Inter quos libelli dividebantur, ut quivis perlegens, turpes errores extraheret, in quibus de hæresi suspectus judicaretur.

Sabbato, doctores Heidelbergenses & Colonienses, articulos excerptos Archiepiscopo præsentant, & modum incipiendi continuandiq; dicunt. Præsul nihil eorum inspexit, quia in unum non erant redacti. Præterea coetus doctorum reverendissimo patri, M. N. Gerhardum, ut inquisitorem hæreticæ pravitatis obtulit, qui susceptus honorificè, literis testimonialibus se habere hujusmodi authoritatem docuit & probavit. Statutus est dies, hora, locus examinis, ad feriam secundam apud Minores, cum quibus in captivitate morabatur doctor Wesalia. Deinde unà omnes doctores & magistri Heidelbergenses cum Archiepiscopo prandebant.

DOMINICA.

Dominico die nihil est actum, propter sanctitatem diei.

FERIA SECUNDA.

Feriâ secunda, manè septima horâ, convenerunt, Archiepiscopus, Inquisitor, doctores Colonienses & doctores Heidelbergenses, magistri Heidelbergenses, Rector Universitatis Moguntinæ, Decanus facultatis, Licentiati, magistri complures ejus Universitatis, Canonici, Doctores, Cancellarius & consiliarii episcopales, prælati religiosi, scholares, pro examine doctoris Wesalien. in refectorio Minorum, suffraganeus, plebanus Francfordiensis doctor, Fiscalis, Pedelli.

Sedit Inquisitor primo loco, deinde secundo loco dominus Moguntinus, & sic de aliis. Ante principium examinis, Inquisitor pietate & humanitate inductus, ait palàm: Reverendissime pater, honorabiles doctores, &c. præsentem convocationem fieri fecit reverendissimus Inquisitor primo sedit loco.

Oratio eloquentissima Inquisitoris.

dissimus pater, princeps elector ad audiendum examinari M. Johannem de Wesalia in quibusdam articulis de fide catholica suspectis. Sed dicam aliquid pro bono illius viri, & rogo ut surgant duo vel tres ipsius fautores, vel alii qui moneant illum. ut à suis erroribus resiliat, se recognoscat, gratiam petet. Quod si fecerit, gratiam consequetur: sin non velit, sine gratia procedetur. Deputabantur, suffraganeus, Macarius, plebanus Francfordiensis diu morantes, adeo ut M. N. Gerhardus mitteret Fiscalem pro eis revocandis, dicens: M. Johannem Wesalianum sponte venire debere, & gratum esse de tali gratiæ exhibitione. Inter exeundum dum Fiscalis iret, veniunt illi tres missi, personaliter Johannem adducunt, sic enim voluit. Ibat autē in medio duorū fratrum Minorū, pallidus, silicernius, habens baculū in manu. Porrò locatus est ad medium in terra directè in oppositum præsulis & Inquisitoris. Inquisitor, aliis tacentibus, repetiīt ad eum verba superius notata. Ad quæ M. Wesalien. responsurus, protestationes longas & inania verba dicturus, longoq; sermone tempora procrastinaturus, compescitur à M. N. Gerhardo dicente, ut se paucis absolveret & diceret, an adhuc vellet stare suis opinionibus, aut determinationi ecclesiæ? Respondit M. Johannes, se nunquam aliquid dixisse contra determinationē ecclesiæ: sed fatebatur se multos scripsisse tractatus, in quibus si errasset vel maledixisset, revocaret & revocare vellet, & omnia facere quæ deberet. Tum Inquisitor: Petitis tunc gratiam? Respondit Johānes: Pro quo debeo gratiā petere, cum mihi nihil constet de aliquo crimine, culpâ sive errore? Inquisitor: Bene, revocabimus vobis ad memoriam, & procedemus ad examen. Inter hæc, cæteri monebant eum ad petendum veniam. Wesalia: Peto veniam. Nihilominus Inquisitor processit ad examen, prius tamen duobus instrumentis publicè lectis, authoritatem se habere docuit * apostolicam: deinde Johannē citavit, ut ad examen compareret. Tertiò mandavit eidem Johanni sub pœna obedientiæ, in virtute sancti spiritûs sub pœna excommunicationis latæ sententiæ (à quo nemo habeat ipsum absolvere, nisi solus Papa, vel ipse Inquisitor, nisi in articulo mortis) ut diceret planè verba veritatis super interrogandis de sua fide, sine ambagibus, sine verborum sophisticatione.

Locatur in terra Wesal.

* Hui!

Interrogatus primò, an credat quòd ex juramento jam præstito, obligetur dicere veritatem, etiamsi sit contra seipsum, vel quemcunq; alium? Respondit, scio. Tum Inquisitor: Dicatis, credo. Johannes: Quid opus est credere quod scio? Ibi commotior factus Inquisitor, inquit: † Magister Johannes, Magister Johannes, Magister Johannes, dicatis, credo, dicatis credo, voce acuta. Respondit, credo.

† Ecce mores asini istâ authoritate muniti!

Secundò interrogatus, an credat, si veritatem agnitam super interrogandis non dixerit, quòd sententiam excommunicationis incurrat ipso facto, & mortaliter peccet? Respondit, scio, ut supra, & tandem, credo.

Tertiò interrogatus, an scripserit aliquem tractatū super modo obligationis legum humanarum ad quendā Nicolaum de Bohemia vel Polonia. Et an scripserit tractatum de potestate ecclesiastica, de indulgentiis & jejunio, & alios tractatus. Credidit se scripsisse, & multis doctis communicasse, Tractatum de jejunio misisse episcopo Wormaciensi.

Quartò interrogatus, an fuerit cum eodem Nicolao aliquando conversatus in domo sua, seu loco habitationis suæ, aut alibi, & quoties? Respondit, credit & fatetur se cum eodem Nicolao fuisse conversatum de medicinis, & de communione sub utraq; specie, in Moguntia & Wesalia. Addidit, quòd istum Nicolaum vicisset ex Evangelio.

Quintò interrogatus, an scripserit aliquos alios tractatus, aut missivas literas ad aliquem aut aliquos alios Bohemos, aut quoscunq; alios schismaticos aut hæreticos? Respondit, & credidit se non scripsisse.

Sextò, an ipse receperit tactatus aut epistolas ab ipsis Bohemis, aut hæreticis, aut sit credens, fautor, vel episcopus Bohemorum? Respondit, quòd non sit.

Septimò interrogatus, an aliquando dogmatizaverit, aut prædicaverit, quòd sacra scriptura non dicat quòd spiritus sanctus procedat à filio, aut ab utroq;, & quid ipse de hoc credat? Fatetur se scripsisse, & non prædicasse. Item non credit spiritum sanctum procedere à patre & filio, tanquam uno & eodem principio: quia appareat sibi, quòd non possit in textu sacræ scripturæ inveniri.

Octavò, an credat unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, Et an contra hanc aliquid scripserit vel prædicaverit, Et an credat, scripserit, vel prædicaverit falsum esse in symbolo Athanasii hunc versum: Nam sicut anima rationalis? &c. Respondit, & credit unā sanctam ecclesiam, & quòd non scripserit contra ecclesiā: quòdq; hodie credat illum versum, Nam sicut anima rationalis, &c. * esse falsum.

* Wesal. fautor hæresis Arrianæ.

Nonò, an credat ecclesiam sponsam Christi à spiritu sancto gubernari? Credit.

Decimò, an credat, scripserit, aut prædicaverit, quòd ecclesia, Christi sponsa, possit errare in fide, aut necessariis ad salutem? Dicit quòd ecclesia Christi non possit errare. Replicatur, quod scripserit.

Unde-

Undecimò, an credat Romanã ecclesiam esse caput omnium aliarũ ecclesiarũ, Et an fides, quã profitetur & tenet Romana ecclesia, sit vera fides quã Christus tradidit? Credit.

Duodecimò, an credat quòd Romanus pontifex sit verus vicarius Christi in terris, & necessarium esse unum toti ecclesiæ præsidentem, aut sufficerent conventus & congregationes sacerdotum? Credit quòd Romanus pontifex sit Christi vicarius, & necessarium esse unum caput ecclesiæ.

Decimotertiò an credat quòd Papa peccator amittat usum suæ potestatis & jurisdictionis? Credit, quòd non amittat.

Decimoquartò, an credat, scripserit vel prædicaverit, quòd apostoli non habuerunt authoritatem à Christo condendi canones, aut instituendi aliquas leges. Dicit, & scit se prædicasse & scripsisse, quòd non habeatur in Evangelio, quòd dominus dederit apostolis potestatem condendi leges. Et non credit, quòd habeant potestatem.

Decimoquintò, an credat, scripserit aut prædicaverit, quòd Papa, Imperator, & alii principes & prælati non habeant authoritatem condendi aut instituendi leges, subditos obligantes in foro conscientiæ ad peccatum mortale, nisi ex consensu subditorum. Et an subditi consentientes in legem, & eam assumentes, voveant servare legem. Et an subditi transgredientes legem, sint voti fractores, & peccent mortaliter, & non aliàs contra agendo. Respondit & credit, quòd habeant condere leges sine consensu subditorum, & quòd præcepta ecclesiæ obligent sub peccato mortali. Et credit, quòd assumentes legem non voveant servare legem. Et credit, quòd transgredientes legem humanam sic assumptam, peccent mortaliter. Varius tamen fuit ad istum articulum.

Decimosextò, an credat, scripserit vel prædicaverit, quòd omnis sacerdos seu presbyter sit episcopus realiter, & differant sola appellatione nominis. Credit differentiam esse inter episcopum & sacerdotem.

Decimoseptimò an credat, scripserit aut prædicaverit, quòd nulli Christiani, quantumcunq; docti, habeant authoritatem aliquam exponendi verba Christi. Item, an credat, quòd sacra scriptura sit eodem spiritu exposita per sanctos patres & doctores, quo creditur primò tradita & revelata. Primum articulum falsum credit, secundum non credit.

Decimooctavò interrogatus, an credat, scripserit vel prædicaverit, nullum esse peccatũ originale in parvulis jam conceptis in utero materno: credit quòd nullum sit.

Decimononò, an credat quòd in venerabili sacramento eucharistiæ contineatur Christus realiter, modo sacramentali: aut solùm ut Deus communiter est ubiq; per essentialem præsentiam & potestatem. Et an credat in ipso sacramento manere substantiam panis, aut ejus formam substantialem. Et an credat, quòd sub specie panis in venerabili sacramento eucharistiæ sit totus Christus cum corpore & sanguine & divinitate, & similiter sub specie vini post consecrationem. Credit. Item credit, quòd corpus Christi possit esse sub specie panis, manente substantia panis.

Vicesimò, an prædicaverit in Wisbaden, aut alibi, quòd videns venerabile sacramentum eucharistiæ, videat diabolum. Non credit.

Item interrogatus (fuit hoc factum in principio examinis) protestatione facta per Inquisitorem, quod suâ referret sic inquirere, quando ipse ultimò confessus sit, aut missam celebraverit, aut communicaverit corpori & sanguini domini nostri Jesu Christi? nam præ senio & debilitate vix celebrare poterat. Dicit quòd in vigilia nativitatis Christi proximè præterita confessus sit, & receperit sacramentum ipso die nativitatis. Item credit, quòd quilibet homo teneatur confiteri, & communicare semel in anno.

Vicesimoprimò interrogatus, an credat continentiam clericorum occidentalis ecclesiæ esse in præcepto, aut eos omnino non teneri ad castitatem: & an clerici teneantur ad septem horas canonicas. Credit, quòd ex præcepto, clerici teneantur ad continentiam, quódque sub præcepto teneantur ad horas canonicas: quia susceperunt, etiam ad mandatum ecclesiæ teneantur.

Vicesimosecundò, an prædicaverit religiosis, monachis, monialibus aut beginis, quòd non teneantur ad voti castitatis, aut cujuscunq; alterius voti observationem. Et an dixerit, quòd religio nihil faciat ad salutem. Et an dixerit fratribus Minoribus hoc verbum, aut simile in effectu: Non possum vos salvare in statu vestro. Credit, quòd teneantur ad vota, & dicit se dixisse: Religio non salvat vos, sed gratia Dei. Item credit religionem viam esse ad salutem. Item credit, quòd fratres in religione possint salvari. Item dixit: Si ipsi non salvarentur, quis tunc salvabitur?

Vicesimotertiò, anne consuluerit cuidam sacerdoti in Confluentia, seu aliis, quòd sine peccato possit adhærere uni soli mulieri. Dicit quòd non fecerit.

Vicesimoquartò, an credat aut scripserit, nullum esse peccatũ mortale, nisi quod canon Bibliæ dicit esse mortale. Credit quòd sic, donec melius informetur, sicut de hoc scripsit.

Vicesimoquintò, an prædicaverit publicè populo, Dubiū esse, an Christus fuisset funibus cruci alligatus, aut clavis affixus. Fatetur se dixisse, quòd non habeatur in Evangelio passionis, an clavis sit affixus, an funibus: credit tamen quòd clavis.

Vicesimosextò, an in istis & aliis suis opinionibus habeat aliquot insequutores credentes aut fautores. Respondit, quòd non.

Vicesimoseptimò, an credat indulgentias, quas facit ecclesia, aliquā efficaciā habere: & quid sentiat de indulgentiis, & an Tractatum scripserit de indulgentiis. Dicit se scripsisse: & credit sicut sonat idem Tractatus de eadem materia. Persistit in responsione hesterna.

Vicesimooctavò, de vicariatu Christi in terris interrogatus, Respondit quòd non credit, quòd Christus reliquerit sibi vicarium in terris. Pro confirmatione hujus adducit & dicit, quòd Christus in cœlum ascensurus dixit: Ecce ego vobiscum sum, &c. Quibus verbis clarè significaverit, nullum sibi velle substituere vicarium. Quomodo autem ipse præsens esse vult, & vult per se omnia agere non habendo vicarium? Respondit: Si vicarius significat aliquem qui in absentia principalis habet facere opera principalis, tunc Christus non habet vicarium in terris.

Examine finito, reductus est Wesalianus ad locum suum. Mox dominus Archiepiscopus, dominus Inquisitor & doctores decreverunt quòd nonnulli deputandi essent deliberaturi quid sit agendum. Electi sunt doctores Heidelbergenses & Colonienses, duo Cancellarii Archiepiscopi, & comitis Rheni Palatini, G. Pfeffer & Tho. Dornberg, suffraganeus, rector Universitatis, Comes de Solms, Macarius, canonici, Fiscalis cum duobus notariis: qui peracto prandio convenientes horâ secunda, concluserunt id quod crastina die apud doctorem Johannem Wesalien. scilicet feria tertia peragebatur, ut modò sequitur.

DIE MARTIS.

Die martis manè apud Minores iterum Illustrissimus Princeps, dominus Inquisitor, doctores, prælati, magistri, laici, nemine repulso, convenerunt. Adducto Johanne de Wesalia, dixit Inquisitor: Tria jam futura in hoc actu. Primum, quia M. Johannes hesterna die non satis resolutus, ad certos responderit articulos, iterum sibi illos proponendos esse, ut luculenter & clarè, plus masticando, responderet: deinde ad quosdam alios articulos heri non auditos quid sentiat, respondere deberet: tertiò relegi debere omnes articulos principaliores cum responsionibus, ut audiatur si adhuc in illis velit persistere, aut ab illis resilire. Demū lectū est hesternum juramentū, & iterum requisitus est M. Johannes sub pœna juramenti præstiti, ut veritatē dicat super inquirendis & proponendis, sicut sentit & credit, sine fallacia & dolo, * sine sophisticatione verborum. Quo facto, sequitur examen in hanc formam.

* Æquivocatio non omnibus licet.

ADDITIONALES ARTICULI, SUPER quibus fuit examinatus.

In tractatu suo de indulgentiis interrogatus, Credit quòd thesaurus meritorū sanctorū non possit per papam distribui: quia ille thesaurus non est in terris dimissus. In tractatu ponit causam ex illo Apocalypsis: Opera enim illorum sequuntur illos.

Item secundò credit, quòd recompensatio pœnarum pro peccatis debitarum, non potest fieri per pœnas Christi & sanctorum: quia merita ipsorum non possunt applicari aliis hominibus pro satisfactione pœnarum debitarum: & ideo papa & alii prælati non possunt illum thesaurum aliis distribuere.

Item non credit, quòd in suo tractatu de indulgentiis habeatur iste articulus: Indulgentiæ non sunt remissiones pœnarum à jure, vel ab homine pro peccatis injunctarum: & ideo illæ remissiones vocatæ indulgentiæ, sunt piæ fraudes fidelium.

Item non credit tractatum suum continere hunc articulum: Ecclesiam facere indulgentias. Verum est pro illa ecclesia quæ errat: & ideo ecclesia dando indulgentias, plus nocet quàm prodest.

Interrogatus quid sentiat de consecratione & benedictione altarium, calicis, ornamentorū, cæreorū, palmarū, herbarū, aquæ benedictæ & aliarum rerum inanimatarum, &c. Credit quòd nihil virtutis spiritualis & efficaciæ habeant ad effugandum dæmones, & pro remissione venialium peccatorum. Credit etiam, quòd aqua benedicta non habeat majorem efficaciam, quàm alia aqua non benedicta, quoad remissionem peccatorum venialium, & effugationem dæmonum, & alios effectus quos doctores scribunt de eadem aqua.

Euge!

Item, quid de matrimonio & gradibus cognationum sentiat, interrogatus, Credit quòd in gradibus prohibitis in veteri lege Papa non possit dispensare, sed in aliis gradibus in nova

nova lege prohibitis, possit dispensare. Credit quòd fideles teneantur abstinere ab hujusmodi gradibus prohibitis sub pœna peccati mortalis.

Item credit, quòd deus potest conferre gratiam habenti usum rationis absq; omni motu liberi arbitrii. Opinatur quòd beatus Paulus in sua conversione nihil fecit suo libero arbitrio pro sua conversione. Credit, quòd deus potest dare gratiam hujusmodi, habenti usum rationis, non facienti quod in se est.

Item credit, quòd nihil sit credendum quod non habeatur in Canone Bibliæ.

Item credit articulum incipientem: Sola dei gratiâ salvantur electi.

DENUO INTERROGATUS.

Primò, super articulo in ordine quinto, ut supra, approbat responsum heri factum.

Super septimo persistit in responsione data. Credit etiam, quod omnes Christiani debeant credere plus illis verbis Johannis: Spiritus sanctus à patre: quàm illis, Spiritus sanctus à patre & filio procedit. Credit articulum Nicæni Concilii [Spiritus sanctus à patre filioq; procedit] esse falsum.

Dubitat Concilium legitimè congregatum, recipere influxum immediatè à spiritu sancto, & à Christo capite.

Item credit, quòd spiritum sanctum procedere à patre & filio non habeatur in Canone Bibliæ, nec expressè nec virtualiter.

Super octavo, persistit in responsione data, ad primã partem de ecclesia intelligit in verbis Christi, cum dicit: Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Ecclesiam Christi sic describit: Ecclesia est collectio omnium fidelium charitate copulatorum, juxta opinionem suam motus verbis in Evangelio sequentibus: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et credit eandem esse ecclesiam Christi, quam nemo scit nisi Deus.

Non credit credendum esse beatis, Augustino, Ambrosio & cæteris, nec Conciliis generalibus: sed solùm sacræ scripturæ. Et sacram scripturam dicit Canonem Bibliæ.

Ad secundam partem octavi articuli, scilicet de versu symboli [Nam sicut anima rationalis, &c.] persistit in responsione hesterna, quòd sit falsus, & addit, juxta suam intelligentiam.

Super decimoquarto persistit in responsione hesterna.

Super decimoseptimo persistit in responsione data, quoad utrasq; partes.

Super decimooctavo persistit in responsione data.

Super decimonono persistit in responsione, & credit quòd in conversione substantiæ panis in corpus Christi, corpus est materia prima, & nuda substantia materiæ.

Super vicesimoquarto, persistit in responsione hesterna.

Super vicesimoseptimo, persistit in responsione data.

Super vicesimooctavo, persistit in responsione data, & dicit: Si vicarius significat aliquem, qui in absentia principalis habet facere opera principalis, tunc Christus non habuit vicarium in terris.

Eadem feria tertia in examine inter cætera dixit: Si omnis homo recederet à Christo, ego solus Christum dei filium colam, venerabor & Christianus ero. Ad quem Inquisitor: Hoc omnes dicunt hæretici, etiam in igne constituti *.

Dum certas propositiones negasset se scripsisse, tractatus sui propria manu conscripti, ei præsentabantur, quam revera literam esse suam non valuit negare.

Dum sæpe repeteret se aliquid nunquam audivisse, ait M. N. Gerhardus inquisitor: Estis vos paginæ sacræ doctor & hoc ignoratis †.

* Væ vobis quæstoribus insolentibus & insulsis nisi idem prorsus teneatis.

† Estis vos, Magister noster, tantus buffalus ut Latinè nescias? quid igitur misero & oppresso Christiano ignorantiam exprobras, cum tuam cum ignominiosa superbia conjunctam prodis?

Conclusum deinde est, quòd ad doctorem Johannem de Wesalia mitterentur tres viri. Suffraganeus, Herwicus & Jacobus Sprenger, Theologiæ doctores, qui piis illum exhortarentur verbis, ut ab erroribus & hæresibus suis resiliret.

DIE MERCURII.

Die Mercurii manè tres ante nominati adeunt Johannem, hortantur, inducunt, persuadent: cumq; is nollet Canonibus acquiescere, quibus hæreses ejus delere volebant, interrogatus est ab Herwico, cur ipse potius evangeliis quatuor Evangelistarum, quàm Nicodemi evangelio crederet? Respondit, Quia volo. Quæsitus cur istis quatuor crederet Evangelistis? Respondit, quia à parentibus accepi. Interrogatus, cur fidem non haberet doctoribus? Ait, Quoniam ipsorum doctrina non esset scriptura Canonica. Rursum objiciebatur, Quomodo ipse inter prædicandum sibi voluisset credi, cum sanctis non haberet fidem doctoribus? Dixit se prædicasse, sed an suis verbis creditum sit, nihil curavisse.

Cum

Cum ei de peccato contagionis, & cæteris punctis clarissimis contrariū persuaderetur, dixit se nec audisse, nec legisse unquam. Tandem addidit: Sicut vos agitis mecum, si Christus adesset, posset à vobis hæreticus condemnari. Attamen (subridendo adjecit) sua vos vinceret subtilitate. Dum probarentur articuli condemnati testimonio Conciliorum, Canonum, Bullarum, se ignoravisse respondit. Multis jam diu doctorum sententiis inductus. Postremò subjunxit errorem suum velle se recognoscere, & erroneam abjicere conscientiam, ipsorumq; conscientiis inniti.

Prandio peracto definiebatur ei die crastino, scilicet Jovis, potiores articulos præsentandos esse ad deliberandum, si hæresim abjurare, revocare, veniamq; petere dignaretur.

DIE JOVIS.

Articuli venerunt ante conspectum ejus, de hæresi præcipuè suspecti, Formâ petendæ veniæ conjunctâ: totum se assumere fatebatur & revocare. Primum, in refectorio Minorum, in præsentia Episcopi & cleri. Deinde facta prius in omnibus ecclesiis publicatione manifesta, in Ecclesia majore solennitatibus adhibitis, publicè revocare se pollicebatur in audientiâ universi populi.

Non omnibus datur veritatem usque ad mortem tueri: dandum est aliquid pusillanimitati hominis, sicut & stylo inculto hujusce scribæ: qui paulò infrà loquitur ut decet Christianum, eaque sentit de hisce rebus, quæ eum cordatum virū fuisse probant & (quantum tulit ista ætas) parùm amicum tyrannidi Pontificiæ.

DIE VENERIS.

Die Veneris manè, septima, in præsentia Archiepiscopi, doctorum & prælatorum, plurimorumq; aliorum & religiosorum & secularium. Inquisitor dixit: Per Reverendissimum Patrem missi sunt certi ad M. Johannem de Wesalia, qui eum exhortarentur, ut à suis erroribus & hæresibus resiliret: quibus ille respondit se ad revocationem, ad petendam veniam esse paratissimum. Jussit ergo eum adduci, ut audiretur, si adhuc in salubri sententia persisteret. Adductus est Johannes, ad quem Inquisitor: ideo congregationem esse factam, ut ipse palàm faceret, quid sentiret, an ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redire, & hæreses abjurare, revocare, veniamq; petere dignaretur. Mox ita Johannes exorsus: Reverendissime in Christo pater, Archiepiscope hujus inclytæ diœcesis, venerande pater Inquisitor, domini doctores, & magistri, & quicunq; alii venerandi, ego sponte recognosco in scriptis libris, & dictis meis inventum esse quod erroneum est. Et revoco eadem erronea, & in publico revocare volo. Et volo me submittere, & submitto me sanctæ matris Ecclesiæ mandatis & informationi doctorum. Et pœnitentiam mihi injungendam sufferre volo, & peto veniam & gratiam.

Hujus Doctoris Johannis de Wesalia examini & inquisitioni interfui ego ipse qui hæc scribo in Moguntiaco, sub Archiepiscopo domino Diethero de Isenburgo, qui ad se vocaverat Theologos Heidelbergenses: & venerunt dominus doctor Nicolaus de Wachenheim, solus de via (ut dicunt) Modernorū, dōinus doctor Hervicus de Amsterdāis, dominus doctor Jodocus de Calbo. Ex Agrippinâ vocati fuerunt & venerunt M. N. Henricus de Elten, ordinis Prædicatorum, inquisitor hæreticæ pravitatis. M. N. Jacobus Sprenger ordinis Prædicatorum, & quidam alius ejusdem ordinis.

Magister Johannes de Wesalia longo tempore gravi morbo laboravit, nihilominus inquirebatur ab eo satis fervidè. Quædā negavit se dixisse, quædam ut præ ætate & languore potuit, conabatur interpretari. Et ipse per sese etiam allegabat suā diuturnā infirmitatem.

Dempto solo articulo de processione spiritûs sancti, in aliis videtur non ita gravi censura fuisse castigandus, si induciæ datæ fuissent, si consultores ei fuissent adhibiti, si non omnes, uno solo dempto, fuissent de via realium. Et nisi forsitan impetus quidam irrepsisset in religiosos, triumphandi de seculari, & præsertim de eo qui illorum Thomam peculiariter non coluerat, forsitan poterat cum eo mitius, humanius & clementius, benigniusq; actum & processum fuisse. Deum testor, qui omnia novit, hunc processum qui cum eo servatus fuit usq; ad revocationem & librorum suorum exustionem, vehementissimè displicuisse magistro Engelino de Brunsuico, maximo Theologo, & magistro Johanni Keisersbergio, duobus utiq; viris, cum doctis, tum integris. Præcipuè magistro Engelino visum fuit nimis præcipitanter cum tanto viro actum esse. Immo non verebatur asserere multos articulos ejus, & majorem partem posse sustineri. Nec obticuit de simultate * Thomistarū contra Modernos, & de gaudio triumphandi religiosorū contra seculares. Quis nisi ipse diabolus seminavit illam Zizaniā inter philosophos & inter theologos, ut tanta sit dissensio, etiā animorum inter diversa opinantes, inter eos qui Thomam, qui Scotum, qui Marsiliū imitantur?

* Thomistæ & Moderni, sectæ æmulæ; qui neutiquam causam Religionis agunt, sed cæco partium studio & frivolis sectarum suarum quæstionibus capti in ipsam Evangelii veritatem insurgunt, ejusq; fautores & servos superbè & crudeliter opprimunt. Quàm grata autem debet esse memoria Engelini illius & Joh. Keisersbergii, quibus adeo displicuit processus & actio ista!

Adeo

Adeo ut si universalia quisquam realia negaverit, existimetur in spiritum sanctum peccavisse: immo summo & maximo peccato plenus creditur, contra deum, contra Christianam religionem, contra justitiam, contra omnem politiam gravissimè deliquisse. Unde hæc cæcitas mentis, nisi à diabolo? qui ne utiliora ne honestiora, ne moribus, virtutibus & saluti animarum conducentia discamus, phantasias nostras illudit, & trahit ad res minus salutares & ad gelidas harum intentionum speculationes: quibus neque ad deum devoti reddimur, neq; ad proximi dilectionem inflammamur. Et ideo minus ædificamus in ecclesia dei, neque fervor Christianorum videtur augeri, sed indies diminui.

Examinis Wesaliani Finis.

O. G. STUDIOSO LECTORI S.P.D.

MUltos in ecclesia Romana, tam secularium quàm spiritualium Principum culpâ, abusus esse, & gravamina identidem non pauca, nemo ferme est omnium qui ignorat. Verum hæc nova non sunt, neq; etiam inaudita. Vide (obsecro) quid in Regum libris scriptum sit, Nonne propter gravia Solomonis in populum suum gravamina, X. tribus Israel, ab ipso Roboam, incivili principe minimeq; politico, ad impium Hieroboam defecerunt? Nunquid non & Ptolomæus Auletes rex Ægypti, ob causam eandem ab Alexandrinis exactus, ad Romanos miserè confugit? At quid (obsecro) ex his & id genus aliis mille inferes historiis? Num propterea Principes tuos & ecclesiæ præsides, per totū terrarum orbem contemnes? Absit lector prudentissime. Nullus enim locus est intra oceanum, neq; tam distans, neq; tam reconditus, neq; tam montibus præceps, ubi nulla sint gravamina & abusus nulli. Multa fateor à patribus nostris legitimè quondam instituta, quæ si piè ac sanctè ab omnibus servarentur, nunquàm hæc pericula dei ecclesia incidisset. Ex qua igitur radice (roget quis) infinita indies pullulant atq; excrescunt gravamina? Ex avaritia (inquam) & questu inordinato. Nam homines sæpe pervertunt ea (ut Cicero inquit 3. offic.) quæ sunt naturæ fundamenta, quum utilitatem ab honesto separant, non animadvertentes, nihil esse utile quod non idem honestum. Tria igitur homines plerumq; expetunt, opes, voluptates & honores. Ex opibus prava, è voluptatibus turpia, & de honoribus vana promanant. Hæc me loqui cogit veritas. Nam error cui non resistitur (ut Innocentius ait, & habetur di.83.) approbatur, & veritas, quum minimè defensatur, opprimitur. Teste itaq; divo Augustino, lib. 5. de Civ. Dei, Christianos imperatores (ideo etiam & Principes nostros) fœlices esse dicimus, qui justa imperant, suamq; potestatem, ad verum dei cultum administrant. Hinc non indecenter Chrysostomus super illud Matthæi [Beatus servus] Unumquemq; (ait) ad communem utilitatem uti oportet his quæ habet, sive sapientiâ, sive principatu, sive divitiis. Nam ut Cassiodoro placuit epistolâ XIIII. Commodum debet esse cum modo. Quod si neglectum fuerit, & mensuram qualitatis excesserit, sui nominis vim non retinebit. Quapropter in frontispicio Apollinis Delphici aureis literis olim scriptum fuit [Ne quid nimis] Verùm hac de re satis, tum primò, ne ignem gladio fodiam: tum, secundò, ne sutor ultra crepidam, ut dici solet, licet tamen olitor valdè opportuna sæpe loquatur, &c. ¶ Ad gravamina, lector Christiane, & ad illorum (si qui in illis sunt) abusus revertimur. Duo enim nobis gravaminum opuscula oblata fuere, & typis excusa, quorum præstaret neutrum esse, quàm propter alterum eorum malum fieri, aut in discordiam labi, hoc est, melius esset, omnes abusus & gravamina (si quæ sunt) ab ecclesia dei & communi Rep. tolli, quàm tot scandala inter nos indies oriri & nullam sperare concordiam. Multane sint in ecclesia dei gravamina, an minus, non est nostrum affirmare. Lege epistolam divi Maximiliani, quæ infra pag. CCCXL. habetur, & rem ipsam invenies. Hoc autem tibi dictum velim, & perpetuo demandatum, te propter gravamina & abusus (qui semper fuerunt) non debere fieri hæreticum. Vale fœliciter.

Gravamina

GRAVAMINA GERMANICÆ NATIONIS,

Cum Remediis & Avisamentis ad Cæsaream Majestatem, in duos libellos distinctim divisa, eoq; ordine & modo, quo prius impressa fuere.

Gravamina Nationis Germanicæ & Sacri Romani Imperii, Decem.

I. Quòd ad servandas bullas, pacta, privilegia & literas, ab antecessoribus, absq; omni derogatione concessas, successores Pontifices teneri se non arbitrantur, immo per crebras dispensationes, suspensiones, revocationes ad cujuscunq; (etiam vilis) personæ instantiam contraveniunt.

II. Quòd electiones prælatorum quandoque rejiciuntur.

III. Quòd electionibus præpositurarū, quas quarundā ecclesiarum capitula multo ære impetrarunt, contravenitur, Spira scit & Hasela, cujus Bulla de eligendo præposito enervata est, eo adhuc superstite qui dederat.

IV. Quòd beneficia & dignitates majores, Cardinalibus & Protonotariis reservantur.

V. Quòd expectativæ gratiæ absque numero conceduntur, & multæ interdū ad unum collatorem. Unde surgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur. Tum illæ, quæ pro bullis gratiarum (quæ nunquam effectum sortientur) expositæ sunt. Tum illæ, quæ pro litibus deducendis consumuntur. Inde apud quosdam ortum est proverbium: Quisquis gratiam expectativam ab urbe extraxerit, centum aut ducentos aureos nummos in cistam simul ad ipsum gratiam reponat, quibus ad prosequendam litem opus habebit.

VI. Quòd Annatæ absque dilatione & sine misericordia (etiā episcopis intra paucos annos mortuis) exiguntur. Interdum plus quàm debeatur, extorquetur, propter nova officia & novos familiares. Exemplum de Moguntinâ & Argentinen. ecclesiis.

VII. Ecclesiarū regimina minus dignis (Romæ videlicet) committuntur, qui ad mulos magis quàm homines pascendos & regendos essent idonei.

VIII. Indulgentiæ novæ cum revocatione aut suspensione veterū (laicis contra clerū murmurantibus) ad corradendas pecunias conceduntur.

IX. Decimæ sub prætextu expugnandorū Turcarū exiguntur, nullâ expeditione subsequutâ.

X. Causæ quæ in Germania (in qua & docti & justi judices sunt) terminari poterant, ad tribunalia Romana indistinctè trahuntur. Quod sanctus Bernardus ad Eugenium Papam scribens, valdè reprobare videtur.

Remedium

REMEDIUM CONTRA GRAVAMINA Nationis Germanicæ.

SI Cæsareæ majestati consultum visum fuerit, proponatur summo Pontifici & sacrosanctæ Ecclesiæ Rom. Quòd grave immo intolerabile sit nationi Germanicæ, amodo tantas expensas & molestias pati, tantas pro confirmatione archiepiscoporum & episcoporum inferre annatas, præsertim quæ in quibusdam episcopatibus successu temporis auctæ, in quibusdam duplicatæ esse dicuntur.

Nam sedes Moguntina (ut dicitur) olim solùm dedit decem millia florenorum, quæ cum quidam illic electus dare renueret, sicq; usq; ad mortem suam persisteret, electus post eum, confirmationis cupidus, se opponere timuit sedi Apostolicæ; offerens antiquam summam, puta decē milliū florenorū, is nec confirmationem impetrare potuit, nisi & reliqua decem millia simul redderet, quæ adhuc extabant à suo prædecessore nondum persoluta.

Sicq; cogebatur dare viginti millia florenorum, quæ tunc indubiè in registrum cameræ signata sunt, & usq; ad nostram ætatem à singulis archiepiscopis exacta, & nedū viginti millia, sed & vigintiquinq;, propter nova officia & novos Pontificū familiares. Tandē excrevit summa usq; ad viginti septē millia. Quæ Archiepiscopus Jacobus cogebatur nuper persolvere, ut retulit vicarius in spiritualibus Moguntinen. Sicq; in vita unius hominis septies vigintiquinq; millia à solo archiepiscopatu Moguntino pro confirmatione archiepiscopi Romam pervenerunt.

Et cum Archiepiscopus Jacobus vix quatuor annos sedisset in archiepiscopatu, mox post eum electus dominus Uriel ad minus vigintiquatuor aut vigintiquinq; millia coactus est persolvere, quorum partem mutuò forsan accepit à mercatoribus, sed ut illis satisfaciat, imponere coactus est subsidium aut exactionem in suos populos & pauperes agricolas, quorum aliqui nondū satisfecerunt, tributo aut exactioni pro pallio à suo prædecessore Jacobo impositæ. Sicq; non solùm eviscerantur nostrates, & ad extremam inopiam rediguntur (de qua Reverendissimo domino Bernardino sanctæ Crucis Cardinali & nuper legato constat) verùm etiam incitantur ad rebellionem & quærendam utcunq; libertatem, & ubi possunt inter se susurrant de sævitia in clerum.

Admonendus etiam videtur summus Pontifex, quòd per varia bella, terræ Germanorum passim desolatæ sunt, ac per crebras mortalitates numerus viventium diminutus.

Sicq; ob paucitatem cultorum, agri pro magna parte inculti jacent, & ipsa telonea diversis eventibus attenuata, & venæ minerales exhaustæ sunt, pereuntq; indies proventus, ex quibus Archiepiscopi & Episcopi (aliis etiam honestis & necessariis impensis gravati) sedi Apostolicæ annatam persolvere possint.

Non sine causa, Jacobus archiepiscopus Moguntinus jam ferè moriens dixit, se de morte sua non adeo dolere, quàm ob id, quòd subditi sui pauperes iterum pro pallio gravem exactionem dare cogerentur.

Mitius ergo Summus Pontifex, velut pius pater filiorum suorum amator, ac fidelis & prudens pastor, cum filiis suis Germanicæ nationis agat, ne propediem, vel in universos Christi sacerdotes persequutio suboriatur, vel instar Bohemorum pleriq; ab ecclesia deficiant Romana.

Mitius saltem agat, quoties archiepiscopus aut episcopus ad paucos annos rexerit, sicut de episcopis Bambergensibus accidit, quorum tres intra paucos annos mortui sunt.

Quid de aliis multis episcopatibus? Siquidem Germania (Æneâ Sylvio teste) supra quinquaginta episcopatus habet. Quid de abbatibus quorum aliqui Romæ confirmantur?

Esto, quòd in Germania majores essent ex agris, ex mineris, ex teloneis obventiones; indigeret tamen Cæsarea Majestas & cæteri principes thesauro & nervo belli contra hostes, præcipuè infideles, & ad conservandā in Germaniā pacē, atq; ad justitiā unicuiq; ministrandā.

Ad quod, consistorium Regalis cameræ cum magnis impensis sanctè institutum, maximè deservit.

Præterea opus habet C. Majestas pecuniis, ad comprimendos imperio rebelles, & ad exterminandos sicarios atq; latrones, quorum nonnulli ecclesiis nocere, earum bona diripere, immo in clericorum personas sævire atq; grassari non erubescunt.

Demum natio nostra non solùm pro reparatione ecclesiarum & monasteriorum auro indiget & argento, sed etiam pro hospitalibus, pro pueris expostititiis, pro viduis, pro puerperis, pro orphanis, pro filiabus pauperum (ne stupro cadant) desponsandis, pro domestica inopia laborantibus, pro annosis & effœtis, pro valetudinariis, ac pro pustulatis, quorum (proh dolor) plena est Germania, alioqui etiam populosa, uti sexum minimè fastidiens muliebrem.

Remedi-

REMEDIUM PRO CIVITATIBUS
Imperii & animarum salute.

SI solicitante C. Majestate, à sede Apostolica impetraretur (quod Uriel archiepiscopus Moguntinus impetravit) ne deinceps in civitatibus Imperii, quisquam duos scilicet possit habere Canonicatus aut vicarias, in diversis ejusdem civitatis ecclesiis, sed ut singuli in singulis distributiones deservirent. Tum minuerentur lites, Respublica majus sentiret commodum, plures docti, imperio & fidei utiles promoveri possent, plures missæ legerentur, & omnis divinus cultus alacrius & laudabilius peragetur. Sicut de Basilea & Spira exemplum adduci posset. In utraq; enim civitate, nullus simul in diversis ecclesiis plures canonicatus aut vicarias, ex sanctissima consuetudine possidere potest. Ideoq; utrobiq; religio & divinus cultus egregiè floret. Et summi pontificis (Æneâ Sylvio teste) interest curare, ut honoretur Deus, & illi laudes atq; hymni canantur.

Hæc etiam Bohemi petierunt, ut supra habetur.

Expediret rebuspublicis & animarum saluti, si summus Pontifex immutabiliter sanciret ut in quolibet collegio duæ ad minus essent præbendæ, gratiis non subjectæ, ad quas duo Theologi, aut unus Theologus, & alter Canonista duntaxat promoveri possent.

Atq; ut idonei puta Philosophiæ, Canonum & sacræ paginæ docti, eo promptius curas subirent animarum, expediret, quòd authoritate Apostolica, Monasteria & collegia parochiis(quas sibi incorporatas tenent)sufficientia & certa emolumenta inferre cogerentur. Hoc enim (si Æneæ creditur) Papam decet curare, ut Evangelium Christi (quod est optimum animæ pabulum) omnibus sincerè prædicetur, ut omnes errores, omnis blasphemia eradicetur, ut bella sopiantur, ut furta, rapinæ, incendia, homicidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, contentiones, odia & rixæ de medio tollantur. Ad harum rerum persuasiones, Theologi & Canonistæ magis idonei, quàm Curtisani avari esse videntur. Immo & Theologi docti, concionibus apti, Summũ Pontificem Reverendissimosq; dominos Cardinales in suo honore & authoritate, sermonibus suis commodius tueri & conservare possent.

Avisamenta ad Cæsaream Majestatem.

SIcut regnum Franciæ Pragmaticam habet sanctionem (cui in conferendis beneficiis innititur) sic Imperium Romanum habet concordata principum, atq; ea illæsa conserventur, interest Cæsareæ Majestatis. Rarò tamen hactenus per summos Pontifices violata sunt. Et auditores Rotæ juxta illa hucusq; fertur judicasse. Et si aliquis curialium per quamcunq; dispensationem conaretur illa infringere, quod episcopus vel princeps vel senatus ejusdẽ loci (principiis obstando)in faciẽ ei cõcordata inculcare piè exhortans ne contrà veiat, quoniam audacia sua sustineri nequaquam posset, cum & Turcæ & Judæi pacta fidemq; servent. Quis Curtisanorum tam insolens aut stultus est, ut contra voluntatem Episcopi, Principis aut totius alicujus communitatis in aliqua Civitate habitare præsumat?

Posset etiam Cæsarea majestas, per literas aut oratores, facilè in regno Franciæ experiri, quomodo illic beneficia conferantur, & quam authoritatem in conferendis beneficiis habeat summus Pontifex. Secundum hoc posset moderamen fieri in Imperio Romano, & frænum inexplebili avaritiæ Curtisanorum adhiberi. Si præclaræ universitates, præcipuè facultas Theologica Parisiensis approbaverit modum illum, qui de disponendis & conferendis beneficiis in Francia servatur, nemo dubitet Cæsaream majestatem & Principes Germanos, si se isti modo conformaverint, apud deum tutos fore & excusatos. Præsumendum enim est, quòd tanti prælati, tanti doctores, tam probati viri, qui in regno Franciæ ac in studio Parisiensi vivunt, nihil approbent, quod contra Deum aut contra justitiam committeretur.

Laus Parisiensium.

Provideat tamen Cæsarea Majestas, ne Archiepiscopi electores in hoc sancto instituto à se dissentiant sibiq; non adhæreant, propter censuras Apostolicas quas timebunt, & populus interdictum diu non sustinebit.

Provideat etiam Cæsarea Majestas, ne fratres mendicantes contra ipsam prædicent, qui sedi Apostolicæ libenter deferunt, timentes perdere privilegia sua, utinam Christo & naturæ innixa, quamvis justissimam causam dudum habuissent contra tantam avaritiam, tantosq; abusus prædicandi.

Timeat Cæsarea Majestas, ne papa mãdet electoribus, ut ad electionẽ novi regis Rom. procedant

procedant. Sicut contra Fridericum secundum Lantgravius Thuringiæ, & Guilhelmus Hollandiæ comes (jubente papa) fuerunt electi.

Timeat Cæsarea Majestas, omnes prælatos ecclesiarum, præcipuè præpositos, qui ex juramento tenentur avisare papam.

Timeat Cæsarea Majestas, ne S. d. n. papa obedientiam à subditis auferat, & circumjacentes populos provocet, ut in terras Cæsaris, seu archiducatus Austriæ irruant, quod isti homines sub colore obedientiæ apostolicis mandatis præstandæ, promptissimo animo sunt facturi.

Timeat Cæsarea Majest. censuras apostolicas, à quibus S. d. n. papa non abstinebit.

Timeat Cæsarea Majestas, ne papa argutissimis locis rudi populo persuadeat contra pragmaticam, seq; excusans, simplicium benevolentiam captet, allegaturus, quòd ecclesiam sancti Petri in urbe magnis impensis instauret, & certis in locis contra Turcas ædificet, quodque bellis suis, nulli unquam fecerit injuriam: quoniam recuperet terras, ad ecclesiam, sive patrimonium sancti Petri pertinentes, ad quod ex officio teneatur. Circumspiciat ergo & deliberet Cæsarea Majestas, qualiter sapientissimo suo consilio omnibus illis Romanorum subtilitatibus (si necessitas exegerit) sit responsura.

CONCLUSIO ET PIA EXHORTATIO ad Cæsaream Majestatem.

NIhil sanctius, nihil Deo gratius, nihil sempiterna memoriâ dignius efficere poterit Cæsarea Majestas, quàm ut tantas Germanicæ nationis molestias & exactiones moderetur, ut laicis clerum persequendi occasionem auferat, ut parochias (quarum aliquas episcopatus Italicos Æneas æquare scribit) ex faucibus Curtisanorum, concionari, consulere & consolari nescientium, rapiat, ut divinum cultum augeat, ut avaritiæ & impietati Curtisanorum frænum imponat, ut jus patronatûs laicorum in utrisque, & nominationes Canonicorum collationesque ecclesiasticorum in ordinariis mensibus conservet, ut multorum illustrium, nobilium & civium filiis in Germania consulat, qui in universitatibus ab adolescentia divinas & humanas literas discunt, ut & ipsi extra curiam Romanam, absque inquietissimis vexationibus sumptuosissimisque, interdum etiam indignis litibus ad præbendas ecclesiasticas ascendant, qui & imperio Romano, consiliis & toti ecclesiæ, orationibus suis, opē ferre possint. Neq; enim minima causa est, cur tantopere floreat Franciæ regnum, nisi quòd tantos tamque præstantes in omni bona doctrina viros multos habet. Si Cæsar hanc impietatem enervaverit, si Germaniam tributo gravi oppressam, in pristinam libertatem vindicaverit, si doctis & honestis ad præbendas aditum fecerit, tum verè liberator Germaniæ, libertatisque restitutor: tum verè pater patriæ, perpetuò ab omnibus passim poterit appellari: nec minorem sibi gloriam, Germaniæque fructum afferet, quàm si provinciam aliquam, bellicis ei viribus adjecisset. Sicque non minores uni Maximiliano Germania gratias debebit, quam his omnibus, qui a translato ex Græcis in Germanos imperio, multis antea temporibus regnaverunt.

Curtisani. Franciæ regnum. Maximilianus.

P. RÆSTERISCUS D. JAC. WIMPHELINGIO divinarum literarum Licentiato S. D.

REmitto ad te, vir ornatissime, fido cum hoc commensali meo, medullam illam pragmaticæ, perquam scitè sincereque abs te excerptam, unà cum prudentissima Cæsareæ Majest. instructione: faxit Deus Opt. Max. ut aquila nostra circumspectissima, oculatissimaque ipsa est summo culmine (perinde ut Liliatus Princeps) eripiat conservetque, ne scilicet posthac beneficiorum isti harpagines, universam hanc nobilem Germaniam medullitus exenterent enerventque. Negotium ipsum mehercle commodissimum atque divinum summopere commendo. Necnon cum tuam ea in re diligentiam, tum Cæsareæ Majest. ad rempub. Germaniæ zelum haud immeritò maximi facio, mirificeque laudo. Nihil prorsus demendum in ipso facto, adjiciendumve (hac præsertim pestifera tempestate, proindeque nobis inquietissima) operæ pretium duximus. Æneam Silvium de Germaniæ situ propediem aut ipse reducam, aut fido cum tabellione ad suum remittam authorem. Vale faustissime, Ræsteriscoque tuo, tametsi scabro & inculto, utare pro tua sinceritate ut voles. Datum festinanter, & ex tempore, urgente contubernali hoc meo probatæ vitæ viro, quem tuæ humanitati commendo. Calend. Decemb. Anno Christi, M. D. XI.

Æneas Sylvius.

¶ SERENISSIMO RO. CÆSARI AUGUSTO Maximiliano Ja. Regius familiaris.

AUdiens nuper, sacratissime Cæsar, Majestatem tuam Romæ adeundæ accinctam, scripsi Johanni Collauro à secretis, ut Cæsar. Majestatem tuam de nonnullis commonefaceret, quæ ad splendorem nominis tui, Germaniæque decus non parum attinere videbantur, ut ea à sacrosancta sede apostolica tecum referres. Nihil enim credidi impetrare Te non posse, quod à Julio II. Pont. max. à tua Cæsarea Majestate salutando esses petiturus. Inter cætera verò Johannem Collaurum de uno singulariter reddidi certiorem, quòd fœ. recordationis prædecessor tuus Henricus Romanus Cæsar, præbendam quandam (quæ ob id Regia vocatur) in Argentinen. ecclesiâ fundaverit, cujus omnes in Imperio Ro. successores jure fundationis proculdubio collatores fuerunt & adhuc esse deberent, sicut & hodie Cæs. tua Majestas duarum similium præbendarum (quas progenitores tui in templo Spiren. de suis erexerunt) jus patronatûs habet. Quomodo autem ab eo jure erga præbendam Argentinen. (fortè propter interregnum) Ro. Rex ceciderit, & ad præpositum illic devolutum sit, prorsus ignoro. Hoc tamen multis persuasum est, Cæsaream tuam Majestatem, jus illud patronatûs à summo pontifice denuo in utroque mense ex æquitate facilè consequi posse, ut amodo ad Dei laudem & ecclesiæ decus, vir quispiam scientia & vitæ honestate conspicuus, tuæq; Majestati cognitus, non inutile quoddam bestiæ aut coquinæ mancipium, sed neq; leno, neq; catamitus, liber & alienus à scientiis & pietate eidem præficeretur. Tuæ enim Majestati, cunctisq; tuis in imperio Romano successoribus, mores & merita personarum longè clarius quàm exteris gratiarum dispensatoribus poterunt esse manifesta. Sed & hoc quoq; Deo gratissimum, animabus salutiferũ, Tuæ autẽ Majestati in primis honorificum visum est, si à sacrosancta sede apostolica de quorundam abusibus erudienda, inviolabili lege impetrares, ne deinceps quicunq; vel natali obscurus vel omnium bonarum literarum indoctissimus, contra divinam naturalemq; legem, contraq; sacratissimos canones, duo aut tria sacerdotia sub uno tecto, tres aut quatuor præbendas aut canonicatus in diversis collegiis intra eadem Romani imperii mœnia sitis, totidemq; pingues parochias, qualicunq; dispensatione (ne dicam dissipatione) à summis pontificibus esset consecuturus, cum tot canonicatuum aut ecclesiarum parochialium quælibet, alterius aut utriusque juris sacræve paginæ licentiatum, immo doctorem honesto statu nutrire posset, adeo ut singuli singulis essent contenti & in animo tranquilli. Hac re vix aliquid Deo gratius, Germaniæq; utilius Majestatem Tuam arbitror efficere posse. Taceo quòd hoc pacto pii adolescentes, qui in gymnasiis multo labore, bonarumq; literarum amore, patrimonium suum expenderunt, parte ecclesiastici stipendii nacta, cohæredes in hæreditate paterna ad rerum publicarum augmentum relevare, Christoq; servire, & pro totius Imperii ac Imperatoris salute preces effundere possent. Sic quoque per singulas ecclesias ministri instituerentur idonei, sacræ paginæ, sacrorumq; canonum docti, præbendas facilius consequerentur, ac cæteri literis, virtutibus prædici, ad Christi patrimonium ascenderent, occasio desiderandæ mortis alienæ tolleretur. Neque essent tot lites, totque contentiones, cum magno rei familiaris per totam Germaniam detrimento, neq; essent tot fraudes, non vexarentur insontes ab eis qui nihil nisi contendere, acceptare, inquietare, vexare norunt; non, quibus proximum circumveniendi major astutia, aut ad litigandum facultas suppetit uberior, sub involutionibus prærogativarum, antelationum, regressuum, & laqueis instrumentorum à propriis servis scriptorum, tot fraudes, tot deceptiones permitterentur, Adolescentibus qui literarum studio, virtuosisq; operibus intendere deberent, non daretur ansa evagandi, nec per litium anfractus turbarentur. Non confunderetur ecclesiasticus ordo, non sineretur unus solus ad nullam rem Deo gratam, aut fidei nostræ utilem idoneus, turpiter occupare stalla & loca in omnibus ecclesiis, intra eandem imperii civitatem sitis, sicq; parochiis per barbaros quandoq; mercenarios provisis, salubrius per doctos consuleretur, nec diminueretur divinus cultus, nec animarum suffragia omitterentur, non essent vacua stalla, non cassarentur voluntates ultimæ, minus perderentur literæ monumentaq; beneficiorum, non periret hospitalitas, non eleemosynæ, non domus & ædificia cætera ecclesiarũ corruerent, non bona & prædia alienarentur, non essent tanta murmura & odia vulgi in cunctos ferè sacerdotes, propter paucos avarissimos ac insatiabiles. Neque ego primus sum cui tanta sacerdotiorum multiplicandorũ cupiditas stomachum movet. Nam & Francisco Petrarchæ viro probatissimo hæc impietas admodum displicuit, qui nec expavit ad Urbanum quintũ in modum sequentem perscribere. Audiebam te ambitioni antiquæ (quæ priorũ licentiâ in immensum crevit) frænum ponere, & ut uno aut paucis pro dignitate

Julius secundus.

☞

Multa hic de reformatione ecclesiæ, eaq; egregia & utilissima.

Contra abusus.

Franciscus Petrarcha.

tate virtutis ac scientiæ, beneficiis contenta esset edicere, justè inquam graviterque. Nam quid turpius, quàm unum aliquem (parta forsan foedis artibus copiâ) nauseantem cernere, multis hinc inde melioribus penuria fameq; laborantibus. Et sapientissimus Gregorius Nazianzenus his verbis astipulatur: Religioni ac doctrinæ nostræ opprobrium nascitur, quòd sacerdotia ambitione potius & gratia quam meritorum judicio deferuntur. Et F. Picus princeps illustris in oratione ad Concilium Lateranen. lamentatur sacras ædes & templa lenonibus, catamitis & lupis fuisse commissa. Cætera sunt plurima tibi, sacratissime Cæsar, pro Tua summa prudentia proculdubio cognita, quæ Cæsaream Majestatem Tuam ad hujuscemodi avaritiæ cæterorumque vitiorum frænum & moderamen à sacrosancta sede apostolica impetrandum permovere possent: Dominus Deus Tuæ Cæsareæ Celsitudini ad foelix imperii regimen, Christianæque religionis amplificationem propitius opem ferre dignetur.

Gregorius Nazianzenus.

Picus Mirand.

MAXIMILIANUS.

SUmmum ecclesiæ pastorem, & omnem clerum exemplo charissimi patris nostri, Friderici Romanorũ Imperatoris tertii, hactenus venerati, non parvos dignitatum & ecclesiarum parochialium proventus ex terrarum nostrarum finibus, clericis & prælatis absentibus, clementer inferri permisimus. Quos & clàm pro humana fragilitate delinquentes, cum Constantino prædecessore nostro chlamyde operire non dedignaremur. Verùm cum ex nostra largitate divini cultus decrementum profluat, unde divinæ laudis, psalmorum & missarum amplificatio debuerat proficisci, nostrâ interest (qui absq; meritis in solium Romani Imperii electi sumus) ut inter cæteras maximas pacis & belli occupationes, vigilanter quoque circumspiciamus, ne ecclesiæ pereant, ne religio labascat, ne divinus cultus diminuatur, & ne animabus defunctorum (qui ecclesiis & sacerdotibus de suo patrimonio benefecerunt) contra ultimas ipsorum voluntates tardius succurratur: quod manifestissimè experti sumus, & indies experimur, ex ineffabili atque à nullo dispensabili quorundam avaritia provenire, qui in beneficiis assequendis nullum finem constituunt: per quorum absentiam (cum in uno solo personaliter resideant, & distributiones deserviant) divinus cultus diminuitur, ultimæ benefactorum voluntates cassantur, defunctorum animæ tardiùs ex igne purgatorio eripiuntur, ædificia labant, ecclesiæ decrescunt, ecclesiastica libertas læditur, literæ & monumenta perduntur, hospitalitas & eleemosynæ minorantur, patrimonia parentum & nervi rerumpub. ex crebris hujusmodi avarorum collitigationibus evanescunt, clerici pro doctrina sua & virtute beneficiis digni, suaque prudentia ecclesiis in temporalibus & spiritualibus utiles, à præbendis repelluntur, impediuntur, indignè vexantur, injustè eis lites moventur, scandala laicis præbentur, ipsorumque odium & murmur in reliquos honestos sacerdotes excitatur atque augetur. Eas ob res ex officio Cæsareæ Majestatis, ex amore incrementi cultûs divini, ex zelo rerumpub. hortamur & requirimus, ne quisquam amodo in una nostrarum, nostrique Romani Imperii civitate canonicatum aut vicariam possidens, in altera ejusdem civitatis ecclesia, aliam præbendam occupet, nisi primam infra anni spatium in personam idoneam ac ecclesiæ utilem sit dimissurus. Neque alium in beneficiis assequendis per injustas lites aut ambages indignè vexet, aut circumveniat, nec quemcunque qui non sit de numero descriptorum familiarium, juxta concordata principum & pacta nationis Germaniæ falsò familiarem fuisse fingat, in ordinariorum collatorum præjudicium. Nec laicis jus patronatûs auferre tentet, nec exiles præbendas, potissimum verò curatas ecclesias pensionibus gravet. Nec in adipiscendis beneficiis & bullis, quacunque fraude, dolo, falsis instrumentis, corruptis testibus, simoniâ etiam palliata utatur. Neque regressum aut alia sacris canonibus inimica, contra jus æquum, honestum, & rectam rationem impetrare præsumant, sub poena criminis læsæ Majestatis & gravissimæ nostræ offensæ. Quam non solùm ipsi sic contra Deum & omnem honestatem exorbitantes, sed & omnes eorum fautores, auxilium, consilium, hospitium & mutuum dantes, omnesque nuncios, cursores, solicitatores, notarios, procuratores, fidejussores & reliquos amicos incidisse volumus, condignam pro tantis iniquitatibus & nostri hujusmodi mandati contemptu poenam accepturos. Ex Oeniponte.

De donation. Constan. lege supra.

De indispensabili avaritia.

Concordata principum.

Simonia palliata.

APPENDIX.

De ruina ædificiorum.

PRæmissis admonitionibus, nedum Imperio, sed & ecclesiæ salutaribus, ac ad mutuam pacem & concordiam deservientibus; Posset etiam inter alia multa adjungi, summusque pontifex certior reddi de lapsu & ruina domorum, cæterorumque ædificiorum ad ecclesias & sacerdotia pertinentium, siquidem (exempli causâ) unus supra triginta annos, ex parochia patriæ nostræ summis pontificibus hactenus devotæ, multa & magna emolumenta in absenti & in portatis (ut eorum verbis utar) corrasit & absumpsit, nec tamen ad docendum populum suæ curæ creditum, cancellos unquam ascendit, nec quicquam in domo egregium illic ædificavit. Argumento sunt & publicè testantur miserabilia trium rei divinæ ministrorum cubicula quæ minimus fratricellus aut opilio fortè aspernaretur. Sed neque præsentias aut distributiones quotidianas in asse aut dipondio auxit, nec anniversariam saltem sui ipsius memoriam instituit, nec ad bibliothecam templi parochialis minimum quidem libellum ex testamento legavit, nec eleemosynam pro pauperibus fieri procuravit. Cæterùm adjici posset, quòd unus Curtisanus ineptus & barbarus ad psallendum & ad sacrificandum non magis aptus quàm onager, immo asinus, palam à suo notissimo & amicissimo appellatus, in otio vivens, plura utcunq; conquirere potest sacerdotia quàm eximiè doctus, ad rem divinam, ad contentiones, ad consultandum, sacrosanctamque ecclesiam Romanam rationabiliter defensandam, non mediocriter accommodatus.

Præterea, quòd pistor, aut cocus, leno, aut nebulo, immo (cum venia) catamitus opimas præbendas & parochias occupans plus emolumenti ex Christi patrimonio absorbet, quàm laboriosissimus & fidelissimus magnæ parochiæ cujuspiam populosæ rector cum suis vigilantissimis adjutoribus, immo etiam capellanis, qui eosdem adjutores in ministrandis sacramentis, audiendisque confessionibus occupatissimos, in horis canonicis, missis & vigiliis cantandis adjuvant & relevant. Hujuscemodi relevamen & adjutorium per sex capellanos in patria nostra perpetuò continuandum speramus, postquam unione facta ex benignitate sacrosanctæ sedis apostolicæ, jus capellanias istas conferendi in consules reipub. nostræ in utrisque mensibus translatum est, qui nullis amodo conferent nisi eis qui personaliter residentes, divinum officium impleturi, & ultimis fundatorum voluntatibus sunt satisfacturi. Multum quoque ad institutum Cæsareum conferre posse videtur Christianissima Reverendissimi domini Erhardi Leodiensis episcopi admonitio habita in conventu principum Augustano, Anno decimooctavo post Millesimum & quingentesimum.

O. G. AD LECTOREM.

HÆC prædicta X. Germanicæ nationis gravamina, ante annos aliquot publicitus edita, & ad ipsius (ut exemplar habet) incrementum, Selestadii, non longè ab Argentina, in Schureriana officina, ad bonorum omnium utilitatem, apertò impressa, subsequentibus non inconsultò præjicienda decrevimus. Nam quæ à principibus tractantur, & ad bonum commune referuntur, nunquam non facienda sunt maximi. Nihil profectò à nobis est additum, nihil etiam ademptum, ut syncera utrobique servaretur integritas. Noli itaque mali consulere, quæ bona intentione & in commune reipub. commodum, citra cujuscunq; (modo rem ipsam ritè perpenderis) offensionem, produntur. Nos equidem, ecclesiæ (quæ basis est & fidei nostræ firmamentum) cuncta, non indecenter dijudicanda committimus, id quod sancti planè & integerrimi homines facere olim consueverunt. Nec mirum. Detestabile enim est ac miserum genus hominum, qui etiam illa, quæ viris bonis sancta & intemerata sunt, prophanare non desinunt. Non decet itaque nos, rem haud satis exactè perspectam damnare, ante, ad perpendiculum (ecclesiæ semper salva authoritate) ponderanda, ut judicetur, judicanda, ut vel abjiciatur vel servetur. Tecum igitur habita, lector amice, ut tibi ipsi & prora sis & puppis. Vale fœliciter, & alia quæ subsequuntur, diligenter revolve. Videbis enim sanctissimi domini nostri Adriani, summi pontificis, ad principes nostros petitionem, & contrà, nostrorum ad illius rursus sanctitatem sive legatos ejus (priusquam ad alia centum gravamina latius progrediare) non illegitimam (ut opinor) responsionem. Iterum vale.

IN HOC SECUNDO GRAVAMINUM

Libello, Pontificii primum Oratoris continetur legatio, in conventu Norimbergensi, Anno M. D. XXII. inchoato, sequenti verò finito, exposita, unà cum instructione ab eodem Legato consignata, necnon responsione Cæsareæ Majest. ac reliquorum Principum & Procerum nomine reddita.

¶ Sequuntur deinde & alia Germanicæ nationis gravamina, numero Centum, à laicis Principibus & Imperii Primatibus, literis mandata, ac summo (ut liber ante aliquot annos impressus indicat) Pontifici transmissa, & nobis anno Domini, M. D. XXIV. ad imprimendum à superioribus nostris data. Quæ quidem, an tali debeant vocabulo exprimi, universali ecclesiæ (à qua nunquam discedemus) determinandum relinquimus.

Adrianus Papa VI. Illustrissimis Germaniæ Principibus, ac sacri Romani Imperii Proceribus salutem & Apostolicam benedictionem.

VEnerabiles fratres & dilecti filii, salutem & Apostolicam benedictionem. ¶ Postquam ad Apostolatûs officium, divina disponente providentia, assumpti sumus, testis nobis est ille, qui nos ut immeritos, ita nil tale expectantes, promovit, nil nos aliud diu noctuque cogitasse, quàm ut in curando grege nobis credito, tam in universum, quàm singulatim boni pastoris partes, modis omnibus impleremus: atque adeo nullam existimasse è nostris ovibus tam morbosam, quam non pro viribus curare: nullam tam vagam & à cæteris errantē, quam non perquirere, & ad dominicam caulam reducere summopere cuperemus. Et sanè ab ineunte statim Pontificatu nostro (quod tum potissimum expedire videbamus) Christianorum principum animos, heu nimis jam inter se dissidentes, ad pacem & concordiam ineundam, deponendaq; arma (aut si bellandum esset, ea in fidei hostes convertenda) tam per diversos nuncios nostros, quàm per quotidianas ferè literas hortari, animare, precari, hactenus nunquam destitimus. Et ne verbo tantùm, sed & re ipsa hujus nostri desiderii ederemus exempla. Deus scit, quanto rei nostræ familiaris, his præsertim temporibus incommodo, pecunias & alia subsidia ad Rhodienses milites strenuos fidei propugnatores ab immanissimo Turcarum tyranno atrociter obsessos, ac in alia etiam loca in ejusdem hostis faucibus periclitantia, misimus. Mox verò ab externis ad intestina animum advertentes, non sine gravi animi molestia percepimus, Martinum Lutherū (quem sua culpâ jam filium nostrum vocare non posse dolemus) hominem, veterum & jam damnatarum hæresum suscitatorem, post sedis apostolicæ paterna primùm monita, deinde etiam sententiam, non absque consilio optimorum & doctissimorum virorum, & diversarū universitatum legitimè contra eum latam. Post charissimi in Christo filii Caroli nostri Romanorum & Hispaniarum regis catholici in Imperatorem electi, & vestrum imperiale edictum, super ejusdem sententiæ exequutione, in proximis comitiis Wormaciæ habitis, maturè decretum, & per totam ferè Germaniam promulgatum, non modò per quos deceret, non punitum, aut per se cohibitum, à pravissimis incœptis non desistere, sed omnis Christianæ charitatis & pietatis evangelicæ non oblitum modò, sed & impiè contemnentem, novos quotidie libros, errorum, hæresum, contumeliarum ac seditionum plenos, sive de suo, sive ab aliis adjutum, divulgare, ac veluti pestem quandam, Germaniam & vicinas regiones longè lateq; pervadentem, venenatæ linguæ spiculis bonas & animas & mores inficere & corrumpere conari, &, quod pejus est, horum suorum facinorum non plebeios modò, sed & nobiles plerosq; habere fautores, adeo, ut (quæ fortasse istorum tumultuum primaria fuit causa) in sacerdotū bona iri, & obedientiam tam ecclesiasticis quam secularibus debitam, vilipendi cœptum sit, & tandem inter nonnullos vestrûm ad civilia bella deventum. Quod quàm male cadat Christianæ reipub. hoc præsertim tempore, mente & cogitatione facilè prospicere potestis. Etsi enim prædixit Apostolus, oportere hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant, nullum tamen videas tempus huic rei magis importunum, quam hoc, aut quod citius ab hæresibus, si quæ ortæ sint, necessariò veniat repurgandum. Quum enim humani generis perpetuus hostis diabolus, sub leonis rugientis specie, per Turcarum vires in Christianas oves continuè debacchetur, non videmus quo modo contra tantos impetus absistere possimus, quādiu eundem diabolum sub draconis subdoli forma, istas hæreses domi nostræ disseminantem,

Optima intentio Adriani.

Martinus Lutherus.

interq; fortissimos Germanos nostros discordias & seditiones suscitantem, fovebimus. Atq; ut etiam debellare externos hostes maximè possimus, irritus tamen fuerit labor, impensaq;, & animarum saluti minime utilis, foris hostes vincere, & domi hæresibus, schismatibusq; laborare. Meminimus, cum etiam in minoribus constituti, in Hispania essemus, multa ad nos & varia de Luthero, & ejus perversis dogmatibus frequenter perferri. Quæ cum per se durissima auditu, eo nobis duriora videbantur, quòd ex ea regione venirent, unde nobis secundum carnem origo est. Sed solabatur nos tum rei ipsius adeo manifesta vel iniquitas, vel stoliditas, ut à nemine diu toleranda crederetur, tum illa subinde nobiscum facta reputatio, qua dubio procul confidebamus istas venenatas plantas aliunde in Germaniā translatas, non perventuras ad frugē in ea terra, quæ acerrimos hæresum & omnis infidelitatis hostes semper protulisset. Nunc verò postquam hæc mala arbor, sive divino judicio sic populi sui peccatum puniente, sive socordiā eorum, qui, ut debebant & poterant, principio non obstiterunt, quos videtis & auditis longè lateq; ramos expandere cœpit. Considerandum vobis est, Germani principes & populi, ac providendum, ne vos qui ab initio hujus mali culpâ aliunde orta, facile excusari poteratis, per istam nimiam tolerantiam, & pristinæ virtutis naturæq; obliti, & tanto facinori, dum illi non resistitis, consentire videamini. Omittimus quod enormissimū est, tantā tamq; religiosam nationem per unum fraterculum (qui à catholica fide & religione Christiana, quā ab ineunte ætate, non solum profiteri & sequi visus est, sed etiam multis annis prædicasse ac docuisse dicit, novissimè infœliciter apostatavit, ac Deo mentitus est) seduci ab ea via, qua à redemptore nostro & ejus sanctissimis apostolis demonstrata, tot martyres, tot præclari doctrina & sanctitate viri, & majores deniq; vestri, omnes hactenus incesserunt, quasi solus Lutherus sapiat & sciat, solus nunc primum (ut de se hæreticus Montanus gloriabatur) Spiritū Sanctum acceperit, & ecclesia ipsa, cum qua se futurum ad consummationem seculi benignissimus humani generis redemptor pollicitus est, in tenebris ignorantiæ & perditionis ambagibus semper erraverit, donec novo Lutheri lumine illustraretur. Quæ omnia quanquam apud eos qui sapiunt, perridicula judicantur, simplicibus tamen animis plurimum sunt perniciosa, & eis qui novarum rerum cupiditate omnem ordinem immutatum vellent, plurimas ad ea perpetranda, quæ nunc experimini, causas & fomenta subministrant. An non consideratis, Germani Principes & populi, præludium esse quoddam hoc eorum malorū, quæ Lutherus & ejus sectatores moliuntur? An non apertè videtis, istud prætensum principio à Lutheranis veritatis Evangelicæ patrocinium detectum, nunc esse merum rerum vestrarum latrociniū? An putatis, aliò tendere istos iniquitatis filios, quàm ut libertatis nomine omni obedientiæ sublatā, quod cuiq; libuerit, faciendi licentiam inducant? An ullius pensi jussa & leges vestras habituros creditis, qui sacros canones, & patrum decreta, nec non sacrosancta concilia, quorum authoritati Imperatorum leges semper & libenter cesserunt, & promptè famulatæ sunt, non solum vilipendunt, sed etiam diabolica rabie lacerare & comburere non verentur? Denique qui sacerdotibus, qui episcopis, qui pontifici summo debitam obedientiam detrectant? An speratis contenturos sacrilegas manus à laicorum bonis, & non omnia potius sibi, quæ poterunt, vendicaturos, qui res Deo dicatas, quotidie vobis præsentibus & videntibus, ferunt aguntq;? An deniq; vestris cervicibus parsuros, qui non tangendos christos Domini contemerare, cædere, trucidare ausi sunt? In vos, in vestras res, domos, uxores, liberos, ditiones, dominatus, templa, quæ colitis, hæc miseranda calamitas tendit, nisi maturè obviā eatis. Proinde fraternitates, nobilitates & devotiones vestras, omnium & singulorum in Domino hortamur, & per Christianā charitatē & religionē, quā tam sæpe majores vestri suo sanguine & tutati sunt & auxerunt, obsecramus, atq; in virtute sanctæ obedientiæ, quam Deo & beato Petro, ejusq; vicario omnes Christiani debent, à vobis requirimus, ut depositis, si quæ sunt inter vos simultatibus, ad hoc commune incendium extinguendum, nunc saltem toto animo incumbatis, & Martinum Lutherum, cæterosq; istorum tumultuum & errorum authores, ad rectam sentiendi & vivendi viam (quod nobis gratissimum & jucundissimū esset) omnibus sanctis modis reducere enitamini. Quod si (quod avertat Deus) veluti aspides, obturatis auribus, audire recusaverint, ne quod reliquum & nunc sanum constat, cum magna & evidenti nationis vestræ macula, & totius reipub. Christianæ manifesto periculo inficiatur, in eos juxta sacras constitutiones, juxta leges à vestratibus Imperatoribus latas, atq; adeo recens vestrum super hac re Imperiale edictum severitatis virgâ animadvertatis. Novit ille, cui soli arcana humanorum pectorum aperta sunt, quàm nos, & pro natura nostra institutoque, & pro pastorali, quod gerimus, officio, ad ignoscendum potius, quàm ad ulciscendum simus propensi. Sed ubi tetrum illud cancer ita ulcerosum esset, ut blandis levibusq; medicamentis curari non posset, aspera erunt & ignita cauteria adhibenda, & abalienata membra ab integro corpore penitus resecanda. Sic Deus omnipotens schismaticos fratres, Dathan & Abyron in terræ barathrum vivos demersit, & nolentem obedire sacerdotis imperio, capitali supplicio puniri jussit. Sic apostolorum princeps Petrus Ananiam & Saphiram sibi

in

Adrianus Germanus fuit.

Contra Lutherum.

Contra falsam libertatem.

in Deum mentientes, subitò morituros denuntiavit. Sic veteres & pii Imperatores Jovinianum & Priscilianum hæreticos gladio seculi sustulerunt. Sic divus Hieronymus Vigilantium item hæreticum optat in interitum carnis tradi, ut spiritus salvus fiat. Sic deniq; majores vestri de Johanne Hussita & Hieronymo Pragen. qui nunc in Luthero revixisse videntur, à quo & in summa habentur veneratione, in Constantiensi Concilio debitas sumpsere pœnas. Quorum sancta & præclara gesta, si etiam hac in parte (ubi aliter fieri nequeat) fueritis imitati, non dubitamus, quin divina clementia ad eundum mox suppetias ecclesiæ Dei, quæ ab infidelibus vexata, in nationem vestram virtute bellica & hominum numero facilè præstantem, os oculosque jamdudum intendit, sensus & corda vestra inspiret. Unde omnipotentis Dei & beati Petri benedictione per nos accepta, & de triumphato dracone ac leone diabolo, id est sublatis domo hæresibus, & devictis foris fidei hostibus, gloriosam victoriam, & in futuro seculo æternæ salutis præmia reportetis. Vos vero pro compertissimo habeatis, quicquid nobis opum & authoritatis altissimus concedere dignatus est, id omne & vitam ipsam pro tam sanctis operibus, & pro salute commissarum nobis ovium libentissimè expositurος. Cætera quæ tam in hoc Lutherano, quàm aliis negotiis vobiscum particularibus communicata cupimus, dilecto filio Francisco Cheregato, electo Aprutini, quem nuper mense Septembri ad negotia fidei & religionis, nostro nomine vobiscum tractanda, nostrum & hujus sanctæ sedis nuncium, ad insignem istum conventum ire jussimus, vobis latius explicanda commisimus. Cujus verbis hortamur vos, eandem quam nostris haberetis, fidem adhibere. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 25 Novembris, M D XXII. Pontificatus nostri anno primo. T. Hezius.

¶ VENERABILIBUS FRATRIBUS, DILECTIS FILIIS, Nobilibus viris, sacri Romani Imperii principibus electoribus, & aliis principibus, tam ecclesiasticis, quàm secularibus, ac etiam communitatum omnium, inclytæ Germanicæ nationis, oratoribus, in dieta Nurenbergensi congregatis.

INstructio pro te D. Francisco Cheregato, de quibusdam quæ prælatis, principibus, & civitatum Germanicarum oratoribus dicere poteris viva voce, ubi, & quando opportunum judicaveris.

Inprimis declarabis eis maximum dolorem, quo affligimur, ex prosperatione sectæ Lutheranæ, ob id potissimum, quòd videmus innumerabiles animas Christi sanguine redemptas, & curæ nostræ pastorali commissas, illius occasione à vera fide ac religione averti, & in perditionem ire, idq; in natione, ex qua nobis secundum carnem origo est, quæ ab initio, ex quo ad Christum conversa fuit, usque ad istos proximos annos semper extitit fidelissima ac religiosissima, ac propterea nobis vehementissimum desiderium esse, ut huic pesti celerius occurratur, priusquam Germaniæ ipsi contingat, quod Bohemiæ olim contigit: nosq; paratissimos esse, ad faciendum omnia in hunc effectum, quæ ex parte nostra expectari poterunt, ac summopere desiderare, ut etiam unusquisque eorum hoc ipsum pro viribus facere studeat, utque id faciant, nos quantum possumus unumquemque eorum hortari & rogare. Debebunt autem eos ad hoc movere sequentia.

Primò, & ante omnia, honor Dei omnibus rebus præferendus, qui per istas hæreses graviter læditur, ejusq; cultus consuetus non solùm diminuitur, sed potius ex toto corrūpitur. Itē charitas erga proximos, qua unusquisq; pro viribus studere debet, proximos errantes ab errore revocare. Quod nisi fecerit, Deus eos qui sua negligentiâ pereunt, de manu ejus requiret.

Secundò, movere eos debet infamia nationis suæ, quæ cum semper præ cæteris nationibus Christianissima sit habita, nunc propter eos, qui sectam Lutheranam insequuntur, apud omnes pessimè audit.

Tertiò, moveat eos respectus honoris eorum proprii, qui maximè læditur, si ipsi, qui apud nationē Germanicā authoritate & potentia pollent, hæreses istas non totis viribus expellere laborant: tū quia degenerabunt à progenitoribus suis, viris Christianissimis, qui in Constantiensi Concilio ex magna parte interfuerunt condemnationi Johannis Huss & aliorum hæreticorum, quorum aliqui ipsum Johannem Huss propriis manibus ad ignem duxisse dicuntur. Tū quia ipsi, vel major eorū pars, edictū Imperiale in executione sententiæ apostolicæ contra Martinū Lutherū & suos latè factū approbarunt, ei authoritatē suā adhibuerunt, & propterea nisi illud pro viribus executi fuerint, vel inconstantes judicabuntur, vel etiam favere reputabuntur, cum manifestum sit, eos ubi efficaciter velint, illum exterminare facilè posse.

Quartò, moveat eos injuria, quæ per Lutherū, eis & eorum parentibus, ac progenitoribus infertur. Cum enim ipsorum parentes & progenitores, & ipsimet semper tenuerint fidem, quam ecclesia Romana atque catholica approbat, & Lutherus, suique sectatores, longè diversam fidem teneant, asserendo multa non esse de fide, quæ tamen illi tenuerint esse de fide,

manife-

manifestum est, illos à Luthero condemnari pro infidelibus & hæreticis, & per consequens secundum Lutherum omnes eorum majores, qui in fide nostra decesserunt, sunt in inferno, quum error in fide homines damnationis reos faciat.

De falsa libertate.

Quintò, attendant finem,ad quem Lutherani tendunt,ut scilicet sub colore libertatis evangelicæ, quam hominibus proponunt, omnis potestas superioritatis tollatur. Nam licet ab initio præ se tulerint, ecclesiasticam potestatem tanquam tyrannicè & contra evangelium occupatam annihilare, seu reprimere velle, tamen cum eorum fundamentum s. libertas quam prædicant, æque vel plus militet contra potestatem secularem, quam scilicet illa nullis præceptis, quantumvis justis & rationabilibus obligare possit homines ad parendum, sub pœna mortalis peccati: Manifestum est, eos etiam illam enervare velle, quamvis astutè fecerint illam salvando, ut scilicet Principibus secularibus credentibus, machinationem hanc, non contra se, sed dumtaxat contra ecclesiasticos (quibus laici communiter infensi sunt) dirigi, ac propterea partim in eorum favorem tractis, partim dissimulantibus, seu non contradicentibus, ipsi facilius ecclesiasticos everterent. Quo facto, dubium non est, quin populi idem contra seculares Principes tentaturi essent.

Sextò, moveant eos maxima scandala,turbationes, direptiones bonorum, homicidia, lites, dissentiones, quas secta hæc pessima excitavit, & quotidie excitat per totam Germaniam. Item blasphemiæ, maledicta, scurrilitates & amaritudines, quæ istis semper in ore sunt,quæ nisi ipsi sedare curaverint, verendum est, ne irâ dei desolatio veniat super Germaniam, ☞ in se tam divisam, immo super ipsosmet Principes, qui cum potestatem & gladium à Domino receperint, ad vindictam malorum, talia in subditis suis fieri permittant. Maledictus (inquit Propheta) qui facit opus Dei negligenter, & prohibet gladium suum à sanguine iniquorum.

Contra Mahometum.

Septimò,considerent Lutherum prope consimili via ad seducendū populum Christianum uti, qua Mahometus ille spurcissimus usus, tot animarū millia decepit, permittendo videlicet ea, ad quæ homines carnales inclinantur: Et exinde eximendo eos ab his,quæ in lege nostra graviora videntur,nisi quòd Lutherus paulò modestius agere videtur,ut eo efficacius decipiat. Mahometus plures uxores habendi, & eas pro arbitrio repellendi, aliasq; ducendi licentiam concessit. Iste ut monachorum & Deo dicatarum virginū ac sacerdotū,lasciviâ carnis gestientium sibi favores conciliet, prædicat vota perpetuæ continentiæ etiam illicita esse, nedū non obligatoria. Propterea; licere illis,per evangelicam libertatem,nubere,immemor verbi apostolici, cum dicit de viduis adolescentioribus, quòd cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem,quia primam fidem irritam fecerunt.

Quibus per te expositis,& aliis pluribus,quæ in hanc sententiā partim ex literarū nostrarū exemplis colligere,partī ex tua prudentia excogitare poteris,hortaberis nostro nomine dictos Principes,prælatos ac populos,ut tandē expergiscantur & excitentur ad obviandū,& tā grandi injuriæ,quam Lutherani Deo & sacræ religioni ejus,& maximæ ignominiæ,quam toti nationi vestræ Germanicæ ipsisquemet Principibus,& maxima opprobria atq; contumeliā, quam majoribus eorū,quos (ut diximus) in effectu ad gehennam condemnant,inferre noscuntur, & ad executionem sententiæ Apostolicæ ac Imperialis edicti facti, omnino procedant, detur venia his, qui resipiscere & errores suos abjurare voluerint, semperque proniores sint ad miserandum quàm ad vindicandum, exemplo Dei nostri qui non vult mortem peccatorum, sed magis ut convertantur & vivant. At qui in errore pertinaces permanserint, districtio- ☞ nis virgâ juxta sacrorum Canonum & Legum decreta, sic puniantur, ut cæteri eorum exemplo vel in fide recta permaneant, vel lapsi in rectam viam redeant.

Quæ credenda sint.

Quòd si quis fortè dixerit,Lutherū inauditū & indefensū, fuisse per sedē Apostolicā condemnatū, & propterea audiri omnino debere,nec antequam convictus sit,condemnandū esse: Respondebitis, quòd illa quæ fidei sunt, propter divinā authoritatē credenda sunt, non probanda. Aufer (inquit Ambrosius) argumenta,ubi fides quæritur,piscatoribus creditur,nō dialecticis. Et certè fatemur,ei defensionē negari non debere, in his quæ sunt facti, hoc est, utrū dixerit,necne, utrū prædicaverit vel scripserit,necne; semper divino jure verò & materiâ sacramentorū standū authoritati sanctorū & ecclesiæ. Adde, quòd fere omnia,in quibus Lutherus ab aliis dissentit,sunt per diversa Concilia prius reprobata. Non debet autē revocare in dubiū,quod per Concilia generalia & universā ecclesiā constat esse approbatū, tanquam fide tenendū. Injuriā namq; facit ecclesiæ Synodo, qui semel rectè disposita nititur in dubiū revocare. Quid enī unquam certi esse poterit inter homines? vel quis disputationū contentionūq; finis erit,si præsumptuoso & perverso cuiq; libertas seu licentia erit recedendi ab his, quæ nō unius neq; paucorum,sed tot seculorū, & tot sapientissimorum hominum consensum,& Catholicæ ecclesiæ (quam Deus in his quæ fidei sunt,nunquam errare permittit) determinatione sancita sunt,cum tamen unaquæq; civitas leges suas inviolabiliter observari exigat? Quomodo non omnia turbationibus & scandalis & confusione plena erunt, nisi ea,quæ semel, immo sæpius

ſæpius maturo judicio conſtituta, ab omnibus inconceſsè obſerventur? Cum igitur Lutherus & ſui concilia ſanctorum patrum condemnant, ſacros canones comburant,& cuncta pro arbitrio ſuo confundant, ac totum mundum perturbent, manifeſtum eſt eos tanquam publicæ pacis inimicos & perturbatores, ab omnibus ejuſdem pacis amatoribus exterminandos eſſe. Contra Lutherum.

Item, dices nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc perſecutionem eccleſiæ ſuæ inferre permittit, propter peccata hominum, maximè ſacerdotum & eccleſiæ prælatorum. Certum enim eſt, non eſſe abbreviatam manum Domini, ut ſalvare nequeat, ſed peccata dividere inter nos & ipſum, & abſcondere faciem ſuam à nobis, ut non exaudiat. Clamant ſcripturæ, peccata populi derivari à peccatis ſacerdotum, proptereaq; (ut ait Chryſoſtomus) Salvator noſter curaturus infirmam civitatem Hieruſalem, ingreſſus eſt prius templum, ut peccata ſacerdotum * primò caſtigaret, inſtar boni medici, qui morbum à radice curat. SCIMUS in hac ſancta ſede, aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata. Nec mirum, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummis pontificibus in alios inferiores prælatos deſcenderit. Omnes nos (id eſt, prælati eccleſiaſtici) declinavimus, unuſquiſq; in vias ſuas, nec fuit jam diu, qui faceret bonum, non fuit uſque ad unum. Quam ob rem neceſſe eſt, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas noſtras ei, videatque unuſquiſque noſtrum, unde ceciderit, & ſe potius quilibet judicet, quàm à Deo in virga furoris ſui judicari velit. Qua in re, quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primum curia hæc, undè † fortè omne hoc malum proceſſit, reformetur, ut ſicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem ſanitas & reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto univerſum mundum hujuſmodi reformationem avidius deſiderare videmus. Nos (uti aliàs tibi dixiſſe credimus) Pontificatum hunc nunquam ambivimus, immo quantum in nobis fuit, longè maluiſſemus, privatam vitam agere, & in ſancto otio Deo ſervire. Et profectò Pontificatum ipſum planè recuſaſſemus, niſi Dei timor & ſyncerus electionis noſtri modus, nec non ſchiſmatis ex recuſatione noſtra imminentis metus, nos acceptare illum coegiſſet. Subjicimus igitur colla ſummæ dignitati, non ob dominandi libidinem, neque ad ditandos propinquos noſtros, ſed ad divinæ voluntati parendum, ad deformatam ejus ſponſam, eccleſiam catholicam reformandam, ad ſubveniendum oppreſſis, & doctos ac virtute præditos, qui multo jam tempore neglecti jacuerunt, erigendum & ornandum, & denique ad omnia alia agendum, quæ bonum Pontificem & legitimum beati Petri ſucceſſorem agere oportet. Quanquam nemo mirari debebit, ſi non ſtatim omnia errata & abuſus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus eſt, nec ſimplex, ſed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum eſt, & prius gravioribus magiſque periculoſis occurrendum, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus. Omnes ſubitæ mutationes (inquit Ariſtoteles) in repub. periculoſæ ſunt. Qui nimis emungit, elicit ſanguinem.

Attende diligenter ad hæc quæ ſequuntur.

* Al. ementium imprimis & vendentiu. Conring.

† Vide quid hic pontifex dicit. Quid dubitas Sancte Pater? non fortè ſed certius dixiſſes.

Nota bene.

Quòd autem ultimis literis tuis ſcribis, queſtos fuiſſe tecum Principes iſtos, quòd concordatis eorum per hanc ſedem derogatum ſit, dices, nos de his, quæ ante nos facta fuere, culpari non poſſe nec debere, nobiſque ejuſmodi derogationes etiam dum in minoribus eſſemus, ſemper plurimùm diſplicuiſſe. Proinde nobis certiſſimam ſententiam eſſe, etiamſi ipſi non requirerent, illis noſtri pontificatus tempore penitus abſtinere, partim, ut unicuiq; jus ſuum ſervemus, partim, quia æquitas & humanitas expoſcit, ut inclytam nationem noſtram non ſolùm non offendamus, ſed etiam peculiares ei favores impendamus.

De proceſſibus verò, quos à Rota avocari, & ad partes remitti poſtulant, dices nos cupere eis in hoc gratificari, quantum honeſtè poſſimus. Sed propter abſentiam auditorum ab urbe peſtis gratiâ, non poſſe nos de qualitate & habitudine ipſorum proceſſuum ad præſens informari, reverſis verò illis, quòd peſte jam decreſcente, brevi futurum ſperamus, facturos in gratiam dictorum principum, quicquid rationabiliter poterimus. De citationibus.

Item, ſolicitabis diligenter reſponſa literarum noſtrarum, & requires eos, ad quos ſcribimus, ut nos literis ſuis informent, quibus mediis eorum judicio videatur huic peſſimæ ſectæ commodius obviari poſſe, ut ea quæ per nos providenda fuerint, celerius provideri poſſint. Et ſuper hoc ipſo etiam tu te diligentiſſimè informabis, & nobis plenè perſcribes. Pietas Adriani.

Item, quia intelleximus, in Germania eſſe multos bonos & doctos viros pauperes, aliqua etiam præclara ingenia, quæ ex dignitate apoſtolicarum proviſionum hiſtrionibus & ſtabulariis potius, quam viris doctis fieri ſolitarum, à ſedis hujus devotione averſa, cupimus, ut inquiras quinam illi ſint, eorumque nomina ad nos tranſmittas, ut occurrente beneficiorum Germanicorum vacatione, illis proprio motu providere poſſimus. Scimus enim, quantum Dei honori & animarum ſaluti ac ædificationi obſuerit, quòd jamdiu beneficia eccleſiaſtica maximè curam & regimen animarum habentia, data fuerunt hominibus indignis.

De ſubſidio procurando pro Hungaris, non damus aliam informationem, quàm diſcedenti

denti tibi dedimus, excepto, quòd te hortamur, ut rem illam summo studio (uti facis) cures, nos etiam apud Principes & Respublicas Italicas, missis oratoribus, solicitabimus, ut pro viribus quisque subveniat.

Adrianus Papa, VI.
R. Hezius.

Responsio Illustrissimorum ac Reverendissimorum Principum, necnon aliorum sacri Romani Imperii ordinum Pontificio legato reddita.

SErenissimus & illustrissimus Princeps & dominus, dominus Ferdinandus, sacræ Cæsareæ Majestatis locumtenens, necnon Reverendissimi in Christo patres, illustrissimi, reverendi, ac illustres Principes Electores, aliorumque omnium ordinum hujus sacri Romani Imperii conventus proceres literas beatissimi in Christo patris & domini, domini Adriani sanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ Pontificis optimi & maximi, in forma brevis, simulq; ea, quæ vestra Reverendissima Dominatio verbo proposuit, tandemq; instructionem, quam scriptis nomine suæ beatitudinis præsentavit, in negotio Lutheranæ factionis, cum debita honoris & reverentiæ exhibitione, atque non sine singulari animorum gratitudine acceperunt, diligentissimè intellexerunt.

Laudatur utrobique Adrianus. Imprimis, ex quo Serenissimus & Illustrissimus Princeps & dominus locumtenens, cæteriq; Electores Principes, & hujus sacri conventus proceres noverunt beatitudinē Pontificis ex nobilissima Germanica natione originē traxisse & natū esse: Cujus eximias ac præstantes animi & corporis dotes virtutesq; toto fere orbe, etiam dum in minoribus esset, celebratas, jampridē perspicuas habent. Quare de suæ Beatitudinis ad summū apostolatus apicem concordi ac divina electione & vocatione incredibili quadam animorū hilaritate & lætitia sunt affecti, aguntq; Deo Optimo Maximoq; summas gratias, quòd sanctæ suæ ecclesiæ de tali ac tā digno, optimoq; pastore providere dignatus est. Ex animoq; precantur, & pro sua summa clementia, & perpetua sui nominis gloria animarumq; salute, & ecclesiæ universalis incolumitate, suæ beatitudini omnem fœlicitatem rerum atq; corporis diutinam prosperitatē largiri velit. Nihil dubitantes, quòd ex hac tam sancti & virtuosi pastoris concordi electione, sanctæ, Christianæ, Catholicæq; ecclesiæ, plurimum fructus & salutis sit eventurū. Cujus rei evidens facit argumentū, quòd sua Beatitudo iterum atq; iterum testatur, nihil se tam die noctuq; cogitare, quàm ut in curando grege sibi commisso, boni pastoris partes modis omnibus præstare possit, inprimisq; sibi curæ esse, Christianorū principū animos, jam nimis inter sese dissidentes, & pacē ad concordiā ineundā componere deponendaq; arma (aut si bellandum esset, ea in fidei hostes convertenda) quotidianis fere literis hortari, precariq; hactenus non destitit. Simulq; declarando quanta hujus tā sancti & præclari desiderii (juvando, & subsidia mittendo Rhodianis militibus cū incommodo suæ rei familiaris) re ipsa ediderit exempla. Ex quibus omnibus sacræ Cæsareæ Majestatis dominus locumtenens, cæteriq; hujus sacri Imperii ordines non mediocrē spē & consolationē, cū maxima animorū gratitudine accepere, planè intelligentes, hanc concordiā Christianorū Principū in omnibus rebus bene gerendis ac ordinandis nō minimū momenti habere, sine qua profectò nec Respub. Christianæ religionis rectè curari, vel institui, multoq; minus tyrannidi immanissimi Turcæ, cōmodè obsisti poterit. Quemadmodū hæc ex his, quæ Reverendissimus dominus suæ Beatitudinis nuncius Apostolicus nuper, cū pro subsidiis Hungarorū regno decernendis, perorando proposuit, simulq; ex his, quæ per serenissimi Hungarorū Regis & illius regni legatos lamentabiliter exposita & declarata sunt, quas scilicet calamitates, injurias & ad extremū usq; exitiū Hungarorum regnum ab impiis hostibus tulerit, indiesq; majora timere habeat, abunde intellecta sunt.

(margin: De Rhodiis.)

Quare serenissimus Princeps sacræ Cæ. Majestatis locumtenens, cæteriq; Principes Electores & ordines, summo studio ex animo orant, ut sua Sanctitas, in hoc sancto proposito ea qua cœpit diligentia, ut pius pater & verus pastor, pro incumbentis officii debito pergat, nihilque intentatum relinquat, quo Christianorum Principum dissidentes animos ad pacem reducat, vel si id in totum fieri non possit, saltem ad tempus, in tanta temporum & rerum necessitate, inducias facere laboret, quo instantibus Christianæ Reipub. periculis & Turcæ perfidissimi conatibus, Dei auxilio, communibus Christianorum copiis, & commodius faciliusq; obsisti, & Christianus populus ab illius tyrannide liberari possit, pro quo serenissimus Princeps locumtenens, aliique Principes Germani unà cum cæteris potentatibus omni ope & opera fideliter sunt laboraturi.

Deinde suæ Beatitudinis literæ simulq; instructio per suæ Beatitud' nunciū Apostolicū, corā ordinibus Imperii oblata, cōntinebāt suā Beatitudinē maximo dolore affligi, ex prosperatione sectæ Lutheranæ, ob id potissimū, quòd innūerabiles animæ, Christi sanguine redēptæ, ac suæ Beatitudi-

Beatitudinis curæ commissæ, illius occasione, à vera religione avertantur, atq; in perditionē eant, ob id suam Beatitudinē vehementissimè desiderare, ut huic pesti celerius occurratur, ne deteriora inde contingant, cum explicatione quarundam necessariarum rationum, quo principes Germanos ad hæc quàm celerius conandū, maximè movere possint ac debeant, inprimisque adhortando, ut sententia per sedem apostolicam in Lutherum legitimè lata, & pòst sacræ Cæsareæ & catholicæ Majestatis edictum, super ejusdem sententiæ executione, in proximis comitiis Wormaciæ habitis decretum, debitæ demandentur executioni.

Ad hæc, sacræ Cæsareæ Majestatis locumtenens & principes, aliiq; ordines dicunt, se non minus quàm Beatitudinem pontificis ex animo dolere, de impietatibus, animarum periculis & incommodis, quæ in Christiana religione, ex Lutherana secta aliisve provenerint. Quicquid enim auxilii & consilii pro extirpandis erroribus & animarum periculis amovendis sua moderatione præstare unquam poterint, sunt pro summa sua in Christi religionem devotione & pietate paratissimi, ingenueq; agnoscunt se & Beatitudini Pontificis, & sacræ Cæsareæ Majestati (ut Christianos decet principes) ad omnem obedientiam esse obnoxios. Principum pietas.

Sed quòd sedis apostolicæ sententia in Lutherum lata, simulq; sacræ Cæsareæ Majestatis edictum, non sit debitæ executioni demandatum, non sine maximis urgentissimisque rationibus, utputa, ne pejora inde causarentur, &c. hactenus prætermissum est.

Majori namque populi parti jampridem persuasum est, & modò Lutheranis libris ac dogmatibus populorum opinio sic informata, ut jam pro comperto habeant, nationi Germanicæ à curia Romana per certos abusus, multa & magna gravamina & incommoda illata esse; ob id, si pro executione apostolicæ sedis sententiæ, vel imperatoriæ Majestatis edicti, quidpiam acerbius attentatum esset, mox popularis multitudo sibi hanc suspicionem animo concepisset, ac sic talia fierent pro evertenda evangelica veritate, & sustinendis manutenendisq; malis abusibus impietatibusque. Unde indubiè aliud nihil, quàm gravissimi tumultus populares, intestinaque bella speranda essent. Quemadmodum ex multis ac variis rerum argumētis, principes, aliiq; ordines jam planè didicere & cognovere. Opportunioribus itaq; remediis his malis, in hac potissimum temporum difficultate, succurrendum esse existimant.

Nam quemadmodum & reverendissimus dominus nuncius apostolicus, nomine beatissimi pontificis, in sua instructione inter alia piè, christianè & verè fatetur & agnoscit, quòd Deus hanc ecclesiæ suæ persecutionem inferri permittit, propter peccata hominum, polliceturq; beatitud. Pontificis omnem adhibiturum operam, ut primùm Romana curia, unde fortè omne hoc malum processit, reformetur, ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet. Ro. curia primùm reformanda. Responsum Principibus dignum, ex confessione ipsius Pontificis.

Ad hæc, beatissimus Pontifex pio ac paterno amore testatur, sibi etiam dum in minoribus esset, plurimum displicuisse, quotiens concordatis principum per curiam Rom. derogaretur, suæq; beatitudini hanc certissimam esse sententiā, etiamsi principes nunquam requirerent, sui Pontificatus tempore penitus abstinere, unicuique, & maximè nationi Germanicæ, jus suum conservare, illiq; nationi peculiares favores impendere. Quis itaq; ex his omnibus non videt, sanctissimum Pontificem nihil penitus illorum omittere, quæ vel pius pater & verus pastor ovibus suis unquam vel præstare posset, vel debeat? Quis etiam per hæc ad veram pietatem, filialem amorem & erratorum suorum emendationem non moveretur, maximè, cum sua sanctitas hæc tam pia sanctaque instituta opere ipso, uti cœpit, præstiterit.

Quemadmodū serenissimus dominus locumtenens, cæteriq; principes & omniū hujus imperii ordinū proceres indubiè sperāt, idq; pro summa immortalis Dei gloria, animarū salute, ac publica pace & trāquillitate servāda fieri ex animo efflagitant, orantq;. Nā nisi istiusmodi abusus & gravamina, simulq; certi articuli, quos seculares principes juxta hæc specialiter designatos, scriptis exhibebunt, fideliter reformentur, vera pax & concordia inter ecclesiasticos, secularesq; ordines, hujusq; tumultus & errorū extirpatio per Germaniā minimè speranda est. Nā ex longis & variis bellorū tumultibus, quibus Germania nostra multis annis interturbata, Item ob alia gravamina & incommoda, quæ huic nationi hactenus incubuerunt, hæc natio pecuniis ac divitiis adeo est extenuata & exhausta, ut etiā jam pro necessaria justitiæ ac pacis conservatione in his deficiat; multò majori itaq; incōmodo & difficultate, Hungarorū regno & Croatis petita auxilia contra Turcā præstare poterit. Cū autē ordines sacri Rom. imperii nihil dubitant, beatitudinem Pontificis pro comperto habere, Principes Germaniæ in solutionē Annatorū ad aliquot annos sedi apostolicæ solvendorū, ea lege ac conditione consensisse, ut illa in oppugnationē perfidissimi Turcæ, & defensionem fidei catholicæ converterentur: Ex quo autem numerus annorum, intra quos Annata illa solvi debeant nunc longo intervallo transactus sit, neq; Annata illa à Beatitudinis suæ prædecessoribus Pontificibus Romanis in hunc usū, in quē decreta sunt, conversa: Ob id, si modò necessitate exigente, communia auxilia in oppugnationem Turcæ per Germaniam essēnt decernenda & colligenda, causatur inde populus Germanicus, quare Annata prius jam multis in hunc usum reservata, ad hoc opus non Tollendi abusus. Principes urgent Pontificem de annatis indebitè solutis sedi Apostolicæ & in alienos usus conversis.

non applicentur, aversanturque alia in se ob hanc causam gravamina recipere. Ex quo prælati ecclesiastici pro annatis sedi Apostolicæ solvendis, ut plurimùm suis subditis super indicta, & collectas imponere, & talia ab eisdem recuperare causaverunt. Quare illustrissimus Princeps dominus locum tenens, aliique principes, & Imperii Romani ordines vehementer orant, ut beatitudo Pontificis velit hæc & alia paterno affectu considerare, & illa Annata, quæ post obitum Episcoporum aliorumque prælatorum, seu ecclesiasticorum, ad curiam Romanam solvenda fuerint, in futurum non exigere, sed illa fisco sacri Romani Imperii applicanda relinquere, ut eo commodius justitia, pax & tranquillitas nationi Germanicæ conservari, & Respublica eo melius per hæc ordinari, possitque per Germanicam nationem aliis Christianis potentatibus contra Turcam communem hostem auxilia & præsidia præstari, quod aliàs & absque eo, minimè sperandum erit.

De Annatis.

De Luthero.

Item, cum beatitudo Pontificis inter alia desiderat informari, quibus mediis huic Lutherano errori commodius obviari possit, ut ea, quæ per suam beatitudinem providenda fuerint, celerius curari possint. Ad hæc Illustrissimus Princeps dominus locum tenens, aliique Principes & ordines dicunt, quicquid hac in re pro pietate & Christianæ religionis devotione utilitatis & auxilii præstare poterint, sunt eruntque semper ex animo paratissimi. Ex quo autem hoc seculum in omni statu, tam ecclesiastico, quàm seculari corruptissimos habeat mores, sintque non tantùm ex parte Lutheranæ sectæ, sed ex * aliis causis multi errores, abusus & corruptelæ, quæ ita inoleverunt, ut istis opportunis remediis provideri summopere necessarium sit, ob id simulque propter immensam tyrannidem crudelissimi Turcæ, qua multis jam annis Christianitati multa incommoda & calamitates varias intulit, hodieque majora inferre molitur. Nullum itaque commodius, efficacius & opportunius remedium illustrissimus dominus princeps locumtenens, cæterique Principes & ordines cogitare possunt quàm quod Beatitudo Pontificis, accedente ad hæc sacræ Cæsareæ Majestatis consensu, liberum Christianum Concilium, ad locum convenientem in natione Germanica quanto ocyus & celerius quoad fieri possit, videlicet vel in Argentoratum, vel Moguntiam, Coloniam Agrippinam, vel ad civitatem Metensem, vel alium convenientem locum in Germania indicere, nec ultra unius anni spacium (si possibile foret) hæc Concilii convocatio & designatio differantur, & quòd in tali Concilio, cujus qui interesse deberet, ecclesiastici, vel laicalis ordinis, non obstantibus quibuscunque juramentis & obligationibus, liberè licere loqui, & consulere pro gloria summi Dei, & salute animarum, proque Republica Christiana absque aliquo impedimento, quinimo quilibet ad hæc debeat esse obnoxius, ut non dulcia, sed vera & meliora consulat, summa cura & diligentia per salutem animæ suæ, & absque aliqua adulatione doli vel fraudis suspicione.

* Par pari relatum.

Concilium esse necessarium.

Verùm, quibus modis & rationibus interim & medio tempore isti tumultus & populi errores poterint pacari, interteneri & compesci, maxima cura & diligentia illustriss. & serenissimus dominus locumtenens, & alii Principes consuluerunt, cum minima pars istius negotii ex hac medii temporis intercapedine pendeat.

Itaq; deliberaverunt imprimis, ex quo Lutherus, & aliqui illius sectatores in ditione ac territorio Illustrissimi Ducis Friderici, Saxoniæ principis electoris, &c. agant. Ob id illustrissimus princeps locumtenens, & alii ordines Imperii, apud prædictũ Principẽ Saxoniæ summa diligentia curare volunt, & per eundẽ principẽ efficere sperant, ne Lutherus & sui sectatores aliquid amplius scribat, edat & typis excudi faciat, indubieq; sibi persuadent, quòd prædictus illustrissimus Princeps Saxoniæ, pro sua in religionem Christianam pietate, & in sacrum Romanum Imperium observantia & obedientiâ, ut virtute præditum deceat principem electorem, omnem operam in hac sit adhibiturus. Curabuntq; simul illustrissimus dominus locumtenens, principes & imperii ordines, ut per omnem Germaniam cum divini verbi concionatoribus, sive prædicatoribus diligenter agatur, ne in populum Christianum spargant vel dicant ea, per quæ possit popularis multitudo ad tumultũ vel rebellionẽ moveri, aut in aliquẽ errorẽ induci, sed quòd nihil præter verum, purũ, sincerũ & sanctum evangelium, & approbatam scripturam, piè, mansuetè & Christianè, juxta doctrinam & expositionem approbatæ, & ab ecclesia Christiana receptæ scripturæ doceant & prædicent, omniaque illa omittant, quæ à populo doctiùs & sanctiùs ignorantur, quàm sciantur, quæ ne subtilius indagare, & ad imum usque exigere, minimè expedit, nihilque in populo per concionem disputationum moveant, sed quicquid controversiæ fuerit, usq; ad determinationem futuri Concilii reservent. Ordinabunt præterea Archiepiscopi & Episcopi, ac alii prælati, per suas dioeceses viros doctos, probos & sacris literis peritos, qui prædicantibus fideliter & diligenter intendere debebunt. Et si quid ab illis vel erratum, vel minus idoneè dictum esse offenderint, piè, mansuetè ac modestè eos corrigent & informabunt, in hunc modum, ne quispiam suspicari possit, ut veritas evangelica hoc impediri queretur. Qui Prædicatores, si tales monitores audire nollent, nec à suis ineptiis abstinere, debebunt per locorum ordinarios congruis

De officio prædicantium.

☞

gruis pœnis coerceri & puniri. Præterea in omnibus bibliothecis, & apud typographos diligentissimè, quantum possibile erit, providebunt, ne in futurū aliquid novi typis excudatur, maximè, ne libelli famosi, neq; publicè, neq; secretè vendantur. Et ordinabuntur apud omnes potestates, ut si quispiam aliquid novi edere, vendere vel typis excudere voluerit, ut prius per aliquos viros, probos, doctos & literarum peritos ista revideantur & recognoscantur: & nisi per eosdem admissum vel approbatum fuerit, minimè vendatur, excudatur vel publicetur. Et per hæc media sperant, quòd hoc tempore poterit istis tumultibus, erroribus & offendiculis commodius mederi, maximè, ubi beatitudo Pontificis in istis gravaminibus congruam & debitam faciet reformationem & provisionem, atq; liberū & Christianum designabit Concilium. Per hæc enim maximè satisfieret populari & nunc fluctuanti multitudini. Et si hic tumultus tam illicò in totum forsan per ista sedari non posset: nihil tamen dubitant, quòd major pars istius per hunc modum ad tranquillitatem & pacem moveretur. Indubiè enim multi probi & boni viri Christiani futurum & proximè indicendum Concilium magno desiderio essent expectaturi. De libris excudendis.

Postremò de presbyteris qui matrimonium contrahunt, & de religiosis qui relictis monasteriis, ad seculum redeunt, de quibus Reverendissimus dominus nuncius Apostolicus, etiam inter cætera meminit, considerant Principes & Imperii Ordines, ex quo in legibus civilibus nulla pœna specialiter super his sit statuta, ob id congruum & justum ipsis visum est, ut tales per eorum ordinarios debitâ pœna sacris canonum constitutionibus super hoc expressâ, ut puta amissione beneficiorum & privilegiorum, & aliis condignis pœnis puniantur & coerceantur; & quòd ordinarii illi à potestatibus secularibus in ista animadversione & punitione minimè impediantur. Sed quòd pro tuitione jurisdictionis ecclesiasticæ eis auxilium & favorem impendant, & super his omnibus publica mandata & edicta faciant, ne quispiam ordinarios in punitione & coercione talium impediat, sed quando aliis illi votorū transgressores in ditione & territorio alicujus principis vel potestatis secularis delinquerent, quòd extunc debitis & congruis pœnis puniantur & coerceantur. De presbyteris & religiosis apostatantibus.

Postremò, super his omnibus illustrissimus & serenissimus princeps dominus Locumtenens, aliiq; principes & ordines vehementer & ex animo iterum atq; iterum orant, ut beatitudo Pontificis, simulq; reverendus dominus Orator, ista omnia non aliter accipere & intelligere velint, quàm à bono, pio, sincero & Christiano animo profecta, cogitata & dicta esse. Nihil enim est, quòd omnes isti principes & ordines tam ex animo velint atque cupiunt, quàm statum sanctæ catholicæ & Romanæ ecclesiæ, beatitudinisq; Pontificis fœlicem, incolumem & salvum, ad cujus vota, desideria & obedientiam, ut fideles filii se paratissimos offerunt atq; commendant.

REPLICATIO PONTIFICII ORATORIS.

SErenissime Cæsareæ M. Locumtenens, Reverendissimi patres, Illustrissimi Principes, & totius sacri Cæsarei Senatus ordines amplissimi, quum pridie mihi longo tempore expectanti, datum fuerit tandem à vobis responsum in re Lutherana, volui illustrissimis Dominationibus vestris non solùm verbo, sed & literis indicare, quàm parum mihi illud satisfaciat, & per subsequens Pontifici maximo, ac universæ Christianitati sit minus satisfacturum. Et omissis multis, quæ de pietate, fide & observantia vestra erga sanctissimum dominum nostrum & sanctam sedem Apostolicam in procemio vestri responsi habentur, de quibus tamen, nomine suæ sanctitatis, vestris Illustrissimis Dominationibus gratias ago, veniam tandem ad ea quæ suppletione, correctione & declaratione indigere videntur, reliqua prout stant, quatenus placeant sanctissimo domino nostro accepțanda.

Et primò, quātū pertinet ad id, quod Illustrissimæ Dōinatiōes vestræ dicunt, & se excusando asserunt, quòd attento, quòd populis Germāiæ sit persuasū quòd ipsis multa gravāina à curia Romana sint illata, & ab ipsa multa scandala & incommoda indies patiantur, non fuisse visum sibi expedire, ut sententia Apostolicæ sedis & imperiale Decretum, debitæ exequutioni mandetur, ne inde contingat pejora & acerbiora mala provenire. Ad hoc replicatur, quòd nec sanctissimus dominus noster, nec Cæsarea Majestas, nec ullus Christianorum principum expectavit unquam tale à vobis responsum in hac re dari. Nam si Lutherus ante Ægrè fert Orator responsum Principum.

ante ſententiam Apoſtolicam, tot clariſſimorum virorum, ac univerſitatum judiciis fundatam, & deniq; ante Cæſareum Decretum, ipſiuſq; edictum erraverat in uno, poſt eandem ſententiam & Decretum erravit in longe pluribus, & nihil reliquum fecit, quo minus tota orthodoxa religio à fundamentis everſa ſit. Quapropter, quum pœnæ debeant de jure commenſurari delicto, attento, quòd indies magis cum ſuis ſequacibus erravit & errat, ut notorium, debent pœnæ ipſæ augeri atque gravari, & non diminui, prout ex præſenti veſtro Decreto fit. Et quantum ad reſponſum ipſum, ex eo in primis offenditur Divina Majeſtas; cujus cauſa tam ſegniter curanda proponitur. Offenditur Pontificis & Apoſtolicæ ſedis dignitas, offenditur poſtremò Imperialis culminis celſitudo, quorum Decreta & ordinationes tam impunè ſuſpenduntur, abrogantur deprimunturq;, offenditur & pariter communis honor veſter, quum omnes unanimes interfueritis eidem Imperiali Decreto decernendo, & veſtram authoritatem præſtando. Nec ſatisfacit illa ratio, quòd propter ſcandala evitanda, dicta Apoſtolica ſententia, & Imperiale edictum, exequi non debeat. Nam non ſunt toleranda mala, ut proveniant bona, & magis ſunt curanda ea, quæ pertinent ad animæ quàm ad corporis ſalutem. Neq; videntur excuſandi, qui Lutherum ſectari velint, quòd propter ſibi inflicta ſcandala & gravamina à curia Romana (etiamſi verum illud eſſet) deberent ab unitate catholicæ fidei propterea reſilire, & in profundum malorum ſe præcipitare. Nam omnia potius mala deberent æquo animo & patienter ſuſtinere, quàm ſe & animam ſuam, cum animæ periculo in præcipitium dare. Et ſi illud in omni tempore præſtare debuiſſent, quanto magis deberent reſipiſcere? quum intelligant, Deum Optimum Maximumq; dediſſe eccleſiæ ſuæ ſanctæ paſtorem optimum: paſtorem inquam ſanctiſſimum, eundemq; Germanum, qui non ſolùm univerſam eccleſiam ſit curaturus & inſtauraturus, ſed etiam Germaniam ſuam ad priſtinam pietatem reſtituturus, ac pluribus & inſignibus donis, in his quæ honeſtè poterit, illuſtraturus.

Adrianus VI. Germanus, paſtor optimus

Quare Principes Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi, vos tantis affectibus rogo & vehementer obteſtor, ut his rationibus veriſſimis adducti, velitis, antequam hujuſmodi celeberrimus veſter conventus diſſolvatur, omnino ſtatuere & firmiter deliberare, quòd eadem Apoſtolica ſententia, ac Imperiale edictum exequatur, & exequutioni mandetur, ſine aliqua diminutione, quum ex hac magna pars, quinimò tota Germaniæ ſalus dependeat. Et ſi in aliquibus Germani populi (ut aſſeritur) ſunt à curia Romana gravati, illud declarent. Nam ſemper Apoſtolica ſedes, quæ eſt mater piiſſima omnium oppreſſorum, parata erit, illos ſublevare & pro viribus juvare & tueri.

Diſcordiæ.

Quoad ſeditiones & diſcordias, quæ ſunt inter eccleſiaſticos & ſeculares principes Germaniæ pacandas, ac ad articulos dandos eoſdē moderandos, reſpondetur, quòd ſanctiſſimus D. N. ubi eas ſeditiones, diſcordias intellexerit, pro officio humeris ſuis incumbenti, curabit, ut omnino componantur & extinguantur, quum non minus habeat in filios ſuos, & eccleſiæ temporales principes, ac habeat eoſdem eccleſiaſticos. Pariformiter moderabitur omnia inter eos, ut unſquiſq; habeat quod ſuum eſt, & neutri injurietur.

Annatæ.

Quoad Annatas non perſolvendas Romæ, ſed in Germania retinendas, pro ſuſtentatione Imperialis gubernii, habita ea declaratione, quæ facta eſt verbo difficultate, quæ fieri poſſit ad eam concedendam, reſervatur reſponſio ipſi Pontifici: quæ dabitur, vel Imperiali regimini, vel futuro Principum conventui, prout magis expedire ſuæ ſanctitati videbitur.

De conſilio principum.

Quoad conſilium, quod datur per Illuſtriſſimas Dominationes veſtras, quòd attentis legitimis cauſis, quas adducunt, ſanctiſſimus dominus noſter debeat convocare œcumenicum generale Concilium, replicatur, quòd illud ſperatur non debere diſplicere ſuæ ſanctitati, ob omnes præcipuè illas cauſas, tamen petitur, ut illud Concilium aliis verbis magis idoneis reformetur, & quòd tollantur ea, quæ poſſent aliquam umbram facere ſuæ ſanctitati, prout eſt, quòd ſua ſanctitas debeat convocare Conſilium de conſenſu Cæſareæ majeſtatis, quòd ſit liberum, & quòd relaxentur juramenta, itē quòd ponatur magis in una civitate, quàm in alia, & ſimilia, &c. Quia niſi tollerentur iſta, videretur ſanctitati ſuæ ligari manus per Illuſtriſſ. D. veſtras, prout in voce declaratum.

De Concionatoribus.

Quoad prædicatores, qui in poſterū fidelibus habebunt prædicare verbum Dei, replicatur, quòd ſervari debeat illud, quod ſanctiſſimus dominus noſter nuper piè & ſanctè ſtatuit & ordinavit, de venerabilium fratrū ſuorū conſilio & aſſenſu. Quod eſt, ut (ſtante iſta perniſioſa ſectâ in Germania) nullus deinceps poſſit prædicare verbum dei per civitatē vel diœceſim alicujus, niſi ille talis prius fuerit examinatus per epiſcopum, vel officialem ſuum de doctrina & ſufficientia ſua, & eadem fuerit ab eo approbata, vel pro pia & Chriſtiana reputata. Et pariformiter, niſi ille talis fuerit ad munus prædicandi per eundem epiſcopum vel ſuum officialem inſtitutus, qui habeat etiam illum amovere & caſtigare, quando à recta via ceciderit. In cæteris placet, quantum de dictis prædicatoribus per illuſtriſſimas D. V.

reſpon.

respondetur, id est, quòd prædicent Evangelium cum interpretatione scripturæ, quæ sit per ecclesiam approbata.

Quoad impressores & venditores, seu alios divulgatores Lutheranorum librorum & aliorum, qui sectam suam sustinent & fovent, replicatur, quòd nullo pacto placet data responsio, quòd curabunt illustrissimæ dominationes vestræ providere, quantum possibile erit, ne tales libri imprimantur vel vendantur, &c. Sed dico in hoc, prout in aliis, totaliter deberi exequi sedis Apostolicæ & Imperialis celsitudinis sententias, id est, quòd libri impressi & imprimendi comburantur, imprimentes verò & vendentes, seu alios invulgantes dictos libros, juxta easdem sententias puniantur. Et in hoc maximè peto debere adverti, nam in hoc stat tota vis, pro ista perniciosa secta comprimenda, ne tales libri amplius inveniantur. Nam ex illorum lectione omnia hæc mala profecta sunt. Et quantum pertinet ad id, quòd nullus possit in posterum libros novos imprimere, nisi illi tales libri prius videantur & examinentur per aliquem virum doctum, dico, in hoc non debere recedi à constitutione moderni Concilii Lateranen. quæ jam est in usu, & est, ut nullus sub pœnis in ea contentis, possit aliquos libros imprimere, nisi per ordinarium episcopum loci, vel ejus officialem tales libri lecti & examinati, ac pro Christianis reputati & habiti sint. De impressoribus.

Quoad clericos qui uxorem ducunt, replicatur, quòd illa, quæ pro responsione scripta sunt, non displicere videntur, quando in cauda aculeum non habeant. Propter quod petuntur illa verba declarari, quæ sunt in fine capituli dicti responsi sub eisdem verbis [Sed quando aliis illi votorum transgressores in ditione & territorio alicujus Principis, vel potestatis secularis delinquerent, quòd extunc debitis & congruis pœnis puniantur & coerceantur. &c.] dico, quòd si talia verba intelligi debent secundum prædicta, id est, quòd tales puniantur à suis judicibus ecclesiasticis, bene stant, sed si referantur, quòd seculares principes vel potentes, illos punire debeant; In hoc dico, & instantissimè peto tale responsum, utpote, contra libertatem & jus ecclesiæ omnino corrigi debere & reduci ad verum sensũ. Nam si Principes seculares auderent tales judicare, & in eos jurisdictionem exercere, esset ponere falcem in messem alienam, & tangere eos, qui sunt peculiariter Christo reservati, nec ob transgressionem voti, seu apostasiam præsumant credere principes tales ad suam potestatem vel jurisdictionem devolutos esse, si delinquent in suis dominiis vel territoriis; cum propter talem transgressionem vel abusum ordinis sui non desinant propterea esse de jurisdictione ecclesiæ. Quia cum remaneat illis character & ordo, semper sunt in ejusdem ecclesiæ potestate. Unde in tali casu, quòd in dominiis Principum delinquant, ipsi Principes denuntient illos suis episcopis vel aliis superioribus, qui eos castigent, corrigant &, si opus fuerit, pro viribus suis dictos episcopos seu superiores brachio suo juvent, & aliis præstò sint. De clericis uxoratis.

Super quibus omnibus & singulis petitur per me nuntium Apostolicum, habita matura deliberatione, ab Illustrissimis dominationibus Vestris, melius, clariùs, saniùs & consultiùs responderi.

¶ Quamvis Principes & reliqui Ordines Germanicæ nationis iterum pro verbis verba dare potuissent, quum tamen aliis magis necessariis occupati essent negotiis, Pontificium Oratorem priori responsione contentum esse jusserunt, donec GRAVAMINA nationis Germanicæ summo Pontifici transmissa forent, ac inde manifestum fieret, num verba ejus tam blandè facta, etiam debitè sequutura essent. Orator Pontif. contentus esse jubetur responso Principum.

¶ Sequitur Tabula Centum Gravaminum Germanicæ Nationis, & aliarum etiam* fortasse Nationum.

* Proculdubio: una enim eademque Romanæ Curiæ ars est & methodus omnes Christiani orbis Ecclesias sibi vendicandi, iisq; quo jure quave injuria dominandi; eousq; saltem quà possit, & ex negligentia aliarum, facilem sibi sternit ad fraudes & injurias viam.

¶ Tabula Centum Gravaminum Germanicæ Nationis.

O. G. Præsupponitur constitutiones humanas esse bonas, dummodo pecuniis non redimantur.

¶ Primum versatur circa constitutiones humanas, quæ dum dispensationibus pecuniariis Romæ redimuntur, omnem iniquitatem procreant, & nos ære nostro privant.
2 De nuptiis pro pecunia celebrandis tempore interdicto.
3 De nundinationibus, quæ perperam exercentur in indulgentiis, &c.
4 Quàm turpiter pecuniæ indulgentiarum in luxum expendantur.
5 De casibus utcunq; reservatis, quorum sine pecunia nulla haberi poterit absolutio.
6 Quomodo pecuniis detur licentia impunè peccandi.
7 Quomodo simplices nimis miserè à Stationariis & Quæstuariis decipiantur.
8 Explicat immoderatum Terminariorum quæstum.
9 Quàm iniquè causæ prophanæ ad Romanum tribunal trahuntur.
10 Qua fraude, quove dolo, prætacta agitetur versutia.
11 De abusibus & excommunicationibus iniquis.
12 De Papalibus Commissariis, Germaniam aggravantibus.
13 Quàm iniquè Monasteria quædam ab Episcoporum jurisdictione eximantur.
14 De temeraria violatione juris patronatûs.
15 Beneficia multorũ, vel Romæ, vel in itinere morientiũ, nõ satis ritè Curtisanis conferri.
16 Qua impostura beneficiati, Romæ à Curialibus inquietentur.
17 Quomodo prætextu familiaritatis Papalis, multorum beneficiorũ impugnetur collatio.
18 Quibus instructi dolis Curtisani, beneficiatos in propria persona ad urbem vocent.
19 Quomodo provisiones ecclesiasticarum dignitatum Romam pertrahuntur.
20 De regulis Cancellariæ Papalis, & variis illarum technis infinitisq; laqueis.
21 De ecclesiasticis beneficiis curatis & nõ curatis in genere, quã indignis cõferantur Romæ.
22 Quibus nexibus Archiepiscopi ac Episcopi, à suis Capitulis in conferendis beneficiis astringantur.
23 Quàm amplissimas pensiones, beneficiorũ locatores à suis conductorib. recipiant exigantq;.
24 De prælaturarum commendis & incorporationibus Romanis.
25 Collegiatas ecclesias, nobilibus solùm fundatas, ob pecuniã infimis hominibus conferri.
26 De novis fraudibus Rom. sedis, quibus multifariam veris derogatur privilegiis.
27 De inordinata & nimis diuturna abusione Annatarum.
28 Quomodo contributio ecclesiasticorum contra Turcas etiam verti debet in tranquillum nostræ reipub. statum.
29 Quomodo ecclesiastici, unà cum laicis, paria onera ferre debeant.
30 Nihil ecclesiasticis rebus parcendum esse, modò Turcis resisti possit.
31 Ut personæ ecclesiasticæ commeritam nullam luant pœnam.
32 Si ecclesiastici non puniantur æque ut laici, multa ex hoc mala certò provenire.
33 Statuendum ergo esse, ut ecclesiastici æqua cum laicis patiantur supplicia.
34 De diverso, prophano ac intolerabili onere excommunicationis.
35 Quo pacto cohabitatores oppidorum ac vicini, citra omnem æquitatem, aliorũ causa excommunicentur per tractatum ampliationum.
36 De illicitis interdictis, in causis minimi faciendis.
37 Ut festi multi dies abolendi sint.
38 Quomodo per Pontifices Rom. ordini militariũ, contra omnẽ æquitatẽ, bona erepta sint.
39 De multis oneribus, quibus ecclesiæ proceres statum opprimunt secularem.
40 Quibus modis laicorum bona ad ecclesiasticos perveniant, sed non contrá.
41 Quomodo Episcopi hæreditaria ecclesiasticorum bona ad se trahere conentur.
42 Quomodo laica quædam bona Episcopi cum suis, ditioni ecclesiasticæ subdi velint.
43 Quomodo Episcopi male sibi usurpant primam recentium beneficiorũ collationem.
44 De confirmationibus beneficiorum non necessariis.

O. G. De iis xii. art. noli temere judicare.

45 Quæ onera patiantur hi, qui laicos habent Collatores.
46 Ut Episcopi, nulla urgente causa, beneficiatos illicitis urgeant exactionibus.
47 Quomodo indocti juxta atq; inidonei ordinentur sacerdotes.
48 De impensis immodicis, quæ in ecclesiarum consecratione profunduntur.
49 De iniquis adinventionibus Suffraganeorum
50 Quomodo cœmiteria nonnunquam ob quæstum superfluè consecrentur.

51 De superstitione inani in baptizandis campanis, ne scilicet animæ perdantur earum.
52 Quomodo sibi Episcopi & prælati quasdã oblatiões injustè vendicent, licet nõ sine fruge.
53 Ut à quibusdam præpositis monasteriorũ Episcopi injustè pecunias sumant.

54 De

54 De abusibus qui contingunt in Abbatum, Abbatissarumq; electione. Item de execrabilibus curiæ Romanæ officiis.
55 De quibusdam ineptissimis Archipresbyterorum Officialibus.
56 Quàm iniquè laici ad vetitum ecclesiasticorum trahuntur tribunal.
57 Laicos, ob debitam pecuniam ad ecclesiasticos judices non esse trahendos.
58 Ut laici gravibus onerantur damnis in petendis missionum literis. i. losz bryeff.
59 Quomodo laicas quasdam causas judices ecclesiastici remittere nolunt.
60 De variis, illicitis & inutilibus prophanarum causarum expensis.
61 Quomodo novæ per violentiam instituantur decimarum præstationes.
62 Alius modus non ferendus, quo multi injustè ad ecclesiasticum tribunal trahuntur.
63 De causis injuriarum, quæ coram judicibus ecclesiasticis ventilantur.
64 De præsumptione Officialium in causis prophanis ob interposita juramenta.
65 Quomodo ecclesiastici suas judiciorum reformationes non observent.
66 Ut nonnullæ ecclesiasticorum judiciorum reformationes prætentæ, civili magistratui perniciem adferant.
67 Quemadmodum plus pecuniæ quàm pœnitentiæ peccatoribus imponatur.
68 Quibus technis honesti viri & mulieres aggravantur.
69 De illicito interesse, quod judices ecclesiastici ex jactatis matrimoniorū causis petunt.
70 Quibus artibus ecclesiastici judices causas promiscuas ad se trahunt.
71 Quæ mala contingant falso prætextu denegatæ exequutionis.
72 Quomodo ecclesiastici judices ferre respuunt, quod seculares perpeti coguntur.
73 Ut quodam præscriptionis velamine honor Imperii minuatur.
74 Quam iniquè peccatores duplici pœna ab ecclesiasticis puniantur.
75 Quomodo avari Officiales illicitum fœnus tutentur.
76 Quid Officiales agant cum mulieribus, quarum viri sunt absentes.
77 De illicitis censibus qui è domibus exiguntur.
78 Quo pacto prædicti hebdomadariam à mechanicis pecuniam exigant.
79 De iniquis ecclesiasticorum arrestis & inhibitionibus.
80 Ut pleriq; ad iniquas transactiones compellantur.
81 Quomodo externi causarum procuratores corā ecclesiasticis cōsistoriis non admittantur.
82 Quàm iniquè pauperibus sacramenta denegentur.
83 Quàm iniquè spirituales pro sua libidine vindemiationem suspendant.
84 Ut ecclesiastici, synodis, contra constitutionem, abutantur.
85 Ut iniquis nexibus Episcopi à suis astringantur Capitulis: & Cæsares Romæ coronandi à Pont. Romanis.
86 Quomodo plebs pro sacramentorum administratione gravatur.
87 Ut ob Missas cantandas pecuniam exigant s. myssanck, myszgelt.
88 Quo pacto Parochi à suis pecunias emulgeant parochianis.
89 Ut miserè defuncti sine pecunia sepeliri non possunt, & de sepulchrorū mercatu.
90 Ut pleriq; ecclesiastici, etiam Monachi, parum aut nihil differant à scurris.
91 Quomodo Episcopi sibi pecunias venentur ex sacerdotum concubinatu & officiatione.
92 Ut ecclesiastici quidam publicas exerceant tabernas & tabernarias.
93 Quomodo infirmis persuadetur, ut suos defraudent hæredes, per Evangelium: Munus quodcunq; ex me tibi proderit, &c. Matth. 15.
94 Quibus mediis ordines mendicantium ingentē pecuniam ad urbem transferunt Romam.
95 De malitia Romanorum Legatorum.
96 Quomodo vicecomites inepti ineptissimos creent Notarios.
97 Quanta injuria fit in jure patronatûs.
98 Ut omnes Monachi, Beginæ & Begardi, secularibus in bonis succedant, sed non contra.
99 Quomodo Papa, Archiepiscopi, Episcopi ac reliqui prælati, ex istorum gravaminum publicatione in nullo se emendarunt.
100 Multa alia superesse fatetur.

O. G. Nemo de his omnibus temerè judicet, sed judicium ipsum suis committat superioribus.

Finis Tabulæ Gravaminum, atq; utinam non essent per universum in centuplo plura, quàm hic per sacri Rom. Imperii principes seculares enumerantur.

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPUM,

Ac procerum Gravamina Centum, * quæ adversus sedem Romanam ac totum ecclesiasticum ordinem, Oratori Pontificiæ sanctitatis, in Comitiis Germanorum Principum Norenbergæ, Anno,&c, XXII. inchoatis, finitis verò XXIII. proposuerunt.

* Bone Deus! quot quantaq;? notetur à quibus objiciuntur & quàm juste---- Discite justitiam moniti, &c. Emendatur exemplar alicubi juxta Conringium. p. 149

POstquam relatio per Oratorem sanctitatis Pontificiæ Comitiis prædictis coram majestatis Cæsareæ locumtenente, Electoribus cæterisq; Principibus ac Imperii Statibus ibidem congregatis, habita, ac Breve (quod vocant apostolicum) ejusdem Romani Pont. in consultationem forent deducta, desuperq; responsio consulta & conclusa, ac eidem Oratori & Legato Pontificio in scriptis, nomine totius Romani Imperii tradita factaq; esset; facta est inter alia mentio non infrequens gravaminū atq; onerū Romani Imperii Procerū, quibus iniquius quàm par sit, ab Rom. ecclesiæ clero premerentur, placuit Principibus ac cæteris Imperii Ordinibus, hæc ipsa quæ contra ecclesiæ Romanæ Primores, se in medium adducturos polliciti erant, gravamina paulò altius à principiis, sigillatim per classes, & quàm fieri potuit maximè per ordinē digesta, repetere, recensereq;, ac ita descripta fusius Legato Romano, ferenda secum trans Alpes, dare, rogareq; hunc, ut apud sedē apostolicā curare velit, quatenus onera hæc, non ferenda Germanis, è medio tollere emendareq; Sanctitas sua non dedignetur. Quemadmodum prædicta hæc in responsione supra memoratâ omnia latius continentur. Itaq; per compendium, ut sequitur, Germanicæ nationis onera hæc justo graviora, digesta, ac Oratori Pontificio, qui se nomine sanctissimi Rom. præsulis, ita sincerè ac Christianè obtulerat, tradita sunt, quo sæpe dictus Orator ac Legatus Pontificius, hæc inde Sanctitati suæ referre, ac apud eundem pro Germanis Principibus & Proceribus, totius Imperii Romani Ordinibus, interpellare possit.

¶ Sunt autem Gravamina supra memorata, quæ per capita nunc sequuntur.

¶ Gravamina sedis Apostolicæ, non ferenda Germanis, ac primum de Dispensationibus ære redemptis.

☞ I. INter reliqua onera, vel illud minimè postremo loco est collocandum, quòd constitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo divino præcepto vel interdicta sunt vel imperata. Quod genus sunt, matrimoniorū tam innumera excogitata obstacula, ex affinitatis, publicæ honestatis cognatione, spirituali, legaliq;, & consanguinitatis, tam multis gradibus originem trahentia. Ciborum item usus interdictus, quos Deus tamen ad hominis necessitatem creavit, ac cum gratiarum actione promiscuè sumendos, Apostolus docuit. Hæc nimirum, atq; his similes complures humanæ constitutiones, eousq; ligant homines, donec pecuniâ sibi harum legum gratiam à statuentibus impetrent, ut ita pecunia faciat divitibus licitum, quod tenuibus gratis sit prohibitum. Illicitisq; his legum ac constitutionum humanarū retiaculis, non modò magna nummorum copia à Germanis expiscata, è Germania & trans Alpes lata, sed & maxima inter æque Christianos orta iniquitas, plura offendicula & simultates, dum tenues hisce laqueis vident se illaqueari, non ob aliud, nisi quòd spinas evangelicas (ita enim Christus divitias non semel appellat) non possideant.

¶ De tempore interdicto.

II. ¶ Pari modo agitur etiam cum celebrandis nuptiarū solennibus, à dominica Septuagesima, qua cantatur in ecclesia, Circumdederunt me, &c. sub quadragesimæ usq; initium, quo tempore ab ecclesiæ Romanæ primoribus undiq; nuptias celebrari interdictum est. Quū tamen interim & ab ecclesiasticis & à secularibus passim sine discrimine publicè, genialiter vivatur. Sed ita demum interdictum illud procedit, si gratis hoc facere quis intendat. Quòd si nummi spes refulserit, jam quod primum erat prohibitum, impunè ac liberè facere licet. Est enim & hoc grave Germanorum crumenis retiaculum, quo extrahuntur nummi. Nec minus interim gravamen, quòd pauperis divitisq; longe diversa in relaxandis his constitutionibus sit conditio.

¶ De oneribus Papalium indulgentiarum.

III. ¶ Illud importabile jam olim increbuit Romanarū indulgentiarū onus, quando sub persona pietatis, quum aut basilicas Romanas construere, aut profectionem in Turcas parare polliciti sunt Romani Pontifices, omnem à simplicibus nimiumq; credulis Germanis exuxerunt pecuniarum medullam. Et, quod longè majoris est faciendum, per

has

has imposturas, ac earum conductitios præcones & prædicatores, profligata est germana Christianorum pietas, dum qui extrudere volebant venales suas bullas, laudes suis mercibus occinebant miras & inauditas: condonari per emptitias has condonationes, nedum noxas præteritas aut futuras viventium, sed & defunctorum vitâ, existentium in purgatorio(quod vocant cantores illi indulgentiarum) ignis, modò numeretur aliquid, modò tinniat dextera. Atq; his mercium nundinationibus, simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta, quando quilibet pro pretii, quod in has merces expenderat, modo, peccandi impunitatem sibi pollicebatur. Hinc stupra, incestus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna semel originem sibi traxerunt. Quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales, quando sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedū in vita, sed & post obitum, ære, licet immodico comparari posse à nundinationibus illis indulgentiariis, semel persuasum habent? maximè Germani, quibus per hos veræ pietatis fucos, sub religionis persona, nihil non persuaderi difficile est: ut ingenio planè ad pietatem credulo est Germania. Principes rem acu tangunt, immortali famâ & memoriâ dignissimi.

IV. ¶ Et licet indulgentiæ hæ non semel in hoc ad Germanos missæ sint, quasi ex corrasa earū venditione pecuniâ, fideles contra Barbaros essent tutandi ac defendendi: Eventu tamen compertum habent Germani pecuniam hanc non in rem fidei, aut alioqui Reipubl. Christianæ necessariam, sed in propinquorum luxum ac sublevandam familiam ipsorū esse versam, quo uno, bina hæc nata sunt perquàm maxima incommoda, quòd & offendicula orta sunt simplicibus, & quòd nunc Germani toties sentientes lusam fidem, quum verè jam res postulat, ut contra Turcas instituatur expeditio bellica, nullis rationibus persuaderi se patiuntur, ut credant, quod res ipsa fere notorium facit, Ita s. instare cervicibus nostris crudeles Turcas, suspicantes semper, prioribus simile quippiam agi. Quæ una ratio est, ut tam ægrè manus contra Turcas jungant. Quantorum ergo malorum & in rebus temporalibus ac Christi fidelium conscientiis, causæ fuerint Romanæ indulgentiæ, sanctitas Apostolica pro sublimitate captus sui, exigua operâ, vel inde, si non ex re ulla alia, conjectura consequi poterit.

V. ¶ Præterea Papalis sanctitas, cæteriq; Episcopi, ac ecclesiæ Romanæ columnæ, casus aliquot suæ tantum absolutioni reliquos fecerunt, quorum si unum aut alterum commiseris, jam aut numerandum, aut absolutione tibi carendum est, nempe quòd in hoc reservati sint ut vel inde nummorum aliquid eis accrescat. Quod ex eo conjicere licet, quòd in casibus etiā quantumvis pro tempore honestis aut necessariis, nunquā tamen nisi numeretur aliquid dispensant. At si nihil attuleris, numeraverisve, indispensatus perpetuò maneas oportet.

VI. ¶ Verùm, si quis unde numeret, habeat, jam nedū præsentes indulgentur harū constitutionum transgressiones, sed & in futurum impunè, ut eas ipsas transgredi liceat, indulto permittitur. Quo fit, ut ansam inde accipiant ii, cum quibus ità dispensatum est, pejerandi, homicidia, adulteria & similia flagitia perpetrandi, quando quilibet ex sacerdotum vulgo, absolutionem emptitiam virtute indulti his impartiri potest. Quæ malorum seges tota ex habendi libidine, auriq; sacra fame, qua nunc Ecclesiasticorum nonnulli miserè excruciantur, originem ducit.

¶ De Prædicatoribus indulgentiarum Stationariis.

VII. ¶ Est & aliud indulgentiis vendendis addictū hominū genus, quos Stationarios vulgò vocant; hi rusticorum plerumq; abutuntur simplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniaq; peragrant castella & oppidula, prædicantes sancti cujuspiā, Valentini puta, Huperti, Cornelii, Anastasiive sanctimoniā, ac quantū ad rem familiarem addat, si quotannis hunc vel illum munusculo aliquo, quod eis Stationariis s. in commodum cedat, demulceas. Inscribentesq; dehinc simplices, sub sancti alicujus numen ac tutelam, promittentesq;, ut hoc aut altero morborum genere vacaturus sit, qui eis annuum censum penderit. Quæ omnia in hoc excogitata sunt, ut simplices illi ad vivum usq; exugantur. Nam primum hoc negotium à sancto Antonio cœptum, in innumerata morborum genera, dehinc suevit diduci, ita ut vix supersit morbus nunc aliquis, cui Stationarii non & peculiarem sanctum, tanquam tabernæ vel negotiationi præposuerint. Processitq; eousque ejus mali serpigo, ut pauperum ac simplicium illorum, Quæstuarii ac Stationarii prædicatores, sanguinem vorent & medullā, dumq; illi unà cum liberis suis necessariis spoliantur, in deliciis & luxu plus quàm Sybaritico degunt Stationarii. Quæ res & imprimis præsentem sibi sanctitatis Apostolicæ medicinā postulare videtur, quo interdiceretur episcopis, cæterisq; ecclesiæ primatibus, ac eorum vicariis, ne pro legationis seu functionis hujus admissione quidpiam posthac acciperent pretii, neve eas omnino tolerarent amplius, aut quantum per eos staret, paterentur.

VIII. ¶ Nec minus & in hoc à Religiosis gravantur prophani, maximè pauperes, quibus res est angusta domi. Nempe quòd mendicitas ordinum mendicantium, nihil in rure, neq; in

urbe

urbe finit non peragratum, dum à terminis, quos pervagantur, Terminarii dicuntur. Quas quidem pervagationes contra ordinis eorum statuta, neq; etiam ad necessitatem, per avaritiam insatiabilem adinvenerunt. Ita enim fit, ut cum in oppidulo, aliquando non admodum celebri, sed perexiguo, duo, tria, aut eo amplius illorũ sint conventicula, in quæ, omne quicquid eleemosynæ undiq; disquiri potest confertur, dum tamen interim morbo, aut senio confecti cives vel incolæ, qui per ætatem ex laboribus & sudoribus suis, unà cum uxoribus & liberis honestè vixerant, egeant, fame & inedia pereundum necesse habeant.

O. G. De statutis humanis & consuetudinibus ecclesiasticis, non est indifferenter judicandum.

Itaque rogant sanctitatem Apostolicam Imperii Principes cæteriq; Status, quatenus sanctitas sua, paterno animi affectu, offendicula & gravamina hæc Indulgentiarum, dispensationum, Stationariorum, Terminariorumq; è medio tollere, atq; ita negotium temperare velit, ne libertas Christiana, servitute humanarum constitutionum penitus extinguatur, illaqueenturq; conscientiæ Christi fidelium mandatis hominum, quibus nullum est peccatum majus, quàm nummis carere. Non ultra enim quicquam prohibent, quàm si gratis contravenire quis velit, & dispensant illicò quod prohibuerant, numerata s. pecunia ampliore. Verùm, quòd sincerius cum fidelibus Christi, tanquam cum suis ovibus agatur, instruanturq; potius ad pietatem & charitatem mutuam, ex jussione Christi, quàm ad observationem cujusvis traditionis humanæ, formidine pœnæ. Ac si errare eas aliquando labiq; contigerit, moneantur, & subleventur potius fraternè, quàm ita serviliter ac durè tractentur. Quo omnibus paulò notius fiat, pastorem cupere potius, & quærere salutem ovium, quàm privata compendia, ac earum lanam.

¶ Quàm iniquè causæ prophanæ in prima instantia ad Romanum tribunal judiciarium trahantur.

IX. ¶ Quum nedum juris ratio, sed & rei ipsa series postulet, ut distincti sint jurisdictionũ limites, & ut quilibet Ordinarius suis sit finibus contentus, alterumq; in exercenda jurisdictione non disturbet, minimè tamen Pontifices Romani pro tempore existentes, æquitatem hanc communem considerarunt, sed neglectâ hac, ad petitionem personarum ecclesiasticarum, laicos non rarò in causis etiam prophanis, puta hæreditatum, aut pignorum, & in prima quidem instantia, coram se Romam citari, ac in jus vocari fecerunt. Quæ res nedum ita (ut prædictum est) in jus vocatis, sed & totius Romani Imperii ordinibus, cedit in jacturã, perniciem, contemptum, ac jurisdictionis dehonestationem diminutionemq;.

X. ¶ Item, cum Romæ quispiã etiam laicus, interposito juramento asserit, se non sperare justitiam apud judicem competentem in Germania assequi posse, protinus ad tale juramentum admittitur, ac citatio ei contra partem adversam decernitur. Sicq; processus à judice ordinario ex Germania Romam, nec judice interpellato, nec parte adversa monita, protrahitur; inde juramenti prætextu, nec fori declinatio, nec ulla admittitur probatio, etiamsi planè doceri posset, authorem illum pejerasse. Quæ res si altius radices ageret, nec principiis resisteretur, omnes tandem causæ ad Romanæ Curiæ tribunal devolverentur, ordinariique universi sua privarentur jurisdictione. Quod non solùm contra omnem justitiam, sed etiam intolerabile foret.

Eapropter sacri Romani Imperii Status sanctitatem Apostolicam rogitant, ut prædictũ onus in Romana Curia posthac non tolerare velit; sed curare, ut dehinc nemo vel ecclesiasticus, vel secularis, ob causam prophanam, in prima instantia, Romam in jus vocetur, sed personæ & causæ hæ ordinario judici, cui immediatè subjacent, relinquatur. Ultraq; hoc, amplius contra æquitatem non graventur.

¶ De conservatoribus, ac cæteris Papalibus judicibus.

XI. ¶ Item est & aliud judicum Papalium, per quos æquè ordinaria attenuatur jurisdictio, genus, quos conservatores vulgò vocant, Eos episcopi cæteriq; ecclesiæ principes, ex primatibus, vel Abbatibus suæ Diœcesis à sede Apostolica in hoc impetrare solent, ut coram his, omnes illorum causæ & lites quas jam instituere cogitant, dirimantur, evocenturq; per hos in jus personæ seculares, nobiles & plebei, in causis omnino prophanis, licet actoribus justitia per ordinarium tribunal nunquam fuerit denegata. Quòd si vocati in jus ire recusaverint, ii contra jus ac fas excommunicatione, licet nulla, feriuntur, cujus rei innumera adduci possint exempla. Ac si ut cœpit negotium, procederet, brevì eò rerum veniremus, ut omnes causæ prophanæ, ad conservatores hos, cæterosq; judices ecclesiasticos, laicis nedum suspectos, sed & alioqui incommodos, pertraherentur. Quod ut est intolerabile Germanis Principibus, ita & aperta fronte cum Sacri Romani Imperii pugnat constitutionibus ordinatis, quæ clarè & expressim volunt ac exprimunt, quòd nemo alium ex ordinario ad incompetens tribunal in jus pertrahere debeat. Quapropter Imperii Principes, Proceres, ac Status sedi Apostolicæ supplicant, ut gravamina atque onera hæc radicitus funditusque tollantur & abrogentur.

O. G. Injusta etiam timenda. I. G. (i.e. Joh. Gerson) non est timenda. cedat ergo O. G. majoribus.

¶ De

¶ De Papalibus Delegatis ac Commissariis.

XII.¶ Item sanct. Pontificia ad ecclesiasticarum personarũ petitionẽ, judices delegatos & Commissarios, tanquam ecclesiasticos judices per Germaniam concedere solet, ut impetrantes dehinc laicos, cujuscunq; etiam dignitatis, vel præeminentiæ, coram ita delegatis in causis prophanis, judicio convenire possint. Quod ut de facto sæpenumero præsumunt, ita excommunicationis pœnâ mandatam sibi inter partes jurisdictionem defendere conantur. Quæ omnia & in perniciem personarum secularium, & in jurisdictionis Germanicæ ac ordinariæ jacturam vergunt & attenuationem.

¶ Quo pacto ecclesiæ Prælati per sedem Apostolicam, ex Episcoporum ordinaria jurisdictione, ac cæterorum suorum defensorum tutela eximantur.

XIII. ¶ Insuper & hoc moliuntur Summi Pontifices, monasteria aliquot eximendo, ut ab episcoporum, eorum s. ordinariis, ac defensorum, protectorumq; aliorũ jurisdictione ita exempti, reddantur immunes, immediatéq; subjaceant sedi Apostolicæ: quæ res non tantùm prædictis ipsorum ordinariis ac defensoribus, sed & toti Romano Imperio cedit in jacturam, tum quando collatio pecuniaria pro Imperii necessitate, viritim Imperii statibus indicitur. Ita enim fit, ut ipsi per se ab oneribus publicis exempti, immunitate sua gaudeant. Dehinc etiam auxiliares manus episcopis ac defensoribus suis, quod antehac facere necessum habebant, non porrigant. Per quam technam Romani Imperii attenuantur nervi, ac decrescunt plus justo vires. Quapropter & hic Imperii proceres ac Status rogant præfata onera exemptionum abroganda, tollenda, emendandaq;, ac monasteria hæc episcoporum & defensorum ordinariæ jurisdictioni relinquenda, ut vel inde Imperium Romanum per sedem Apostolicam enervatum, vires pristinas eo celerius recuperare queat.

¶ De attenuatione juris quod vocant Patronatûs.

XIV. ¶ Item, quum per mortes possessorum pro tempore beneficia vacare incipiunt, quorũ jus patronatus ad laicos spectat, seu ecclesiasticos, tum conantur & Papalis sanctitas, & ejus oratores vel legati juri huic derogare, hoc modo, ut conferant beneficia ita vacantia, Curtisanis, aut aliis quibuscunq; libuerit; ita, ut patronis ipsis jus suum præsentandi per hoc adimatur, auferaturq;: ac interim hoc prætexitur à sede Apostolica, quasi præventioni hac in re sit locus, ut qui prior beneficium illud contulerit, quod hæc teneat collatio, licet patroni tempus quoddam habeant, intra cujus metas, beneficia sua liberè, & à nemine præventi, conferre possint. Eam ob rem patronis laicis & ecclesiasticis ex fictitia hac præventione multa oritur jactura. Quapropter Sacri Romani Imperii Status sanctitatem Apostolicam rogitant, ut talia gravamina atq; onera aboleantur, & posthac beneficia vacatura, suo quæq; patrono relinquantur, nec permittendum Curtisanis, ut dehinc vel per judiciorum ordinem, vel suopte ingenio ad talia beneficia se ingerant, sed statuto irrevocabiliranciendum, si quid à quoquam contra patronos beneficiorum ordinarios, prætextu imaginarii istius juris præventionis, ut præmittitur, fuerit attentatum, quòd omne id nullius sit momenti, viribus careat, sitq; ipso jure nullum, cassum & invalidum.

¶ De ecclesiasticis, qui Romæ, vel inter eundum Romam mortem oppetunt.

XV. ¶ Item, & tum Curtisanis, cæterisq; (ut prædictum est) inhabilibus personis, per sedem Apostolicam vacantia collata sunt officia & beneficia, cum familiares sanctitatis suæ, aut qui Curiæ fervirent, vel in anno (quod vocant) Jubilæo, inter eundum Romam, aut etiã Romæ agentes, mortem oppetiissent, tanquam si beneficia hæc sedi Apostolicæ essent commissa, rectè atq; feudorum collatio committitur. Nec consideratur à Pontificia sanctitate, talia beneficia vel officia de jure patronatûs, sint necne, per quod ecclesiastici & laici patroni feudatarii denuo etiam jure suo patronatus ordinario, privati sunt & spoliati.

XVI. ¶ Quinetiam aliquando, quum ii qui bonis, aut multis præditi sunt beneficiis, Romam veniunt, à Curialibus Cardinalium tanquam officii gratia ad mensam invitantur dominorum suorum, inde clam adhibentur testes & notarius, quorum interventu conficiuntur instrumenta, quibus cum suo tempore probari possit, tales fuisse Curiales Cardinalium, ac ideo beneficia eorum esse in perpetuum affecta. Quàm doli ac fraudis res hæc sit plena, unusquisq; bonus facilè perpendere potest.

¶ Quo pacto sub prætextu familiaritatis Papalis Curiæ, multorum beneficiorum per Curtisanos impugnetur collatio, etiamsi possessores illorum longè antehac talibus fuerint beneficiis investiti.

XVII. ¶ Nec minus & illud suetũ hucusq; fuit, ut ultra prædicta omnia quorundã magni pẽsi bẽeficiorũ, sub nomine Officialiũ vel fãiliariũ Papæ & Curiæ Papalis, per idiotas & alioqui inhabiles personas sit impugnata collatio; ac per illos conatũ tentatumq;, si quo modo fieri posset,

posset, ut beneficia hæc in commendas seu provisiones, ita enim ipsi vocant, vertere ac censibus annuis obnoxia reddere queant. Hinc prætendentes regressus, reservationes, pensiones & plura alia incompatibilia, sibi in his competere. Quibus technis ac dolis malis, beneficia illa penitus exiguntur, enervantur, attenuanturq; cum perpetuo Romanæ Curiæ pensionibus annuis serviunt, fitq;, ut Germanorum utcunq; habilium, nemo unquam ad hæc aspirare possit.

XVIII. ¶ Item, obviã veniunt & tum Germanis non ferenda à Curtisanis onera. Ita enim per Germaniam subtili ingenio beneficia venantur, ut conentur viris presbyteris ætate & integritate vitæ spectabilibus, qui beneficia sua absque omni controversia, justo titulo, & bona fide, multos jam annos quietè possederant, in longæva possessione negotium facere, possessionẽ interturbare, ad Romanã Curiam personaliter ut compareant, in jus vocare, ac mille aliis artibus ita eos adigere ut transactiones quantumvis iniquas, inire necessum habeant, modò supremos hos annos quietè agere velint. Coguntur enim hoc quo dictum est modo à Curtisanis ad pensiones annuas, reservata, & id genus alias præstationes. Atque hoc agunt Curtisani nebulones, non propria (ut ferunt) authoritate, sed Romanorum suorum statutorum, ac regularũ, quos vocant Cancellariæ. Quæ constitutiones omnes quotidie pro libidine Curtisanorum figuntur ac refiguntur, cum derogatur prioribus non admodum, ut videbatur, æquis, & ferunt iniquiores. Quare nedum senio confectis beneficiorum possessoribus harum decipularum atq; fraudum rudibus, sed & beneficiorum collatoribus imponunt mille instructi dolis Curtisani. Nam etsi possidens beneficium presbyter, cum Curtisano litigatore fictitio, non transigat, tamen ita sibi litem facit præstigiator ille Curtisanus, ut si pendente efficta hac controversia, moriatur, beneficii (ut prædictum est) litigiosi possessor, quod dehinc continuo litem faciens, neglecto collatoris ordinario jure, in possessionẽ ejus beneficii mittatur. Eapropter denuo atq; iterum Sa. Rom. Imperii status justas sanctitati Apostolicæ fundunt preces, velit enumerata omnia Curtisanorũ importabilia onera emẽdare ac penitus abrogare. Neve illis posthac permittere, ut beneficia Germanorum libera, per machinationes præfatas, oppugnare impunè audeant.

Curtisani nebulones & præstigiatores. Hoc est è Roma pendere.

¶ Quomodo provisiones ecclesiasticarum dignitatum Romam pertrahantur.

XIX. ¶ Itẽ, quæcunq; dignitates, seu beneficia pinguia, ut puta Præpositura, Decanatus, Cantoratus, ac cætera officia, Cãonicatus ecclesiæ curatæ & beneficia simplicia, quæ sub mense ordinario, extra Romana mœnia vacare incipiunt, quorũ antehac ad jus ordinariũ patronatus ecclesiasticorum & laicorum spectabat collatio & electio, tum excogitatur à Romana sede, juris patronatûs ab ordinariis collatoribus abalienatio, maximè, si possessores pristini beneficiorum aut officiorum dignitatumve talium, familiares vel officiales Papæ aut Cardinalium fuerunt. Ideo rogant Roman. Imper. Status, prædictum etiam onus è medio tollendum, ac patronos collatores ordinarios apud collationem, electionem, præsentationem, & nominationem talium dignitatum ac beneficiorum, jura f. ordinaria, defendendos ac defensos, manutenendos. Nec curandum, utrum familiares, vel officiales Romanæ Curiæ fuerint, qui beneficia hæc possederint, regressum, accessumve, aut aliud quoddam jus imaginarium ad ea habuerint, ita quod tale jus prætentum ordinario patrono, ac collatori, nunc & posthac nullum faciat præjudicium, nullamq; generet jacturam, sed per omnia jura ordinaria finantur illæsa.

¶ De regulis Cancellariæ Papalis, novis technis & reservatis super casibus futuris.

XX. ¶ Ad hæc, Cancellariæ Romanæ regulæ, quas ad sua compendia subinde excogitare solent Curtisani, ac toties ferre ac revocare, necnon & aliæ subinde novæ artes excogitari cœperunt, quibus beneficia ecclesiastica ex Germania Romam eo facilius pertrahantur aggraventurq;, ita, uti si Germanorum quispiam beneficiorum aliquod ambiat, id non aliunde, quàm ex Curtisanorum manu, magna numerata pecuniâ, aut pensione annua reservata assequi possit. Neque in hoc Curtisanorum inexplebilis auri sitis contenta quiescit, quin novas quotidie artes excogitet, qualis est & illa, cum super beneficio aliquo vacaturo, duo aut tria millia aureorum ad futuros casus reservantur collatoribus ordinariis tam ecclesiasticis, quàm secularibus, eorumq; juri ordinario, ac ipsis deniq; ecclesiasticis beneficiis in prægrande exitium, perniciem, attenuationem & detrimentum. Nam cum casus aliquis futurarum reservationum existit, adsequiturq; is beneficium, cui prius tot reservata erant super hoc millia, tum ad supremam opem, technas profectò inauditas, confingunt, permutationum f. reservationem, surrogationem, reservantes sibi ingressum, accessum, atq; alias id genus decipulas quibus jus ordinarium collatorum ita exhauritur & attenuatur, ut aut nunquam aut vix tandem post multorum annorum curricula patroni ac collatores ordinarii ad jus suum patronatûs pervenire possint.

¶ De

¶ De ecclesiasticis beneficiis, curatis & non curatis in genere.

XXI. ¶ Nec minus & illud in Romana Curia hucusq; observatum est, ut gratiæ & reservationes pectorales, mentales, generales & speciales regressus, accessus, incorporationes, uniones & concordata, quod suis vocant excogitatis nominibus, ob pecuniæ & privati lucri amorem super beneficiis ac prælaturis, præsertim per Germaniam Curtisanis à sede Romana concederentur. Neq; hoc contentus fuit habendi sceleratus amor, quin & ea ipsa beneficia ac prælaturæ prædictæ, societatibus mercatorum potentum ære, cum onere census mediocris, sed ita, ut dehinc latius venderentur, conceduntur. Qua subtili practica atq; techna factum est, quòd plurima aut certe pinguium beneficiorum magna, si non maxima portio, ex Germanorum manu Romam est tralata, quæ beneficia hinc idiotis inidoneis, ac inhonestis etiam personis, non rarò sunt collata, & quidem nec Germanis, sed Barbaris, qui Germanam linguam neq; loquantur, nec intelligant, ut inauditum dictu hoc inde sit sequutum, quod ovibus Christi præfecti sunt pastores, quorum etsi oves vocem fortè audierint, non intelligant. Verum gravius etiã inde oritur Germanis onus, quòd quum beneficia hæc & parochiales ecclesiæ ipsi propria persona neq; possidere neq; gubernare possunt (Quod tamen pastoris officiũ in primis sibi postulabant) Nimirũ ut subditis parochialibus, & integritate ac innocentiæ morũ egregiũ de se præberent exemplum, ut oves suas tanquam oves Christi doctrina solida, sincera, ac ex puris evangelii fontibus hausta, quantum ad salutem animarum oviũ pertineret, ipsimet pastores pascerent. Eorum verò neutrum per pastores illos subdititios curatur. Primum enim ipsi qui beneficia hæc ecclesiastica à mercatoribus, quo prædictum est assequuntur modo, quia propria persona ad possidendum ea sunt minus idonei, ideo hæc eadem aliis æque, aut longè etiam quàm sint ipsi ad onus hoc inhabilioribus, pro annuo censu locant, non secus atq; census ac redditus annui ex agris locantur & emuntur, ut is demum habeatur emptor idoneus, qui pluris mercem licitaverit. Ita planè pro pretii quantitate elocantur nunc per Curtisanos ecclesiastica beneficia. Dehinc quũ ferè fiat, ut majus pretiũ annuum offerat, qui ad Ecclesiæ munus quàm minimum sit idoneus, evenit, ut conductitii illi pastores (an prædones rectius quis eos dixerit, dubium est) simplici Christi plebeculæ, pro Evangelii limpidissimo fonte, turbidas, protritas, ac ruderibus oppletas, propinent lacunas, dum legendas, quas vocant sanctorum, nec ab ecclesia receptas, & Gentilibus fabulis quàm Christianæ & Evangelicæ doctrinæ similioribus, ad populum Christi publicè in concione docent. Quid enim aliud docerent indoctè docti ac idiotæ illi, qui lanam magis quàm salutem ovium, ut curarent, munus hoc ecclesiasticum pecuniâ etiam non modica conduxerunt? ac mercenarii sunt, non (quod evangelium abominatur) pastores. Ita enim fit, ut Christi simplex plebecula, per suppositiios hos pastores, à germana Christi fide, ac in deum fiducia, in quibus sola requiescit animæ salus, ad hominum superstitiosa somnia ac commenta, per quæ res familiaris mercenariorum conductitiorum, quàm Christi gloria, augeatur potius, ducatur trahaturq;, ac multiplicibus etiam exactionibus interim gravetur plebs Christi, quando hoc solùm curant conductores, ut ultra pensionem locatori pendendam, res ipsa eorum quoq; reddatur lautior; expilaturq; interea suis nummis ab exteris nationibus, unde nulla, nec mutua benevolentia, aut gratiarum actio speranda ei est, Germania; quanquam beneficia hæc non ad exteros, sed suos, hoc est Germanos ut pertinerent, primùm fundaverit. Quapropter sacri Romani Imperii Status, obnixè quoq; rogant, ut præfata onera ac gravamina, per quæ tam immenso pecuniarum cumulo spoliatur Germania, quæ hinc per Curtisanos male prodigitur, radicitus ac penitus tollantur & auferantur, ita ut beneficia per Germaniam nemini quàm natis Germanis, qui personaliter ea possideant, id quod & æquitas & honestas ipsa sibi postulant, posthac conferantur ac concedantur.

De indoctis concionatoribus Legendas mendaces auditoribus pro verbo Dei proponentibus.

¶ Quibus nexibus Archiepiscopi ac Episcopi à suis Capitulis ob collationem beneficiorum sint adstricti.

XXII. ¶ Nec tantùm beneficia ac parochiales ecclesiæ Romæ ob pecuniæ favoris aut familiaris consuetudinis amorẽ, indoctis, turpibus, ridiculis, ac offendiculorũ plenis conferuntur personis; Sed & simile quiddã ab Archiepiscopis & Episcopis committitur, qui per eorũ capitulares cõgregationes ita obligantur, ut omnia præpinguia beneficia, curata ac nõ curata (quæ proculdubio à fundatoribus primũ, ut ad doctos ac integros pertinerẽt viros, sunt fundata) Capitularibus Canonicis, utcunq; ad hoc inidoneis, conferre necessum habeant, qui dehinc talia beneficia simplicia ac curata, indoctis ac ludicris personis, modò quàm maximum pendeant censum annuũ, elocant, æque atq; supra de mercatorum societatibus dictũest, ita quòd possessores illi conductitii, majorem partem ex illicitis exactionibus vivere, atq; ob id subditos eo amplius onerare coguntur. Similiter & cum cæteris Cathedralibus collegiatisq; ecclesiis, ac earum capitulis agitur. Item & per præpositos, reliquosq; in dignitate constitutos agitur idem, interim dum sua conferunt beneficia ecclesiastica.

¶ Præterea,

XXIII. ¶ Præterea, qui pinguiora,(ita ut prædictū est) habent beneficia, ac ecclesias parochiales, utcunq; annuas pensiones amplissimas ex locationis titulo à conductoribus percipiant, quibus redditibus à laicis fundatoribus beneficia hæc ampliter sunt dotata, tamen committunt locatores, ut domus beneficiariæ, præ neglecta ædificiorum cura, penitus collabentur. Nihil enim aliud curant beneficiorū personati isti possessores, aut locatores, quàm ut pecuniæ æquo majorem summam quotannis à conductoribus recipiant, ac eandem hinc in varios, sed in inhonestos, illicitos, ac offendiculorum peccatorumq; plenos usus convertant, de salute & cura animarū, vel subditorū, vel etiam eorū, quorū ex marsupio vivunt, hoc est, fundatorū, prorsus apud hos nulla mentio, respectus (velut Megarensium olim) planè nullus. Eapropter S. Rom. Imp. Status, ac Principes, & Proceres laici, hic quoq; supplicant, Sanctitas Pontificia velit eam offendiculorum silvam, turbatum rerū ordinem, ac onera hæc justo graviora, tollere emendareq;, ac Archiepiscopos Episcoposq;, ab obligatione, qua ex promissionis prædictæ nexu tenentur, liberare, solutosq; reddere, ac edicto cavere, ne posthac Archiepiscopi & Episcopi talibus astringantur vinculis, sed ut dehinc nulli beneficium ecclesiasticum, curam habens animarum, conferatur, qui non sit doctrina, ætateq; & moribus ad hoc idoneus, qui & honestam ac presbytero dignam vivat vitam, & qui ipse propria illud possideat personâ, nec plura quidem, sed unum tantùm beneficium curatum, seu parochialem ecclesiam, Christianè, hoc est, sine offendiculis ullis, sed multo cum doctrinæ tum vitæ integritatis fructu administret.

¶ De Prælaturarum Commendis, ut vocant, & incorporationibus.

XXIV. ¶ Itē & illud hucusq; notoriè observatū fuit, ut Abbatiæ multæ, Cœnobia itē plura, ac reliquæ id genus domus seu ecclesiasticarū personarū congregationes, fundationes f. Imperatoriæ ac Principales, Cardinalibus, Episcopis ac cæteris Prælatis, in tutelam commendarentur incorporenturq;. Quare factum est, ut per Cardinales, Episcopos, ac Prælatos illos, quibus ita (ut dictum est) commendatæ erant Abbatiæ ac Monasteria, ita sunt attenuata exhaustaq;, quòd cum antehac in uno illorū monasteriorum quadraginta, quinquaginta, aut ultra hoc etiam personæ satis commodè potuerunt foveri, nunc ægrè quinq;, sex, aut decem necessariis provideri possit alimentis. Quæ res omnis in privatā compendia aut commoda Cardinalium est excogitata. Unde nedum plura oriuntur offendicula, sed & gravamina oneraq; ardua, ac non ferenda Germanis. Ideoq; & hic supplicatur, Abbatias prædictas, Monasteria, ac religiosas cæteras domus, denuo in integrum jus eorum, pristinumq; rerum statum restituendas, cavendumq; posthac, ne cuiquam tales Commendæ, ut vocant, seu incorporationes concedantur.

¶ De Collegiatis ecclesiis, quæ super nobilibus tantùm fundatæ sunt.

XXV. ¶ Insuper, licet quædā sint collegiatæ ecclesiæ per Germaniā quæ à nobilibus, & in hoc, ut nobiles tantùm summæ atq; mediæ sortis ad eas reciperentur, primū sunt fundatæ, in quibus perdiutinæ observatæ ac præscriptæ consuetudinis privilegiū est, ut tantùm Principes, Comites, Barones, aut alioqui Nobiles acceptari possunt & debent. Attamen laudabiles hæ consuetudines, jura non scripta, privilegia Papalia, nequaquam curantur manutenenturve, sed è regione agitur per Curtisanos, ad liberæ electionis Episcoporū, Præpositorum, ac Decanorum & Canonicorum præpeditionem, ut coadjutores alioqui contra Capitularium voluntatem ac consensum, efficiantur. Nec rarò Curtisanis, licet indoctis & ignobilibus, parantur ad Canonicatus hujuscemodi accessus, non obstantibus statutis & consuetudinibus, & privilegiis præscriptis, ita quòd nobilibus Germanis beneficia subtrahantur, & hæc eadem ignobilibus vel ob pecuniam, vel familiarem consuetudinem hoc pacto conferuntur, ut licet impetrantes ignobiles ad ea non admittantur, obstante sibi consuetudine, tamen si quis Principum, Comitum, Baronum, Nobiliumve hæc eadem à Curtisanis impetrare velit cum colore quodam excogitati oneris, ab eisdem vel emere, vel annuo censu redimere cogitur, quanquam subinde alia huic negotio prætexantur vocabula, quæ res ipsa quoque nobilibus Germaniæ, supremæ atq; mediæ conditionis, in magnum cedit onerum ac gravaminum cumulum.

¶ Inveterata privilegia manutenenda.

XXVI. Ad hæc, quamvis omnia ecclesiasticis ac laicis statibus privilegia ac immunitates sint concessæ, Præposituras aliaq; beneficia & officia per se conferendi atq; eligendi, attamen per sedem Romanam novæ subinde excogitatæ sunt technæ ac practicæ, per quas privilegiis prædictis derogatur multifariam, immo ea penitus tolluntur ac turbantur. Eapropter rogant Sa. Roman. Imperii status, hoc emendandum, & in posterum cavendum, ac unumquemq; cum suis juribus & privilegiis defendendum, manutenendumq;. Id quod rei æquitas ipsa per se sibi postulat.

¶ De

¶ De Annatis.

XXVII. ¶ Quantū ad Annatas (ut vocant) attinet,quas ecclesiastici prælati,Romano pontifici quotannis pendunt,quasq; ante aliquot annos Germani principes sedi Ro.sub certis usq; annorū metis, eo tamen modo persolverentur, consenserunt, quo pecunia hæc ad nihil aliud, quàm contra Turcas parandā defensionē Romæ tanquā deposita, fideliter adservaretur. Verùm, quum anni,in quos præfato modo consensū erat per Germanos,jam olim effluxerint,ac Annatas depensas,non contra Turcas, sed aliò experientia Germani principes didicerint versas; Eapropter per omnes Imperii Ordines illud ipsum pro onere non mediocri huc allegatur, supplicaturque; id quod in responsione generali Oratori pontificio data, ac in primis ex Cæsareæ Majest. literis ad sanctitatem pontificiam eam ob rem scriptis, liquidò magis reperitur, quam ob causam laici status Rom. Imp. vela complicanda censuerunt.

¶ De contributione ecclesiasticorum, ac religiosarum domuum, contra Turcas ac pro defensione juris & tranquillitatis publicæ.

XXVIII. ¶ Item, postquam laicorum Imperii Statuum majores, ecclesias, monasteria, cæterasque religiosas domos, per Germaniam, ad laudem Omnipotentis ita ampliter atque hoc pacto dotarunt divitiisque auxerunt,quòd jam laici ipsi, vix tertiam aut quartam partem in bonis temporalibus possident, atq; ob eam causam, necessitati, tam ecclesiasticorum quam laicorum sublevandæ, propugnandæque ac manu defendendæ paci ac juri publicis, necnon & in Turcas, cæterosque ecclesiæ catholicæ, ac sacri Rom. Imp. hostes parandæ expeditioni, præ rerum inopia vires minus suppetunt. Ideo negotii ipsius exigit necessitas æquitasque, quòd sanctitas pontificia ita æquè ac paternè rem temperet, ut ecclesiastici etiam tanquam qui ampliores possident divitias, nedum contra Turcas ad ferendum opem teneantur auxiliares porrigere manus, sed ad tuendum jus publicum, ac tranquillum reipub. Christianæ statum, quotannis pecuniæ quippiam contribuendum; ita quòd Archiepiscopi & Episcopi ecclesiasticis prælatis ac personis suæ ditioni subjectis,ipsi soli ad ferendum hanc opem, contributionem prædictam indicere, jus ac potestatem habeant.

XXIX. ¶ Atq; illud eo moderamine agatur,ut Electores,cæteriq; Principes & Magistratus laici ab ecclesiasticis proceribus, in eorum principatibus, comitatibus, oppidis ac territoriis, in exercenda jurisdictione non perturbentur, aut præpediantur. Nempe hac re fiet, quòd laici inter ecclesiasticos jus ac tranquillitatem publicam tueri, & ecclesiastici sub laicis degentes, eo facilius ac commodius etiam jus quemq; suum defendere, ac manu tenere poterunt, cum ecclesiastici paria onera unà cum laicis magistratibus ac gubernatoribus provinciarum ferre & contribuere jubebuntur, quemadmodum ad id ipsum ex Christiana & germana charitate, ac ob æquitatem, paritatemque servandam alioqui tenentur obligatique sunt.

XXX. ¶ Et quandoquidem omnes, ecclesiastici imprimis ac præcipuè, meritò pro viribus contra Turcas, tanquam hostes Christianæ fidei, ad ferendam opem, parandam defensionem, recuperandumque manu, quas olim credulis ille ferro subjugarat. Christianorum provincias, teneantur. Eam ob rem pro licito, bono, ac pariter Christianæ reipub. utili & necessario visum placitumque est, ut si quando exigere id necessitas videbitur,quòd mundus & pretiosior supellex ecclesiarum cathedralium, monasteriorum, cæterarumque ecclesiarum ac religiosarum domorum, auri, argenti, unionum, aliorumque pretiosorum lapillorum, denique & campanarum pars non necessaria, pro communi Christianæ reipub. utilitate in medium conferatur, ne thesaurus ille ecclesiæ Turcis potius, quàm nobis custodiatur adserveturve. Id quod & per Græciæ regnum jam olim usuvenisse experientia ipsa docuit. Quæ res Turcis magno cessit lucrò præsidioque, quando reperto hoc ecclesiæ mundo, seu thesauro, militibus suis comparare potuerunt uberiorem commeatum, ut eo instructiores hinc cæteras Christianorum urbes oppugnarent ac provincias.

¶ Quòd personæ ecclesiasticæ ob perpetrata maleficia commeritam nullam luant pœnam.

XXXI. ¶ Item, quicunque ecclesiasticos recipit ordines, majores seu minores, per hoc omnium pœnarum magistratuum secularium,utcunque magna perpetret maleficia, immunis esse contendit. Neque hoc ita ordinati temerè præsumunt, quòd ab ecclesiasticis summæ conditionis statibus in peccandi hac licentia manuteneantur. Sæpenumero enim compertum est, ut quum ita consecratis, præsertim sacerdotibus, per jura canonica legitimæ uxores sint interdictæ, quòd dehinc pudicitiam matronarum, virginum, laicorum scilicet uxorum, filiarum, sororumque attentant, ac noctu interdiuque solicitant. Efficiunt quoque per assiduum ac indefessum laborem, partim muneribus, donis ac blanditiis, ut complures honestæ alioqui virgines & matronæ, partim etiam in secretis (quas vocant) Confessionibus, id quod eventu ipso compertum est, diuturna operâ labefactentur, ad peccata offendiculaque commoveantur. Nec rarò etiam evenit, ut hi, uxores, ac filias, maritis patribusque detineant, & remorentur, minantes interim, gladio, aqua, ignive, ulturos repetitas uxores,

Fructus cœlibatûs canonici.

Legite hæc & erubescite vos de quibus ista Principum querela est.

atque tantorum malorum segetem ex libidine insana contrahunt, mirum quid latrociniis, homicidiis, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falsa cudendo numismata, ac mille scelerum formis, interim contra divina humanaq; jura omnia, non sine magno etiam aliorum offendiculo, liberrime ac impunè quotidie committant. Nempe immunitate ac peccandi sua licentia, quam ex privilegiis canonum sibi usurparunt, in hoc freti. Cum enim & semel compertum habent, licere eis impunè quicquid libuerit, tum nedum magistratibus civilibus, sed & suis episcopis ac superioribus medium ostendunt unguem quodcunq; illi vel jubeant, vel vetent. Et tandè ut in peccatis maleficiisq; perpetrandis magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus interdictum est Archiepiscopis, & Episcopis, ne malefactores hos publicè criminali judicio reos agere possint, nisi prius degradatos, id quod tantis sumptibus, tantaque pompa celebrari oportet, ut propterea perquam rarissimum uncti illi malefactores merita plectentur pœnâ. Ad hæc astringuntur obliganturq; Episcopi per sua capitula, ut personas in sacris ordinibus, quod dicitur, constitutas, secundum Canonica etiam jura, pœnis utcunque levibus, punire affligereque non audeant. Quæ res tota eò spectat, ut ex disparitate hac, inter laicos ac ecclesiasticos simultates, dissidia atque odia plus quàm Vatiniana oriantur.

Immunitas Ecclesiastica, unctorum malefactorum præsidium.

XXXII. ¶ Illud quoque non mediocriter timendum est, ut si personæ ecclesiasticæ, jam dicti oneris, aliorumque maleficiorum causâ, quæ quotidie perpetrare pergunt, non æqua jura, judices æquos pares que pœnas habeant, quòd eorum vita offendiculosa apud laicorum vulgus tumultum quempiam seditionemque pergrandem, nedum contra ipsos ecclesiasticos scilicet, sed & contra magistratus, ac superiores omnes, quòd impunita sinant maleficia tam notoria, commotura excitaturaque sint.

XXXIII. ¶ Quapropter necessitas æquitasque ipsa sibi postulant, ut ecclesiasticarum personarum prædicta præsumpta privilegia abrogentur, aboleantur, è medio tollanturque, ac illarum gratiâ finaliter sanciatur, caveatur ac statuatur, quòd ordinati in majoribus vel minoribus constituti una cum personis laicis, æqua habeant jura, æquos judices, paresque pœnas, ita quòd ecclesiastici ultra laicos, in paribus delictis, nullam prætendere possint prærogativam immunitatemve, sed ut quisque delinquentium ecclesiasticorum sub quo deliquit judice, ob commissum suum maleficium, secundum delicti qualitatem ac mensuram, non secus atque alii malefactores, poena à jure communi Imperii imposita delicto commensurataque, plecti, puniri & affici possit atque debeat. Id quod verè ecclesiasticis, hoc est probis & eruditis viris, dubio procul, impendio magis arridebit; tantum abest, ut per hoc lædi jus eorum putent. Hac re namque fiet, ut titulo tantùm ecclesiastici, alioqui improbi nebulones, ad obedientiam majoribus debitam, ac ad bene honesteq; vivendum compellentur. Ad hæc seditiones, simultatesque inter eos atque laicos præcaveantur, evitentur. Denique & hoc ipso laici ad observandum, colendumque integræ vitæ ecclesiasticos eo magis invitabuntur permovebunturque.

☞ Optima ratio emendandi clericorum mores, eosq; in ordinem cogendi, ne vitæ turpitudo cedat in professionis suæ vituperium.

¶ De onere Banni, seu excommunicationis.

XXXIV. ¶ Item Romæ cæterisq; in locis per Archiepiscopos ac Episcopos, aut certè eorū ecclesiasticos judices, multi Christianorū ob causas prophanas, ob pecuniæ denique ac turpis quæstus amorem excommunicantur, multorumque, sed eorū in fide infirmorum conscientiæ per hoc aggravantur, & in desperationem pertrahuntur, ac deniq; ob pecuniæ lucrive tantulum, aut alioqui res minimi pretii, ad internecionem usq; animæ, corporis, honoris, atq; rei familiaris, contra divina humanaq; jura perducuntur. Quando nemo, nisi ob convictum hæreseos crimen, excommunicationis gladio feriendus, aut pro secluso à Christiana catholicaq; ecclesia, sacris literis testantibus, reputandus est. Ea propter Sa. Rom. Impe. Principes, proceres ac status laici rogant, ut pontificia sanct. tanquam fidus, Christianus ac pius pater, velit præfatum onus Banni, seu excommunicationis, apud sedem Romanam penitus abolere, ac apud cæteros Archiepiscopos, Episcopos, & eorum judices ecclesiasticos ablegare, tollere, & deniq; ita sancire cavereque, ut nemo ullam ob causam quàm manifestū ac convictum hæreseos crimen, & quantum ad sacrosanctam Christi fidem attinet, excommunicationis fulmine feriatur, aut pro secluso à Christiana ac catholica ecclesia, habeatur. Periniquum siquidem est, fideles Christi ob temporalium bonorum, lucrive, aut denique ullam aliam humanarum constitutionum transgressionem, excepta hæresis perfidia, à Deo Optimo Maximo, suaque ecclesia catholica excludi, sejungi separarique.

¶ Quo pacto multi cohabitatores oppidorum excommunicati, & ipsi utcunque innocentes excommunicantur.

XXXV. ¶ Item & illud in plerisq; sæpiuscule evenit, quod vicinorū excommunicati decem, & eo amplius, quos tamen causa nihil omnino contingit, cū ipso principali excommunicationis poena aggravantur, & non ob aliud, quàm officiales ecclesiastici i. judices, facilius citiusq; pro libidine sua miseram plebeculam depeculentur, ac pro suo libitu, eorū abutantur simplicitate,

ſimplicitate, ipſoſq; principales ad quaſcunq; etiam iniquas acceptandas tranſactiones per hoc compellant adigantq;. Nam etiamſi excommunicatus ipſe,una uxore,liberiſq; ſuis,per intolerabile hoc & iniquiſſimum Banni onus,in exilium ire cogatur,quod hac in re nullus ſit officialibus modus, neq; finis,neq; ulla facultatum ratio. Tamen nullus eſt hominibus illis reſpectus, num induſtriâ, datave ad hoc operâ & per contemptum, an neceſſitate ita impellente, vel caſu potius, vicini cohabitatores, cum excommunicato ipſo participarint, commerciumve habuerint, aut ſufficienſne hæc fuerit concivibus cauſa, quare excommunicatum meritò ſolum vertere juſſiſſe debuerant, horum penſi habetur nullum. Sed unum curatur hoc per officiales, ut quouſq; principalis ipſe excommunicatus, ſolvendo non eſt, concives ac vicini ſui, utut culpâ vacent, ad ſolutionem tamen quod ſupereſt debiti cogantur. Quod ſi aliquando officialibus in os obtrudatur, contra domeſtica, nempe canonica ſua eos hoc moliri jura,quæ pecuniæ causâ quempiam excommunicari,aut interdictum edici vetent: Nihilominus tamen idipſum conantur cauſantes interim,non ob pecuniam,ſed contumaciam,quæ tanto ſit major,quanto unde ſibi originem ducit, minorem habeat cauſam, tales excommunicari, atque hac decipula, avaritiam ſuam officiales nugando contegere nituntur.

¶ Item & de illicitis interdictis.

XXXVI. ¶ Præterea, quum ſacerdos, aut alioqui eccleſiaſtica perſona caſu occiditur, tum nedum occiſor excommunicatur, ſed & totum oppidum aut totus pagus iniquiſſimè interdicitur, quod interdictum eouſq; durat, tamq; diu interrupta pendent publica Chriſtianorum officia, quouſq; vel occiſor, vel tota incolarum ejus loci communitas fecerint homicidii compenſationem, homicidiumq; expiarint, non conſiderato eo, dederitne occaſionem, ut ſe geſſerit probè, vel nequiter verſatus fuerit occiſus ſacerdos, vel aliàs eccleſiaſtico ordini aſcriptus, licet jura canonica ipſa in quibuſdam caſibus, modum negotio præſcribant. Prægravanturq; itaq; ex delicto unius, centum alii nihil tale commeriti, nedum contra communem æquitatem, ſed & contra omnia divina & humana jura.

¶ De abrogatione feriatarum aliquot dierum.

XXXVII. ¶ Inſuper & feriarum feſtorumq; dierum tanta copiâ laicorum vulgus non mediocriter urgetur. Nimirum, quum tot ſint religioſi facti dies, ut vix ægrè tempus agricolis ſuppetat, quo fructus agri, tot ſudoribus è terra pellectos, aliquando aqua, pluvia, immodicove æſtu, non rarò etiam grandine aliave tempeſtate periclitantes, in horrea conferant, quos tamen fructus, ſi non feriarum ſolennibus præpediti forent, commodè ac citra jacturam ex agro legere, domumq; ferre potuiſſent. Adde, quòd feriatis quoq; diebus, qui dubio procul bono conſilio, ac in Dei Opt. Max. honorem, primùm bene ſunt feriati, innumera perpetrantur delicta, peccataque & ſcelera potius, quam his Omnipotens colatur, veneraturve. Id quod res ipſa notorium facit, tantum abeſt, ut teſtibus hoc egeat. Eamque ob cauſam Sc. Ro. Imp. ſtatus laici conſultius putant, ac reipub. Chriſtianæ conducibilius, ſi effrænis feriarum (quæ animis quàm extremo cultu Chriſtianis, hoc eſt his, quibus à peccatis ſemper feriandum eſt, rectius celebrantur) feſtorumque dierum numerus paulo coerceatur in arctum, minuaturque.

¶ De domibus ordinum militarium, ac Baliviis (ut vocant) per Apuliam Siciliamque ordini militari Teutonicorum vi doloque Germanorum ditioni ereptis.

XXXVIII. ¶ Item, licet dominis ordinis divæ Mariæ virginis (quos vulgò fratrū Teutonicorū vocant) ex liberalitate Romanorū Imperatorū celeberrimæ memoriæ, item & Principū, Comitū & Baronū, in eos collata, cæterorumq; nobiliū contributa auctione, certa bona temporalia, ac redditus & cenſus annui, per Apuliam, Siciliam reliquamque Italiam, empti ſint atq; adaucti, non ob aliud, quàm ut contra hoſtes Chriſtianæ religionis, ad pugnā inſtructiores forent, haberentque Germani nobiles pariter & fidei catholicæ propugnatores, unde commodius & honeſtius vitam militiæ ſemper paratam vivere poſſent, ea ex bonorum aſſe præfecturæ ejus ordinis aliquot (quas vulgo Balivias, ac à commeatu ordini parando, commeaturas vocant) diſtinctæ ſunt, & diſterminatæ per claſſes, quas quietè ſine cujuſpiam turbatione, per multa ſecula poſſederunt, uſurparuntque. Attamen per præcedentes Romanos Pontifices ordini prædicto bona talia erepta, ac Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopiſque, illiſque nec Germanis, nec præfati ordinis militaris exiſtentibus, collata, traditaque ſunt. Quemadmodum & in hunc uſq; diem militaris Germanorum ordo his ipſis ſpoliatus, carere cogitur. Inſuper priores Rom. Pontifices domus ordinis ſupradicti locatas, nato Italo, nempe Hieronymo Veneto tradiderunt, ac conceſſerunt. Eumq; Ordinis ſæpe dicti inſignibus decorarunt, contra Romanorum licet Pontificum ac Imperatorum, ſtatuta & privilegia, toties antehac per eorum prædeceſſores roborata, quibus ad Germanos tantùm ordinis milites, ut hæc omnia pertinerent, cautum ſancitumque eſt.

Deinde & Romanenſes Curtiſani ordinis ſupra memorati domos per Italiā, Bononiæ puta, Papalibus Bullis ac proviſionibus attentare conati ſunt, quo facto ordinem ad litigandū ſecū

Romæ coegerunt. Id quod non ad mediocrem perniciem & ipſius ordinis, & totius Germanicæ vergit nationis. Demum Germanis Stablore quoq; divi Benedicti monaſterium, contra fundationis quanquam jura, ſuperioribus paucis equidem annis ereptum eſt, ac in commendam (ut aiunt) Cardinali Columnæ collatum; quæ omnia in perniciem tendunt, ac irrecuperabile Germanicæ nationis detrimentum; attentatumq; eſt, quicquid id eſt, contra jus & fas, ac æquitatem omnem. Ea propter imperii ſtatus hic quoq; rogant, ſanctitas Pontificia velit militari Teutonicorum ordini, bona erepta, cenſuſq; & redditus ablatos, abſque ulteriore mora confeſtim reddere ac reſtituere, aut idipſum, ut quanto citius fiat, mandare, curareve, quemadmodum juris, boniq; & æqui ratio hoc ſibi poſtulat.

¶ De oneribus ſacri Rom. Imp. Statuum laicorum, contra Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque prælatos eccleſiaſticos, eorum quoque Capitula, ac ſuffectos judices, quos vocant eccleſiaſticos.

XXXIX. ¶ Præter onera ſuprà memorata, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & prælatorum, quòd ii (ut prædictum eſt) à ſede Romana conſervatores delegatos, atque id genus alios pleroſque eccleſiaſticos impetrant judices, per quos laici non ferendis aggravantur modis, quod non omnino infrequenter evenit, ut laici in periculum ac perniciem animæ, æſtimationis, corporis atque bonorum perducantur, ac quantum per hos ſtat judices, pertrahantur etiam. Sed hic nondum finis: Sunt enim complura adhuc alia GRAVAMINA; prout ſigillatim ea per capita nunc recenſebuntur.

¶ Primum, quibus modis laicorum bona immobilia ad eccleſiaſticorum manus, & non contra, ab eccleſiaſticis ad laicos perveniant.

Gravamina ſtatuum laicorum.

XL. ¶ Item, quum à ſede Romana conſtitutionibus ſit cautum ac proviſum, ne bona eccleſiaſtica, præſertim immobilia, regulariter perſonis laicis unquam diſtrahi aut vendi poſſint, & tamen eccleſiaſtici, nulla cogente neceſſitate, ſed tantùm, ut eorum res familiaris reddatur lautior, creſcantq; cenſus, nunquam non ceſſant laicorum prædia emptionibus, innumeriſq; aliis modis ad ſe pellicere, ſi qua tandem ſit poſſibile via. Quod ipſum quoque ſtatibus laicis grave, damnoſum ac intolerabile eſt. Quamobrem Sa. Ro. Imp. Status laici reipub. Germanorum utile neceſſariumq; putaverunt, ſi omnia bona immobilia, ſoli. ſ. quæ poſthac aliquo quocunque tandem titulo à laicis ad eccleſiaſticos pervenirent, poſſent à laicis ſuperioribus, quorum ditioni prædia hæc ſubjecta forent, tandem ab eccleſiaſticis, redimi, lui, atque juſto pretio vendicari, non conſiderato quicquid contra hoc privilegiorum prætenderent eccleſiaſtici.

¶ Quomodo Epiſcopi bona hæreditaria eccleſiaſticorum ad ſe trahere conentur.

XLI. ¶ Nec raró & illud facto contigit, quòd cum perſonæ eccleſiaſticæ bona hæreditario titulo, à majoribus ſuis, unà cum cæteris cohæredibus, jure hæreditario ſibi fortè uſurparent, ac ſi dehinc inteſtati deceſſiſſent eccleſiaſtici, tum per Epiſcoporum nonnullos ſibi ipſis bona illa hæreditaria laicorum vendicari cœperunt, non in mediocrem proximorum venientium ab inteſtato cognatorum perniciem ac jacturam. Quæ res ipſa quoque laicis non ferenda, immo omnimodo oneroſa intolerabiliſque eſt.

¶ Quo ingenio, bona quædam laica, quæ eccleſiis, aut aliis religioſis domibus certis pactionibus vendita ſunt, vel hypothecata, ditioni eccleſiaſticæ ſubjugari conentur.

XLII. ¶ Ad hæc, ſi quando caſu ita contingit, quòd bona laica temporali juriſdictioni ſubjecta, fructibus, redditibus, cenſibuſve annuis eccleſiis, ac cæteris religioſis domibus legentur, vendantur, hypothecentur, aut quovis alio titulo tradantur, vel à laicis erga eccleſias ac monaſteria annuo cenſu tributaria efficiantur, moliuntur eccleſiaſtici talia prædia laica ex civili poteſtate ac ditione in eccleſiaſticam transferre, atque huic utcunque iniquo illicitove conatui, Epiſcopi, eccleſiaſticique patrocinantur prælati, tuenturque rem longè iniquiſſimam, tantum abeſt, ut in hoc quenquam revereantur eccleſiaſtici.

¶ De collatione beneficiorum eccleſiaſticorum jam primum fundatorum.

XLIII. ¶ Item, quum beneficium aliquod eccleſiaſticum à laicis, ſummæ vel mediæ conditionis primum fundatur dotaturq;, tunc quidam epiſcoporū primā ejus beneficii collationem ſibi uſurpare nituntur, ac beneficii ipſius dotationem, fundationemve prius confirmare recuſant, quàm eorum intentioni acquieverint qui beneficia ex ſuis cenſibus dotarunt, hoc eſt, fundatores atq; patroni ſecundum jura etiam Canonica collatores ordinarii.

¶ De confirmationibus beneficiorum eccleſiaſticorum, non neceſſariis, atque aliis id genus gravaminibus.

XLIV. ¶ Præterea ſi quis novam fundationem beneficii eccleſiaſtici, fraternitatiſve erigere, atq; eandem confirmandam petere velit, quanquam confirmationis hujuſce, de jure ac

æquitate

æquitate minimè indigeat. Nihilominus tamen fundatores beneficiorum, præter modū pecuniarū exactionibus ad vivum usq; aggravantur, exuguntur que, ac per Romanorū statuta, technas ac subtiles practicas, eo diriguntur, ut fundationes hæ omnes, quamvis minimi sint pretii, necessariò confirmentur. Quod ipsum non mediocre Germanorum laicorum est onus.

¶ De subsidiis, & aliis oneribus, quæ imponuntur ecclesiasticis, qui Collatores habent laicos.

XLV. ¶ Deinceps, siquando contingit, ecclesiasticā personam à laico, beneficio aliquo dotari, & Episcopo pro investura accipienda præsentari, tum episcoporū in spiritualibus (ut vocant) vicarii, pro investura tantum erogant æris, præsentatis illis, quantum collatum beneficium in annuo habet proventu, nonnunquam etiam quantum bimo. Ita etiam altera portio exigitur episcopo, & reliqua interim Archidiacono, aut Archipresbytero pro investura, vel possessionis traditione.

XLVI. ¶ Insuper, nimiumq; pro viribus, illicitis exactionibus gravant episcopi beneficia, subsidiis nimirum, nullæ licèt subsint urgentes, aut illud sibi admodum postulantes causæ, hoc est, quod jura vocant, manifestæ & rationabiles, ultra etiam modum, quem jura communia in casibus evidentibus & necessariis præscribunt. Illis nempe casibus, quibus solis jura subsidiū ab ecclesiasticis erogari permittunt, fitq; ejus rei immodico usu, ut presbyteris vitæ necessaria vix aut certè ne illa quidē relinquantur. Demū & in totius populi caput hoc redundat onus, quando ita premuntur sacerdotes, ut respirare eis non liceat, ni vicissim subditā plebeculā arrodant. Ita ex onere seritur onus, eousque, ut nullū gratis, nisi numeretur semper aliquid, ministrent sacramentū, ecclesiæq; Christianæ donū, ad quod tamen præcipuum gratis ut facerent, darentq; ea gratis, quæ nullo ære redimi possunt, atq; ipsi gratis accepissent, sacrosancti Evangelii attestantibus literis, tenebantur. At illud res ipsa fecit notorium.

¶ Quo pacto sæpius, & quidem plures, unà indocti atq; inidonei ordinentur sacerdotes.

XLVII. ¶ Item Archiepiscopi, Episcopi & eorum suffecti (quos Suffraganeos vocant) sæpenumero plures indoctos, idiotas, inhabiles, vilesque, ac ludicras personas ad sacerdotii functionem ordinant, qui cum ex ministerio ecclesiæ, ad quod minus sunt idonei, vivere non possunt, tamen neque aliunde, vel ex beneficiis, vel propriis hæreditariis bonis, unde vitam presbytero dignam ducere queant, habent, sed tantùm imaginarios & fictitios, aliquando neq; illos quidem secum ferunt titulos, fitq; dehinc, aut ex innata malitia, morumve levitate, aut qua premuntur egestate (sicut res est malesuada fames) ut inhonesta exerceant commercia ac munia sacerdotibus obeant indigna. Quæ res ansam subinde ministrat, verè ecclesiasticos ac Christo sacros presbyteros floccipendendi, nihiliq; faciendi, quòd illorum vita coram universo populo offendiculis sit quàm refertissima. Interim à quibusdam Episcopis sex corruptis testibus ad hoc adhibitis, dignusne sit sacerdotii munere vel minus ordinandus, fides adhibetur, qui passim quosq; indignissimos simulatis suis vocibus testantur dignos, adq; hoc ministerium aptos ferunt & accommodos, licèt non rarò nullus personatorum illorum testium, ordinandum, vel de facie albus an ater sit, noverit, conanturque ita Christianis sanctionibus, sub persona, fuco, atque fictitio tantùm prætextu satisfacere.

¶ De impensis immodicis, quæ in ecclesiarum consecratione insumuntur.

XLVIII. ¶ Insuper quum ecclesias ac templa prætenuia quidem, Deo dicant sacrantque, nonnulli Suffraganeorum, subditos utcunque per se egestate laborantes, superfluis minimeq; necessariis sumptibus onerant, neque hoc contenti, quin munera quoque, & illa quidem immodica, à misera plebecula exigant.

XLIX. ¶ Item quum laici ecclesiis altaris donant ornamenta quædam, necnon Casulas, & similia, ac in Dei honorem pecunias suas expendunt, nihilominus tamen Suffraganei exigunt, ut talia, priusquam ad altaris convertantur usum consecrentur, pro qua demum consecratione munera ac dona petuntur innumera. Quapropter æquum est, ut tales abusus deleantur. Et si Suffraganei frustra laborare nolint, ut unicuique prælato aut plebano talia faciendi permittatur potestas.

¶ Quemadmodum Cœmiteria nonnunquam superfluè, ac minimè necessariò consecrentur.

L. ¶ Demum si forte sine armis, pugnis tantùm & capillis in Cœmiterio, duo, pluresve manus conserant, aut rixam habeant, ad sanguinis usque, quantumvis modici, effusionem, tū ad interdictorū severitatē recurrunt ecclesiastici, nec prius publica Christianorum redintegrant officia, quàm civium universitas Cœmiteriū denuo magna pompa, gravibusque, nec profectò minoribus impensis consecrari curaverit, quàm primū (ut prædictum est) ex prophano redditus sit sepulturæ is locus sacer. Quæ omnia in caput tandem redundant laicorum.

Consecratio cœmiteriorum ficta lucri causâ.

LI. ¶ Item Suffraganei excogitaverunt, ut solùm ipsi, & nullus alius sacerdos, laicis campanas baptizent, credūt deinde simpliciores ita affirmantibus Suffraganeis, tales campanas

Campanarum baptizatio ridicula & planè ethnica: quarum sonitus dæmonibus terriculamento esse, credulo & ignaro vulgo suadetur: cum verisimilius sit eos istiusmodi musicâ delectari, ob ritum minimè Christianum. Attende autem quàm acriter Principes sapientissimi istud deliramentum perstringunt.

baptizatas dæmones & tempestates pellere. Quapropter innumeri plerumq; adhibentur compatres, præcipuè verò, qui fortuna pollent, exorantur, qui baptizationis tempore funē qua campana religata est, tangunt, ac Suffraganeo præcinente (quemadmodum in parvulorum baptizatione fieri solet) omnes pariter respondent, ac campanæ nomen ingeminant, vesteque nova (quemadmodum & Christianis fieri solet) campana induitur. Inde ad sumptuosa properatur convivia, quibus præcipuè compatres, ut eo largius munera offerant, adhibentur, necnon Suffraganei & eorum Capellani cum multis aliis ministris regaliter pascuntur. Nec hoc satis est, sed & Suffraganeo mercedem persolvere necesse est, quam illi munusculum vocare solent; inde evenit, ut aliquando etiam in parvis villis centum floreni in tali absumantur & expendantur baptizatione, quæ res non solum superstitiosa, sed etiam Christianæ religioni contraria, ac simpliciorum seductio, & mera est exactio. Veruntamen Episcopi, ut Suffraganeos vel vilissima obærare possint mercede, talia & adhuc absurdiora tolerant. Res igitur tam nefanda & illicita meritò aboleri debet. Cæterum si conducere videtur, ut campanæ consecrentur (ita enim Suffraganei baptizationem appellant, quoties à prudentioribus de hac re interpellantur) conveniens erit, ut talis consecratio per unumquemque fiat sacerdotum, quemadmodum cum aqua benedicta, sale, herbis & similibus fieri solet, idque absque * pretio & expensis laicorum, ne populus simplex ita seducatur, & damno afficiatur, necnon avaritiæ detestandæ præsumptio evitetur.

* Tollite pretium & campanæ manebunt prophanæ, per sacerdotes licet.

¶ Quemadmodum de nova sancti cujuspiam celebritate partem petant oblationis.

LII. ¶ Deinceps, si fortè per diœcesim Episcopi alicujus nova effertur sancti celebritas, ad quem passim concursus fit, tum Episcopi aut prælati eo loci, oblationum omnium tertiam, aut certè quartam partem sibi vendicare præsumunt. Quod tamen domestica eorum, nempe canonica jura, eis non permittunt, quin oblata illa pecunia, potius ac meritò, pro totius Christianæ reipub. necessitate, ad contrahendam militum manum, parandumque expeditioni bellicæ commeatum contra Turcas usurparetur, aut certe in proximi verteretur necessarios usus.

¶ Quo pacto illicitam à Præpositis monasteriorum Deo dicatarum virginum petant pecuniam.

LIII. ¶ Item quum monasteria aliqua Deo dicatarum virginum, per præpositos seu præfectos gubernentur, qui tamen ad libitum officio hoc moveri possunt, neq; enim perpetua est hæc præpositura, attamen Episcopi, acceptationi aut missioni præpositorum, prius consensum suum adhibere recusant, quàm à monasteriorum Deo devotarum, simpliciumque puellarum pecuniæ aliquid numeratum fuerit.

LIV. ¶ Item, quum Abbas quispiam, aut Abbatissa eligitur, coguntur iterum per Suffraganeos consecrari, licet antea ut monachi & moniales satis superque sint consecrati, Suffraganeumque cum suis regiè excipere & pascere, ac insuper tanquam muneris loco, magnam persolvere pecuniam. Quæ res non in parvum damnum cedit monasteriorum, sed etiam illorum quibus monasteria illa sunt subjecta.

Insuper pontifices summi multa & varia in curia Romana excogitàrunt officia, quæ ipsi immani vendunt pretio, quod quidem illi persolvere coguntur, qui (ita jubente Pontifice) operâ talium indigent officialium, seu scriptorum. Hinc evenit ut natio Germanica, præcipuè vero episcopi, quoties Pallium redimunt, aut confirmationem à Romano petunt Pontifice, ac multi alii oppidò aggraventur, ac longe plus, quàm elapsis annis, pecunias suas dilapidare compellantur. Hinc facile conjicere licet, quot Romæ quantique laquei pro emungendis nummis tendantur. Quapropter talia officia meritò deleri debent.

¶ De Archipresbyterorum Officialibus, & aliis judicibus ecclesiasticis.

Eloquuntur Principes; arrigite aures vos in quorum gratiam hæc omnia proponuntur.

LV. ¶ Archipresbyterorum quoque Officiales, ut plurimum sunt indocti, inhabiles, insuper & scurrilibus moribus, nihil pensi habentes, nihil aventes quàm pecuniam. Et quàm notoriè in publicis degant peccatis ac facinoribus, quotidiano discitur usu, per quod laici, quos ob admissa, debito modo corripere, ac in pietate Christiana eruditiores & meliores reddere debebant, nedum ad meliorem frugem non perducuntur, sed offendiculis onerantur potius. Ad hæc per leves ac viles has officialium personas, in quorum conscientiis, nulla Christianæ pietatis viget ratio, sed tantùm sceleratus habendi amor, laici miserè ad vivum usque in bonis suis spoliantur, ac deprædantur. Id quod Archiepiscopi & Episcopi, si quidem revera quod dicuntur, essent, hoc est, Christi pastores, dubio procul, diutius non tolerarent, ovesque Christi talibus offendiculosis pastoribus curandas minimè commendarent, pascendasve committerent.

¶ Quàm iniquè laici ad vetitum trahuntur ecclesiasticorum tribunal.

LVI. ¶ Ferè & hoc quoque accidit, ut laici ad ecclesiasticorum, licet periniquè, trahantur judicium. Nam etiamsi actor sit ecclesiasticus, qui laicum reum judicio convenire intendit;

tendit, attamen nihilo magis ordinariæ jurisdictioni reorum deferunt, quin passim ecclesiastici tales reos laicos seu quascunque etiam ob causas civiles ac planè prophanas, ad ecclesiasticum tribunal, refragantibus omnibus etiam juribus, pertrahere adnituntur, quum tamen maximè conveniat, ac jure non ignoto sit, quàm expressim cautum, actorem, rei forum sequi debere.

¶ Quo pacto magistratuum civilium subditi, propter debitam pecuniam ad judicia ecclesiastica pertrahantur.

LVII. ¶ Præterea ecclesiastici sæpiuscule laicorum subditos ob debita pecuniaria, coram ecclesiastico judice in jus vocant, ac prægravi eorum judiciorum ordine eosdem inibi vexant atque excutiunt, licet à civili magistratu, adeoq; judice reorum ordinaria justitia jurisq; debita executio eis nunquam fuerit vel denegata, vel diutius quàm par sit, procrastinata, fitque ita per actorum (ut dictum est) petulantiam, quia conventi judicio ecclesiastico laici, varios ob casus jus suum non ita examussim, vel deducere per imprudentiam, vel non probare per simplicitatem, noverunt, neque edocti sunt, ut in prætentam pronuncientur excommunicationem, ac irreparabile rerum suarum perducantur detrimentum, perniciem & jacturam.

¶ Quàm iniquè laicis judicibus præbeatur occasio ab ecclesiasticis, subditorum suorum petendi missionem.

LVIII. ¶ Insuper & alias ob plures causas illicitas, à judicibus ecclesiasticis contra personas laicas emittuntur citationes ac monitoria, quanquam tales judices, publica etiam testante fama, indubitanter perspectum habeant, vocatos ita in jus ad ditionis suæ terminos minimè pertinere, illosque ad ordinarium jus remittendos fore. Quod ipsum quoq; laicorum subjectis non ferendis modis grave onerosumque est. Nam etsi causæ personæque tales ad instantiam magistratuum civilium ac laicorum superiorum petitionem, tandem ad jus dicentis laici ordinarium remittantur tribunal, nihilominus tamen ita immeritò in jus vocati, gravibus onerantur impendiis, damnis & expensis, eò quòd superiores suos laicos, quos non rarò ultra centesimum lapidem peregrè abesse contingit, primum requirere, dehinc literas missionum ab his impetrare, ac tandem eas ipsas judicibus ecclesiasticis mittere cogantur, interim nunciis ad hoc conductis eroganda est pecunia, cessandum à quotidianis operibus, ferendæ impensæ itinerum atque advocatorum. Quòd si fortè superiores suos in jus vocati non continuò imploraverint, missionum literas impetrarint, easque judicibus prædictis transmiserint, ac ad monitionem usque processum interea fiet, etiam ecclesiastici judices vel requisiti hinc à vocatorum superioribus, quæcunq; tandem in jus vocati sit causa, remittere tamen ita vocatos atq; admonitos ad ordinarium judicem laicum, recusant.

¶ Quòd judices ecclesiastici causas aliquot speciales, licet laicas, ita suæ asserant ditioni, ut omnino eas remittere nolint.

LIX. ¶ Quum apud ecclesiasticū judicē ob decerptū virginitatis florē, itē ob id illegitimè natorū, hoc est, naturalium liberum statum aut servientium mercedem, viduarumve quæcunque etiam judicio ventilantur causæ contra laicos reos, tum vel interpellati à litigantium laicorum superioribus, judices ecclesiastici, terminum tamen sistendi jure, nec circumducere, aut ad se in jus vocatos, ordinariæ jurisdictioni ut remittant precibus induci possunt.

¶ De aliis illicitis & inutilibus expensis causarum prophanarum, quæ ad ecclesiasticos judices trahuntur, ac denuo remittuntur.

LX. ¶ Adhæc, quum laicus corā judice ecclesiastico (ut supra dictū est) iniquè in jus vocatur, demumq; ad petitionē judicis ordinarii remittitur, tunc temerè agentis procurator, qui tā malè in jus vocari fecerat laicū reū, mercedē suā à convento, qui tamen temerè ad vetitū tractus fuit judicium, petit, cogiturq; dehinc excommunicationis pœnâ innocens ille ultra expensas, quas ob malam in jus vocationem in itinera, procuratores, proque impetrandis & redimendis missionū literis, necessariò expenderat. Adde & neglectorū operū æstimationē, jam tandem nulliter & iniquè emissos judiciarios processus persolvere, atque ære non immodico coactus licet pensare. Namq; id si fortè recuset, anathematis præstò est gladius, hoc ei minantur judices ecclesiastici fulmen, ni persolutis vocationum literis, habendi libidinem ipsorum satiaverint. Ita afflicto additur afflictio. Neq; juris ratio, quæ temerè in jus vocato, refundendas dictat expensas, à judicibus his curatur quicquam, imò judiciarius hic eorum ordo, ex diametro, quod aiunt, cum juris boniq; & æqui ordine pugnat. Eum tamen judiciorum ordinem, non ob aliud, quantum conjectura assequi licet, hactenus ita religiosè observarunt, quàm ut plurima actorum turba per hoc ad eorum alliceretur tribunal. Ita semper iniquum, ex re, quæ meritò debebat esse æquissima, student facere lucrum.

¶ Quo modo novæ per violentiam instituantur decimarum præstationes.

LXI. ¶ Item, etsi laici per multa annorum curricula de certis eorum prædiis, neque majores, neque exiguas (ut vocant) præstiterint decimas, tamen per ecclesiasticos judices, apud

quos

quos iniquis litigant conditionibus, authoritate judiciaria, ita eis fit negotium, ut aut petitas judicio decimas, sive quidpiam aliud est, quod ab eis exigitur, præstare persolvereque, aut excommunicationis pœnam ferre, necessum habeant. Neque hoc temerè. Nam etiamsi à sententia quantumvis iniqua Romam appellaverint, non eos fugit quàm onerosus atque dispar sit & illic litium eventus.

¶ Quo pacto ecclesiasticorum officiales ac suffecti, & ipsi laicos ad ecclesiasticorum tribunal in jus trahere conentur.

LXII. ¶ Ad hæc omnia, personæ ecclesiasticæ nedũ ipsæ per se laicos, quibus dictũ est, ac similibus casibus, ad ecclesiasticos trahunt judices, verùm etiã ecclesiasticorũ officiales, suffecti, procuratores, domestici famuli famulæq;, ac deniq; ipsorũ etiam subditi, conantur, adnituntURq; idem juris, quod eorum habent superiores, sibi ipsis quoq; asserere usurpareque.

¶ De causis injuriarum, quæ coram ecclesiastico ventilantur judicio.

LXIII. ¶ Tandem, si quando ex facto evenit, ut ecclesiasticus contra laicum injuriarum agere illatas fortè verbo injurias, intendat, conatur ecclesiasticus judex eas ipsas quoq; suæ jurisdictioni vendicare causas, quo denuo reus judicio conventus, ordinario juri suæque eripitur atque eximitur jurisdictioni.

¶ Quemadmodum causæ prophanæ ob interposita juramenta, ecclesiastico tribunali asserantur.

LXIV. ¶ Insuper & id præsumunt officiales, si quando in causis prophanis, ac inter personas ecclesiæ minimè sacratas, dicatasve, sed omnino laicas, data fide, seu præstito juramento, verbo vel in scriptis, pacta, obligationes, contractus, vel promissiones factæ sint vel celebratæ, quòd eam ob rem, atque hujus prætextus ratione, tales prophanæ laicæque causæ coram ipsis potius, quàm ordinario judice agitari debeant. Quæ nova ecclesiasticorum techna usu si increfceret ac diutius toleraretur, jam actum foret de civili causarum auditorio, quòd omnes prophanæ civilesque causæ contractuum atque transactionum, hac via necessariò ad ecclesiasticos pertraherentur. Quis enim contractus, quæ transactio, quæ denique inter paciscentes conventio, quæ non sit solenni ita stipulatione, aut promissione vallata? Illac nimirum rerum veniremus, ut in totum civilia eluderentur judicia. Quod nedum contra æquitatem ipsam, contra omnia jura scripta, sed & civili magistratui intolerabile foret. Nam ut demus hoc interim ecclesiasticis judicibus de perjurio commisso, notionem ut habeant, nihilo magis per id causæ ipsius principalis, contractus puta, aut transactionis, quamobrem ille pejeravit, judices competentes erunt, quin perjuros illos ob religionis transgressionem manifestariam tantum judicio convenire possent, ac Canonicam huic indicere mulctam, reservata tamen civili magistratui, qui perjuros pœnali judicio secundum civiles sanctiones plectere jus habent, commissa sibi ob id pœna.

¶ Quonam modo reformationes suorum judiciorum nec observent, neque manu, hoc est, executione debita tueantur.

LXV. ¶ Præterea nedum rationi consona jura communia, sed & ecclesiarum aliquot Cathedralium, propriæ reformationes, notoriè in quamplurimis casibus negliguntur, irritaque fiunt, dum contrarius ex eisdem ducitur sensus. Exequuntur enim hæ contra hos tantum, quorum potestatem ipsi non reverentur. At si res potentiores, aut eos quibus manu pares esse non possumus, contingat, tum ex juris sui rigore remittunt quippiam. Nam etsi maximè episcopi locorum ordinarii, aut eorum officiarii à vim passis, aut his quibus contra jus injuriæ illatæ sunt, pro debita justitiæ executione, ac talium gravaminum onerumve abrogatione interpellentur, sæpenumero tamen evenit, ut querela hæc vel præpositum contingat, vel decanum, vel certè capitulum, ac ecclesiæ Canonicos capitulares, hoc est eos, contra quos loci hujus ordinarius Episcopus utcunque æquitati favens, remorante eum hac via, in electione præstita ac promissa fide, meritam transgressionis emendationem atque mulctam præsumere, eisque infligere non audeat.

LXVI. ¶ Ad hæc, Episcoporum ac prælatorum nonnulli pro tempore ecclesiasticorum judiciorum Synodorumque, ad suum libitum speciales quasdam & prætentas ferant reformationes, ordinationes, leges atq; statuta, quæ ipsa multifariam à jure communi dissident, ac seorsum toti civili magistratui & jurisdictioni, eorumq; subditis derogant atq; perniciem adferunt, neque ullam præ se ferentia æquitatem, quod ad ecclesiasticorum privata compendia inque laicorum necem sint excogitata atque efficta. Eamq; ob rem laici ea acceptare, aut his parere minimè tenentur. Nam neq; ipsi ecclesiastici domesticas has suas constitutiones secundũ rationabilẽ, sinceriorẽ, ac germanũ æquitatis intellectum, observant. Etenim tametsi reformationes hujuscemodi, ut plurimũ, statuant corã officialibus, eorumq; ecclesiasticis consistoriis, manifesta ac notoria tantùm, minimeq; occulta delicta, debere agitari atq; ventilari, cõsiderariq; in primis salus animarum, & honor Jesu Christo debitus, potius quàm pecuniarum lucrum: Attamen ejus rei oppositũ, atq; ex professo contrarium negotiũ ipsum, innumeræq;

aliæ

aliæ conjecturæ ac circumſtantiæ plus liquido manifeſtum reddunt, id quod partim ex ſuprà enumeratis,partim ex recenſendis ſequentibus articulis, utcunque ſuccinctis, cuique æſtimare facile eſt.

¶ Quemadmodum plus pecuniæ, quàm pœnitentiæ peccatoribus imponant.

LXVII. ¶ Patrum canonibus ſancitum eſt, ſpiritualibus ac manifeſtis peccatis, ſpiritualem pœnitentiam ſeu ſatisfactionem imponendam eſſe, ut ſic non pecuniæ lucrum, ſed potius animarum ſalus quæri intelligatur. Id quod ſuprà etiam memoratum eſt. At eccleſiaſtici judices & officiales, perperam animadverſis canonibus, dictam ſpiritualem pœnitentiam in tantum exaſperant, aggravant & augent, ut laici, priuſquam eam ſatisfactionem acceptare velint,pecuniâ magis ſibi ab ipſis immunitatem comparent: quare laici multum premuntur, eccleſiaſtici contrà multum ditantur, utpote, qui in ſuum privatum commodum & partis agunt munus & judicis, quod tamen omnibus juribus diſſonum eſt.

¶ Quem in modum honeſti viri & mulieres ex falſo rumore ſæpenumero graventur.

LXVIII. ¶ Accidit etiam nonnunquam, quòd viri & mulieres coram Officiali, ſeu eccleſiaſtico tribunali, ut delictorum ac ſcelerum ſontes, ſiniſtro rumore deferuntur, ac non prius per ſententiam innocentes declarantur,quàm ubi ſe jurejurando purgaverint,qua purgatione facta, in priſtinum æſtimationis ſtatum reſtituuntur. Et quamvis tam ſiniſtrè denunciatis incommoda, damna, impenſæ, eam ob rem perpeſſæ, meritò refundi deberent, nihilominus tamen innocentes ipſi in dictæ reſtitutionis fidem, Officiali eccleſiaſticove judici, duos aureos, cum aurei quarta parte, pro abſolutoriis literis, nequaquam neceſſariis, numerare coguntur. Et hoc eſt, cur Officiales eccleſiaſticique judices, tam iniquas & illicitas rumoris falſi atque delationis cauſas ita adſectentur, ad ſe evocent, ſoliſque ſibi vendicent. Id tamen ipſum non ſine magna ſingulari, ac gravi jactura mortalium committunt. Nam ſæpius evenit, quòd altercantes mulieres, ira, invidia, ſeu alio quopiam adfectu commotæ, invicem ſe maledictis impetant, convitiis proſcindant, in tantumque dementen tur, quòd altera alteram vel adulterii, vel magicæ artis ream inſimulet. Quod ubi coram Officiali deducitur, tum illa, quæ, per iracundiam, alteram probris ac contumeliis adfecerat, jurisjurandi ſacramento ſeſe excuſare, ac purgare cogitur. ſcilicet quicquid injuriarum in alteram profuderit, id omne non ex certo animi propoſito, ſed ira, invidiaq; profectum eſſe, pariq; modo altera,quæ adulterii,necromantiæve inſimulata eſt,ſuam innocentiã,quodq; prædictorum nequaquam ſibi conſcia ſit facinorum, juramentò detegere jubetur. Interim verò quilibet apud ſe facilè conjicere poteſt, in talibus cauſis, mulieribus, ſive memoratorũ ſcelerum vacuæ ſint, ſive iiſdem criminibus obnoxiæ, jurandum tamen eſſe, dummodo famam, honorem ac vitalem ſpiritum retinere velint. Qua ex re non ſolùm illicitum pecuniarum lucrum quæritur, ſed deliberatæ pejerationes extorquentur, ſeculareſque juriſdictiones & judices in eorum mulctandi officio impediuntur. Et ſic contra rationem, impunita remanere delicta neceſſarium eſt.

¶ Quomodo eccleſiaſtici judices illicitũ ex jactatis matrimoniorũ cauſis petant intereſſe.

LXIX. ¶ Deinceps,quum inter virum atq; fœminam,de pangendis matrimonialibus ſacris illis fœderibus,negotium quod inter eos fortè agebatur, eouſq; proceſſit, quòd ab alterutra partium matrimonii contractus,ex pactionibus illis,ratus perfectuſq; prætendatur; At inficietur altera,datumq; eſt ab altera alteri perſonæ veſtium,aut alioqui mundi muliebris quidpiam tanquam arrabonis loco,adſervandum ac cuſtodiendum, accidatq; deinde,ut aſſerti contractus matrimonii, ſc. contemplatione, contrahentes, ad eccleſiaſticum perveniant tribunal, ac ibidem per ſententiam,in diverſum ire jubeantur,ſeparenturque. Tum judex ille eccleſiaſticus iniquè hoc ſibi in hac cauſa prætendit intereſſe; Nimirum, ut omne quicquid hinc inde arrabonis vice traditum ſit, ut hoc ſibi cedat tanquam commiſſum. Id quod nedum contra omnia jura, ſed & æquitatem atq; honeſtatem ipſam proculdubio eſt.

¶ Quibus artibus judices eccleſiaſtici cauſas promiſcuas, quæ coram civili etiam magiſtratu in judicium deduci poſſunt, ſibi ſolis vendicare conentur.

LXX. ¶ Item, licèt complures ſint cauſæ ita promiſcuæ juriſdictionis,ut ſecundum jura communia,apud eccleſiaſticos atq; civiles judices agitari & puniri poſſint, ſæpiuſculè tamen evenit,ut quum civiles judices,conceſſam ſibi hac in re provinciam & juriſdictionem adminiſtrare atq; exercere velint, quòd id ipſum ne faciant per judices eccleſiaſticos ſub excommunicationis pœna eis interdicitur prohibeturq;. Quod ſi diutius perſtare deberet,brevi eccleſiaſtici judices à civili magiſtratu,ejuſq; juriſdictione quaſcunq; etiam cauſas eximerent,ſuæq; aſſererent ditioni. Id quod Cæſareæ Majeſt. cæteriſq; Imp. Romani membris grave eſt & intolerabile. Et quanquam ſecundũ jura communia,manifeſta perjuria atq; adulteria,maleficiorumq; præſtigiæ,ac conſimiles aliæ cauſæ,per eccleſiaſticos ac civiles judices, promiſcuũ, uter occuparit,civiliter pro tempore plecti poſſint,habeatq; ita præventio hac in re locum: Attamen

men ecclesiastici judices contra omnia jura, causas hujuscemodi, solis sibi suæque jurisdictioni usurpare conantur. Quod ipsum jurisdictioni civili non ferendum est onus ac gravamen.

¶ Quemadmodum causæ prophanæ sub prætextu denegatæ executionis ad ecclesiasticorum consistoria trahuntur.

LXXI. ¶ Item, si quando personæ laicæ in causis etiam omnino prophanis, à judicibus ecclesiasticis Citationes impetrare conentur, prætendantq; magistratum civilem, debitam sibi juris executionem facere neglexisse, antequam summariè, saltem per evidens aliquod docuerint instrumentum, justitiam ut queruntur sibi denegatam; Citationes tamen atq; alii judiciarii processus à judicibus ecclesiasticis ad solam petentium querelam his decernuntur. Quod si deinceps ad petitionē vel civilis judicis, aut partis in jus vocatæ, causæ hujuscemodi ad ordinarium tribunal remittantur, præfigitur civili judici perbreve quatuor hebdomadarū, puta tempus fatale, intra quod actoris intentioni & querimoniæ ex integro atq; ex asse executionis ordine satisfaciat. Ac si in arctissimo ita præstituto termino, sententia definitiva, aut non fertur, vel executioni lata non mandatur, libertatem dehinc judex ecclesiasticus dat actori laico, coram suo tribunali, ulterius procedendum, fitq; non rarò (mirum hoc auditu) ut causa, quæ intra mensis spatium coram civili consistorio agitari peragiq; debebat, quòd hæc eadem apud ecclesiasticum judicem triennio aut eo amplius pendeat hinc indecisa.

LXXII. ¶ Aiunt præterea judices ecclesiastici, in talibus casibus, prophanas ad se causas pertrahere sibi licere, si magistratus civilis in administranda justitiæ executione negligens inveniatur, è regione tamen ferre minimè possunt, ut in pari casu, idem juris cum eis servetur. Nimirum ut in causis ecclesiasticis quispiam de neglecto cultu justitiæ ab ecclesiasticis apud laicos, aut civiles magistratus conqueri ac justitiam sibi per civiles magistratus administrari postulare possit. Quanquam jura communia in genere definiant statuantque, quo pacto Canonica civilibus, & è regione Canonicis civilia jura opem suppetiasq; ferre debeant.

¶ Quo pacto ecclesiastici judices, seculares causas prætentæ jurisdictionis prætextu, in sese transferre conentur.

LXXIII. ¶ Neq; hoc plerisq; longa experientia rerum ac eruditione doctis probatur, quòd judices ecclesiastici, quibusdam in locis, diuturni usus quasi possessionis, adimpletæq; præscriptionis prætextu, laicorum controversias coram se dirimendas hactenus præsumpserunt. Nam ea ex re Cæsarea majestas Romanumque Imperium haud parum detrimenti patitur, utputa, quod non minimus Imperii honor temporalis sc. jurisdictio, memoratæ præscriptionis velamine minuitur, attenuatur & penitus ab Imperio ad ecclesiasticos refertur. Quod contra recepta apertaque jura esse nemo est qui nesciat, quibus statuitur & cavetur, ut nulli præscriptioni quantumvis longæ adversus præeminentem, tum Papæ, tum Cæsaris potestatem sit locus.

¶ Quàm iniquè homicidæ, aliique peccatores ab ecclesiasticis judicibus duplici afficiantur pœnâ.

LXXIV. ¶ Quum divina humanaq; jura vetent, ut nemo duabus cædi debeat virgis, meritò pleriq;, quibus cerebrum est, nonnullarum Cathedralium ecclesiarum odiosa statuta, perversosq; mores, quibus utriusq; sexus homicidas, reliquosq; majorum, minorumve criminum reos hucusq; vexarunt, detestantur. Nam hactenus servata est consuetudo, quòd homicidii, similiumq; facinorum (quos casus episcopis reservatos vocant) rei, peracta in aure confessione, publicam pœnitentiam, in totius populi conspectu, cum magno suorum ipsorum dedecore, ignominia, infamia subire coguntur. Quæ quidem pœnitentiæ forma, non usquequaque improbanda foret, utpote quæ ad primitivæ ecclesiæ instituta quàm proximè accederet, si hac contenti, non etiam ampliorem justo, peccantibus egregii isti maleque officiosi Officiales extorquerent pecuniæ summam, duplicique delinquentes punirent pœna. Qua re mirum, quàm multi offendantur. Quod quàm iniquum, quamq; longè à Christi instituto sit alienum, cuique sanæ mentis conjecturâ assequendum relinquitur.

¶ Quomodo funestæ pecuniæ intuitu, ecclesiastici judices & officiales illegitimas cohabitationes & usuras tolerent.

LXXV. ¶ Præterea officiales auri sacra pellecti fame, usuras ac pecuniæ fœnus illicitum, nedum non interdicunt, sed & passim permittunt, fovent ac tutantur. Insuper etiam clericos, religiososq; & seculares, accepto ab eisdē annuo censu, publicè cum suis concubinis, pellicibus, & aliis id genus meretricibus, illegitimè cohabitare, liberosq; procreare sinunt. Quæ res ambæ quantum scandali, periculi, detrimenti, fortunis, animabus & corporibus pariant, non est quòd recenseatur, quum nemo id, nisi talpâ cæcutiat magis, non videat.

LXXVI ¶ Præterea contingit aliquando, quòd alter conjugum, belli, votorum, seu alia quapiam causa peregrè proficiscatur, qui si aliquanto diutius, quam alterius conferat libidini, absit, tum officialis, alteri, pactâ tamen numerataq; prius mercede satis magnâ, cum alia victitare persona ac cohabitare indulget, non præhabita prius diligenti vestigatione, superstesne

sit

ſit abiens conjunx, an naturæ conceſſerit. Et ne hoc eorum factum à quoquam calumniari poſſet, tolerantiæ nomen ei, non ſine magno mortalium offendiculo, ſanctique matrimonii contemptu indiderunt.

¶ Ut Officialium delegati ſeu ſynodales judices illicitos è domibus cenſus exigant.

LXXVII. ¶ Et hoc Germanis poſthac non ferendum onus eſt, quòd ſynodales judices quarundam regionum oppidula & vicos oſtiatim peragrant, cenſuſque è domibus annuos exigunt, quos ubi tenuis plebecula perſolvere nequit, protinus cum excommunicationis jaculis petitur, ad eorum quoque cenſuum ſolutionem cum ſumma rei familiaris attritione atque attenuatione compellitur. Quòd ſi penitus amoveri non poteſt gravamen, aliquo ſaltem fine ad æqui bonique regulam coerceatur.

¶ Quo pacto hebdomadaria pecunia mechanicis exigatur.

LXXVIII. ¶ Pari modo proximè memorati judices, quibuſdam in locis à ſtabulariis, piſtoribus, laniis, propolis, molitoribus, ejuſdemque generis mechanicarum artium profeſſoribus, qualibet ſeptimana pecuniam poſtulant, qua fortè per inopiam non ſoluta, eccleſiaſtico ad id fulmine adiguntur.

¶ De iniquis eccleſiaſticorum arreſtis (ut vocant) & impedimentis.

LXXIX. ¶ Non mediocrem item ſuperioritatis & juriſdictionis temporalis jacturam Cæſarea Majeſt. Romanumque Imperium patitur, ex male obſervatâ hactenus pluribus in locis, diuturna conſuetudine. Videlicet, quòd eccleſiaſtici judices, ubi inter duos laicos civilis orta eſt controverſia, ad alterius partis petitionem literas inhibitorias emittunt, quibus alteri partium mandant, ne inceptam coram ſeculari, ſeu ſuo judice litem proſequatur, ſed in eccleſiaſtico coram ſeſe judicio compareat. Cui mandato ubi pars vocata obtemperat, & ſe ſuamq; cauſam ad ſuum ordinarium judicem remitti in judicio petit, tum primum libellus, articuli, exceptiones, replicæ, duplicæ & cæteræ id genus ſcripturæ, utrinque producuntur, quibus, reliquiſque actis & agitatis, perlectis, numeratiſq; potius, quàm ponderatis, tandem interloquuntur, controverſiam coram ſe ventilandam eſſe. Cui ſententiæ propterea, velint, nolint, parere coguntur, etiamſi maximè eâ graventur, quòd appellationem ad curiam Romanam interpoſitam, ob immenſos, tum labores, tum impenſas proſequi nequeant. Neq; enim cuivis commodum eſt, adire Romam. An vero talibus ſimilibuſque ſententiis ſe ſuſpectos reddant, necne, cuilibet bono viro conjiciendum relinquitur. Unum hoc certum eſt, quòd ex jam enumeratis caſibus, copioſa civilium cauſarum ſylva, juriſdictioni temporali ac civili magiſtratui, indies ſubtrahitur atque eripitur. Quod non ſolùm juribus & æquitati, ſed etiam rationi contrarium eſſe dignoſcitur. Tricæ fori eccleſiaſtici.

¶ Ut plerique inopia rerum laborantes judicialium expenſarum, variorumque laborum & expenſarum formidine, ad iniquas tranſactiones compellantur.

LXXX. ¶ Neque hoc ſilentio præteriri poteſt, quòd eccleſiaſtici judices & officiales miſeros ac ſimplices laicos, multoties ad illicitas, iniquas, ſibique penitus nocivas tranſactiones adigunt. Nam ſi quando eos in jus vocant, magna patronorum, rabularum forenſium, ſcribarum, cæterorumque, quorum opera in judiciario ſtrepitu uti neceſſum habent, caterva, nullo ære conducta, ſed gratuitò conquiſita, ſtipati aſtant, ac pauperibus illis prophanis, egeſtate preſſis, id hominum genus, non niſi magno conducendum eſt. Quod ubi fortunæ reique familiaris tenuitas denegat, ni penitus cauſâ, etiam juſtiſſima, decidere velint, tranſactionem ſeu compoſitionem utcunque iniquam inire coguntur. Quare quantum graventur tenues, nemo eſt qui non facilè id deprehendat. Rabulæ forenſes.

¶ In multis eccleſiaſticorum conſiſtoriis, externi cauſarum patroni & procuratores, quàm non admittantur.

LXXXI. ¶ Et hoc hactenus Germanis multum attulit moleſtiarum, quòd per eccleſiaſticos judices, nulli coràm ſe litigantium partium, aliis uti advocatis & procuratoribus licet, quàm iis, quos ſibi ſuiſque tribunalibus, jusjurandi ſacramento obnoxios reddiderunt. Ne tamen nihilominus externi patroni à litigatoribus conſulantur, adeo breves præfigunt terminos, ut adiri nequaquam poſſint. Et ne hoc eorum factum tanquam æquitati contrarium improbari poſſit, ſe id in controverſiæ commodum facere adfirmant, quo celeriorem per conſiſtorii juratos procuratores ſortiatur exitum. At interim meridiana luce clarius apparet, qua ſinceritate, quave dexteritate id agatur. Nempe compertum habent officiales, ſe ſuoſque ſuperiores, à conſiſtorii advocatis & procuratoribus timeri. Et ſic miſeri clientes, patronorum verecundiâ, dum quod contra eccleſiaſticum judicem, ejuſve ſuperiores, quacunque in parte facere poſſent in judicio proponere non audent, ultra quàm par ſit negliguntur. Quam rem eccleſiaſtici prælati iique quorum in territorio tale exercetur conſiſtorium, quum prohibere penituſque eradicare deberent, tutantur ac defendunt. Et id potiſſimum eam

ob

ob causam, ut si quando ipsis, subditisve ipsorum in ecclesiastico judicio experiendum sit, dicti advocati & procuratores contra ipsos exteris suis clientulis, ea quæ causæ sibi postulat necessitas, consulere in judicioque proponere vereantur, ne, si diversum facerent, prælatos sibi infensos, judicesque sibi male propitios redderent; talemque advocatorum & procuratorum metum ac formidinem, nemo est cui vel cerebrum sit, cui leva in parte mamillæ cor saliat, qui inficias ire vel possit, vel audeat, cum id quotidianâ experientia adeo eluceat, ut nemini non, nisi forte iis, qui nondum ære lavantur, sit exploratissimum. Quotus enim quisque est advocatorum vel procuratorum, qui non amore, spe, timore, invidia, favore, muneribus, similibusve adfectibus, animo non aliquando rectoque consilio dejiciatur, quum nihilominus vacui etiam prædictorum adfectuum vix tandem precibus pretiove inducuntur, ut nihil diligentiæ, laborum nihil, nihil item clientuli jurium prætermittatur. Enumeratis verò gravaminibus, nulla præsentior adhiberi posset medicina, quàm si litigantibus à certo usque limite, & advocatos & procuratores vel consulere vel ad consistorium secum adducere liceret.

¶ Quàm levibus ex causis, pauperibus sacramenta denegentur.

LXXXII. ¶ Et hoc facinus, Christi disciplinam profitentibus penitus abominandum est, quòd iis, quibus est res angusta domi, ubi parochis & ecclesiis ad diem solutioni destinatum, per inopiam satisfacere nequeunt, corpus & sanguis Christi, sacrosancta quæ nobis sacramenta in remissionem peccatorum reliquit, denegantur, immo quasi pignus præcluduntur, non attenta ulterioris dilationis (& quidem modicæ) petitione. Quanquam tales similesq; causæ pro conditione sua coram secularibus judicibus, meritò finem sortiri deberent.

LXXXIII. ¶ Item, quum agricolæ Autumni tempore vindemiare cupiunt, quemadmodum unicuique ad sui utilitatem facere licet, nihilominus tamen, si vindemia illa displicet spiritualibus (ut vocant) qui eo loci decimas possident, miseris inhibent agricolis, sub excommunicationis, necnon pecuniarum pœna, ne uvas colligant prius quàm ipsi id permittant. Unde evenit, ut sæpe pauperculi illi non parvo afficiantur damno, cum uvas suas, quas maximis expensis & laboribus per integrum coluerunt annum, vindemiare non audeant. Etiamsi illi interim vel frigore pereant, vel etiam marcessere incipiant, tantummodo ob decimarum lucrum iniquum, sæpius etiam ob invidiam detestandam. Quæ ambo contra jura sunt divina, fas, & omnem pietatem, ac ideo meritò aboleri debent.

¶ Ut Ecclesiastici Synodis abutantur.

LXXXIV. ¶ Nec minus molestum, grave & Germanorum vulgo intolerabile est, quòd synodales judices pluribus in locis quotannis id quod non nisi post annorum intercapedinem ut fieret, juribus permissum est, obequitant, ac mirum, quid fictitiæ jurisdictionis aut superioritatis exerceant. Hoc interim constat simplici popello hac via, necessaria subtrahi alimenta, neque talis peragratio eo fine & ordinatione, qua à summis Pontificibus instituta est, observatur. Nam pro pœnis & correctionibus, quibus facinorosos & criminum sontes à vitiis deterrere deberent, pecuniam præsentem & numeratam, & quicquid denique eis in lucellum cedere potest, exigunt. Id quod in superioribus etiam partim memoratū est.

¶ De Canonicis cathedralium & collegiatarum ecclesiarum Parochis, reliquisque religiosis personis; & primùm, quòd iniquis nexibus episcopi & prælatisâ suis adstringantur Capitulis.

LXXXV. ¶ Illicitum est & hoc planeque iniquum, quòd Canonici ecclesiarumque cathedralium præeminentiores, quorum in manu potior ecclesiasticorum judiciorum, Synodorum, ac censurarum pars sita est, reliquique collegiatarum ecclesiarum Canonici, quibus eligendi superiorem potestas est, nullum in episcopum seu prælatum eligunt, nisi se prius jurejurando astrinxerit planeque devoverit, literis quoque interdum instrumentisque sigillo probè munitis caverit, ipsis ipsorumque ordinatis judicibus ab officialibus in nullo utcunque gravi vel inhonesto intolerabilique proposito, se contrarium fore. Ac si quando eos delinquere contigerit, impunè eis per ipsum ut hoc sibi liceat.

¶ De non ferendis ultrà oneribus, quibus misera plebs pro sacramentorum administratione gravatur.

LXXXVI. ¶ Pleræq; item parochiales ecclesiæ, monasteriis, prælatis, aliisq; ecclesiarum curatarum rectoribus, incorporationis (ut vocant) seu alio quopiam jure, subditæ sunt: quas etsi ipsi juxta Canonum constitutiones, per sese providere teneantur, ubi aliis elocant gubernandas, beneficiorum dotem ac decimas plerumq; sibi ipsis reservant, & præterea tam enormibus absentiarum pensionibus gravant atque onerant ut conductitii isti parochi, eorumq; vicarii, viceplebani, sacellani, coadjutores, cæteriq; conductarum ecclesiarum administratores, competentem sustentationem, decentiaque alimenta inde habere nequeant. Quo fit, (nam unde conductitii isti pastores & mercenarii, vivant, habeant oportet) ut illicitis exactionibus, locatas sibi oviculas, miserè deprædent, dilanient, omnemq; substantiam tantùm non absumant.

absumant. Postquã enim altaris, baptismiq; sacramenta administranda sunt, Primus, Septimus, Tricesimus Anniversariusq; dies peragendus, auricularis confessio audienda, mortui sepeliendi, & quicquid deniq; reliquum est, quod ad vitâ functorum ceremonias observandas operæ pretium arbitrantur, id gratuitò faciunt nequaquam, sed tantum exigunt, extorquent, exugunt, quantum misera plebecula, vel cum summo suo dispendio præstare difficulter potest, talesq; exactiones usq; ad summum indies augent atq; accumulant, nonnunquam quoq; excommunicationis fulmine ad solvendum adigunt, plerosq; etiam, quibus per inopiam non licet, ad celebranda vita functis obsequia, anniversarios & alias ejus farinæ ceremonias, compellere conantur.

¶ Ut ob missas cantandas & legendas, pecuniam exigant.

LXXXVII. ¶ Neq; hoc præteriri potest, quum non minimũ sit, quo Germani premantur, quòd sacerdotes, unius diei missas, ad quas aliàs fundationis seu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, non semel, sed quater, quinquies, pluriesve venundant, unaq; missâ, duobus, tribus, aut pluribus ecclesiasticis beneficiis satisfacere præsumunt.

¶ Quo pacto Parochi à suis parochialibus subditis, ubi domicilium mutare voluerint, pecunias emulgeant.

LXXXVIII. ¶ Item, sicubi curatæ ecclesiæ subditus domiciliũ, matrimonii seu alterius cujuspiam negotii causâ, in aliã transferre parochiam, animo secum volutat, non prius migrandi licentiam à parocho impetrat, quàm ubi pro testimonialibus literis aureum numerarit nummum: quem si solvere vel nolit, vel egestate pressus, non possit, sacramentorum interdicto, donec satisfecerit, mulctatur. Ex hoc itaq;, ac cæteris supra tactis oneribus & gravaminibus facilè deprehenditur, mirumq; in modum emicat, quòd omnia Romanæ ecclesiæ sacramenta his qui opibus abundant, auro venalia sunt, reliquis verò quibus minimum suppetit nummorum, & iniquus est Plutus ille divitiarum Deus, non impartiuntur, sed penitus denegantur.

¶ Quemadmodum sepulturæ jus quibusdam mortuorum cadaveribus, magno sit ære redimendum.

LXXXIX. ¶ Papalibus statutum est canonibus, ut his duntaxat publici juris ecclesiastica denegetur sepultura, quos manifestis & planè notoriis, mortalibus (ut vocant) peccatis, ex communi hac mortalium sorte, absq; dominici corporis sanguinisve participatione migrasse compertum sit. Verùm ecclesiastici non animadversis talibus Pontificum Decretis, forte fortuna aqua suffocatos, gladio, ruinâ vel incendio occisos, jugulatos, atq; vitâ casu functos, etiamsi non pateat peccatis mortalibus obnoxii decesserint, necne, in ecclesiasticam tumulare sepulturam non permittunt, quousq; tam iniquo fato mortuorum uxores, liberi, amicive ab ipsis cœmiterium non modico ære comparaverint.

¶ Ut pleriq; ecclesiastici vitam laicam planeq; rixosam agant.

XC. ¶ Nec minus etiã Germanis molestũ est, quòd potior parochorum sacerdotũ, monachorum, aliorumq; ecclesiasticorum pars, in diversoriis, stabulis ac choreis, populorum turbis se immiscent, in plateis item habitu minus decenti, utputa gladiis, vestibusq; ludicris, præterea rixis, jurgiis, litibus, altercationibus laicos ad iram, & consequenter ad arma provocant, vulnerant, nonnunquam etiam confodiunt. Dein excommunicationis fulmine miseros illos laicos, vel quos læserunt, eousq; divexant, quousq; ad libitum suum laici se cum his composuerint.

XCI. ¶ Item in locis plerisq; Episcopi & eorum officiales non solùm sacerdotum tolerant concubinatum, dummodo certa persolvatur pecunia, sed & sacerdotes continentes, & qui absque concubinis degunt, concubinatûs censum persolvere cogunt, asserentes, Episcopum pecuniæ indigum esse, qua soluta, licere sacerdotibus, ut vel cœlibes permaneant, vel concubinas alant. Quàm res hæc sit nefanda, nemo non intelligit.

¶ Quo pacto nonnulli ecclesiastici, publicas exerceant tabernas, & illicita corradant lucra.

XCII. ¶ Ecclesiastici item, potissimũ in his locis, ubi jurisdictionem habent, in templorũ dedicationibus, publicas exercent tabernas, suisq; sacellanis & sacerdotibus, taxillos, chartulas lusorias, & quicquid ad ludum pertinet, convivis administrare, ac omni seposito pudore, illicitum inde percipere lucrum student, idq; superioritatis quodam jure sibi licere asserunt. Quanquam Pontificum canones, Imperatorum leges, omnesq; omnium provinciarum magistratus vetent, ne ecclesiastici ita à decoro & honesto devient, ut his se involvant negotiis, circa quæ vix laicos occupatos esse decet.

¶ Quomodo ecclesiastici moribundis, ut suos & legitimos hæredes defraudent, persuadeant.

XCIII. ¶ Inter cætera etiam hoc obticendũ est nequaquam, quũ non minimum sit onus

quo Germani gravantur, quòd regionum pervagatores, quos vulgò Terminarios ac Stationarios vocant, monachi & sacerdotes, infirmos, animamq; jamjam agentes, ac præsertim eos, quibus æs esse in cistâ norunt, temporalibusve bonis abundare compertum habent, blandiloquentia, adulatione, verbisq; venustulis (ut ad pessima quæq; hoc genus hominum semper plus æquo instructum est atq; paratum) adoriuntur, circumveniunt, persuasionibusq; fictitiis eò tandem adducunt, quòd sibi potiorem & pecuniarum & bonorum partem in testamentis legant. Qua re liberi, agnati ac cognati, reliquiq; sui & legitimi hæredes, quibus potius tota hæreditas illæsa relinquenda erat, contra omnem æquitatem, mirum qua jacturâ adficiantur, interdumq; ad miseriam usq; adigantur.

¶ Quibus mediis innumeram pecuniæ summam mendicantium ordines Romam importent, virginumq; vestalium monasteria molestent.

XCIV. ¶ Quū nemini dubiū sit,his,qui jure experiri volunt,pecunia eaq; nō modica opus esse & pleriq; mendicantiū ordinum regulis addicti,multas causas atq; lites in judicialem controversiam, non sine magno ordinariorum, parochorū atq; laicorū detrimento, contra fas nefasq;, imò nulla omnino necessitate exigente Romam pertrahant, tribus insuper eorum Generalibus, quos vocant,Cardinalitii galeri dignitatem, innumera (ut fertur)pecuniâ comparaverint: Non parum timendum est, ne non præfati mendicantium ordinibus subjugati, multa sacrarum virginum, & præsertim ea, ubi se solos dominari norunt, monasteria, in quibus Principum, Comitum, Baronum, nobilium, ac civium liberi frequenter vitam vivunt, pecuniis expilent, ac depeculentur, & eis dehinc, quibuscunq; aliis modis, interitus, perniciei, molestiarum, variorumq; incommodorum radix atq; origo sint; Interimq; miserè captivas moniales, sub perpetui pœna carceris adigant, ne cuiquam alii, quo secum pacto agant, manifestent, id quod quibusdam in locis plus nimio, proh dolor! compertum est. Quibus verò pharmacis huic morbo mederi possit, cogitandum relinquitur. Num præstaret, quòd virginum monasteriis, ac mendicantium ordinibus, in meri ac mixti imperii jurisdictionibus sitis, quibus hactenus per jurisdictionum magistratus ac potestates nulli præfecti essent curatores, seu dispensatores, duo, ætate, moribus ac probitate perspicuâ præstantes viri,unicuiq; tali monasterio seorsim præficerentur, qui omnibus eorum communibus computationibus, acceptorum videlicet & expensorum interessent, quibusq; curæ esset, ne in posterum prædicta virginalia cœnobia à mendicantibus monachis, eorum non necessaria præsentiâ, vel quocunq; alio modo gravarentur. Qua una re proculdubio efficeretur, quòd dictorum monasteriorum annui fructus, census, redditus, indies augerentur, monialium personæ in magnum usq; excrescerent numerum, & sic multò melius, uberius, utilius, quàm si ipsarum pecunia vel Romam vel in alium quempiam locum indecentem conferatur, sustentari possent.

¶ De Romanorum Pontificum Legatis & Oratoribus, necnon Comitibus (quos vocant) Palatinis.

XCV. ¶ Accidit aliquando, quòd Legati & Oratores Romani, cum Papalibus (ut vocant) facultatibus in Germaniam mittantur, qui taliū facultatū vigore & prætextu, liberos vulgo conceptos, naturales, Bastardos, spurios, damnato ex coitu prognatos, aliosq; qui contra Christi instituta, legumq; sanctiones in mundum editi atq; expositi sunt, legitimos efficere, & ad quoscunq; actus legitimos, idoneos reddere, ad successiones item cum legitimis & naturalibus liberis habiles facere & admittere, omniū deniq; statuum ac dignitatum capacitatem tribuere conantur. Cujus tamen rei in Romani imperii territorio, nullā omnino habent potestatem. Nec parum inde litium, jurgiorū, errorū, controversiarū, offendiculorūq; in sacrosancto Romano imperio oritur, quod ex non concesso coitu concepti, cum legitimè editis ad parem admitti debent successionē. Quam rem ut nimium Germanis molestam, Imperii Ordines tolli, amoveri, penitusq; aboleri summopere petunt.

XCVI. ¶ Pari præterea modo à Romana sede jam dictis Legatis, vicecomites Palatini sufficiuntur, simili potestate legitimandi, ad successionem admittendi, & omnia ad instar legatorū, quorū jam ante mentio facta est, efficiendi, necnon Notarios creandi. Qui tamen vicecomites adeo sunt inidonei, adeo inhabiles, adeo literarum ignari, adeo deniq; rerū inexpertes, ut minimum etiam, quod ad Notariatûs artem pertineat, ignorent. Unde non immeritò subsequitur, quòd multo ineptiores, quàm ipsi sint, creent Notarios, ut semper dignū,quod in proverbio est contingit patellæ coopercului.Quod ipsum Imperii Status abrogari efflictim rogitant. Præfati item Apostolicæ sedis nuncii & Legati à jurejurandis, pactis, obligationibus absolvere, & sic absolutos ad agendum de novo restituere moliuntur. Qua unâ re æquitati fideiq; humanæ nihil est adversum magis.

XCVII. ¶ Conantur insuper beneficia quæ patronatus juri subsunt conferre, & sic patronis tam ecclesiasticis, quàm secularibus in juribus suis derogare, penitusq; eos privare: quod etiam meritò aboletur.

¶ Utriusq;

¶ Utriusq; sexus religiosi, in suorum monasteriorum, claustrum, fundationum, aliorumque conventuum commodum, succedunt secularibus; quum ipsi vicissim ab illis ad hæreditates neq; vocentur, neq; admittantur.

XCVIII. ¶ Neq; hoc Germanicorū gravaminum postremum est, quamvis ultimum hic sortiatur locū: mos non amplius ferendus hactenus inolevit, pauloq; altius, quàm par sit, radices egit, videlicet, quòd Monachi, Moniales, Beguttæ, Beghardæ, Nolhardi, Conventus, & quicunq; tandem sunt, qui se religiosos, & à popularibus segregatos profitentur, parentibus, consanguineis, agnatis, ac cæteris amicis in hæreditariis bonis aliquando in partē, nonnunquā in totū succedunt. At vicissim eorum cognati seu necessarii laici à prætactis religiosis, ad ipsorū hæreditates adeundas, nō solùm nō vocantur, sed nec admittuntur quidē. Quod Germanis & grave & molestū, injustū etiam ac nō diutius tolerandū onus est. Eapropter necessariò, ac summa prudentia curandū est, ut deinceps nemo se memoratorū religiosorum votis vel astringat, vel addicet, nisi prius ea de re civiles magistratus certiores fecerit, quorum præsentia, authoritate & consilio religionem ingredi volentibus, à parentibus & amicis, juxta cujusq; fortunam ac facultates, mediocriter provideri debet, ut habeant, unde commodè in monasteriis vivere possint. Ea tamen lege, eo pacto & conditione, ut omnibus hæreditatibus, omnibusq; parentum, fratrum, sororum, cognatorum, cohæredum, ac quorumcunq; aliorum successionibus renuncient, in animumq; nequaquam inducant suum, se in posterum hæreditario jure quicquam nedum sperare, tantum abest, ut consequi se posse putare queant. Idemq; cum his qui jam olim religiosorum regulis sese subjecerunt, fieri à sacri Romani Imperii Statibus & petitur & censetur.

¶ Quòd & in proximè habitis Wormaciæ comitiis, de hactenus memoratis Gravaminibus tractatum sit.

XCIX. ¶ Potior item pars hactenus enumeratorū articulorū, Romanā sedē, Archiepiscopos, Episcopos, prælatos, officiales, ecclesiastica consistoria, cæterasq; ecclesiasticas personas concernentiū Cæsareæ Majestati in proximo principū ac procerū Wormaciæ celebrato conventu, à laicis imperii columnis & statibus, in scriptis, non sine supplicibus oblata est precibus, quo prædicta gravamina, æquitate, necessitateq; ita postulantibus aboleat atq; è medio penitus tollat. Quod ipsum non clam Archiepiscopis, Episcopis, reliquisq; ecclesiasticorum statibus in prædictis comitiis factum est. At hucusq; nihil vel immutare, vel emendare cœperunt. Eam ob rem seculares Imperii Ordines necessariò urgentibusq; ex causis adacti sunt, Papali sanctitati supra memorata, ac non amplius ferenda onera, prout sua Sanctitas, clementi, Christiano, planèq; paterno animi adfectu fieri petiit, indicare, atq; suppliciter rogare, quo prædicta gravamina sua Sanctitas emendet atq; è medio tollat. Attende.

¶ Plura adhuc gravamina ob oculos versantur, indicatu maximè necessaria, quæ tamen brevitatis gratiâ omittuntur.

C. ¶ Qamvis seculares sacrosancti Romani Imperii Ordines, longè graviora multoq; plura adhuc haberent onera, quæ æquitate interpellante, indicanda forent. At ne justæ brevitatis modum excedere videantur, jam recensitis hoc tempore, reservatis aliis in magis commodum tempus, contenti esse volunt. Ea spe freti, ea fiduciâ nixi, ubi hactenus enumerata abolita fuerint gravamina, quòd & reliqua unà corruitura sint.

Nemo objiciat deesse hic gravamen centesimum; proptereaque non rectè ista appellari Centum Gravamina: cum alia longè his graviora & plura onera ob modestiam Principum celentur: hæc insinuatio abunde supplet Centesimi gravaminis locum.

¶ Peroratio ac finalis petitio.

Super hæc omnia, omnium sacri Romani Imperii supremæ atq; inferioris conditionis statuum, supplex est adhortatio, humilisq; precatio atq; petitio, qua sanctitati Pontificiæ supplicant, quatenus sanctitas sua, omnia prædicta onera ac gravamina sedis Romanæ, ac sæpe dictorū cæterorum statuū ecclesiasticorū & personarum ecclesiasticarū, id quod non semel in præcedentibus quoq; justis precibus postulatum est, clementer tollere, emendare abrogareq;, & è medio auferre dignetur, ac Archiepiscopos & Episcopos, si qua in re per eorum Capitula, gravamina hæc quo minus emendare abrogareq; auderent, obligati forent, à promissione obligationeq; tali, mandatis absolutoriis, severitatem quandam, sed eam quidem necessariam præ se ferentibus, absolvere liberareque velit, inque omnibus & singulis his, ita paternè ac gratiosè se gerere & exhibere, ut talia onera atque gravamina in genere, seorsimque, quantocius ex radice funditus ac penitus tollantur, amoveantur & emendentur. Quod ipsum, & quidem brevi futurum, curatumq; iri, sacri Romani Imperii Status Laici, vel ob Dei Opt. Max. laudem præcipue & honorem: hinc rei quoq; ipsius necessitatem atque æquitatem, maximè quum (ut prædictum est) sanctitas Pontificia per Oratorem & Legatum suum ita magnificè, ampliter ac Christianè se obtulerit, indubiam certissimamq; spem animo conceperunt. E regionè, se sanctitati Pontificiæ tanquam obsequentes morigerosq; filios, cæteris quoq; Statibus Ecclesiasticis, ut in Chri-

sto fratres, & commembra capitis unius, nimirum Christi, se devoventes obligantesq;.

¶ Quòd si enumerata onera atq; gravamina in præstituto tempore non etiam ocius ex oculis mortalium sublata atq; abolita & abrogata fuerint, id quod Imperii Romani Status laici futurum minimè suspicantur auguranturve, tum Sanctitatem Pontificiam latere nolunt, prædicta urgentissima atq; intolerabilia, penitusq; non ferenda onera, diutius eos, neq; perferre * velle neq; tolerare posse. Sed rei ipsius iniquitate & necessitate huc eos adigi, cogi atq; compelli, pro eorum captu ac industria, de aliis commodioribus fortè viis & mediis cogitandi, vestigandi, ac consultandi, quibus tandem modis, qua arte, qua deniq; solertia, onerum atq; gravaminum supra memoratorum, ab ecclesiasticis exonerari, liberari, ac tandem in pristinam immunitatem & libertatem asseri, atq; vendicari possint.

* Loquuntur Principes ut Principes decet.

¶ Quemadmodum omnia hæc, priusquam sanctitatis Pontificiæ Orator & Legatus à Norimberga solvisset, eidem per modum responsi hinc legantis sanctitati referenda, ad longum sunt exposita atq; enumerata, essentq; ita in compendium, & quodammodo per catalogum redacta & recensita, memorato nuncio atq; Oratori pontificio ferenda secum Romam tradita, si non præter omnium expectationem, * abitionem suam hinc tantopere maturasset, ac inopinatò ita discessisset. Verùm ne ob id eo magis Germanorum principum, procerum, atq; Romani imperii statuum consultatio & conclusio sanctitatem Pontificiam fugere vel latere possent, tandem placuit, onera ac gravamina, quorum non infrequens tum coram agente adhuc Legato facta fuit mentio, per capita, ac sigillatim ita scripta, sanctitati Pontificiæ transmittere, eandemq; quàm humillimè ac suppliciter, pro abrogandis hisce oneribus, rogare obsecrareq;, ne deteriora contingant.

* Fuissent quidem hæc gravamina redeunti Oratori Onera, non minus quàm Germanis. Ea igitur Subolfaciens consilia, Romam in GRAVAMINATUS pergit insalutato hospite. Quæ autem noluit ille, cogebatur alius Pontifici deferre; nequid illum Principum querelæ lateant.

Finis Centum Gravaminum Germanicæ Nationis.

O. G. Pio lectori S. P. D.

Hisce prædictis non solùm Germanicæ Nationis (uti principes nostri voluere seculares) sed multarum etiam aliarum (ni fallar) Nationum gravaminibus, Annatarum taxæ, ordine satis confuso ac planè incerto adjectæ fuerunt. Quæ ad honorem sacrosanctæ sedis Apostolicæ, hoc loco * non indecenter omisimus. Nam & in infinitum se extendere videbantur, & tantam hoc tempore pecuniarum summam, aurive pondus ad illam devolvi, cogitare ausint pauci, dicere nemo. Attamen, si tibi est ardens ingenium, mens ignea, & non præceps, sed generosus impetus, forteforuna in subsequentibus, & potissimum Pag. 384. aliqua ex parte Annatarum taxam callenter ac pulchrè deprehendes. Excusandi tamen non videmur, quòd propter inflicta nobis scandala & Romanæ curiæ (etiamsi verum esset) gravamina, debeamus ab unitate catholicæ fidei insipienter resilire, & in profundum malorum nos præcipitare. At dicet quis: Nonne & hoc vigilanter in curia Romana est observatum, ut gratiæ & reservationes pectorales, mentales, generales & speciales regressus, accessus, incorporationes, uniones & id genus alia multa, quæ & diabolus odit & omnes angeli ejus, & ex quibus omnes hæreses hisce temporibus promanarunt, ob pecuniæ (ut principes nostri seculares dicunt) amorem & sacram auri famem, vilissimis quibusq;, vel bonis etiam viris, concedantur? Itemq; & si hoc ipsum addideris, quòd si res illa altius radices ageret, brevi nos eò rerum venturos esse, ut R. Archiepiscopis, Episcopis, principibus, patronis, & nobis tandem omnibus, nihil juris, in his (de quibus loquimur) remaneret. Tace, obsecro, lector & audi. Nunquid Paulum Evangelii tubam Romanis insonuisse ignoras? * Omnem animam potestatibus sublimioribus subjectam esse debere. Vide etiam quid Petrus, apostolorum princeps, ingeminet: Servi (inquit) subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Nam teste iterum ad Romanos Paulo, Qui potestati resistit, dei ordinationi resistit. Hanc igitur ob causam Ambrosius ait in suo pastorali: Honor & sublimitas episcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Non excuso iniquitatem, lector, nec lucem in tenebras verto. Scio enim Esaiam prophetam dixisse: Væ vobis qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Hoc solum adjecero, te propter Annatarum gravamen, aut abusus alios, ab eccle-

siæ

* Agendæ sunt Gratio gratiæ ☞ ob ista Gravamina: parum autem is honestè egit, cum nobis invidit istas Annatarum taxas, ex mero in Rom. Curiam obsequio. Pag. sup. 360.

* Rom. 13.

ſia catholica & prælatis tuis deficere non oportere. Nec obeſt, principes noſtros, ſacroſanctæ ſedi Apoſtolicæ multa ac varia objeciſſe. Scies enim Illuſtriſſimis ipſis Principibus, multo majorem, quàm nobis, cum dicendi, tum redarguendi libertatem eſſe conceſſam. Nam ut philoſopho placuit libro quarto Politicorum, & Ciceroni tertio de Legibus: Sine principibus & illorum prudentia, impoſſibile eſt eſſe civitatem. Verùm hac de re ſatis. Ego igitur, qui incertas Annatarum taxas, ad ſacroſanctæ apoſtolicæ ſedis honorem, hoc loco * rejeci, operæ pretium eſſe duxi, Nicolaum à Clamengiis doctorem egregium & Archidiaconum, de Annatis ipſis nonnihil differentem, tibi ob oculos conſtituere, ut ipſius ſentimento adjutus, de illis prudenter diſputes ac loquare. Claruit enim tempore Sigiſmundi Imp. quum Conſtantienſe celebraretur Concilium Anno Domini, M.CCCC. XVII. Lege itaq; quæ de Annatis, in particulari (ut dicitur) conſcripſit, & vale fœliciter.

* Eas recuſas fuiſſe Wittenbergæ Anno 1538. unà cum Gravaminibus, &c. innuit Joh. Lydius in narratione historicâ Conciliorum Gabrielis Prateoli p.115. Edit Lug. Bat. 1610. eaſq, optat viſu frequentiores. Lutherus fortaſſe qui tunc temporis eaſdem recudendas curavit, in id incubuit, ut Orthuini Gratii vel fraudem vel adulationem, vel puſillanimitatem inter alia graviora indicaret: ad quam immenſam nummorum vim excreverint iſtæ taxæ, hic in Anglia, & alibi terrarum, vides inter opera Joh. Juelli Epiſc. Sariſb. in defenſione Apol. pro Eccleſ. Anglic. cap. 23. diviſ 2 part 6, ubi in Margine citatur iſta Editio Annatarum Wittenberg. & in textu vir ille ſanctus & illuſtris de imperfectione iſtius Cenſûs queritur.

* APOSTOLI ET RESPONSIO

Dati per Nationem Gallicanam Dominis Cardinalibus, &c. appellantibus ab ejuſdem concluſione, voto, deliberatione ac declaratione Conſtantiæ captis & factis ſolenniter per eandem, quòd vacantiæ ac minuta ſervitia nullo jure ſint debita & de cætero nihil ſolvant.

* i.e Literæ dimiſſoriæ. Vide opera Clameng. edita à Lydio p. 81. & in gloſſa.

Cum evangelica veritas dicat, nihil cum ſcandalo fiendum eſſe, ſubjungit tamen, quòd neceſſe eſt ut veniant ſcandala, ſed imputet ſibi per quem venit ſcandalum, maximè activum: quia paſſivum vel defenſivum communiter non eſt in dolo, nec in culpa. Cum autem venerabilis natio Gallicana, & ipſius venerabilia ac honorabilia ſuppoſita, tam majora, mediocria, quàm inferiora Conſtantiæ congregata, pro generali Concilio inibi convocato & debitè congregato, pro deducendo in eo id in quo habent voces judicativas, conſultivas & quereloſas, ſecundum materias ſuppoſitas, & relationes debitas cogatur reſpondere, & apoſtolos (ad quos teneri poſſet) dare cuidam interpoſitæ appellationi pro parte magiſtri Johannis de Scribanis, aſſerentis ſe procuratorem fiſcalem, nomineq; cameræ apoſtolicæ & ſibi adhærere volentium, & pro ipſius nationis honore & concluſionis in ea habitæ (ex qua oriri dicitur interpoſita appellatio) juſtificatione, ac veritatis manifeſtatione, in reſponſione hujuſmodi & apoſtolorum petitorum datione ordinetur veritas, quæ ſi ſcandalum generet apud aliquos, vel etiam alicubi, hoc cauſam activam præſtantibus, non autem venerabili nationi Gallicanæ defenſivam aſſumenti, ſuæq; eccleſiarum ac monaſteriorum, cæterorumq; beneficiorum apud ipſam portionem neceſſitatibus proſpicienti, aſcribatur. Deſcendendo igitur ad materiam, noverit idem magiſter Johannes de Scribanis, dominiq; Cardinales, ac eorum collegium, & cæteri univerſi, qui tunc & nunc pro generali Concilio ſunt & fuerunt Conſtantiæ congregati, fuiſſe ordinatum, quod deputarentur de ſingulis nationibus certi, qui cum deputatis dominis Cardinalibus convenirent ad aviſandum quæ eſſent reformanda in curia Romana, tam in capite, quàm in ipſius membris, & de modo pro futuro providendi, ſicut factum fuit & eſt inter ſic deputatos nationum, cum quibus fuerunt & tunc erant domini Cardinales, Piſanus, Cameracenſis & Florentinus, qui domini Cardinales contradicentibus deputatis nationis Gallicanæ aperuerunt materiam Annatarum, & jurium ac minutorum ſervitiorum, &, quantum potuerunt, fundaverunt eas eſſe debitas, adducendo in medium rationes & juſtificationes, quas per prius longè adviſaverunt. Diſcuſſione facta inter omnes, validioribus rationibus & authoritatibus juris divini pariter & humani demonſtratum eſt, non eſſe debitas. Et quamvis dediſſent operam ad trahendum ad eorum opinionem quos potuerant, inductione tamen factâ de ſingulorum deputatorum votis, longè major fuit pars, quòd non debentur, nec ulterius tolerari deberent. Propter quod domini Cardinales concludere noluerunt, ſicut & in aliis fecerant, & ſic fuerunt primi qui materiam promoverunt & aperuerunt, unde ſequuta ſibi imputent, & nulli alteri. Novit etiam idem de Scribanis, dominiq; Cardinales & cæteri alii, deputatos fuiſſe

Cardinales concludere noluerunt annatas non eſſe ſolvendas.

 certos

certos alios de singulis nationibus ad advisandum de remediis & modo procedendi, & providendi in exorbitantiis, exorbitanterq; ac indebitè factis de præterito in curia Romana per olim Joh. tunc papã, & alios de tempore suo, inter quos fuit advisatũ, quòd dominus Johan. præfatus, & curia sua Romana apostolica, & domini Cardinales, & eorum collegii camerarius, sive pro camerario se gerens, à beneficiis prælatorumq; & prælaturarum vacantibus, & quoties vacabant (etiamsi ter aut pluries vacassent in anno) pro qualibet mutatione tituli voluerunt habere & exigere fructus primi anni beneficii, sive prælaturæ vacantis, & aliquandò longè ultra, & quandoq; papa qualibet vice Annatas vacan. habebat, & Cardinales nihilominus partem mediam, quodq; propter vacan. fuerunt quandoq; privati prælati & translati inviti, & quandoq; propter plus offerre (sumptis aliis coloribus) assumpti & alii prælati, qui fortè non fuerunt præferẽdi, ex quibus sequutæ sunt strages, guerræ, scandala etiam nondum sopita. Et quia exorbitanter factũ fuerat, & contra jus & justitiam, in oppressionem prælaturarum ecclesiarũq;, monasteriorum & beneficiorũ, & etiam personarum quibus contigerat, & ita factum fuerat per eosdem deputatos, pluribus rationibus fuit conclusum, non debitũ, & esse tollendũ de præterito, & per aliquos ex eisdem fuit dictum, propter easdẽ rationes, & infra dicenda esse extendendum ad futura. Et super hoc fuit composita schedula, & inter eos lecta, & sicut solet fieri, communicata, & deinde ad nationes singulas missa, saltem per deputatos dictæ venerabilis nationis Gallicanæ fuit relata in eadem atq; lecta, & communiter super ea solenniter septem diebus deliberatum successivè, sciente dicto de Scribanis, Dominis Cardinalibus collegialiter ac singulariter, qui etiam in hujusmodi odiũ & vindictã, dixerunt aliquos notabiles prælatos excommunicatos, contra rei veritatem, etiam ex ipsorum parte eorum nominibus non expressis. M. Jo. Ponceti pro eorundem collegio clerico & promotore se gerenti, qui se interponere appellationem dixit, aliisq; rationibus & cunctis Constantiæ pro generali Concilio congregatis scientibus & debitè in ea conclusum fuit de præterito, præsenti & futuro esse tollendum. Causa verò motiva, nationesq; & jura recollecta (quantum fieri potuit) ex dictis diversorum, qui in dicta natione deliberaverunt, & aliàs aperta fuerunt, subsequenter exprimuntur, & juxta Gregorii responsivum oraculum, & Concilii Lateranen. prohibitivum edictũ, initium & causam debendi istarũ præstationum fructuum primi anni prælaturarum, dignitatum, vel beneficiorum vacantiũ qui asseruntur debiti, & quos volunt exigere, diligenter inquirentes, privilegio, consuetudine, aut præscriptione non posse defendi certum est, sicut fuit observatum & de non vacantibus in curia secundum antiqui juris ordinem, nullum reperiri posse initium, præterquam reservationem quandam temporalem, primò per Johannem papam xxii. factam pro certo passagio ultramarino, & quibusdam aliis necessitatibus suis de omnibus dignitatibus & beneficiis, exceptis abbatialibus. Propter quod servatum est in Anglia usq; ad hodiernũ diem, nihil sedi Apostolicæ solvere pro hujusmodi abbatialibus fructibus abbatiarum vacan. Excepitq; episcopales, & etiam alias supra majores per expressum, certasq; postmodum fecit super illis declarationes. Deinde postmodum nonnulli Romani Pontifices ipsius successores, etiam certis temporibus similes fecerunt reservationes certis causis expressis, quas clerus, principes, & populus aliquo tempore tolerarunt, sed postmodum nimium gravati ex eis in aliquibus regnis & provinciis recusaverunt solvere, prout fuit factum in Anglia, & quibusdam aliis, eò quòd per modum facultatis toleratum fuerat. Et sic quantumcunq; eis placuit, licitè potuerunt atq; possunt recusare, maximè quia cessant causæ, quæ tunc erant, eò quòd non sit passagium ultramarinum, vel aliud virtuosum ex talibus pecuniis. Et quia Italiæ, Galliæ, Alemaniæ & Angliæ partes per Dei gratiam sunt unitæ ad invicem, propterea tolerari non debent, cum propter divisionem temporibus retroactis aliquantulum diutius fuisset toleratum, nec sine reservatione, aut contractione (quæ impediunt & cessare faciunt exactionem) reperitur talis præstatio decem annis continuata, & quando erunt talia, præscriptionem non inducunt, maximè de supremo ad inferiores, & minus consuetudinem, ut est Juristis notum, & infra expressius dicetur. De vacantibus verò & fructibus primi anni majorum prælaturarum, abbatialium, videlicet episcopalium, & super nullum aliud initium fuisse invenitur, quàm voluntaria & gratuita oblatio quorundam, qui in discordia electi ad abbatialem, vel cathedralem ecclesiam, dum prosequerentur, in curia per appellationem ad eam factam, per eum qui obtinebat finalem victoriam, promovebatur sive eligebatur. Et talis oblatio & gratuita datio, juxta vulgare Italicum dicta fuit *Servitium*, & secundum Alemanos *propina* dicitur: Et dicta fuerunt *servitia communia*, quia communiter inter eos dividebantur, eò quòd singulos quibus dare volebat, non convocabat, & singulis dare fuisset nimium onerosum his qui tunc agebant in publico consistorio, sed postmodum deductum est in consistorium secretũ, quod tamen fuerat & simoniacum, vel multum de simonia suspectũ, & species mali

In Anglia pro abbatialibus fructibus abbatiarum vacan. nihil sedi apostolicæ solvitur.

Oblatio gratuita Italis servitium, Alemanis *propina* dicta.

mali crudelis, etiamsi prætextu consuetudinis. Tum quia ante vel post promotionem ad hujusmodi dignitates, aliquod hujus prætextu dare vel recipere secundum sacros Canones est etiam prohibitum: Tum quia alienatio est talis oblatio, datio, vel obligatio, quam etiam facere non potest talis electus vel promotus. Et successivo tempore volentes gratuitè dare, & voluntariè conferre summam certam, vel aliquid, eò quòd tunc nulla certa taxa est in camera, quoad aliqua, ad tertiam partem valoris episcopatus, monasterii: Aliqua verò ad mediam, in aliquibus etiam taxa dictum valorem excedit, prout in libris Cancellariæ scriptæ sunt, & ultra pro minutis servitiis compulsi sunt dare & offerre ad solvendum se & monasterium, sive etiam obligare per suarum literarum retentionem. Et novissimè additum est, & compelluntur per eandem retentionem se obligare ad id, quod reperiretur esse debitum in libris eorum cameræ, sive dominorum Cardinalium per oblationem, vel obligationem alicujus prædecessoris monasterii vel ecclesiæ, ad quam assumitur vel transfertur. Ex quo resultat periculum, & maxima absurditas, propter diversitatem librorum, in quibus diversimode possunt scribi solutiones, vel non scribi, secundum diversitatem vel obligationem, aut fortè malitiam officiariorum, qui præsunt talibus, prout quandoq; compertum est, quemadmodum de hoc per formas obligationum, quas super hoc habent in Cancellaria, & quas in talibus observant (quarum copia inferius scribitur) poterit constare plenius. Et nullus talis modus inducit consuetudinem, præscriptionem, nec justam causam talia exigendi, vel etiam observandi. Tum quia gratuita vel voluntaria oblatio unius vel plurium singularium, non inducit consuetudinem vel obligationem, ad quam teneantur alii, nisi velint, cum hoc sit per modum facultatis, quod præscribi non valet. Nec est jus continuum, quia respectu diversorum & separatorum corporum oblatio & datio perfecta est, quæ per successores continuata non est: & si continuata foret, nihil refert ad alios: & quia etiam quamplures ex illis qui obtulerant & debebant, seque ad solvendum obligaverant, postmodum recusaverunt solvere tanquam indebitum, nec etiam solverunt. Tum quia nullo statuto, privilegio, consuetudine, præscriptione, aut alio titulo potest induci, quod propter conferre, aut consentire promotioni aut electioni alicujus monasterii, vel Ecclesiæ Cathedralis, sive ut præficiatur administrationi prælaturæ, beneficii, sive Ecclesiæ, aliquid possit, vel debeat peti vel exigi, eò quòd secundum Apostolicas & Canonicas traditiones, clarissimè foret simoniacum. Tum, quia non petuntur, neque exiguntur hæ Annatæ per cameram Apostolicam & dominos Cardinales, ex eo quòd vacant: sed quia conferunt, seu quia collationi & promotioni, quæ fit per Papam, assentiunt. Et hoc est clarè secundum Canones simoniacum. Tum quia constat, quòd propterea exiguntur, quia conferunt, seu electioni vel promotioni consentiunt, & non quia vacant, eò quòd ab illis qui promoventur ad prælaturas hujusmodi extra Curiam, & per alium quàm per Papam, nihil habent, vel exigunt. Et constat etiam ex eo quòd nihil percipiunt in tali exactione, nisi domini Cardinales, qui actu sunt præsentes, & tamen de jure communi omnes Cardinales etiam absentes participarent si quia vacant, deberentur vel exigerentur. Tum quia talis usus vitiosus, inhonestus, continens speciem mali, & de jure prohibitus: propterea nulla consuetudo potest super eo situari, & minus præscriptio induci. Violentantur enim qui in Curia promoventur ad dandū & offerendum, seq; & monasterium sive ecclesiam, ad quod sive ad quam promoventur obligandum, ad solvendum taxam, sive quotam, quæ refertur eis esse in libris cameræ cum minutis servitiis, & omne illud & quicquid reperitur, debitari per dationem vel obligationem consimilem factam cameræ Apostolicæ, & dominis Cardinalibus suorum prædecessorum, per literarum suæ promotionis retentionem & detentionem. Et tales modi nunquam inducunt consuetudinem, neque præscriptionem, cum sint violenti: & cum hoc resultat alia violentia: quia quantumcunque promoti, benedicti, vel consecrati, & notum sit monasteriis vel ecclesiis, quibus præficiuntur, sine literis hujusmodi non possunt intrare possessionem: propter constitutionem pœnalem factam in favorem hujusmodi indebitarum exactionum, quæ incipit [injunctæ]. Tum simoniacum vel suspectum de simonia: quia petuntur fructus primi anni, & solvitur in Curia realis pecunia pro fructibus colligendis in partibus: & quia solvitur ante tempus: & quia quandoque solvitur totum cameræ, & ante adeptam possessionem: & nihilominus Cardinales taxam requirunt, & per retentionem literarum exigunt re vel obligatione quando possunt. Tum, quia ex præmissis infertur rationabilis diffamatoria murmuratio contra Romanam Curiam, quam Deus servare puritatem & justitiam, & ab omni specie mali abstinere voluit, resultatq; infectio & nullitas omniū & singulorū quæ fiunt in præmissis datione, oblatione, obligatiōe, sive cōtra obligātes fulminationē & sūmissionē propter modū & causā, ex quibus fit concurrētia in actu, qui nō tenet. Propterea qui dicūtur incidere in sentētiis quæ hujusmodi

Libri cameræ diversi, hinc exactiones impares.

Violentantur ad solvendum in Curia promoti.

Romanam ecclesiam puritatem & justitiam servare, & ab omni specie mali abstinere Deus voluit.

Censuræ propter annatas non solutas timendæ

non sunt. Si hæc sint verba Orth. Gratii, is sibi parum constat: in Gravamine enim xi. paulò ante, dixerat censuram injustā esse timendam: bone vir! quid tibi vis? nisi authoritate Nic. de Clamengiis motus, aliud demum sentis ac in causa Principum sentiebas.

occasione

occasione feruntur, non debent eas tenere, nec timere, nec videntur absolutione indigere. Propter enim prædictam concurrentiam continent errorem intolerabilem, & quia contra jus constitutionis. Nam viderentur hominem obligare ad incidendum in hæresim, largo sumpto vocabulo, videlicet quòd sit licitum spiritualia emere, vel pro spiritualibus pecuniam & temporalia dare. Tum quia talis consuetudo, præscriptio, seu privilegium quando essent, nimium forent ecclesiis, clero & provinciis onerosa, & substantiarum ecclesiarum destructiva. Et propterea de jure nulla esset præscriptio, quæ nullatenus procederet, & privilegium (si quod appareret) non solùm de jure decurtandum, sed etiam totaliter submovendum, utroq; jure hoc testante clarissimé. Tum quia prælatus quilibet, qui in Curia promovetur ad monasterium vel ecclesiam Cathedralem, antequam suæ expediantur literæ in Curia, jurat nihil de juribus monasterii vel ecclesiæ alienare, & ipsis literis in Cancellaria expeditis, & deinde bullatis, ac etiam registratis portantur ad Cancellariam, à qua haberi non possunt, nisi primò se obliget (ut præfertur) quæ obligatio est alienatio clara.

Et sic promotus videtur cogi committere simoniam & simul perjurium. Tum quia non fuisset credendum, nec est, cameram Apostolicam, ac dominos Cardinales, aut quoscunq; alios, propter quodcunq; lucrum, sive temporale commodum, velle sustinere aut etiam defendere tantam inhonestatem, prætextu cujuscunq; consuetudinis, præscriptionis, aut privilegii, etiam quando essent, in quibus includuntur labes simoniæ & clarum perjurium, scandalumq; & damnatio animarũ. Tum quia adhuc præmissis cessantibus, & supposito quòd annatæ petitæ deberentur, tollendæ sunt ex toto causis & inconvenientibus ac scandalis sequentibus. Nam licèt secundum Apostolicam Doctrinam, Papæ potestas à Christo immediatè sit, tamen est ad ecclesiæ ædificationem, & non ad ipsius destructionem, quæ tamen resultaret in observatione prædictorum, estq; hujusmodi potestas ordinata ad justitiam, & rectum judicium exercendũ, quod non obligaret, & cessaret in exactionibus præmissis, habetq; præsidere propter bonum publicum & salutem animarum, & non propter seipsum, alias videretur abusus. Nec videtur facultas Papæ, nec ecclesiæ Romanæ concessa, neq; eis competit pro libito voluntatis exactiones sive præstationes aliquas imponere ecclesiis, aut personis ecclesiasticis, cum eorũ non sit dominus, sed tantummodo Christus, maximè per quas causetur ipsarum oppressio, vel inde oriatur scandalum, deturq; causa murmurandi, vel etiam resultet detrimentum animarum, aut frustretur sive fraudetur intentio fundatorum ecclesiarum Cathedralium, monasteriorum & aliorum inferiorum beneficiorum. Tum quia per exactionem prædictarum annatarum tam ardenter & inhonestè exactarum, sive cleri principumq;, in quorum dominio sunt, & eorum de genere, qui ea fundaverunt expresso consensu, & levem decimæ impositionem sequutæ sunt oppressiones in clero & in ecclesiis, & inde murmurationes graves exortæ, & apud Regem magnosq; Principes & alios nobiles, & illos de populo usq; ad plebeios scandala, quia vident pati ruinas ecclesias Cathedrales, monasteria, aliaq; beneficia, quæ sui primogenitores & alii magnates fundaverunt & uberanter dotaverunt, & largiti sunt ducatus, comitatus & alias dignitates temporales, baronias, castra, terras, jurisdictionem, & alia temporalia bona, pro sustentatione ministrantium in divinis, & ad divini cultûs honorem & augmentum, suorumq; peccaminũ expiationem, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, ecclesiarum ipsarum ædificationem & reparationem, terrarum ac possessionum ecclesiarum & monasteriorum culturam, jurium ipsarum prosequutionem, conservationem & defensionem, quæ omnia cessant, nec fieri possunt: sed numerum in ecclesiis sic fundatis ministrantium juxta fundatorum ordinationem minuere oportet, propter dictas intolerabiles exactiones. Tum quia scandalizantur, & inde murmurantur cum recurrunt ad causas, propter quas talia contigerunt, dicentes non fuisse intentionem fundatorum, nec eorum existere, quòd propter tales exactiones, vel etiam similes, vel propter replere quadraginta aut etiam plures personas deberent frustrari intentionibus suis fundatores, & ipsi in hoc pati verecundiam, quod dotata per eos, & largita tam exuberanter, deducantur ad ruinam, & patria reddatur infirmior ad se defendendum contra hostes, eò quòd castra & munitiones nec retinere nec defendere possũnt quibus collata sunt, & propterea nolle pati omnino dicunt, cum talia & in nullo subdantur Papæ nec Cardinalibus, ut fiant eis tributaria, cum sint feudalia aut merè temporalia. Tum scandala & murmurationes insurgunt, dum vident & sentiunt exigi hujusmodi vacantias & præstationes sine pietate & misericordia, aut aliqua remissione, quantumcunque impotentes; & hoc notum fuit, sicut contigit in Abbate Saturnini Tholosani, compulso obligari ad taxam sibi relatam, quæ erat quatuor milliũ & ducentorũ florenorum, & non valet, annis omnibus (etiam vivendo supra locum) quingentos, & tam ipse quàm plures alii compelluntur per exactores deputatos usq; ad impignorationem terrarum dotalium ecclesiæ vel monasterii, & usque ad venditionem calicum, etiam non conflatorum, librorum, & aliorum ornamentorum, & bonorum aliorum ecclesiæ, quæ petuntur solvere.

Annatas tollendas esse.

Nota.

Annatæ sunt contra Rempublicam.

Tum

Tum quia scandala, & murmurationes insurgunt, quòd propter hujusmodi exactionem prælati, & alii ministri reputantur per exactores excommunicati, & per processus ac literas quas affigunt in locis publicis, eos denuntiant, injuriantur, & verecundiam faciunt in diebus solennibus, nec coram aliis audent celebrare, licet in veritate non teneant sententiæ. Inde scandalizantur Principes, & alii de populo, & in tantum arctantur ad solvendũ, quòd pro dilationibus non dantur nisi tres menses & pro litera & sigillo relationis sententiæ oportet solvere realiter tres vel quatuor florenos cum dimidio, si sit simoniacum videat unusquisq;, & sunt in anno viginti floreni, sine eo quod dare oportet clericis ad hujusmodi prosecutionem deputatis, & quod expendit nuncius in eundo & redeundo, nec per hoc principale minuitur. Tum scandala sunt exorta, & non cessant propter exactiones prædictas, ex eo quòd postquam ecclesia Romana continuavit tales exactiones, non cessavit à guerris, & major solicitudo Romani Pontificis & suorum Cardinalium usq; ad Johannem inclusivè novissimè depositum, fuit de guerrarum continuatione, in qua fit effusio humani sanguinis. Et licet etiam habeat orientale imperium, non tamen cadunt honestè talia in viris tam perfectis: & quia per humilitatem, sanctimoniam & devotionem solebant jura ecclesiæ in esse conservari, retineri & acquiri sine artificiali gladio aut alia violentiâ. Tum quia propter tam promptam numerationem hujusmodi vacantiarum & aliarum exactionum, camera ac alii domini Cardinales non curaverunt, neq; soliciti fuerunt de dote & patrimonio ecclesiæ Romanæ, de quo vivere possent & debent, neque de recolligendo tributa, pensiones & debita, quæ rationabiliter eis deberentur, sed ea per expressum remiserunt & remittunt, prout fecerunt aliquibus communitatibus, etiam moderni domini Cardinales centum millia Florentinis, cum quibusdam aliis, regi Apuliæ tributa pro quindecim annis, & cuidam Marchioni remiserunt: & ita fecerunt pluribus aliis, quibus concesserunt dari terras & castra patrimonii ecclesiæ: de quorum fructibus vivere habent, & videntur quodammodo affectare occupationem dicti patrimonii, & non solutionem dictarum pensionum, & etiam tributorum: ut sub illo colore possint dictas vacantias, & alias exactiones exigere, ac per hoc collationem beneficiorum & promotionem ad prælaturas retinere: ut inde magis ab illis de clero timeantur, & universalius revereantur, & etiam honorentur, sicut de facto observant. Tum scandala propter præmissas & similes exactiones & ipsum modum exigendi in Galliis exorta sunt, eò quòd superstites de genere illorum, qui ecclesias, monasteria & alia beneficia dotaverunt, audientes referri quòd pro pecuniis beneficia habentur in Curia Romana, & quod propterea ruinæ & præmissæ beneficiorum destructiones sequebantur, querelam fecerunt fieri apud Regem Francorum eorum summum principem, in cujus Parlamento & suo consistorio, auditis quæ fuerunt proposita pro parte cameræ Apostolicæ, & dominorum Cardinalium (quod bene sciunt aliqui ex eisdem) fuit clarè & ad plenum solenniter apertum, & evidenter monstratum, quòd nullo jure deberentur, & quòd clara simonia in modo se habendi includebatur, quæ plurimùm erat sibi periculosa, & ad ipsum spectabat (ut dicebant) in suo dominio reprimere tales abusus & vitiosos excessus, ne consentiendo iram Dei provocare videretur in seipsum, juxta Gregorianam epistolam Theodorico & Theoberto Francorum Regibus missam, in decretorum volumine insertam. Fuitq; clarè demonstratum, quòd ultra præmissa & multa alia inconvenientia, per tales exactiones vacuabatur regnum & dominium suum, pecuniis & divitiis, quæ ad nullam pietatem applicabantur, sed postmodum malos & pessimos pariebant exitus, & causabant effectus, quodq; Romani Pontifices pluries fuerant moniti & requisiti, ut in his tam scandalosis & causantibus animarum damnationem providerent, & Canonicum ordinem darent, quod facere neglexerunt. Certam igitur provisionem tunc super his rationabiliter edidit, quæ per quoscunq; regnicolas & in dominiis suis domiciliatos, sub divina & regia offensa servanda est, & quando deberentur, propter tale scandalum tollendæ sunt. Tum quia nec dicta provisio totaliter suffecit, quin per practicam Romanæ Curiæ aliqua, pecuniis intervenientibus, in dominiis suis beneficia conferrentur, & resultaret quod prius per solennes suos ambasiatores, adjunctis nunciis notabilibus pro parte prælatorum & cleri regni sui, atque universitatis Parisiensis, destinatos ad Romanam urbem, inter cætera domino Johanni tunc in sede Apostolica & Romana sedenti proponi, eumq; requiri, exhortari, & moneri fecit, ut tales exactiones, per quas tales abusus sequebantur, & perditio animarum, submovere curaret, & providere non tardaret. Qui verbo respondit hoc sibi placere, & totaliter submovere velle: & super hoc onerare legatum, quem destinaturus (ut dicebat) erat ad Franciam.

Jura Ecclesiæ acquisita, non gladio, sed humilitate.

Johannes Papa respondit Legatis Franciæ se velle submovere & auferre Annatas.

Et quia nulla provisio sequuta est, licet justè potuisset, ac posset juxta dicti Gregorii epistolam, & aliis de jure per seipsum providere, magis mite in favorem & honorẽ ecclesiæ volens in hoc se habere distulit, & suis ambasiatoribus & aliis pro prælatis atq; clero regni sui, & Delphinatus destinatis ad præsens generale Concilium, injunxit hanc provisionem, & remedia-

remediationem prosequi: quam multipliciter conantur quidam impedire, plus curantes de quæstu quàm animarum profectu. Tum quia multiplicatum est scandalum, & causa nova adjuncta: ex eo quòd dominus Johannes olim Papa, novissimè destitutus, testificatur & se publicè facit audiri: quòd unum millionem & septingenta millia florenorum auri habet in diversis locis reposita, & collegium dominorum Cardinalium ad medietatem summæ tantundem præsumitur habuisse: quorum fortè major pars de Galliis processit. Quod principes, clerus & populus attendentes, magis commoventur ad exquirendum remediū: cum dictæ pecuniæ nullum profectum fecerint: sed plures arces & ecclesias macularunt, & causa destitutionis dicti Johannis atq; magni scandali. Fuit ergo talis exactio causa tollendi, ne similia futuris temporibus eveniant aut etiam contingant: & si prædicti locum non habuissent vel habere possent, sicut tamen habent, adhuc dictæ annatæ & vacantiæ & hujusmodi indebitæ exactiones sunt tollendæ & totaliter submovendæ: quia dant causam proximam simoniæ committendæ in Curia diversimodè, infamantq; Curiam Romanam, & infinitorum malorum dant occasionem: & sunt & fuerunt causa, quòd venderentur beneficia ecclesiastica, prælaturæ & dignitates, & mercarentur. Sicut factum fuisse reperitur cum domino olim Johanne Papa: quod quamvis simoniacum non esset, sicut est, tamen turpissimum, abominabile, scandalosum valdè est. Tum quia sub prætextu & colore solvendi vacantias secundum verum * laborem & taxam antiquam prætensam, triplicatur & quadruplicatur juxta verbum quorundam dicentium, quod sicut offert juxta taxam, ita potest offerre, & dare totum valorem unius vel plurium annorum: & per hoc promoventur ambitiosi & male morigerati, illiterati, & quibus desunt aliæ virtutes: recurrunt ad pecunias: repelluntur literati viri virtuosi non habentes pecunias: & futurum est de proximo, quod si sicut factum est, ita continuaretur in promotionibus & beneficiorum distributionibus, studia efficerentur deserta: nullusq; curaret scire vel etiam studere: & posset inde pati fides & religio Christiana propter defectum doctrinæ, maximum detrimentum. Sunt etiam tollendæ & removendæ, quia juxta taxam prælaturæ vacantis, cui committitur inquisitio & processus, mercatur & vult limitare salarium, quod asserit sibi debitum ab illo pro quo debet relationem facere: & in securo vult habere antequam referat: prout in hac venerabili natione Gallicana per egregium dominum Paulum doctorem alterius nationis conquirendo fuit notabiliter propositum: & aliquantulum casus unus apertus: videlicet, quòd quia tunc erat conventum cum Papa aliquem debere solvere tria millia: quia relationem facere pro vacantia debebat: volebat habere trecentos, quos oportebat detrahere de prædicta summa: eo quòd promovendus nihil plus habebat: & tunc Papa de suo proprio solvit quinquaginta, & C. procuravit pars propria: & sic pro quolibet milliario habuit quinquaginta: si sit simoniacum, judicent audientes. Idem facit notarius, qui scribit in processu: scutifer Papæ, & scutifer domini Cardinalis referentis: qui de more mittuntur ad promotum, utplurimum ad intimandum suam promotionem: qui sua salaria dicunt esse limitanda secundum quantitatem vacantiarum, & idem trium portarum ostiarii, & quamplures alii consimiles, qui non exprimuntur de præsenti. Tum quia promotus in Curia propter tales angarias cogitur esse passivè usurarius, & intrare manus mercatorum: qui pro quingentis mutuatis volunt habere & recuperare mille cum suo interesse: quod clarè expertum est: & adhuc cogitur fieri simonia, propter hujusmodi maculatas exactiones: eò quòd oportet secundum limitationem taxæ pro jure sacræ vel benedictionis munere realiter pecunias solvere: quod abhorrendum est. Tum quia etiam hujusmodi vacantiarum insurrexit quædam turpissima venalitas: eò quòd licet fuerit commissum pro aliquo notabili promovendo ad prælaturam vacantem, quantumcunque notabilis & sufficiens fuerit: nihilominus pro omnibus aliis volentibus concurrere similiter committetur: & quandoque eidem commissario, quandoque diversis, & qui melius solvere vacantias poterit, & se commissario gratum reddere, & apud campsores, quibus pecuniæ sunt numerandæ, de solvendo certos & cautos facere, ille sufficientior est, & præfertur aliis secundum modum quandoque observatum. Et inde sequuta sunt scandala diversa, ut taceamus illa. Rursusque quia cum propter retinere solutionem vacantiarum, & aliarum exactionum hujusmodi decimæ & subsidia charitativa quandoque inducantur: venundatus est clerus, & libertas ecclesiastica sublata & totaliter remissa: & est data & concessa Principibus & comitatibus participatio in hujusmodi exactionibus: ne contradicerent, & nullatenus clero assisterent: & ut ex eo per brachium seculare possent facere exigi: & ultra illa tributa alia & exactiones aliquibus concessa sunt super clerum: ita quod in plerisque dominiis facti sunt prælati, clerus, & quicunque religiosi deterioris conditionis quàm laici: quòd fortè Papa facere non potuit, neque potest: cum sit in subversionem & turbationem universalis status ecclesiastici, absolvere privilegia & libertates eorum, qui servare ea habent, ut in pace & quiete Deo valeant famulari, & iram Dei populo placare. Præmissis igitur

Magnum & obstupendum annatarum gravamen.

* Ita est etiam in Lydio, sed videtur debuisse esse valorem.

Interesse Mercatorum.

Artes Romanas emungendi clericos pecunià, novit ad unguem hic author, easq; in tui gratiam retegit, qui nihil Romæ nisi sanctitatem esse, stultè credis.

tur omnibus stantibus dicere eas debitas, & exigere posse (ut præfertur) & pertinaciter hoc tenere, esset fortè hæreticum & periculosum valdè.

Ex ipsis igitur & quibusdam aliis de præsenti non expressis, & ex causa & resultantibus ex eis & parte eorum, quæ sufficere ad hoc poterant & possunt, *conclusit rationabiliter & de jure hæc venerabilis natio, & supposita ejusdem matura deliberatione præhabita, dictas annatas sive vacantias, & quas appellant communia & minuta servitia de præsenti, & de præterito, nec aliquo tempore, nec continuari, nec per modum tributi seu debiti imponi posse monasteriis vel ecclesiis aut beneficiis seu personis ecclesiasticis, non esse debitas: & quatenus de facto, prætextu eorum qui præterierunt nullus conaretur eas exigere vel levare, totaliter esse tollendas, & resistendum. Modò ad causas & rationes, quibus nititur justificare & confirmare suam appellationem interpositam præfatus de Scribanis, & qui ea composuerunt, & sibi adhærentes, restat respondere. Inprimis enim dicit idem de Scribanis fuisse deliberatum in natione, procedendum esse in arduis per secretum scrutinium: & ita fuisse practicatum, &c. Respondetur, quòd in actibus particularibus, de quibus actum est, quod per secretum scrutinium fieret deliberatio, ita observatum est. In aliis verò, in quibus specialiter actum non est, nequaquam: quia repugnant honestati Concilii & plenariæ libertati. Et quando ita ordinatum fuisset, non esset substantiale formæ, nec Decretum irritans in contrariū. Et quia nationes singulæ deliberant apud se, quæ videntur eis utilia, vel necessaria, sine aliorū convenientia: sicut factum fuit de procedendo in causis præcedentibus, & committendis supervenientibus in Curia sede vacante, quod non est de jure: in quo deliberatum fuit, & etiam conclusum in quibusdam nationibus, antequam fuisset datum verbum in natione Gallicana: quæ quidē natio constringi non debet: nec plus ancillari cæteris nationibus: & ultra quandoq; fuit actum, ut in actibus certis per secretū scrutiniū deliberaretur, in quo fuit solenniter & debitè oppositū: quare superfluo fundat se, & nulliter præfatus de Scribanis. Cū dicit ultra in ordine idem de Scribanis, appellans, quòd materiæ in nationibus deliberandæ primò deferri debent ad deputatos quatuor nationum: Respondetur, ita factum fuisse, ut dictū est, & quando non esset factum, substantiale non est. Cum dicit idē appellans esse Papæ subveniendum ab inferioribus ecclesiis, quas asserit descendisse à Roma, &c. Respondetur, quòd quilibet episcopatus debet certos suos habere redditus pro donatione & sustentatione sua sive episcopi, sicut habet episcopus Romanus, quæ suffecere & sufficere possunt cum industria, & alia quæ extraordinariè superveniunt. Nam Apostolus ex industria quærebat sibi victum, ne quibus ministrabat, esset nimium onerosus: & si non sufficiant redditus Episcopi Romani de præsenti, primò habet requirere subsidium à clero suæ civitatis & diœcesis, deinde suæ provinciæ, & per modum subsidii charitativi temporalis, & non perpetui census, & postmodum ab aliis ecclesiis immediatè subditis potest subsidium benignè implorare, quæ causa necessaria supposita expressaq; & vera honestè non possunt denegare ad tempus. Nec tunc fortè venit exactio subventionis, respectu datæ temporalitatis pro fundatorum ecclesiis, ut certum onus supportetur, aut aliquid aliud fiat secundum eorum ordinationem, ne frustrentur ordinatione & intentione eorum: sed tantùm respectu eorum quæ proveniunt ratione spiritualitatis, & dotis constitutæ à jure, ut sunt decimæ, oblationes, portio Canonica mortuariorum & similia. Quòd autem Ecclesiæ aliæ descenderint à Roma, præcessit Ecclesia Græca, in qua primò sedit Petrus Antiochiæ, & Jacobus Hierosolymis, & fuerunt aliquæ quæ contendebant de pari; & quæ præcesserunt, ab ea non videntur descendisse: veruntamen ab omnibus recognoscitur, tanquam suprema domina & magistra omnium propter virtutes & merita eorum qui præfuerunt in ea, cujus ultima non correspondent primis. Subjunxit postmodum præfatus appellans, quòd subveniendum est dominis Cardinalibus, qui coadjutores sunt Papæ, &c. sicut dicit. Respondetur, quòd domini Cardinales duplicem habent statum primævum: cujus retinent titulum & principales dignitates in collegiatis ecclesiis in Curia Romana obtinent, vel sunt curati parochialium ecclesiarum ejusdem: & illo respectu dicuntur Cardinales, id est, Principales: quod non competit eis specialiter: sed multæ sunt ecclesiæ sicut Ravennaten. quæ obtinentes dignitates, in ea nominant Cardinales, & ita est in pluribus aliis ecclesiis, in diversis regnis & provinciis: & ex ista præsenti institutione eorundem primum officium fuit & est, & esse debet, confessiones audire, prædicare & etiam baptizare, &c. quoad presbyteros. Episcopi verò Cardinales hæc habent facere & exercere in suis diœcesibus: & isti de suis titulis, & eorum emolumentis isto respectu debent & tenentur contentari, sicut alii de clero in singulis diœcesibus. Et si non valeant quantum valuerunt, limitent expensas, vel petant sibi provideri debere, & per modum Canonicum.

Et ille status fuit in charitate fundatus, & valde hūilis & benignus. Aliū statū assūpserunt: quando * Constātinus imperiū occidētale contulit ecclesiæ Romanæ, quā voluit habere senatum,

Conclusio nationis Gallicanæ de non solvendis annatis.

Episcopus Romanus, à quibus debeat quærere subsidium.

Ecclesia Græca præcessit Romanam.

Cardinales sunt in duplici statu primævo.

* Teste Laurentio Vallâ, ut supra pag. 132.

natum, & quòd senatores vestibus, honore & ornatu decorarentur, qui statum illum repræsentarent. Et illum tenent & repræsentant domini Cardinales (ut dicit Innocentius) quorum officium est principi consulere sc. Papæ, sicut consulebant principi temporali. Sciens Constantinus ecclesiam non posse onera talis status sufferre, nec expensas sustinere, & quod statum eorum propter hoc nollet admittere, nisi aliter provideret, contulit & dedit eis patrimonium & temporalia pro statu eorum. Quod postmodum augmentatum, & si illud occupatum fuerit, culpa & negligentia eorum factũ est : sicut suprà dictũ est. Ideo recuperent vel sint contenti eorum primo statu, cum status eorum sit nimium ecclesiæ onerosus : & non est necessarius, sicut prætendunt multi, maximè cum tanto ecclesiæ onere. Quod enim domini Cardinales sunt Papæ Coadjutores, sicut dicit qui appellat, nihil est, super falso se fundat, quia Episcopi sunt Papæ coadjutores, & supra Cardinales de jure: Cardinales verò sunt tantummodo Papæ consultores: Et patet, quia dudum Cardinales qui bene servierant, in eorum remunerationem, & pro quiete ipsorum promovebantur ad Cathedrales Ecclesias. Patet etiam quòd majores esse videantur Cardinalibus: quia cum florebat temporalitas eis data, ecclesia & generale Concilium statum eorum limitavit ad vigintiquinq; familiares tantùm: episcoporum verò ad triginta, quos tamen contemnunt hodie: & per violentiam eos & alios de clero opprimere conantur: atq; volunt sibi facere tributarios, & eos faciunt vi familiariter servire: nec pro quocunq; prælato etiam prono adorante eos in terra, ponerent manum ad capellum & salutarent eum. Quod nunquam aliquis Rex, aut princeps fecit, neq; hodie permitteret, cum immediatè recipiant episcopi potestatem & dignitatem à Christo: Domini verò Cardinales ab homine, quoad statum assumptum senatorum dictum & futurum est, atq; necessarium in statu eorum providere, ut certus constituatur numerus, statusq; eorum limitetur: decernendo quod fierent tantummodo temporales, sicut aliqui dixerunt: & in quolibet generali Concilio qui bene se habuissent, confirmarentur, qui verò male, eradicarentur, & domos suas remitterentur. Cum ulterius subjungit appellans, quòd Papa & Cardinales sunt in possessione percipiendi à prælatis annatas, præsertim in dominio Regis Franciæ, Respondetur prout suprà, & ultrà, quòd nullus unquam competiit titulus percipiendi, & si aliquando perceperunt, hoc fuit per modum permissivæ facultatis & benignæ tolerantiæ, quæ secundum Innocentium, & quoscunque doctores, potest revocari quandocunq;. Et est mirum literatos talia pro fundamento allegare, quòd à cætero sufferre non intendunt: quia quandocunq; esset eis aliter subveniendum, contribuendum, esset æqualiter per nationes & provincias, & talis provisio annatarum nimium esset excessiva. Nam taxa vacantiarum secundum quod descriptum est in libris cameræ Apostolicæ, de ecclesiis Cathedralibus & Abbatiis Galliarum taxatis, ascendit ad sexcenta nonaginta septem millia septingenta quinquaginta Francorum, sine prælaturis, quas non taxant & aliis inferioribus dignitatibus & beneficiis, quæ fere ad tantundem ascendunt, quæ summa prima sex annos (velut clarè demonstraretur) integraliter solvitur: & singulis annis divisa ascenderet ad ducenta millia, prælaturis & aliis minoribus beneficiis injunctis. Quod si in singulis nationibus tantundem reciperetur & haberetur, ascenderet summa, & esset in universo sex milliones nongenta septuagintaseptem millia & quingenti floreni: quod esset excessivum valde, etiam quando non solveretur, nisi tota in decennio & ultra, domini Cardinales moderni obtinerent in Galliis sex Cathedrales ecclesias, & alias dignitates, ac alia beneficia, de quo deberent contentari sine tanto quæstu vacantiarum, & recurrere ad alias nationes: tantundem eis facerent, quod esset rationabilius: quando omnes, Italica, Germanica, Hispanica & Anglica nationes tantum facerent eis, essent ad minus trecenta & quinquaginta annis singulis. Detrahunt enim & obloquuntur venerabili nationi Gallicanæ, quæ sola plus facit quàm totum residuum, & sustinet pondus & æstus diei. Quòd autem communia servitia, sicut dixit appellans, deberentur propter servitium, quod communitati & Reipublicæ impendit Papa & Cardinales, &c. Respondetur, quòd Papa administrans justitiam & regnans ad ædificationem ecclesiæ & salutem animaram, & non propter ipsum servit quamplurimum: & tali serviendum esset etiam realiter quoad dominos Cardinales: si non debeatur eis nisi quia serviunt: quamplures ex eis de nihilo serviunt, imò nocent & officiunt supersedendo ab expressione causarũ, quæ suo tẽpore locũ habere potuerunt. Quando ulterius subjungit appellans, quòd sine vacantiis vivere non possunt, attẽto quòd patrimoniũ ecclesiæ propter schisma & malũ regimẽ ecclesiæ Rõanæ & præsidẽtiũ in ea, est occupatũ, &c. allegat suã turpitudinẽ, & devorãtibus substãtiã suã nõ est dandus recursus ad alienas: & qui præsederunt in Rõana ecclesiã, fuerunt Cardinales, & de illo statu assumpti: & eos qui præfuerunt, elegerunt dõini Cardinales etiã qui sunt moderni, & præsumuntur elegisse meliores: qui, ut confitetur appellans, & sibi adhærentes totum destruxerunt. Imputent ergo sibiipsis. Et cum ulterius appellans dicit, quòd si removerentur vacantiæ, Cardinales Reip. serviẽtes, non haberent unde viverẽt, & sic eas non debere

Cardinales sint contenti primo statu.

Summa exactionis in Gallia planè stupenda.

☞

Communia servitia quatenus debeantur Papæ.

Objectio diluitur.

bere solvere, nimia levitate fuit conclusum in natione Gallicana. Respondetur, quòd ex supradictis potest apparere, si nimia levitate vel digesta deliberatione processit conclusio, & si nimia cupiditate conetur eam impedire. Procedendo ulterius dicit idem appellans, quòd procurantes fieri dictam conclusionem erant debitores cameræ apostolicæ. Respondetur, quòd si debitores reputet propter vacantias quas asserit debitas, patet per supradicta non esse debitores, nec etiam debitas, nec esse solvendum, si ex alia causâ dicat eos debitores, justificat actum. Quòd sede apostolica vacante, sicut dicit idem appellans, nihil sit innovandum, &c. Respondetur, quòd nihil innovatur, sed quod est vitiosum, scandalosumq; & indebitum, tale esse declaratur & declarari petitur. Quando ulterius progreditur idem appellans, ostendens, quòd inconsultis aliis nationibus, ad conclusionem natio Gallicana processit, &c. Respondetur, quòd per medium deputatorum aliarum nationum, quæ omnes consenserunt quòd de præterito tollendæ essent, consultæ satis nationes videntur, & quod super illis natio Gallicana deliberaret, omnes sciverunt nationes, & etiam domini Cardinales ultra deliberationem, motiva & conclusionem suam voluerunt communicare aliis nationibus ad effectum concurrentiæ & provisionis dandæ. Quod domini Cardinales per exquisita media impediverunt, & inter nationes non est quæ tantum fuerit gravata sicut Gallicana in istis exactionibus, & propterea magis solicita esse debet. Et constat, * quia in Anglia nihil percipit, nisi de episcopatibus (qui sunt pauci) Camera vel domini Cardinales. Nec paterentur, quòd interea Cardinales obtinerent beneficia, & in certis regnis Hispaniarum ordinatum est, quòd Camera nihil totaliter recipiat. In Italia verò, beneficia, prælaturæ, & dignitates modici sunt valoris, & cum hoc domini temporales & communitates prohibent, quando videtur eis atq; placet, quòd dicta Camera nihil recipiat, & novissimè communitas Florentina papæ Johanni, qui tunc erat, & dominis Cardinalibus in eorum civitate existentibus, propter unicum abusum quem papa commisit in conferendo unam Abbatiam, sitam in eorum dominio, privaverunt papam potestate conferendi beneficia in eorum dominio usque ad quinque annos, nec tunc appellaverunt, & tamen per hoc perdunt fructus Annatarum. In Alemania in certis dioecesibus & provinciis percipit aliquid, in aliis verò nihil, imò nec admittuntur literæ apostolicæ, nisi quantum placet episcopis, qui recusant in denegando vidimus, & propterea Gallia, quia nimium grata fuit & obedivit, nimium gravata est, & adhuc opprobriis laceratur. Quando verò subjungit sæpedictus appellans, quod minis & terroribus & certorum principum voluntatibus allegatis fuerunt impediti volentes deliberare, &c. Respondetur, quòd (sicut dictum est) ad opprobria & injurias prorupit appellans, sibiq; adhærentes, & appellationis compositio ad intelligendum, & est falsum quod asserit, sed domini Cardinales fuerunt illi qui incutiebant terrores & inferebant minas, atque dicebant injurias prælatis & aliis notabilibus viris nationis Gallicanæ, & eorum familiaribus cum nimia austeritate, ut liberè non auderent quod conscientia dictaret super illis exprimere, & aliquibus dixerunt, quòd inquireretur contra eos ad finem destinationis eorum status. Aliis dixerunt injurias, aliis vero spem dabant promotionis, & exaltationis status, de quo adhuc confidunt aliqui, & familiares suos venire faciebant ad nationem Gallicanam ad vociferandum & clamandum (sicut de facto fecerunt) ad deliberationem impediendum, & ultra videntes non posse impedire deliberationem quæ fiebat, ad invicem congregati omnes protonotarios, auditores palatii, scriptores, notarios, cursores & quoscunque alios etiam mechanicos Romanam curiam sequentes, convocaverunt, & ad se venire fecerunt, & cum gemitibus eis dixerunt, quòd natio Gallicana per se sola præsumebat destruere velle statum papæ & Cardinalium, protonotariorumque, Cameræ clericorum, Cameræ auditorum, plurium scriptorum, notariorum, advocatorum, cursorum, cæterorum quorumcunque Romanam curiam sequentium, & ipsam Romanam curiam incitarunt loquendo quòd oportebat se illis opponere, & ad contrarium laborare, & conclusionem receptam de non solvendo vacantias facere per media, ut non admittatur per alias nationes, & fuit dubium & etiam periculum de magna commotione contra natos de Gallis. Nec talia attentaverunt, quando natio Anglicana & eorum Rex Illustris interdixit tales exactiones nolle plus sustinere in regno suo Angliæ, & videntes propter hoc non posse proficere, quia rationabile est quod petitur, & irrationabile quod impedire conantur, converterunt se ad appellationes, & unam interposuerunt nominibus suis, & aliam interponi fecerunt per dictum de Scribanis, aliam verò per magistrum Johannem Ponceti eorum promotorem & clericum. Per tales appellationes & oppositiones volentes impedire & illibertare dicentes vota sua, & in prædicationibus publicis materiam procuraverunt ad intentum eorum, & per verba magistralia notaverunt non sibi propitium esse, quod bene fuit intentum. Quare quod imponitur aliis, apud semetipsum & sibi adhærentes quærat appellans. Quando enim subjunxit idem appellans, quòd ad dictam quæstionem processum est sine prius procedendo dominis Cardinalibus, & in hoc natio Gallicana non sufficienter consulta, fore tollendas

Gallicana natio omnium maximè gravata est.

* Ain' verò tu [Anglia nihil nisi?] intolerabilis erat vel hæc summa.

Hispania.

Italia.



Alemania.

Rex Angliæ & ejus natio exactiones Curiæ Romanæ ejecerunt longè ante Reformationem.

Prædicationes publicas torserant ad suos affectus.

Diluit objecta.

dictas Annatas & vacantias conclusit, &c. Respondetur, quòd quoad ipsam nationem satis latè & amplè provisum est dominis Cardinalibus de sexaginta ad septuaginta millia, ut supra dictum: & consultissimè conclusit, & mirum est quòd tanto tempore toleravit. Cum ulterius dicit idem appellans, quòd de laudabili consuetudine protectio & tuitio Romanæ curiæ cameræ, sede apostolica vacante, ad Cardinales spectat, qui non fuerunt requisiti in dicta conclusione, &c. Respondetur, quòd bene facit allegare consuetudinem pro titulo putativo; quia de jure est eis interdictum, ne de factis cameræ in aliquo se intromittant, sede apostolica vacante: & siqua sit consuetudo occulta & totaliter ignota, nec debuerunt vocari nec requiri. Conclusio est nationis quoad nationem, quæ respectu aliarum nationum est consultiva, & quoad totum Concilium est querelosa, quam Concilio intendunt insinuare,& apud ipsum prosequi,ut remedietur in eis,ut redeuntes ad propria suis principibus, prælatis & clero, qui ibi remanent, & de cæteris,de populo, possint referre diligentiam quam fecerunt,ne videantur consensum præbuisse, nec acquievisse tolerationi abusivæ in prædictarum vacantiarum præstatione, ut si Concilium provisionem non dederit, constet quod per eos non steterit. Progrediendo ulterius, dicit idem appellans, quòd domini Cardinales sunt causa unionis,&c. Respondetur quòd utinam ita esset,quod de præterito non fecerunt, nec usq; nunc est factum: quid fiet, videbitur postea. Nec quoad hoc etiam præsumitur,quæ in facto consistunt etiam de præsenti. Cum dicit ulterius ille idem appellans, quod removere vacantias est subversio totius ordinis clericalis, &c. Respondetur, quòd de inordinato & vitioso ordine vellet facere ordinem ad ipsius commodum, nec curaret de nutrimento peccati, nec de quocunque scandalo, dummodo affluat aurum & pecunia. Si debeat subverti ordo clericalis propter tollere vacantias, potest videri ex præcedentibus. Ulterius præfatus de Scribanis dicit,quòd attestari simoniam intervenire in solutione earum, est venire contra vota plurium Conciliorum, &c. Respondetur, quòd nunquam in aliquo generali Concilio fuit ordinatum, quòd quis posset recipere pecunias ut spiritualia aut beneficium conferat, vel aliquem eligat ad dignitates & prælaturas, sed bene jure divino canonico & civili, & per generalia Concilia reperiuntur prohibita, quæ etiam damnant actum & consuetudinem. Quando ulterius progreditur contra claram rei veritatem & ipsius conscientiam, videlicet quòd solutio istarum vacantiarum est onus reale, nec in hoc versatur aliqua obligatio personalis,cum per illam maneat officiũ obligatũ, & non persona. Respondetur,quòd mirabiliter justificat actum ex istis appellationibus, sicut suprà dictum est: clarum est, quòd literæ promotionis haberi non possunt, donec obtulerit quod petitur ab eo,seq; monasterium,& ecclesiam obligaverit; nec alio exigitur modo, quin ista obligatio sit personalis, aut jura omnia fallunt,aut est personalis. Nec potest esse realis, quia per obligationem, quam fecit de monasterio, vel ecclesia, non est hypotheca: quia dominus non est, & quia non possidet tempore obligationis, & quia non vergit in utilitatem ecclesiæ vel monasterii, & quia etiam turpi causa, & quia sine consensu conventûs vel capituli, & quia tempore fundationis non fuit tale impositum,nec pòst, per consensum illorum qui consentire habent & necessariò. Aliter non potest esse reale, & quando esset hypotheca, adhuc discuteretur primò persona, quæ antea fuerat obligata. Quod mutata persona remaneat onus supra ecclesiam vel monasterium quod dimittit, non est verum: nisi quantum per porrectionem dictarum literarum eum obligare faciunt ad solvendum, in quo obligatus reperitur fuisse antecessor, & sic possunt exigere ab utroq; totum debitum quando volunt. Et quòd hoc sit verum, patet per formam obligationis, quam servant in talibus in camera apostolica etiam domini Cardinales, quæ talis est. Primò rubricat forma obligationis Patriarchæ, Archiepiscopi,vel Episcopi, aut electi, quando in propria forma sequitur. VOS domine patriarcha, archiepiscope, episcope aut electe de licentia & authoritate apostolica vobis in hac parte concessa gratis & sponte offertis, dare promittitis & donatis pro vestro communi servitio cameræ sanctissimi in Christo patris & Domini, Domini &c. Alexandri Papæ quinti, & sacro collegio reverendissimorum in Christo patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium videlicet, &c. floren. auri de camera boni & legitimi ponderis, & quinque servitia consueta pro familiaribus & officialibus domini nostri Papæ, & dominorum Cardinalium prædictorum. Item recognoscitis eisdem cameræ & collegio ac familiaribus & officialibus omnes illas pecuniarum quantitates,in quibus prædicta vestra ecclesia in libris ipsorum cameræ & collegii per aliquorum prædecessorum vestrorum personas obligata est. Quos quidem florenos cum quinq; servitiis & recognitis supradictis,promittitis reddere & solvere realiter cum effectu in Romana curia,ubicunq; fuerit,videlicet reverendissimis in Christo patribus & dominis, dominis miseratione divina Henrico episcopo Sabinen.& Amedeo sanctæ Mariæ novæ diacon.Neapolitan. & de salutis vulgariter nuncupatis, sanctæ Rom. ecclesiæ Cardinalibus, & Francisco miseratione eadem archiepiscopo Narbon. domini nostri Papæ & sacri collegii Cardinalium camerario, vel eorum successoribus vel deputatis ab eis, medietatem sc. in festo, &c. & aliam medietatem

Nota.

Forma obligationis Archiepiscopi, Episcopi, &c.

☞

dietatem in festo, &c. recognita verò in alio simili festo, &c. Quod si debita loco & terminis, dictam floren. summam & quinq; servitia consueta, & recognita supradicta non solvatis, ut est dictum, promittatis redire ad Romanam curiam infra quatuor menses, post elapsos terminos hujusmodi vel alterum eorundem immediatè sequentem, & coram dictis dominis camerariis, seu eorum successoribus aut deputatis ab eis, personaliter comparere, & inde non recedere, donec per vos fuerit de prædictis integraliter satisfactum, super hoc obligatis vos vel ecclesiam vestram, & successores vestros, ac omnia bona ecclesiæ vestræ mobilia & immobilia, præsentia & futura, ubicunq; sint & consistant. Et ut sitis vinculo fortioris obligationis astricti, submittitis vos, quòd successores vestros jurisdictioni & coercioni dictorum dominorum camerariorum, & cujuslibet eorum insolidum, ac etiam successorum suorum & deputandorum ab eis, & de voluntatē vestra qui hoc vultis, & petitis, & hanc jurisdictionem in eos porrigitis, præfati domini camerarii, & quilibet eorum eandem jurisdictionem in se suscipientes, & suscipiens in loco mandatum faciunt & præceptum, ut de re confessata de solvendo dictam florenorum summam, & quinq; servitia ac recognita supradicta, de reveniendo ad Romanam curiam, & de non recedendo ab ea absq; satisfactione, & quod omnia alia & singula supradicta efficaciter compleatis & attendatis, quod si nòn feceritis suspensionem, aliàs administrationem spiritualium & temporalium dictæ ecclesiæ, & ab exequutione pontificalium & majoris excommunicationis sententias exnunc prout extunc, in vos canonica monitione præmissa proferunt in his scriptis, comminantes nihilominus dicti camerarii, & quilibet eorum, se contra vos dictum dominum patriarcham, archiepiscopum, episcopum vel electum, processuros & processurum, absq; alia vocatione ceu monitione, ac graviores pœnas & sententias spirituales & temporales & aggravationes earum, prout eis ceu eorum alteri placuerit, seu visum fuerit expedire, & quòd vos denunciabunt & denunciari facient per se vel per alium seu alios excommunicatum, suspensum, perjurum, & aliis pœnis & sententiis astrictum, quas propter hoc in vos duxerint proferendas. Et VOS domine patriarcha, archiepiscope, episcope vel electe renunciatis super his omnibus literis, privilegiis, indulgentiis apostolicis impetratis, vel impetrandis, concessis, vel concedendis quibuscunque, & beneficio appellationis & restitutionis in integrum, ac omni foro, usui, præscriptioni & juri revocandi donum, & omni auxilio juris canonici & civilis, per quod contra præmissa de jure vel de facto venire possetis, vel aliquod præmissorum. Et omnia præmissa juratis ad sancta Dei Evangelia tenere, servare, approbare, & in contrarium non venire directè vel indirectè per vos vel alium vel alios. Si verò ante satisfactionem hujusmodi vos contingat mori, cedere vel transferri, & ille vel illi, qui ad regimen ipsius ecclesiæ vobis substitutus vel substituti fuerint, infra quatuor menses post substitutionem & dictæ ecclesiæ possessionem adeptam, de floren. & servitiis & recognitis satisfacere non curaverit seu curaverint, exnunc prout extunc easdem pœnas & sententias in eosdem substitutos, & eorum quemlibet infligunt, & proferunt in his scriptis, prout dictum est & narratum authoritate dictorum dominorum meorum Cardinalium, & nostra proferimus in his scriptis, & vos dominum patriarcham, archiepiscopum, episcopum vel electum, volentem, petentem & requirentem ad prædicta recitata, condemnamus, & nihilominus monemus vos semel, secundò, tertiò & peremptoriè ac sub excommunicationis pœna, ut prædicta adimpleatis, attendatis & observetis, alioquin excommunicationis sententiam in vos proferimus in his scriptis. Et vos domine patriarcha, archiepiscope, episcope, vel electe, vultis quòd per nos clericos vel notarios cameræ, qui fuimus hic præsentes de præmissis omnibus & singulis, fiant unum vel plura publica instrumenta.

Attende quanta hæc servitus & Episcoporum oppressio!

Jurant ad sancta Dei Evangelia.

Si hæc & hujusmodi non arguant statum Ecclesiæ corruptissimum ex auri sacra fame, fieri non potest ut quidvis suam integritatem amittat.

SIMILES FORMÆ PRO EISDEM,

quando fit per Procuratores, & ibidem pro Abbatibus.

Resumptio argumenti.

ET sic per tenorem dictæ obligationis constat, quòd non est reale, sed violentum personale, sicut supra dictum est, eò quòd per literarum retentionem ad hoc compelluntur. Et licet composuerint formam aptiori modo quo potuerunt ad justificandum & colorandum factum suum, veruntamen reprobanda est & vitiosa valdè, & propterea super his obligationibus nunquam voluerunt grossare instrumentum, nec copiam obligationis dare. Peccant in quinque vel quatuor substantialibus secundum formam juris, quod per quemlibet intelligentem potest clarè intueri; nec etiam Cardinales aut eorum prætensus camerarius unquam habuerunt jurisdictionem, nec habent potestatem ad hoc, quam prætendunt. Cum dicit ulterius idem de Scribanis appellans, quòd attentis

tis conventionibus per Regem Romanorum & Petrum de Luna factis, videlicet nihil debet innovari, cum per hoc posset impediri unio ecclesiæ; cum sit in vilipendium totius Christianitatis removere vacantias, &c. Respondetur, quòd removere causam quæ præstat & occasionem dat peccati, & damnationis animarum, per quam etiam parantur scandala & fiunt, per quam destruuntur ecclesiæ,& universaliter personæ ecclesiasticæ opprimuntur, & stant in errore, intentioq; fundatorum ecclesiarum & beneficiorum fraudatur, & per quam opera pietatis impediuntur & justitia læditur, est adornare Christianitatem, & eam in devotione confovere. Nec per hoc fit innovatio vel immutatio contra promissum vel conventum, & quando hæc facta non essent aut fierent, Romanorum Rex Illustrissimus, & omnes alii Reges, & quicunque Christiani, haberent increpare totum generale Concilium, quod mora in hujusmodi data fuisset, & ultra, quòd citius venient qui obediunt Petro de Luna, de quo modica spes quòd voluntariè aliquid boni faciat, & facilius propter hoc inclinabuntur ad recedendum ab ejus obedientia. Subjungit quòd ex illis appellabat ad sedem apostolicam, & summum pontificem futurum, & apostolos petit, &c. omittens Concilium generale fraudulenter. Non dubium, quòd deberet esse judex competens in causa hujusmodi, & quod sedet de præsenti, & ad eum potest haberi recursus faciliter, & appellando ad Papam tantum facit causa diffugii: nec Papa videretur judex competens, eò quòd sit pars formata, & ejus camera apostolica, & Concilio Cardinalium in hoc uteretur, qui affectum quem habent, ostendunt. Ideo ex præmissis & resultantibus ex eis tam conjunctim quàm divisim, appellationem dicti de Scribanis, neque aliam interpositam nomine dictorū dominorum Cardinalium & eorum collegii, nec aliam interpositam per magistrum Johannem Ponceti, ceu quoscunq; alios in materia hujusmodi, & ipsius occasione, hæc venerabilis natio Gallicana propter hoc solenniter congregata, matura deliberatione habitâ, non ducit admittendum; nec eos admittit appellantes,nec eorum frivolis appellationibus,vel alteri earum esse deferendum, neque defert. Parata eadem venerabilis natio & se offerens, velle respondere plenius ac singulariter singulis causis, ex quibus causantur & justificare nituntur dicti domini Cardinales & dictus Ponceti, appellans per eos, suis nominibus interpositis, quarum copiam etiam facta debita diligentiâ habere non potuit: quandocunque dabitur ei vel habere poterit. Protestando etiam de specificatione quorundam aliorum hic non expressorum. Hanc responsionem eisdem de Scribanis, procuratorique collegii dominorum Cardinalium, & ipsis dominis Cardinalibus ac præfato pontifici singulariter singulis, ac quibuscunque suis adhærentibus, & adhærere eis volentibus conjunctim & divisim pro apostolis ad quos teneri posset, dans & eis faciens & præsidens ejusdem nationis, de consensu & mandato totius nationis. Protestans eadē venerabilis natio,& præsidens ac singula supposita ejus, maximè & specialiter destinati,pro parte prælatorū atq; cleri Galliarum,ad hoc generale Concilium de prosequendo eorum receptam conclusionem apud præsens generale Conciliū, & ubicunq; de jure debitè poterit & licebit, & de eadem referendo, intimandoque, & scribendo Serenissimo principi Francorum Regi, & germano suo Regi Siciliæ Ludovico nominato,illustri duci Aquitaniæ, primogenito Regis Francorum illustrissimo, cæterisque ducibus & comitibus & baronibus Galliarum, prælatis ac illis de clero qui in partibus remanserunt nobilibus, & illis de populo omnium Galliarum ad ipsorum excusationem & exonerationem, & ad debitam provisionem consequendam, &c.

F I N I S.

¶ CONSTITUTIO SACRI BASILIEN. CONCILII SUPER Annatis, in sessione vigesimaprimâ.

SAcrosancta generalis synodus Basilien. in Spiritu Sancto legitimè congregata, universalem ecclesiam repræsentans. Ad perpetuam rei memoriam in nomine Spiritûs paracleti statuit hæc sancta synodus, quòd tam in curia Rom. quam alibi, pro seu in confirmatione electionum, admissione postulationum, præsentationum provisione, collatione, dispositione, electione, postulatione, præsentatione, etiam à laicis facienda, institutione, installatione, & investitura de ecclesiis etiam cathedralibus & metropolitanis, monasteriis, dignitatibus, beneficiis, officiisque ecclesiasticis quibuscunque, necnon ordinibus, sacra & benedictione ac pallio: de cætero nihil penitus ante vel post exigatur ratione literarum, bullæ, sigilli, Annatarum, communium & minutorum servitiorum,primorum fructuum, deportatuum, aut sub quocunq; alio titulo,colore vel nomine, prætextu cujuscunque consuetudinis, privilegii vel statuti, aut alia quavis causa vel occasione directè

directè vel indirectè, solùm scriptoribus abbreviatoribusque, & registratoribus literarum seu minutatûm pro ipsorum labore competenti salario persolvendo. Huic autem sacro canoni si quis exigendo, dando, vel promittendo contraire præsumpserit, pœnam incurrat adversus simoniacos inflictam, ac in ipsis dignitatibus & beneficiis taliter obtentis, nullum jus aut titulum acquirat, obligationes quoque, promissiones, censuræ ac mandata, & quicquid in præjudicium Decreti hujus saluberrimi fieri continget, nullas obtinere vires atque irrita censeantur. Et si (quod absit) Romanus Pontifex, qui præ cæteris universalium Conciliorum exequi & custodire canones debet, adversus hanc sanctionem aliquid faciendo, ecclesiam scandalizet, generali Concilio deferatur. Cæteri verò pro modo culpæ juxta canonicas sanctiones per suos superiores dignâ ultione puniantur. Romanus pontifex præ cæteris custodiat canones.

FINIS.

ARRESTUM CURIÆ PARLAMENTI

Parisien. super Annatis non solvendis.

CArolus Dei gratia Francorum Rex, universis præsentes literas inspecturis salutem. Notum facimus, quòd cum nuper pro parte quamplurimorum numero grandi regni nostri prælatorum, Parisiis tunc existentium, necnon filiæ nostræ dilectæ Universitatis studii Parisiensis nobis querulosè fuisset expositum, quòd ecclesiæ nostrorum prædicti regni & Delphinatus Viennen. pro magnitudine gravium exactionum & onerum eisdem ecclesiis tam per Benedictum Papam XIII. quàm suos antecessores contra communis dispositionem juris impositarum, oppressæ atq; in tantum gravatæ hactenus fuerant & erant, quòd eædem in magnam pauperiem ac ruinam corruebant, & in desolationem undequaque vergebant, nisi per nos de remedio sublevarentur. Finantiæ etiam super iisdem ecclesiis exactæ de eodem regno nostro in magnum & irreparabile reipub. regni ejusdem nostri præjudicium exportabantur à nobis, quibus ecclesiam, præsertim supradictorum regni & Delphinatus nostrorum ab omni oppressione præservare incumbebat, & unde specialiter astricti & obligati Deo creatori nostro rationem eramus reddituri, humiliter supplicando, quatenus ecclesiis memoratis super præmissis exactionibus & gravaminibus eas cessare faciendo providere dignaremur, ut ministri & aliæ ecclesiasticæ personæ divinis insistentes & famulantes, vivere, ecclesias sibi commissas regere, earum ædificia in bono & decenti statu tenere, aliosque actus, suam professionem & fundatorum suorum dispositionem concernentes, exercere valerent. Et ob hoc nonnulli & plures de nostro magno consilio ad videndum & deliberandum super his, & aliis ecclesiam prædictam tangentibus quid rationabiliter fieri posset & deberet, dudum commissi ac deputati, aliqua nobis super dictis exactionibus referendæ vidissent & advisassent seu deliberassent; quia tamen prælatis & filiæ nostræ præfatis videbatur dictam deliberationem largius declarandam fore, iidem prælati & filia nostra aliquas declarationes & additiones cum deliberatione & advisamento supradictorum nostrorum consiliariorum fecissent, easque nostræ Parlamenti curiæ, cum nominibus dictorum nostrorum consiliariorum, qui dictæ deliberationi præsentes adfuerant, in quadam schedula sub nostro contrasigillo misissemus, & per literas nostras patentes eidem curiæ nostræ mandassemus, & eidem potestatem & authoritatem impartiendo, expressè injunxissemus, quatenus ad eandem curiam advocatis & accersitis de nostro prædicto magno consilio, & requestis nostri hospitii tot & talibus, prout eidem curiæ nostræ bonum videretur, ipsa curia nostra, ecclesiæ prædictorum regni & Delphinatus nostrorum super contentis in dicta schedula provideret, secundum quod nobis esse faciendum consuleret, prout hæc & alia latius & luculentius ex ipsarum nostrarum serie ac tenore literarum liquebant. Constitutis propter hoc in eadem nostra curia procuratoribus, nostro generali, necnon charissimi patrui nostri Ducis Bituricen. & ipsa filia nostra universitate Parisiensi pro parte ejusdem filiæ nostræ sub his verbis apostolicis, Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, propositum fuit quòd sacrosancta mater nostra ecclesia, entium adinstar naturaliû & politicarû, macrocosmi videlicet & microcosmi, qui sunt major & minor mundus in pondere, numero & mensura à summo creatore (philosophis attestantibus) conditore dirigi debeat atque regi in ordine, quorum elementis quatuor primam distribuerat materiam idem Creator omnium in suam grandem naturæ portionem, eorum cuilibet totaliter conferendo quantum alteri, & iisdem ex se invicem vicissitudinem sui ali- Sententia seu opinio Universitatis Parisiensis super Annatis.

menti & sustentamenti referendo: adeo ut quod unum ipsorum sub æquinoctiali vel polo per alterius conversionem deperdidisset, de alio recipere & sibi restaurare ipsius naturæ munere & instinctu, & increatæ sapientiæ providentia dignosceretur. Sic Regalis, sic Aristocratiæ & Democratiæ politiarum; nullius quarum rectorem nutrimentum seu ipsorum majorem partem omnium subjectorum aut inferiorum absorbere ullus unquam sufficeret, quemadmodum in microcosmo, si ad excessum alterum membrorum alimoniam cæteris egentibus sumeret, unde corpus ipsum in languorem & exinanitionem vergere contingeret, medio quodam substractivo seu restrictivo hujusmodi superabundanti membro esset occurrendum. Sed Benedictus supradictus neq; modum, neq; pondus, neq; mensuram, in ecclesia & ecclesiæ subjectis observare consueverat, quin magis ipsos jugis & servitutibus importabilibus, à nonnullis defunctorum successoribus spolia auferendo, ab aliis prælaturarum & beneficiorum ecclesiasticorum vacantias extorquendo, à quibusdam exigendo arreragia tanquam debita præteritorum & incognitorum temporum à beneficiatis, suorum quæ de novo obtinebant beneficiorum: primam expetendo & percipiendo Annatam ab his, qui tempore subtractionis obedientiæ dudum sibi per nos & clerum regni & Delphinatus nostrorum prædictorum factæ ad prælaturas seu dignitates, aut alia ecclesiastica beneficia promoti fuerant, fructus (quos dictæ subtractionis tempore male perceptos fuisse dicebat) recipere enitendo, & procurationes capiendo, prælatis, archidiaconis & aliis ordinariis pro visitatione debitas, aliisque exactionibus ac extorsionibus indebitis adegerat, affecerat & contorserat, adigebat, afficiebat, & contorquebat: contra jura non tam Christicolarum quàm Ethnicorum quorumcunque; apud quos & ab omni tempore clerum, ab omni munere & servitute fuisse liberum compertum erat. Eos enim non ancillæ filios sed liberæ, qua libertate Christus eos liberaverat, teste apostolo ipsosq; sub his adhortante verbis: state & nolite iterum jugo servitutis contineri. Nam (ut eadem nostra filia dicebat) in politia seculari quis principem tam à nobili quam ignobili Annatas primas omnium hæreditariorum, in aliquem quoquo titulo translatorum, excipere & extorquere satagentem, non tyrannum aut suæ politiæ eversorem censeret, & talem rectorem sustinere valeret? Quanto minus erat idem Benedictus, qui minister, & non dominus ecclesiæ ab evangelica veritate asserebatur, primarum Annatarum fructus sibi tyrannicè approprians beneficiorum tolerandus? Illud parvipendens Samuelis, in Regum libro populum alloquentis, & dicentis: Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem alicujus tulerim vel asinum, si quempiam calumniatus sim, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi & restituam vobis. Ac dixerunt: Non es calumniatus neq; oppressisti nos, neq; tulisti de manu alicujus quippiam. Exemplo tamen cujus instrui, & terminis rationabilibus contentari, non exactioni & concussioni pecuniarum tyrannicis inhiare debebat: evangelio exhortante, neminem concutere, neque calumniam facere, & contentum esse debere stipendiis, ipsius apostoli exemplo, in Apostolorum actibus dicentis, argentum & aurum nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ. Ego (inquit apostolus) scio quoniam post discessum meum intrabunt ad vos lupi rapaces, non parcentes gregi. Quam rapacitatem spiritu prophetico clarè proponebat prænunciasse ipsa filia nostra prophetam Ezechielem suis, sub his verbis: Facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem, eò quòd non erat pastor. Neq; enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant. Propterea (inquit Dominus) cessare eos faciam, ut ultrà non pascant gregem meum, & liberabo gregem meum ab ore eorum, & non erit eis ultrà in escam. Ex qua clarum est prophetia, domino Benedicto supradicto, qui tanta confusione & inordinatione cupiditatis debacchabatur, subtractionem nedum finantiarum supradictarum sibi fieri debere, sed plenariam, quamvis aliàs & dudum sibi factam & jure & facto durare ac tenere censeret, & in eadem se permanere profitebatur eadem filia nostra. Ex eo præsertim quòd restitutionem obedientiæ per nos eidem Benedicto factam nullam esse, quæ sub conditione non impleta & sub causa cujus nullus sequebatur effectus factam, prout per schedulas quasdam in ipsa restitutione contentas apparere dicebat. Ecclesiæ etiam regni ac Delphinatus nostrorum prædictorum authoritate dictam restitutionem minimè factam, & per consequens ipsam subtractionem durare, seu ipsam aut saltem dictarum pecuniarum & finantiaram eidem Benedicto fieri debere, cum idem Benedictus ad destruendum ecclesiasticam potestatem non hominis (apostolo teste) contra sanctæ synodi authoritatem definientis, nullum episcopum expetere debere aurum & argentum à parentibus vel clericis, vel monachis qui sub eo sunt, & Gregorii, Bernardi, & aliorum sanctorum doctorum, immo evangelii authoritatem, dictas finantias in ecclesiæ prædictæ subversionem & exitium extorqueret. Eandem autem subtractionem per eandem nostram curiam & prælatorum & dictæ filiæ nostræ Concilio faciendam esse dicebat, eadem filia nostra exemplo regis Joas, qui Concilio Joiadæ sacerdotis pecuniis ad templi reparationem

Laus Samuelis.

tionem destinatis, quibus sacerdotes sui temporis abutebantur manum apposuerat, & earum partem ad necessitatem divinis famulantium, partem ad mercedem latomorum,& partem in architectorum salarium partiebatur. Unde dictum in ipsius laudem prodierat,quòd rex Joas rectum fecerat coram domino cunctis diebus, quibus eum docuerat Joiada sacerdos. Per quem eadē filia nostra summos doctores intelligi dicebat,& quòd ejusdē ecclesiæ oppressioni providere nobis aut eidē curiæ nostræ incumberet, & authoritate & naturali ratione, & proprii jurisjurandi debito, & antecessorū nostrorū exemplo apparere eadē filia nostra ostendebat Ambrosii in lib. de patriarchis necessitatē defensionis ecclesiarū Regi pertinere asserentis. Recto præterea rationis dictamine, quo gentes etiā quæ legē non habent, eidē Benedicto dictarū finantiarū exactionē esse subtrahendā definirent, ad quod proprii vinculū juramenti nostræ coronationis, in qua unicuiq; de prælatis & ecclesiis sibi commissis canonicum privilegium & justitiam servare, & defensionem pro posse contra oppressores adhibere promiseramus,nos adigebat ac specialiter astringebat. In exemplū erant rex Joas prædictus,prædecessoresq; nostri temporibus Bonifacii,Clementis,Gregorii & aliorū quondā summorū Pōtificū. Per hujusmodi enim injustas exactiones,piæ fundatorū beneficiorū fraudabantur intētiones,& à sua salute & gloria defunctorū animæ morabantur captivæ. Quod si eorū hostes & veritatis suppressores,hanc persequutionē & inobedientiā esse prætenderent,cum Deo magis quàm hominibus esset obediendum,hæc hominū vaniloquia (Papa Pelagio asserente) nos nequaquam retardare deberent. Errant (inquit) hujusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur qui malū jam factū punit, aut prohibet ne fiat, sed diligit. Ex quibus conformiter ad sui thematis verba, eadē filia nostra requirendo concludebat, quatenus subtractio fieret eidē Benedicto obedientiæ,aut saltem dictarum finantiarum & pecuniarū exactionis, quodq; pecuniæ in manibus collectorū aut subcollectorum existentes,in nostra arrestentur manu, & his quibus eidē Benedicto aliquid occasione prædictorum debere imponebatur,ne solverent: inhiberetur procuratoribus,generali nostro,ac dicti nostri patrui sub excusatione protestantibus,se non affectionis inordinatæ libidine aliquid dicere velle & se si notæ aut reprehensionis dignum aliquid dicerent, debitæ correctioni submittentes, ac ulterius proponentes, quòd ecclesiæ fuerant & erant per principes temporales fundatæ ac dotatæ, quarum dos seu patrimonium authoritate capi nequibat aut debebat. Licet enim Constantinus ecclesiæ Romanæ sedis præeminentiam, quam sibi dari Constantinopolitana, Alexandrinaq; & aliæ nonnullæ ecclesiæ contendebant, tribuisset; ratioq; suaderet & vellet ut prælati qui fidem publicarent, divinis insisterent, ecclesiastica frequentarent officia, & sacramenta ministrarent, necessaria referrent sui status & vitæ,non tamen ipsi exactiones imponerent,nulla præsertim urgente necessitate. Nam archiepiscopos (quo nomine Romanæ urbis episcopum scriptura nuncupat) super suis Suffraganeis seu eorum subjectis exactiones imponere jura vetabant. Quod si ecclesia Romana cæterarum caput & principalis existens,ut sunt seculi varietates & vicissitudines temporum,& mētium & animorum malitia, in aut à suo (quod majus & auctius regno nostro possidebat) patrimonio,forte aliqua disturbabatur, quo minus ipso liberè uteretur, cæteras monere debebat ecclesias,excitare,adhortari,& requirere de subsidio charitativo,quod eidem ecclesiæ Romanæ annui posset ac deberet, cum tamen Concilio, moderamine & justa causa, absq; præjudicio culpa non præcedente,durante necessitate,ac de consensu & benignitate principum,patronorum & aliorum prælatorum, & non cum gravamine assiduo & indistincto cæterarum ecclesiarum,quas utiq; & præsertim horum nostrorum regni & Delphinatus supradictus Benedictus passim, & pharisæorum more qui decimas indifferenter de plantulis, herbis, baccis & omnis generis fructibus extorquebant,cum gravi compulsione, subsidiis & exactionibus insolitis, & contra libertates ecclesiæ exagitabat & premebat, quibus cum secularis justitia ecclesiasticæ subsidio & juvamini semper fuisset (alterum enim alterius semper egebat auxilio) necessitas occursandum impellebat, suadebat æquitas,exigebat ratio, ac totius clamor populi incutiebat. Interesseq; præterea nostrum huic ruinæ impendens nos stimulabat,ne venerabilium hujus nostri regni ecclesiarum,tanto charitatis ardore extructarum,& quarum fundatores & auctores dicebamur,tā misera,tā flebilis & tam neglecta surriperet destructio,exemplisq; instrueremur egregiis Theodosii, Honorii, Constantini, Caroli magni aliorumq; antecessorum, qui corruptelis contra ecclesiā ipsam quandoq; attentatis solerter obviaverant,ac succurrerant liberaliter. Subsidium autem quod ecclesiæ eidem conferre poteramus & debebamus, erat eidem Benedicto in hujusmodi abusionibus non obedire, obedientiamq; subtrahere. In quo nullatenus,juxta beati Thomæ de Aquino & aliorum ecclesiæ doctorum authenticorum doctrinam,peccabamus. Ex quibus aliis pluribus astructis rationibus concludebant & requirebant, quatenus eadem curia nostra juxta nostras mandatorias literas inhibendo dicti Benedicti officiariis, ne quas ratione præmissorum exigerent in dictis regno & Delphinatu nostris pecunias,ac exactas & penes eosdem officiarios existentes arrestari usq; ad Prælatorum congregationem faciendam provideret. Pro parte Benedicti & suæ cameræ officiariorum ab adverso

extitit requirendo propositum: quod cum materia præagitata grandis & alta jura sedis Romanæ (cujus erat ipse Benedictus caput) suamq; cameram & antiqua * deveria suà ac Cardinales concerneret & tangeret: iidemq; Benedictus & Cardinales nullo in eadem nostra Curia procuratore fulcirentur, quo causa præsens deduci, foveri posset, aut defensari, & prælati nostri regni ad proximum omnium Sanctorum festum congregandi dicerentur: in cujus temporis interstitio nullum vertebatur periculum, eadem nostra Curia supersedere vellet prout tenebatur. Præfata filiâ nostra in contrarium proponente, ac dicente, quòd radix pro parte ipsius Benedicti propositorum invalida censeri debebat: eò quòd eadem filia nostra processum subire ordinarium non intendebat, sed sibi ab ipsa nostra Curia provisionem fieri, quam absque mora referre debebat. Nam quantuscunq; esset Papa seu Prælatus non erat suus: sed omnis ejus potestas sive dignitas & alius cujuslibet magis ecclesiæ quàm personæ. De jure igitur Benedicti sive ecclesiæ Romanæ faciendum erat, quod ad profectum pertinere videbatur ecclesiæ, & non in ipsius præjudicium, teste Apostolo, ecclesiæ supposita sub his compellante verbis, Templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis: si quis illud violaverit, disperdet illum Dominus. Subdit: Non glorietur quis in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Cephas, sive Paulus, sive Apollo. Pecuniæ autem sive finantiæ quas idem Benedictus exigebat, non ad ecclesiæ profectū sed ipsius & animarum tendebant interitum: cujus interitus & præsentis horrendi schismatis erant medium & fomes. Quare à Nobis & eadem nostra Curia (quibus justitiam ministrare erat necesse) hujusmodi mortiferæ pestilentiæ non tam rejiciendæ quàm penitus, & absque ulla mora tollendæ erant: cum & unumquemq;, jure gentiū gladium, de manu interfectoris confestim eruere, & vim vi repellendo interficere liceret: ex his prout supra requirendo dictis nostro & patrui nostri procuratoribus suam requestam fieri requirentibus, attento quòd per notorias exactiones sæpe dictas, Respublica ex defectu prædicationum & subjectorum, visitationum & correctionum, & alias ut suprà multipliciter contra sacrorum Canonum institutiones gravabatur: quodq; querelas suas non processum inituri, sed remedio aut provisioni innitentes intentabant: nec erat, qui contrarium opponeret ad hoc: & ut suprà concludentibus, officiariis ipsius Benedicti in contrarium contendentibus, & ut negotium absq; præcipitatione protelaretur, quantum pro absentibus supplicari fas erat, prout supra instantibus ne quicquam innovaretur, requirendo concludentibus. Tandem auditis hinc inde ad plenum partibus antedictis, in omnibus quæ dicere ac proponere circa præmissa voluerunt, & in arresto appunctatis, congregatis igitur eisdem nostræ Curiæ nostri Parlamenti cameris, convocatisq; & astantibus in notabili numero de gentibus nostri magni consilii, ac visis supradictis literis & schedula, consideratis insuper & attentis diligenter & cum magna & longa deliberatione omnibus circa hæc attendendis & considerandis, & quæ eandē nostrā Curiā in hac parte poterant & debebant movere, per præfatæ Curiæ nostræ arrestum prædictis obtemperando literis, per eandem filiam nostrā à nobis impetratis: dictum fuit, quòd dictus Benedictus & officiarii sui cessabunt in nostris Regno & Delphinatu ab exactionibus annatarum primarum, fructuū & emolumentorū, prælaturarū & aliorum beneficiorū quorumcunq; vacantiū, seu quæ vacaverunt, aut vacabunt, tā pro primis annatis, quàm etiā fructuum & emolumentorum, quæ tempore subtractionis aliàs eidem Benedicto factæ & vacationis prælaturarū, dignitatū, & aliorum beneficiorum obvenerunt seu obveniunt qualitercunque, necnon procurationū pro visitationibus debitarum & arreragiorum quorumcunq; ratione præmissorum vel aliarum exactionum debitarum: ipsasq; procurationes poterunt prælati, archidiaconi & alii ordinarii, quando ipsos suos subjectos visitare contigerit, & levare. Cessabunt etiam Cardinales & Camerarius collegii à perceptione illius partis, quam in vacationibus prælaturarum pro primis annatis, vel alias, ante præsens arrestum percipiebant, & arreragiorum quorumcunq; occasione præmissā debitorū. Et si aliquid ex his, quæ levata seu exacta fuerunt, occasione prædictorum, apud collectores seu subcollectores, aut alios quoscunq; existit seu remanet sub manu nostra, arrestabitur, & id arrestavit & arrestat ipsa curia nostra, ipsisq; ne aliquid eidem Benedicto seu hoc cuiquam alteri tradant, aut solvant, inhibebitur, & inhibet etiam eadem Curia nostra. Et per idem arrestum eadem Curia nostra † ordinavit & ordinat, quòd excommunicationis sententia præmissorum occasione illigati relaxabuntur: & hæc quousq; aliàs per eandem Curiam nostrā extiterit super præmissis ordinatum. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrū jussimus apponi sigillum. Datum Parisiis in Parlamento nostro. Die XI. Septembris, Anno Domini * M.CCCC.VI. & regni nostri XXVI. ¶ Per Arrestum Curiæ. Bajæ. Finis.

* i. e. Subductiones. Lyd. Gloss.

Benedicti exactio injusta.

† Rex & Curia cassant excommunicationis sententiam.

* Lyd. 1466. malè: cum hic Carolus fuerit ejus nominis sextus & Benedictus ille 13. ex.. Papa, cujus frequens est hic mentio, tantam illi dederit querelæ ansam.

Reperiuntur superiora opuscula de Annatis non solvendis inter opera Nicolai Clamengii edita à Lydio; ea autem minimè ad illum attinere asserit Joan. Launoius in Academia Parisiensi illustratâ Tom. 2. p. 572. argumento, ex corruptioris orationis stylo, sumpto; id quod de duobus ultimis cuilibet constat. At cujuscunq; demum sint isti (qui vocantur) apostoli, rerum quas tractant gravitas veritasque verborum insolentiam compensabunt: fragmentum autem illud Concilii Bas. & senatusconsultum Parisiense majorem præ se ferunt authoritatem quàm ut apologiâ egeant.

O. G.

O. G. LECTORI BENEVOLO. S. P. D.

NUnc Conciliorum materiam aggredimur, lector Christiane, ex eodem ipso Nicolao à Clamengiis. Priusquam tamen id fiat, neminem fore speraverim, cui cerebrum sit, cuique leva sub parte mamillæ cor saliat, qui tam gravaminum prædictorum, quàm multiplicium etiam abusuum,& gravium Annatarum enumeratione ex illis promanantium, offendi possit. In promptu enim ratio est. Nam summus pontifex Adrianus sextus (qui nemini fucum facere didicit) in sua ad principes Rom. Imperii epistola, multos in ecclesia Romana abusus esse, & remp. Christianam, ab aliquot seculis male hactenus administratam, integerrimè fatetur. Supra p. 314. Facit idipsum divus Maximilianus in suis literis,& id quidem longè locupletius. Pag. 339. Itemque non desunt clarissimi doctores universitatis Parisiensis, qui in suâ contra Leonem X. (virum alioqui in se, & bonum & pium) ad futurum Concilium appellatione, non parvam de his, & id genus aliis incommodis, mentionem fecere. Sup. p. 68. Quæ etiam illustrissimi Rom. Imperii proceres,sola (ut ipsi fatentur) pietate ducti, ultrò promulgarunt,ac omnibus bonis nota esse voluere. Sup. p. 351. Nos tamen nec albo illa lapide, nec nigro notamus. Nam albane sint an atra, ipsi, qui lolio victitamus, dispicere nunc satis non possumus, nec etiam nostri est officii (ut supra in duabus nostris præfatiunculis protestati sumus) illa ad amussim dijudicare. Pag. 333, & 340. Ecclesiam semper sequemur catholicam. Quicquid illa in his aliisq; omnibus, ad Christianam remp. pertinentibus, suo tempore decreverit, idipsum dubio procul sequemur omnes. Interea tamen temporis, reddamus omnibus debita (ut Paulus inquit ad Romanos) cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Esto quoque subjectus pontifici tuo, quem (sicuti divo Hieronymo placuit ad Nepotianum scribenti) tanquam animæ tuæ parentem ama. Tibi etiam atque etiam ex ejusdem ad Celantiam epistola, certo certius persuade, solam apud Deum libertatem esse non servire peccatis. Tu æquum igitur & iniquum (quemadmodum Senecæ placuit tragœdia 7.) regis imperium feras, donec (ut idipsum addidero) vel illustriss. principibus à summo pontifice satisfactum, vel his omnibus, & id genus similibus, quæ Christianæ reip. obesse videntur (nemo enim sibi ipsi lex esse debet) per Concilium generale, contrarium fuerit constitutum. Tecum igitur habita, lector, & quid Nicolaus à Clamengiis de Conciliorum materiâ loquatur, diligenter animadverte & vale fœliciter.

DISPUTATIO NICOLAI DE CLAMENGIIS habita per Scriptum, super materia Concilii Generalis cum quodam Scholastico Parisiensi.

OB eam rem dixi, multis posse videri efficacius aliunde acta Concilii, quàm per ipsum Concilium fuisse probanda, quia revera non convenientissimum mihi videbatur (quod cum pace authoris velim esse dictum) acta Concilii, apud Concilium per ipsummet probare Concilium. Aut enim aliunde suberat probatio, aut non suberat. Si aliunde opportuna suppetebat, non te mihi negaturum arbitror congruentius extitisse, hoc fieri. Quid enim si coram illis sermo fiebat qui res egerant ac digesserant? cum rectius atque commodius si ad alienos sermo fuisset, vernacula adhiberetur probatio, quàm apud illos qui egerant. Si autem nihil aptum ad confirmationem illarũ constitutionum, vel ex scripturæ authoritate, vel ex sacris canonibus præcedentium Conciliorum trahi poterat, nescio si utilius fuisset restituta primum † pace, tanta nova condere decreta, quæ nullis prioribus edita Conciliis invenirentur, cum periculosæ nimis sint novitates temporibus schismatum, multaq; * aliàs scandala pepererint, & præsertim cum de actis Pisani Concilii multos etiam nunc ambigere audiamus, quod non tam schisma sublatum vidimus, quàm auctum & corroboratum. Nam quod † ait authoritatem ecclesiæ omni præstantiorẽ esse ratione, nonne per authoritatem ecclesiæ fuisset facta probatio, si per scripturã divinam,vel per aliarum statuta synodorum fuissent in testimonium majoris certitudinis illa confirmata? Licèt autẽ ecclesiæ militantis authoritas sit maxima, quæ fundata supra firmam petram, convelli non potest, & adversus quam portæ inferi nunquam prævalere potuerunt, non illi tamen nos oportet (ut videtur) triumphantis ecclesiæ titulos ascribere, ut infallibilis sit aut impeccabilis, quæ sæpe (ut nosti) & fallit & fallitur, non dico in his quæ fidei sunt, cum Christus ad mortem properans, de illa ad Petrum dixerit, Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Sed in aliis quæ vel facti sunt, vel morum, vel judiciorum, in quibus propter

† Eccles. pace, MS.
* Alia, MS.
† Ais, MS.

propter circumſtantiarum infinitam varietatẽ ac multitudinem perdifficile eſt optimi medium ſemper attingere. Si igitur aut moralia ſint, aut judicialia iſta Concilii acta, cum in talibus falli poſſit eccleſia, non abſurdum videtur fuiſſe, ſi ad argumentum majoris firmitatis aliqua ſimilium exempla, vel de ſcripturis Canonicis proferantur, vel de antiquis ac probatiſſimis Conciliis, quæ inconcuſſæ ſunt authoritatis. Si autẽ omnia illa acta Concilii, fidei definitiones ſunt, cum nonnulli (ut fama vulgavit) multa ex adverſo producant ſanctorum patrum ac ſynodalium ſanctionum decreta; vide quale fuerit, pendente adhuc ſchiſmate, in tantarum rerum opinionumq; varietate, doctiſſimorumq; hominum controverſia, tot fidei conſtituere articulos, ubi non ſolùm conveniens, ſed neceſſarium mihi fuiſſe videtur, alias ſaltem conſtitutiones vel determinationes, quæ ab aliis in contrarium adduci dicuntur, in partẽ veritatis & fidei interpretari oportuiſſe, & non iſtis eſſe contrarias oſtendi debuiſſe, ne aliàs in materia fidei ipſa erraſſe videretur eccleſia, contraria determinando. Quod enim dicis patrũ decreta rationi non inniti ſolere, certè cum tua bona venia, ſi fidei negotiũ eſt, vel materia contentioſa, rationibus maximè ex ſcriptura ductis, vel ex ſanctorum patrum definitionibus inniti conſueverunt, à quorum veſtigiis niſi legitima graviſſimaq; ratione adducti, non ſolent diſcedere, quam (ſi contraria eos contingat ſtatuere) explicare non omittunt, ne gratis & voluntariè in rebus arduiſſimis locuti videantur, ſanctorumq; patrum decreta ſine cauſa mutaſſe. Sed jam venio ad verbum Auguſtini quod commemoraſti, quo eccleſiaſtica videtur authoritas maximè extolli atq; fulciri. Evangelio (inquit ille) non crederem, niſi me authoritas eccleſiæ compelleret. ☞ Mirum ſane primâ ſpecie ſatis videtur, quòd authoritatem peregrinantis in terra eccleſiæ, authoritati videtur evangelii anteponere, cum in multis illa falli poſſit, illud omnino nequaquam poſſit, & cum ipſius eccleſiæ authoritas quantum ad ipſius radicẽ & fundamentum maximè ex evangelio conſtet, imò ipſius inſtitutio, poteſtas, ædificatio, non aliunde tam expreſsè & certitudinaliter, quàm ex ipſo habeamus evangelio. Non certius autẽ (ut exiſtimo) videre poſſumus de eccleſia atq; evangelio, quod altero excellentioris ſit authoritatis, quàm ſi demus fieri poſſe, ut aliquid evangelio contrarium eccleſia ſtatuat. Quod utiq; ſcio fieri non poſſe, ſed fingamus gratiâ melius enucleandæ veritatis fieri poſſe. Putaſne in caſu illo Auguſtinum pro eccleſiaſtico ſtatuto fidem fuiſſe evangelii rejecturũ? Equidem non facile crediderim doctorẽ illum acutiſſimum atq; excellentiſſimũ hoc fuiſſe facturum, aut per illa hæc verba ſenſiſſe, præſertim cum de fide evangelii Paulus dicat: Si quis etiam angelus de cœlo aliud vobis evangelizaverit, anathema ſit, aliud, inquam, id eſt, contrarium. Gal. 1. Scripta quippe ſunt ab Auguſtino verba illa, niſi me fallit memoria, in libro cujus titulus eſt, Contra epiſtolam fundamenti Manichæorũ, quẽ ante non multa tempora ad integrũ perlegi. Manichæi autem contra quos ibi agitur, ſcripturas ſacras pro arbitrio ſuo, non pro eccleſiæ catholicæ ordinatione vel acceptandas ducebant, vel repudiandas. Vetus pro majori parte teſtimonium non admittebant, evangelio credi volebant, epiſtolas Pauli Apoſtoli multis adjectis & detractis à falſariis quibuſdam, corruptas dicebant, multaq; ſimilia deliramenta ſine ratione, ſed ſola voluntatis ſuæ perverſitate de ſcripturis confingebant. Ut igitur doceret Auguſtinus non ex voluntatis arbitrio, ſed Canonica inſtitutione, Canonicas ſcripturas recipi oportere, illa verba mihi videtur, quantum recordari valeo, poſuiſſe [evangelio non crederem niſi me authoritas eccleſiæ compelleret] hoc eſt, evangelio tanquam ſcripturæ Canonicæ non crederem, niſi eccleſiæ authoritas ad hoc me compelleret, quæ illud intra corpus Canonis habendum cenſuit, & cui ſoli eſt illa authoritas attributa, ut ſcripturas poſſit canonicas facere, cuiq; à quolibet fideli in hoc credi debet atq; obediri. Scripta ſunt à pleriſq; ſub aliquorum Apoſtolorum aliorumq; fidelium nominibus multa evangelia, de quibus etiam meminit Lucas, in prologo ſui Evangelii, ſed tum propter authorum incertitudinem, tum quia non uſquequaq; vera erat illorum narratio, non immeritò inter apocrypha per eccleſiam deputata ſunt. Illis ergo non eſt credendum, quia non ſunt per eccleſiam pro canonicis approbata, ſed à Canonica Catholicaq; authoritate prorſus excluſa. Deinde quod poſtea addis, certiorem eſſe habitum fidei quàm rationis, etſi non evidentiorem, fateor apud fideles veros verum eſſe quod dicis, captivantes (ut ait Apoſtolus) omnem intellectum in obſequium Chriſti ac ſuæ fidei, qui profectò prius diſcederent à ratione quam à fidei authoritate, ſi utraque invicem concordare non poſſent. Sed non omnia quæ eccleſia conſtituit, fidei definitio ſunt, & plerumq; etiam cum fidei ſunt, à ratione non diſcrepant. Illud quoq; quod ex Lactantio adducis, ea quæ divinæ authoritatis ſunt, cum ratione probante tradi non oportuiſſe, ne per inductam * minueretur dicentis authoritas, ſimilẽ habet reſponſionem. Non enim tanquam fidei articuli ſunt amplectenda quæcunque eccleſia determinat, utpote quæ aliquotiens contraria determinavit, quod in fidei materia non eſſet conveniens. Deniq; non ignotum tibi eſt, tum Chriſtum ipſum legiferum noſtrum, tum ſuos Apoſtolos in ſuæ legis ac fidei traditione ſæpe tale genus probationis, quale dicebam ex ſacris ſcripturis veteris teſtamenti, dictiſq; patrum & prophetarum, in dictorum ſuorum confirmationem adhibuiſſe, quo

Quomodo ſit intelligendum illud Auguſtini, Evangelio non crederem, vel Evangelium Canonicam eſſe Scripturam non crederem, niſi Eccl. &c. MS. Lyd.

* Rationem, MS. Nota bene.

quo nullum nobis ad imitationem certius possumus exemplum proponere, cum illius actio & vitæ nostræ & morum nostrorum atq; actionum certissima atq; infallibilis sit instructio. Nec illud præterea te fugit, quod credo ex fonte illo imitationis Christi derivatum, quòd nostri scholastici Theologi, etiam ad illa quæ fidei sunt rationes & naturales & morales quotidie adducunt, vel propter illos qui non fundatissimæ sunt fidei, sed ductu rationis in principio ad illam indigent attrahi, vel ne naturæ rationiq; contraria videatur fides imperare, ac per hoc, ab illa velut à re irrationabili atq; inepta, pusilli pleriq; ac sensibus dediti, ad intelligibiliaq; ac spiritualia non facile valentes assurgere, refugiant. Vides in Johannis Evangelio ad sermonem mulieris Samaritanæ plurimos ex civitate Samariæ ad Christum venisse, in eumq; credidisse, qui postea in fide corroborati dicunt illi, jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi. Figurat autē (ut aiunt doctores) mulier ista Samaritana rationem vel similitudinē naturalē. Samaria quippe [conjuncta Domino] interpretatur; per naturalem verò rationem anima incipit Domino per fidem conjungi, quæ ratio rudes & novellos primum ad fidem ducit atq; allicit, cum verò in sacramentis fidei plenè imbuti fuerint atq; edocti, non jam propter illam credunt, nec illius ductu indigent, sed illam potius tanquam viæ periti, nec ducem ulterius requirentes repudiant, sicq; suæ fidei non evacuatur meritum, cui jam non humana ratio præbet experimentum, licèt fortassis in principio præbuerit incitamentum. Non fuisset autem tam necessarium * facta Concilii vel per authoritatem scripturarum, præcedentiumq; Conciliorum corroborari, vel eorum saltem ratione reddi, si non aliqua, saltem per doctos homines dicerentur opponi, vel si omnes illi quos respiciunt, aut ad quos ventura sunt, ita essent humanâ ac divina sapientia præditi, sicut illi qui ea ediderunt. Sed cum ista respiciant universam ecclesiam, & multa alia statuta nonnullis istorum quorundam fortè opinione videantur adversari, credo utilissimum fuisse, ac consultissimum, si rationes fuissent dictorum adjectæ, ut omni poscenti super his rationem, in promptu fuissent, juxta doctrinam atq; admonitionem beati Petri apostoli, qui vult nos semper paratos esse ad satisfactionem omni poscenti rationē de ea quæ in nobis est, fide. Non rectum esse arbitrabatur princeps ille apostolici ordinis, nos in eorum quæ fidei sunt tractatione aut determinatione, absque ratione & pro arbitrio loqui, qui omnibus fidei nostræ rationem desiderantibus, jubet esse paratam. Non sibi debent solis sapere qui in synodo universali ecclesiam repræsentant, sed ipsi toti ecclesiæ, & ita debent suas determinationes clarè atque enucleatè explicare, ut nullum de pusillis, qui in Christo credunt, possint sua obscuritate aut dubietate scandalizare. Ratio autem in facto aliquo aut dicto adjecta, obscuritatem atque ambiguitatem, ac per hoc scandali occasionem ab illo aufert, quam rationem si non poterant in specie unicuique postulanti reddere, poterant saltem in genere ad satisfactionem universalis ecclesiæ, suis constitutionibus addere. Non debent insuper, ut videtur, qui Concilium agunt, pro fiducia ac libertate agendi quæcunque libuerint, nimis illi inniti æstimationi, Generale Concilium sumus, fidenter agamus, errare non possumus. Sanxerunt ac definierunt qui Pisano interfuerunt Concilio, atque ita promulgari fecerunt per novam electionem, ad quorundam ambitiosorum instantiam præproperè factam, schisma sese ex ecclesia sustulisse, pacemque reddidisse. Et quis in tota ecclesia tam cæcus fuit, qui non rerum experientiâ palam viderit, quantum & ipsosmet & universam ecclesiam illa opinio fefellit? Nihil profectò deterius, nihil ecclesiæ funestius, unionique capitalius agi potest, quàm ante omnia bene pacata pro securoque pacis tractatu composita & concordata, ad novam procedere electionem, quæ res & schisma à principio fecit, & in tantam vetustatem perduxit, & sanctam Dei ecclesiam incredibiliter attrivit, quod quamdiu beneficiorum aviditate fiet, nunquam sumus ecclesiæ visuri unionem. Et nihil profectò est quod magis metuam, quàm ne in Concilio isto ambitiosi sua importunitate ac multitudine hoc fieri evincant atque extorqueant, qui molestius ferunt beneficia quæ ambiunt, diutius vacare, quàm sanctam Romanam ecclesiam per hoc sacrilegium schisma funditus conteri atque deperire. Mea autem fert opinio, si ecclesia illa collationem omnium graduum ecclesiæ universalis nunquam sibi arrogasset, cæterasque suis juribus, universa ingurgitando, ecclesias nequaquam expoliasset, vel hoc schisma nunquam in illa exorturum fuisse, vel non tanto saltem tempore perdurasse. Sed ollam non cessat Hieremias succensam videre, quia ardens non cessat ambitio ad illius succensionem; ignem pariter ac ligna administrare. Ista volui tecum conferendo paulò latius explicare, quia meam non satis poteras mentem per literas breves & cursorias perspicere. Deum autem testem invoco in animam meam, non in calumniam aut sugillationem alicujus hæc me dicere, sed pia & fideli æmulatione, qua salubriter & securè rebus ecclesiæ cupio esse consultum, cujus nos unitatem videre Christus sua benignitate largiatur. Nec intentio est, in hac habita tecum collatione quippiam astruere quod non sanum atque consonum sit sacris scripturis, catholicæque sinceritati. Vale, apud fontem.

[Margin notes: S. Joh. 4. 42. — Samaria interpretatur conjuncta Domino. — * Act. 1, MS. — Cautio sancta, ne Patres in Concilio dicant, Generale Concilium sumus, fidenter agamus, errare non possumus. — Nicolaus Clamengius salubriter & securè rebus ecclesiæ consulit.]

AD

AD EUNDEM SCHOLASTICUM SUPER EADEM Materia, largior atque uberior collatio.

BENE admones de generalibus patrum Synodis ſobriè loqui, conſultius eſſe exiſtimans frænos ori ponere, quàm de illis temerario judicio quicquam definire. Scio me à te & à quovis alio non modò de temeritate, verùm etiam de inſania ac dementia jure optimo argui poſſe, ſi de factis generalis Synodi vellem definitor aut judex fieri. Quis enim ego ſum, qui ſenſu parvus, doctrinâ minor, gradu atq; authoritate minimus, de ſapientum eruditiſſimorumque virorum ſententiis cenſor velim ac judex eſſe? Avertat à me Chriſtus tantam præſumptionem, tantamque dementiam. Non rectè, amice chariſſime, mea verba accipis, meamque mentem tenes, ſi in his quæ ad te noviſſimè, gratiâ tecum habendæ collationis, à teque percipiendæ in aliquibus mihi dubiis inſtructionis perſcripſi, definitoriè me loqui velle credidiſti. Nam quia ſuper tuis prioribus literis aliqua apud me erant orta dubia, quorum non ſatis aperta erat ſolutio illa, pro planiori intelligentia tecum quodammodo diſputando, ad tuáque aliqua reſpondendo explicare volui, & partim ratiocinatione, partim ſcripturarum Catholicorumque virorum authoritate in contrarium adducta communire, quo ſic diſcuſſa obſcuritatis * caligine, * perſpicuæ ſplendor veritatis magis eluceſceret, quæ per objecta quæque nubila ſolet clarior erumpere, per contrariamq; oppugnationem fortior atq; inexpugnabilior apparere, ut nunquam falli poſſit illa ſententia de ipſa in ſacris literis ſcripta. Super omnia vincit veritas. Deniq; non ob aliam cauſam in ſcholis atq; gymnaſiis telis ſolet argumentationum acrius oppugnari, niſi ut hoſtili exercitu per illam fuſo atq; ſuperato, vis ejus certiſſima & prorſus invicta evidentius innoteſcat. Vides quanta in illis ſcriptis diligentia, quantoque ſtudio laboraverim, nihil ex meo ſenſu vel judicio dicere, ſed ferè ad omnia teſtimonium ſcripturæ adhibere, ut nihil poſſet à me profectum vel ſomniatum credi. Si quid ergo ex ſcripturis aut ſanctorum dictis objeci, quod forte injiciat ſcrupulum, vel difficultatem pariat, nunquid propterea rem definire exiſtimandus ſum? Cum etiamſi illa quæ protuli teſtimonia, tam certa atque irrefragabilia eſſent, ut rem ipſam definire viderentur, nullo modo mihi attribuenda eſſet illa definitio. Non peto per te vel quemcunque alium fidem aliquam meis dari ſcriptis, niſi quantum vel inconcuſsâ ſunt authoritate firmata, vel ſolida ratione roborata. Alioquin niſi his fuerint firmamentis innixa, quis ego ſum, * ut credi debeat? Ubi autem tali ſunt vallata munimine, non mihi in illis credi oportet, ſed veritati ſummæ, à qua verum eſt omne quod verum eſt, quoniam (ut ait beatus Ambroſius) omne verum à quocunque dicatur, à Spiritu Sancto eſt. Qui etiam Spiritus veritatis, ab ipſa eſt veritate nuncupatus. Cui Ambroſianæ ſententiæ Auguſtini etiam verba conſonant, qui in epiſtola ad Paſcentium, ita ſcribit: Neque enim in nobis ipſis, vel per nos ipſos veraces ſumus, cum verum loquimur, ſed cum ille in ſervis ſuis loquitur qui ſolus eſt verax. At non ſatis (ut inquis) generalem Synodum revereri videor. Nonne contra fidei & ſcripturæ ſacræ certiſſimâ veritatem quotidie diſputamus, quæſtiones movemus, dubia proponimus, ut per eorum enucleationem veritas illarum certius appareat? Imò verò pro illarum honore non puto commodius poſſe certari, quàm ſi ad certitudinis explanationem opponendo atque exponendo, quærendo ac reſpondendo uberius diſceptetur, ut ſi quid fortè obſcurum aut reconditum erat, per diſcuſſionem in apertum veniat. Omnes ſanè Synodos & pridem ritè celebratas, & quæ nunc quoque celebrantur, tum reverenter ſuſcipio, tum fideliter amplector, & abſit, ut aliquid ſiniſtrum de illis ſentire velim, aut dicere; nec idcirco calumniari debeo minus ſincerè de illis ſentire, quòd aliqua ad meæ ignorantiæ eruditionem circa illas exquiro, mihique ediſſeri poſtulo, ut de illis poſſim non ſolùm ſanè & fideliter ſentire, ſed etiam pro captu ingenioli verè ſapienterque loqui. Licet enim tenuiter doctus ſim, veritatis tamen inveſtigandæ avidiſſimus ſum, libenterque à peritioribus quæ me movent in rebus ambigua enodari poſco. Ex hoc autem ardore & deſiderio indagandæ percipiendæq; veritatis, illa præceſſit epiſtola quam ad te nuper miſi: literas meas ſuperiores explicatius evolvens, quarum non ſatis pro brevitate curſuque rapido mihi videbaris ex voto meo ſenſum aſſecutus, nonnulla præterea nova dubia interſerens, quæ de aliqua re diu cogitando ſolent largius ac multiplicius emergere. Horum dubiorum tu aliqua in tuis ad illam epiſtolam reſponſoriis literis evacuare conatus es, ſed adhuc aliqui mihi reſtant circa illa ſcrupuli dubietatis, quos tuæ amantiſſimæ dilectioni patefacere conſtitui, quæ obſecro meam velit ignorantiam in tantorum dubiorum inquiſitione ſupportare, nec indignari aut ſuccenſere, ſi fortè nimis multa ex te quærendo importunior ſim. Scio tibi alias non deeſſe occupationes, nec tem-

pora

*Ambage, * perſpicuè, MS.

* Cui, MS.

Omne verum à Spiritu Sancto.

pora tibi tā libera quā mihi fluere, quā ob causā vereor ultra quā æquū esset tibi oneri esse, sed nolo propter mea scripta te à legitimis aliis curis, quæ ex gradu & officio, bēeficioq; tibi incūbūt, revocari aut impediri, propterq; mea accessoria, tua prīcipalia ōitti negotia. Satis habeo si quādo ab aliis vacabis occupatiōibus, teq; animi ad hoc voluptas excitaverit, aliquid vel breviter rescribas. Per te igitur (nisi molestū est) informari cupio, utrū credere nos oporteat cūcta universalia Concilia ejusdē aut æqualis esse authoritatis, & si ita est, quare de solis quatuor dicit Gregorius illa se venerari & suspicere quasi quatuor Evangelia, aut totidē paradisi flumina. Si enim indiscretæ authoritatis universa credidit, quā ob causā sola illa quatuor pro cultu venerationis nōinatim expressit, dubiam de aliis suspicionē in animis hominū relinquens? Doceri præterea per te desidero, utrum catholicâ putes veritate tenendū tam in his quæ sunt facti, vel morū vel judiciorū, generale nunquā falli posse Concilium quàm in fide errare non posse fideliter creditur. Si autem ita sentis, quæro quorsum illa spectet trita vulgò apud Juristas sententia, quam pro regula habent, quòd sæpe ecclesia militans & fallit & fallitur: quomodoq; intelligenda sit, & quæ sit inter militantē & triumphantē quantū ad hoc distantia, si utraq; quantū * ad omnia infallibilis est. Porrò ecclesia in Concilio congregata nonne viatrix & peregrina est? si autē viatrix est & peregrina, in statu merēdi aut demerendi esse videtur, quod autē tale est, & potest rectè agere, atq; ita mereri, & videtur etiā posse deficere, si potest demereri. Neq; enim rationē meriti aut demeriti videtur habere operatio, cui nec libertas nec facultas adest aliter agendi. Sanè quòd ecclesia in fide deficere non possit, certum atq; expressū habēus testimoniū Christi: Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quod autē in aliis nō possit, non tale me vidisse memini documentū. Si quid tale nosti, oro ut in medium proferas. Nā illud quidē quod ex Evangelio commemorasti, nō multū convincere videtur: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et primò quidē non necesse est, ut falli nō possint in quorum medio versatur Christus. De ipso namq; Christo ad quosdam pharisæorū Johannes Bapt. dicit: Medius vestrum stetit; nec proinde oportebat ut falli non possent; nonne in medio insuper erat perfidissimorū Judæorum dum crucifigeretur, & conspueretur & blasphemaretur? Et quis illos insanus dixit falli nō potuisse? Præterea dic, si placet, de qua credis assistentiâ illud verbum Christi debere intelligi? Si de assistentia per præsentiā divinitatis, * quæ ubiq; est, nihil ad rem pertinet. Sic quippe & nunquā falli & nusquā posset, si ubicunq; esset, errare aut falli non liceret. Si de assistentia per gratiam, vide quemadmodum consequens esse oporteat, quoties duo vel tres pro conferendo ad invicem de pace ecclesiæ, vel aliquo alio fructu conveniunt, divinā illis gratiā protinus infundi, cum fortè multa ante peccaverint, quibus nec cōpuncti sunt, nec confessi. Multi siquidem fideli zelo de pace ecclesiæ sæpe conferunt & tractant, magnis aliquibus peccatis, quæ cum gratia minimè stant, implicati. Vel igitur solo colloquio de aliquo pio opere illa deleri oportet, vel non necesse est illis gratiam conferri. Sed demus ut singulis taliter congregatis, cœlestis confestim adsit gratia, nunquid illos collata gratia impeccabiles facit, ut à recto non possint tramite deflecti, à gratiaq; excidere, vel ignorantia aliqua, vel excæcante judicium passione, præpediri? Movet gratia ad bene agendum & excitat, non autem cogit, aut necessitatem aliquam immittit, ut aliter fieri non possit. Si verò de assistentia per directionem, vel internam in agendis instructionem, illa censes verba Christi intelligenda, illa sanctis viris adesse solet, qui spiritus sancti gratiâ sunt repleti, abundeque perfusi. Talibus nempe à Deo promittitur illud psalmi: Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac quam gradieris, firmabo super te oculos meos. Talibus præterea qui religiose vivendo, pieq; operando meruerunt spiritum sanctum habitatorem habere, de ipso Spiritu dicitur, ille docebit vos omnē veritatē. Et rursū: Ille vos docebit omnia. Soli autē tales censēndi sunt spirituales, dicente Apostolo: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Deinde ad veram illius sententiæ Christi quā posuisti intelligentiā, considerandū videretur qui existimandi sunt in nomine Christi congregati, & tu quidem breviter dixisti, illos nos existimare debere in vero Christi nomine congregatos, qui totis pacem laboribus quærunt ecclesiæ reddere. Verū nomen Christi, ut nosti, Jesus est, quod vocatū est ab angelo priusquā in utero conciperetur. Christus namq; à chrismate, hoc est, ab unctione velut Rex dictus est, qua unxit eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis, quā ob causam etiam Cyrus rex Persarum christus à Domino legitur appellatus; Saul quoq; quāvis reprobus, christus Domini à David dictus est: Jesus autē, ipso angelo interpretāte, Salvator dicitur, causa interpretationis adjecta. Ipse enim salvum faciet populū à peccatis eorū. Vide igitur ne rectius sit atq; ad sanctorū dicta consonantius, illos in vero Christi nomine dicere congregatos, qui pro vera atq; æterna salute, vel sui vel aliquorum proximorū suorū, vel totius ecclesiæ catholicæ congregati sunt, sive hoc per pacis sive per alterius boni salutaris inquisitionē, † vel etiā adeptionē futurū sit. Sic enim fidelissimi divinorū eloquiorum tractatores illos exponunt in nomine Jesu petere, qui ad salutē pertinentia petunt.

Num credere oporteat cuncta universalia concilia eiusdem & æqualis esse autoritatis.

Num catholica fide tenendum sit generale Concilium falli non posse.

* Hoc MS.

S. Joh. 1. 26.

Assistentia per præsentiam.

* Qua. M.S.

Assistentia per gratiam.

S. Jo. 14.

Christus à chrismate dictus.

† Vel petitionem, Lyd.

petunt. Nam illa quidem tua expositio nimis angusta est, nec satis latè patet, & præmissæ sanctorum expositioni non omnino concordare videtur. Angusta primò, quia unicum pacis bonum comprehendit, deinde non sanctorū dictis plena consona, quoniam pax (de qua solâ loquitur) non necessariò ad æternam pertinet salutem, sed de mediocribus bonis est, quibus ☞ & bene uti possumus, & perversè abuti, qua profectò si ecclesia non esset abusa, non sibi per illum sublata fuisset, de quo propheta ait: Divisi sunt ab ira vultus ejus. Et iterum: zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Sed quia solet longa pax ac prosperitas temporalis luxum & dissolutionem, morumque dissolutionem inducere, & rectè poterat de pace sua ecclesia dicere: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Ideo sublata est mala pax. i. quæ malorum fuerat occasio, ut per afflictionem discordiæ humiliata, ac per hoc cum Deo reconciliata, qui cor contritum & humiliatum non despicit, verā pacem justitiæ atque bonæ cōscientiæ (quæ salutare utiq; bonum est, Deoq; gratissimū) rursus à Christo devotè quæreret, adipisciq; contenderet. Arma quippe justitiæ secundū Apostolum, non solùm sunt nobis à dextris, verumetiam à sinistris, imò frequentius accidit, ut quos prospera largius concessa à Deo averterunt, adversa salubriter immissa ad eum revocent. Nec solū per adversa temporalia Deus nos erudit atq; ad se revocat, sed per illa etiam quæ sunt ab illo tanquā mala prohibita. Quamvis enim malū sit schisma, mala discordia, quæ tanto in sacris literis studio vetantur ac detestantur, quia tamen per contraria curam esse oportet, illis plerumq; per hæc mederi solet Deus, quos pax ad lubrica proclivis, aut noxia in malo cōcordia, in moribus ægrotare fecit. Cum autem sic ex malis Deus bona elicit, illisq; ad bona utitur, rationem magis videntur boni quàm mali habere, & expedientis quàm impedientis. Ex fine enim in quē dirigūtur, metienda sunt. Quare enim dicere nō audeamus, ecclesiæ fuisse expediens hoc schisma oriri, cū de malo deteriori propter ecclesiæ utilitatē dicat Apostolus: Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, in nobis manifesti fiant. De illis itaq; bonis est pax tēporalis ecclesiæ, quæ secundum traditionē beati Augustini, cunctanter & trepidè, & cū adiecta ☞ conditione à Deo poscēda sunt, videlicet si nostræ saluti, ad quā omnia vota nostra referenda sunt, ita expediat, quod utiq; ipse Salvator novit, nos autem ignoramus, ideoq; illius arbitrio cuncta cōmittere debemus. Nam juxta apostolicā sententiam, quid oremus sicut oportet. i. sicut nostræ saluti expedit, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis. i. salutaria ac spiritualia postulare nos facit. Ipse enim est de quo dictū est: Et suggeret vobis omnia. Si igitur pro tēporali tantū pace ecclesiæ recuperandâ, aliqui in unū cōgregentur, nō continuò secundū prædicta necesse est credere illos in Christi nomine congregatos. Primò, quia ignorāt an ad salutē ipsius ecclesiæ ita expediat, quam verisimiliter à tumore superbiæ, ardore cupiditatis, funiculis vanitatis, veneno simoniæ, aliisq; malis moribus ex temporali affluentia prodire solitis, per hanc sanare divisionē Christus instituit, qui non sineret mala evenire, nisi ex illis disposuisset bona elicere, à quibus malis ipsam ecclesiā, licet per hoc schisma graviter & diu afflictā, nondū tamen (proh dolor!) liberatā aut sanatā videmus. Quid enim aliud sunt tēporales afflictiones, quibus ecclesia premitur, nisi amaræ potiones, aut medicinæ quibus tēporalis cupiditas, superbia vel lascivia cōprimatur? sicut per Hieremiā dominus ☞ ait: Cibabo vos absinthio, & potū dabo vobis aquā fellis. Deniq; quia pleriq; carnales, quibus hodie supra modū abundat ecclesia, propterea pacem illam optant, ut in otio & tranquilla quiete, nullo interpellāte turbine adversitatis, suis possint voluntatibus (ne dicā voluptatibus) liberius servire. Et quis illos in nomine Christi dixerit cōgregatos, qui hac mēte unitatem quærunt ecclesiæ? qui tamē tot sunt, ut non facilè sint numerabiles, hi autem carnales filii ecclesiæ nō solùm spiritualia nec curāt nec sentiunt, sed etiā persequuntur eos,* qui sunt secūdū spiritū, sicut à tēpore Abel justi, quē Cain carnalis occidit, semper factū est, & usque ad finē mundi semper futurū, hi sunt qui pro tēporalibus tantū cōmodis ad ecclesiām cōvolant, qui ad seculariū formā in ecclesia vivunt, ambiunt, cupiunt, rapiunt, præesse gaudent nō prodesse, subditos opprimūt atq; spoliant, prælationis honore gloriātur, pompis, fastu, luxu lætantur, qui quæstū pietatē æstimant, pro tēporaliumq; incremēto quomodolibet acquirēdo, cuncta & facere & pati sunt parati, qui volentes sanctè, justè, castè, innocenter, spiritualiter vivere, cū cachinnis irrident, hypocritas appellāt,* crucifixiq; comestores, qui deniq; non alios literatos in ecclesia utiles arbitrantur, nisi qui quæstuosas sunt scientias assequuti, qui tēporalia didicerunt tractare, & quomodolibet tueri atq; ampliare. Talibus autē hodie ecclesia plena est, ut vix in singulis Capitulis aut Collegiis alios invenire cōtingat. Cum igitur nō alii in ecclesiis sapientes hodie existimentur, nisi hi temporales, ad illorumq; arbitrium ac dispositionem universa agantur, si qui ad curiā Romanā, vel ad secularium principum curias, vel ad Concilium mittendi sint, aut isti ultrò tanquàm prudentiores ab aliis mittuntur, aut spe majoris promotionis, ad quam inhiant per favores & intercessiones maximâ importunitate se mitti laborant. Quid autem ejusmodi temporales, nisi temporalia norunt quærere? nisi temporalem quæstum fructumque cogitare? An tales putandi sunt pro ecclesiæ

Cor contritū & humiliatū non despicit Deus.

Ad ecclesiæ utilitatē dictū est ab Apostolo, Oportet hæreses esse.

Non ōnes qui cōgregantur, in Christi nomine congregantur.

Aureæ considerationes.

* Vide de quibus loquitur vir hic verè Christianus, & contra quos.

* al. crucifixosque. Lyd.

Pro Theologis, contra juristas.

ecclesiæ reformatione in moribus & disciplina & vitæ honestate operam daturi, qui suam maximam calamitatem hoc esse deputant, qui sibi omne quod libuerit, volunt (etiã impune) licere, qui idcirco à suis superioribus per Romanæ sedis præsulẽ magna pecuniarũ largitione eximi quæsierunt, ut suo possent incastigati vivere arbitrio? Quomodo hos credemus pro vera & spirituali pace ecclesiæ niti debere, quã nec sapiunt, nec intelligunt? Animalis enim hõo (ut ait Apostolus) nõ percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & nõ potest intelligere ea, quia spiritualiter examinatur. Hæc autẽ pax vera & perfecta & spiritualis, sine præambulã justitia & Gratia Dei, in vanũ quæritur & expectatur, cum de justitia dictum sit: Justitia & pax osculatæ sunt. Et rursum: Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, ubi semper paci justitia præmittitur. Deniq; Apostolus ait, Justificati ex fide pacẽ habeamus. De Gratia autem videmus apud eũdẽ Apostolũ, cũ in omni epistolari salutatione illis ad quos scribit, gratiã & pacẽ optet, gratiã paci semper anteponit: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Jesu Christo. Quis autem nisi à spiritu dei & sapientia prorsus alienus sperare debeat, in tanta vitiorum voragine, quantã videmus, duo ista nisi per ingentẽ & studiosissimã ecclesiæ reformationem recuperari posse? Liquet ergo apertè ante verã solidamq; pacẽ ecclesiæ, reformationem morũ ecclesiasticorũ præmitti oportere. Alioquin Deus quomodo propter nostra gravissima scelera tam graviter contra nos offensus, nobis in iniquitate perdurantibus reconciliabitur atq; placabitur, nisi per vitæ melioris emendationẽ ipsas nostras iniquitates relinquamus? Ait ad ecclesiam Dominus per Hieremiam: Lava à malitia cor tuũ Hierusalem, ut salva fias. Usq; quo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Nã temporales quidẽ & carnales homines, qui pacẽ tẽporalẽ absq; prævia spirituali in ecclesia ponere contendunt, quid aliud videntur facere, quàm sine posito ædificare fundamento? Ideoq; suũ ruere necesse est ædificiũ. Hos cũ objurgatiõe graviq; execratiõe Dõinus per Ezechielẽ prophetã arguit: Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritũ suũ, & nihil vident, qui deceperunt populũ meũ, dicentes: Pax, pax, & nõ est pax. Quid est sequi spiritũ suũ, & nihil videre, nisi hũana carnaliq; sapiẽtia absq; spiritus sancti gratia pacẽ in ecclesia velle ponere, cũ ipsa ad Deũ oret ecclesia: Fiat pax in virtute tua: Et quid est dicere, pax, pax, cũ non sit pax, nisi pacẽ tantũ considerare tẽporalẽ, spiritualẽ negligere, sine qua nec ista tẽporalis certa ac vera haberi potest? Quæ alia res in Pisana cõgregatiõe ecclesiã dei, populũq; decepit, & clamare fecit, pax, pax, cũ nulla esset pax, nisi quia carnales & cupidi homines (qui ubiq; ex refrigerio charitatis superabundãt) beneficiorũ ardore succensi, prorsusq; excæcati, ecclesiasticã reformationẽ, quã boni & fideles pleriq; ante omnia fieri volebãt, impedierũt, ad novãq; mox electionẽ processerunt, qua facta & promotionibus quas concupierant adeptis, pacẽ esse clamarunt, solutoq; conventu cum illa quã quæsierant pace, hoc est, promotione reversi sunt? Scire ex te magnopere cupio, utrumne illos putes fuisse deceptos, ecclesiamq; decepisse, cum ipsi catholicæ ecclesiæ se pacem dedisse retulerunt, an potius ab omni deceptione tam activa quàm passiva liberos? Et si quidẽ deceptos fuisse, decepisseq; confiteris, cum illi in Concilio prævaluerint, illorumq; opinio fuerit Concilii definitio, vides profectò consequens esse Concilium falli potuisse. Si autẽ ab omni deceptione illos censes in omnibus actis immunes fuisse, exprime, quæso, rationes, quibus ad ita sentiendũ inducaris. Ego enim meæ ignorantiæ in hac re & aliis mihi conscius, nec illas excogitare valeo, nec videre. Sed respondes in literis tuis, quòd si aliquos fortè ambitio more humanæ fragilitatis cæcaverit, ille tamen qui præsidet spiritus, ad finẽ ducit salutarẽ. Quare ergo ad certã & salutarẽ non perduxit tunc Spiritus unionẽ? Quare ambitiosos vincere permisit, ecclesiamq; deludere, dicendo, pax, pax, cum manifestius apparuerit illã nõ fuisse? quæ si fuisset, nõ rursũ super ecclesiæ adunatione præsens oportuisset Cõciliũ congregari. Illis adest Spiritus, illos dirigit, atq; ad finẽ ducit salutarẽ, qui dignũ in se hospitium illi paraverunt, seq; ejus aspiratione & visitatiõe (quantũ in eis erat) per bona opera dignos fecerunt. Illos autẽ quõodo audiat, aut visitet aut illustret, qui sibi adversantur, illũq; cum in se nõ possint, in aliis extinguere nituntur, qui pro igne charitatis, ardore sunt ambitiõis inflãmati? Nihil autẽ tã charitati adversum est, quàm cupiditas; quæ charitas (teste Apostolo) non est ambitiosa, utpote quæ diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Qui præterea nihil non modò probare, sed nec patienter audire possunt, quòd suæ voluntati vel cupiditati contrarium sit: Qui nihil de spiritualibus donis gustantes, si quis aliquid de spiritu dixerit, velut insulsum atque insipidum cum risu & subsannatione excipiunt, cum sibilis exsufflant, cum clamore & contentione rejicunt: Qui ficto denique, fallacique corde ad sacra Dei negotia tractanda accedentes, dicunt se quæ Dei sunt, quærere, quæ pacis & ædificationis sectari, cum revera non quæ Dei sunt, sed quæ sua sunt, quærant, singula quæq ex sui placiti vel commodi respectu æstimantes. Audet Paulus in epistola ad Philippenses de Christianis fratribus sui temporis, imò de propriis comitibus loquens, dicere: Omnes enim quæ sua sunt quærant, non quæ Jesu Christi. Quod si de illis ait temporibus, quibus

Paulus in omni epistolari salutatione gratiam & pacem optat.

Ante veram solidamque pacem ecclesiæ, reformandi sunt mores ecclesiastici.

Pisanum Concilium malum.

Charitati adversatur cupiditas.

 Christia-

Christianæ religionis recens adhuc creditur zelus magis incaluisse, cur de terrena fæce nostrorū temporū non idem nobis liceat dicere? Talibus autē fictis & sua quærentibus non adesse solet Spiritus Sanctus, sed illos velut inimicos effugit, de quo scriptū est: Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu: ubi non aliū puto convenientius intellectū debere accipi, quàm illū, qui inter ejus dona numeratur, & qui hominem de illorum facit sorte de quibus dicitur: Erunt omnes docibiles Dei, ut scilicet ad illa † quæ sunt audienda, & dicenda, & amplectenda, libenter cor inclinet, & patientem commodat aurem, nec tam velit per tumorem arrogantiæ, scientiæq; ostentationem doctor aliorum videri, quàm per humilitatem & sobriam de se æstimationem, erga illos quos se meliores, sacrorumq; cœlestium peritiores existimat, discipuli vicem tenere. Ideoq; non dictus est spiritus sanctus doctrinæ, sed spiritus sanctus disciplinæ, quia non tam doctorem quàm docibilem reddit hominem. Docibilē inquam, quantum ad ipsum pertinet spiritum, qui interius docet de omnibus, & quantū ad spirituales viros, qui (secundum Apostolum) omnia judicant, & ipsi à nemine judicantur. Nam ad simpliciores quidē instruendos, illos doctores esse vult quos repleverit. Et licèt ex igne zeli cœlestis illos velit constanter & ardenter docere, propter quod in linguis igneis apparuit, tamē humiliter & modestè suam vult doctrinā effundi: Modestia (inquit) vestra nota sit omnibus hominibus. Et alibi: Vos qui spirituales estis, instruite in spiritu lenitatis, non tumidè, non arroganter, non clamosè aut contentiosè, non vincendi aut apparendi, vel scientiam suam inaniter ostentandi studio. Ab illis itaq; cogitationibus se aufert Spiritus, quæ sunt sine intellectu, quia ab illis mentibus se subtrahit, quæ sensu carnis inflatæ, majoraq; de se præsumentes, ipsi nesciunt spiritui, qui benignus & humilis est, humiliter subdi, suisq; assertionibus pertinaciter insistentes, nec ab alio quolibet, nec ab ipsomet Spiritu sunt paratæ doceri, cum Dominus per prophetam dicat: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementē sermones meos? Quod si non nisi super istos dominicâ attestatione requiescit, & secundum mores hodiernos pauci admodum tales verisimiliter in Conciliis sunt, in omniq; cœtu, carnalium autē & temporaliū, & ambitiosorū & contentiosorum, & illa quæ inflat scientiâ tumentiū, turba solet adesse copiosa: vide quemadmodum necesse est credere, ipsum semper in Conciliis vincere Spiritū, consultātiumq; mētes sibi semper resistentes, obicemq; ponentes, ad illa quæ saniora sunt atq; salutariora perducere; præsertim cum à majori numero concordium sententiarum Concilii soleant Decreta procedere. Ista non dico astruendo, sed inquirendo potius, ut per te possim certior fieri, quomodo putes spiritum sanctum in Concilio præsidere, atq; ad ea quæ salutis sunt hominum minimè spiritualium mentes inflectere ac traducere. Nec ista propter præsens dico Concilium, de cujus salutari fructu plusquam de aliquibus præcedentibus in Domino spero, cum de ecclesiæ reformatione, quod in pacis reconciliatione caput esse debet, & jam multa illic tractata audiam & assiduè tractari, quanquam etiam multa ibi sæpe incidere dolens † audio, quæ non tam fructus spiritus sunt, quàm carnis opera, contentiones, æmulationes, dissensiones, sectas, animositates, clamores insuper atque irrisiones, quæ non secundum illam fiunt gravitatem & modestiam, quas desiderat spiritus, quasque in pacis esse Concilio oportuerat. Attende igitur, quàm necesse sit, probos ac justos viros, & spiritus sancti, non cupiditatis igne ferventes, ad Concilia destinari, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ut piam illius mereantur assistentiam, qui de congregatis in nomine suo dixit: In medio illorum sum, & de quo per prophetam dicitur: Oculi Domini super justos, piamq; etiam sui spiritus suggestionem, de qua ait: Et suggeret vobis omnia. Qui etiam spiritus (ut ait Apostolus) secundum Deum postulat pro sanctis, i. sanctos ea quæ secundum Deum sunt postulare facit; nec tantùm postulare, sed etiam assequi. Solebant antiqui patres Concilium celebraturi, jejuniorū abstinentia, orandi instantia, lachrymarum inundantia, maxima cordis contritione, atq; contribulati spiritus humiliatione, in timore & tremore spiritus sancti assistentiam suffragiumq; implorare, summâ solicitudine ac vigilantia cordium suorū latebras emundantes, ut nihil illic tanto hospite resideret indignum, quo offensus inde averteretur, & propterea illis assistebat, illos dirigebat atq; exaudiebat, & in cordibus ac labiis eorum gratiam suam diffundebat, ut non tam illi quàm Spiritus loqueretur in eis. Quid autē necessaria erat tanta diligentia, si exploratū habebant se non posse falli aut deficere in his propter quæ fuerant congregati? aut ex defectu præparationis † vel dispositionis à suo non posse fraudari desiderio? Legimus sæpe in scriptura sacra, propter unius aut paucorum culpam, magnū sæpe innocentiū hominū, Deoq; amicorū fusum exercitū, nec illos adjutos aut exauditos, qui ad bella contra Dei hostes sincera mente processerant. Annon sola ovis morbida universū sæpe gregē inficit? Cum itaq; ex unius voce ac sentētia tota sæpe congregata pendeat multitudo, cur non sicut ille in judicio falli potest, ita ipsā totā fallere multitudinem, maximè si ex humana præsumptione aut alia iniquitate falli digna sit?

Non-

Marginal notes:

Fictis & sua quærentibus, non adest Spiritus sanctus.

† Prima quæ Dei sunt. MS.

Doctores simus, non arrogantes ostentatores scientiæ.

Spirituales viri omnia judicant, & à nemine judicantur.

Instruite in spiritu lenitatis.

Secundum mores hodiernos pauci reperiuntur in Conciliis quibus super requiescat Spiritus sanctus.

† Respice ad acta cum Husso & Hieronymo, & decretum de fide hæreticis non servandâ.

Viri probi ac justi & spiritus sancti igne ferventes ad Concilia destinentur, qui non quæ sua sunt quærant, sed quæ Jesu Christi.

† Debitæque. MS.

Nonne per omnia rectè agere & nunquam falli vel deficere solius Dei est? Sciant gentes quoniam homines sunt, non dii, non angeli, non sancti confirmati. Si autem homines fragiles sunt, peccabiles sunt, mendaces sunt. Omnis enim homo mendax. Variis præterea passionibus atq; ignorantiis, quæ sæpe judicium excæcant, obnoxii sunt, & tantò quidem peccabiliores atq; ignorantiores, quanto à peccato atq; ignorantia vano se voluerint tumore eximere. Quòd si dixeris non ex humana infirmitate, sed ex virtute spiritus sancti esse, quòd Concilium falli non potest, quis potest certam habere notitiam, quòd majori parti Concilii, quam præponderare oportet, Spiritus adsit? Quis audeat judicare se dignum esse, cui gratia sancti spiritus adsistat, cum nemo sciat utrum amore an odio dignus sit? Apostolusq; apertè dicat, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, sed neq; meipsum judico, qui autem me judicat, Dominus est, cui scilicet soli nota est puritas mentium. Dices fortè esse verisimile, gratiam spiritus sancti semper aliquibus vel paucis in concilio adesse, quorum ignita atq; efficaci persuasione ad illa quæ salutis sunt cæteros attrahat, dans voci eorum tanquam voci suæ vocem virtutis, qua in animo audientium potentius influant. Quoniam (ut ait Solomon) verba sapientum sunt quasi stimuli & quasi clavi in altum defixi. Possunt tales (siqui ibi sunt) illos monere, quorum corda Deus tetigerit, quiq; ex debita dispositione & spiritus sancti præventione ad spiritualia sunt capienda idonei. Alioquin si multitudo propter peccata atq; indispositionem digna est decipi, paucos ad se illi flectunt viri spirituales, nec qui possint adversus alios * prævalere. Nonne in Concilio Achab sanctus propheta Domini Michæas adfuit, qui ea quæ suggerebat spiritus sanctus intrepidè dixit, nec tamen regi aut cæteris malis prophetis ex sensu ac spiritu proprio loquentibus aliquid persuasit, quoniam digni erant decipi, quemadmodum ad spiritum mendacem, qui ad illos decipiendos mitti petierat, prædixerat dominus: Decipies & prævalebis. Quis autem possit certò scire, an major pars Concilii sit digna decipi, ex qua pendet definitio. Lege apud Hieremiam prophetam quid de templo suo Dominus loquatur contra illos qui sibi falsò promittebant, quòd propter eorum iniquitatem Deus illud non desereret. Nolite confidere (inquit) in verbis mendacii, dicentes, templum domini est, quoniam si benedixeritis vias vestras & studia vestra, si feceritis judicium, & cætera multa quæ illic sequuntur, habitabo vobiscum in loco isto. Deinde cum plurima illorum peccata enumerasset, adjecit atq; ait, Ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris. Item in Silo, ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei: & nunc quia fecistis omnia opera hæc, & non audistis me, faciam domui huic in qua vos habetis fiduciam, sicut feci Silo, & projiciam vos à facie mea. Et converso ad prophetam sermone sequitur: Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Ubi licet apertè intueri quàm modicum apud contumaces Deiq; contemptores, & apud Deum pro illis sancti justiq; proficiunt. Quid autem est templum domini, nisi Ecclesia Dei? Quamvis enim ad Judæos ista ad literam sint dicta, & pro illis scripta, tamen secundum traditionem apostolicam, in figura dicta sunt illis; quæ figura ecclesiam Christi, moresq; ejus hodiernos videtur respicere. Sed adhuc fortè dices falli non posse promissa Domini, quibus cum ecclesia sua usq; ad consummationem seculi se futurum spospondit. Fateor sanè certum esse illa falli non posse, sed ubi & cum quibus per gratiam in ecclesia sua sit, non nostrũ, sed illius est nosse. Novit Dominus qui sunt ejus inquit Apostolus) nos autem quomodo nosse possumus? In sola potest muliercula per gratiam manere ecclesia, sicut in sola virgine tempore passionis mansisse fertur. Nunquid majoris erit authoritatis aut prærogativæ Concilium episcoporum hujus temporis, & propter illorum justitiam quorundam * cum illis doctorum hominum, quàm congregatio apostolorum fuit, qui tamen omnes declinaverunt & trepidaverunt? Nunquid præterea majoris erit prærogativæ, quàm universa militans Ecclesia, in qua dixit Augustinus non impleri posse quod ait Apostolus, ut exhibeat sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed tantùm in cœlesti Hierusalem, ubi verum erit quod scriptum est: Sine macula sunt ante thronum Dei? Quid aliud credere possumus causæ esse, quare illa quatuor Concilia (quæ tanta præ cæteris excellentia commendat Gregorius) scilicet Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum & Chalcedonense, tam in singulari sint inter alia veneratione sacrosancta habita, nisi quia ex sanctis erant hominibus collecta, sanctiq; in terra habebantur, qui illuc convenerant? proptereaq; in illis & per illos suas mirificavit Deus voluntates, sicut per sanctum prophetam dixit: * Sanctis qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis. Spiritus enim ubertate ditati, pinguedineq; saginati nihil petierunt aut constituerunt, nisi quod vellet Deus; & propterea non sunt fraudati à desiderio suo. Tales congregat spiritus sanctus, talibus adest, in medio talium versatur & volitat, & deliciæ sibi magnæ sunt

Omnia rectè agere, & nunquam falli, solius Dei est. Psal. 115.

Paulus.

* alios clamosa contentiosáq; instructos multitudine prævalere. Lyd.

1 Reg. 22. 22.

Jerem. 7. 4, 5.

vers. 11.

vers. 16.

☞

De hac re vide sup. pag. 8.

* etiam cum. M. S.

Cur quatuor Concilia, Nicænum videlicet, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense cæteris excellentiora sanctioraq; sint habita.

* Psal. 16. 3.

cum talibus esse filiis hominum. Secus autem est de illis, de quibus uno interjecto versiculo; subjungitur: Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Quæ autem sint conventicula de sanguinibus, quæ se non congregaturum dixit Spiritus Sanctus, nescio, nisi illa esse dicantur quæ ad tractandum de temporalibus vel carnalibus congregata sunt. Sanguis quippe & carnalia signat, ut, Libera me de sanguinibus, & temporalia interdum, ut in Ecclesiastico: Panis egentium vita illorum, qui hunc defraudat, vir sanguinum est. Quid autem aliud quàm carnales sunt qui Concilii negotia clamose, contentiosè, passionaliter & iracundè, cum jurgio & amaritudine tractant, secundum illud apostolicum: Cum sint inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? * Ex statu quippe & habitudine congregatorum magna ex parte pendere videntur eventus atq; definitio Conciliorum, quoniam plerumq; secundum merita poscentium Deus postulata concedit vel abnegat. Duo namque jam ante pauca tempora super schismatis abolitione facta sunt Concilia, & in ambobus à votis & spe excidimus, utinam in tertio isto voti compotes simus. In secundo autem illorum Conciliorum audisse te arbitror quid contigerit. Res nempe ita pervulgata fuit, ut vix aliquem latere potuerit, quam illo tempore ex veridico comperi authore, & qui me minimè fallere (ut puto) voluisset, & quam paucis (si fortè non audisti) volo referre.

Conventicula de sanguinibus quænam.

* In editione Lydiana suppletur aliquid ex MS. quod hic deest: Sc.— nonne carnales estis? Si autem carnales, quomodo spirituales? cum caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem: præterea si carnales, quomodo rerum spiritualium idonei judices? cum de illis dicat Apostol. spiritus omnia judicat, & ipse à nemine judicatur. Denique spiritualibus viris idem Apost. præcipit, Instruite in spiritu lenitatis. Suavis quippe & benignus est spiritus, non asper, mordax, clamosus aut contumeliosus. Ex statu---

Balthasar Cossa, Johannes XXIV. dictus.

¶ Convocaverat ante quatuor fermè annos Romæ Concilium ecclesiæ, maxima quorundam compulsus instantiâ, Balthasar ille perfidissimus, nuper è Petri sede (quam turpissimè fœdabat) ejectus, in quo paucissimis concurrentibus extraneis, ex aliquibus qui adfuerant Italicis ac curialibus, sessiones aliquot tenuit, in rebus supervacuis, nihilque ad utilitatem ecclesiæ pertinentibus (tempus terendo) consumptas. Cumque ante primam Concilii congressionem pro invocatione sancti spiritus solito fuisset de more Missa celebrata, ubi Concilium assedit, ipseque Balthasar in parata sibi cathedra sublimior præsedit, ecce dirus ac feralis bubo, funeris aut alterius (ut ferunt) calamitatis semper nuncius, è latebris suis erumpens, cum sua illa horrifica voce continuò advolat, super trabemque templi mediam, oculis in Balthasarem directo intuitu conjectis astitit. Cœperunt universi mirari, quod nocturna avis & lucifuga, diurna luce in turbæ medium advenisset, malumque omen ex prodigio non immeritò auspicabantur. En, inquiebant suppressa voce alter ad alterum, in specie bubonis spiritus adest. Cumque cæteri & se mutuò & Balthasarem spectantes, vix risum tenerent, Balthasar ipse (in quem solum ille fixa acie oculos intenderat) rubore suffusus, sudare, angustiari, atque intra semetipsum æstuare cœpit, tandemque non inveniens qua alia posset ratione suæ tantæ confusioni consulere, soluto Concilio, surgens abscessit. Sequuta est deinde altera sessio, in qua rursum more simili (licet, ut credo, minimè vocatus) bubo adesse non omisit, verso semper in Balthasarem contuitu. Quem ille rediisse conspiciens, majori quàm prius verecundiâ meritò conturbatus est, nec illius ultrà ferre prævalens conspectum, fustibus illum, terrificisque clamoribus abigi præcepit. Sed ille nec vocum inquietudine, nec aliis tremefactus molestiis effugere voluit, donec fustium crebris ictibus acerrimè pulsatus, in conspectu omnium exanimis decidit. Hæc ex quodam fideli amico didici, qui illis diebus recto gradu Româ veniebat, super quibus cum propter rei insuetudinem hæsitare cœpissem, per me vehementissimè adjuratus, verissima se retulisse confirmavit. Addebat autem, omnes qui aderant, in magnum contemptum atque irrisionem Concilii ex hac re adductos, paulatimque toto dilapso Concilio, nihil illic prorsus actum esse fructuosum. Perspice igitur quantæ videntur posse occasiones deceptionis aut fallaciæ, aut frustrandi, irritandique Concilii incidere, sive ex capitis * indignitate, ut in illo forsitan Concilio, de quo modo loquebar, sive ex majoris partis aggregatorum † indispositione quæ ad gratiam sancti spiritus percipiendam non est ritè parata, quæ non nisi puras gaudet mentes invisere. Unde sanctus propheta rogando dicturus, Spiritum rectum innova in visceribus meis, qui s. rectè agere doceat, & falli non sinat, non immeritò præmisit, Cor mundum crea in me, Deus; tanquam certissimè cognoscens se non nisi corde mundato rectitudinem spiritus, quæ illum in agendis, ne falleretur, dirigeret, posse consequi. Possunt insuper aliæ causæ deceptionis aut fallaciæ in Concilio contingere, sive ex nimia attentione ad pacem temporalem, aliosque temporales fructus, spiritualiumque rerum incuria, sive in aliquibus ex nimia præsumptione atque æstimatione suæ sapientiæ, per quam se putant ecclesiæ posse subvenire, & cui magis innituntur quàm cœlesti gratiæ, cum de tali sit sapientia scriptum: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, illorum s. qui

In specie bubonis spiritus adest.

* Ineptitudine. MS.

† Indignitate. MS.

Psalm. 51.

Isai. 29. 14. & 1 Cor. 1. 19.

f. qui contra apostolicam admonitionem prudentes sunt apud semetipsos, & plus sapiunt quàm oportet sapere; sive postremò ex negligentia intuendi scripturas divinas, sanctorumque patrum dicta & scripta, in quibus sacratum spiritualiumque rerum & petendarum & impetrandarum forma opportunius tradita invenitur. Quæ si ita sunt, vel esse possunt (nil enim affirmo) sicut temerarium videris arbitrari generalem dicere synodum facilè errare aut falli posse, ita tuum est considerare, ne fortè non omnino à temeritate alienum sit, nunquam illam posse deficere, pertinaci velle defensione astruere, nisi aut firmissima authoritate, aut certissima ratione ita esse convinceretur. Quod etiamsi certo & constanti esset documento monstratum, non adhuc tamen utile crediderim illos qui ad synodum ipsam conveniunt, isti inniti æstimationi, ne fortè sub umbra atque occasione talis confidentiæ, aliqua vel ex humana præsumptione (quæ exinde posset apud multos facilè consurgere) nimis leviter sibi agenda susciperent, vel minori consideratione digesta statuerent. Optimus nempe custos disciplinæ, totiusque rectitudinis timor est, ad quem penè tota scriptura mira solicitudine unumquemque hortatur. Noli altum sapere, sed time, inquit Apostolus. Et alibi legitur: Beatus homo, qui est pavidus. Denique Job sanctissimus ait: Verebar omnia opera mea, quare meritò rectus fuisse ac timens Deum describitur. Timor siquidem sapientes facit, atque ideo non ex facili fallibiles. Initium enim sapientiæ timor domini. Timor justos facit, dicente scriptura, Qui sine timore est, non poterit justificari. Qui autem justi sunt, exaudiri merentur, nec repulsam in votis suis sustinere, quoniam scriptum est: Desiderium suum justis dabitur. Et in Psalmis cum dictum esset: Oculi domini super justos, statim adjunctum est, Et aures ejus ad preces eorum. Timor postremò sanctos facit. Unde est illud apostolicum: Perficientes sanctificationem in timore Dei, in talibus autem (ut supra dictum est) voluntates suas Spiritus Sanctus mirificat. Isti sunt æstus & scrupuli dubitationum, qui in re de qua invicem conferre cepimus, adhuc apud me remanserunt, & forsitan plures ac majores possent aliis doctoribus occurrere. Super his autem dum tibi per otium licebit (nolo enim aliquid aliàs à te exigere) ad meam poteris instructionem, animique serenationem quid sentiendum existimes aperire, non simul quidem ad omnia vel de omnibus rescribendo, quod à tua non ausim petere occupatione, sed particulatim modò ad unum, modò ad alterum, prout & tibi videbitur, & alia incumbentia permittent negotia. Forsitan autem mihi & aliis non tanta in materiis istis occurrerent dubia, si in Conciliorum definitionibus, vel ex scriptura divina vel aliunde rationes atque probationes essent abjectæ. Quoniam (ut sapientissimè dixit Hilarius noster) intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quod à principio dixi mihi videri rectius fuisse. Ex his igitur atque aliis, quæ tibi fortè cogitanti melius occurrerent, vides, ut puto, quàm congruum fuisset, ut non dicam necessarium, legitimis aliquibus documentis tantas confirmandas fuisse novas editiones, quarum omnium non alia affertur probatio, nisi quòd per generalem sunt synodum constitutæ, quæ falli aut errare non potest; quod an ad perfectam illarum intelligentiam sufficiat tu videris, ubi præsertim tanta ex scripturis obstare videntur, quæ etsi non apud doctissimos, apud simplices tamen & minus doctos magnam possunt ambiguitatis, vel scandali præbere materiam. Tibi verò non ignotum est, quanta curâ caveat & moneat Christus, quanta insuper Paulus apostolus, ne parvulis in Christum credentibus occasio præstetur scandali. Ista autem non in reprehensionem, calumniamque concilii ritè & cum Dei timore plus quàm humana præsumptione celebrati, sed (Deo teste) in quietem pacationemque animi mei apud te aperire volui. Bene igitur fecerit tua charitas, si huic meæ mentis anxietati, pro concessa sibi à Deo doctrina mederi studuerit, per reique obscuræ & involutæ elucidationem pro me atque aliis simplicioribus scandali radicem præcidere. Nihil autem (ut jam sæpe dixi & repetere nequaquam piget) in his aut aliis scriptis astruere intendo, nisi quod catholicæ sit integritati perfectè consonum. Si quid autem minus certum aut verum non asserendo, sed dubitando, vel argumentando proposui, quo de certitudine plenius possim informari, non puto quòd ad temeritatem debeat mihi imputari. Alioquin temerarium esset minus intellecta velle à sapientioribus discere, quamvis etiam certè paratus sim, si ea quæ me movent dubia explicando aliquid in radice veritatis minus fundatum, aut alicujus fortassis scandali illativum nimis astruere viderer, aut fideli admonitu illud eradere, aut ad lineam rectitudinis limâ exactiori emendare.

Timor optimus disciplinæ custos.

Ecclus. 1. 28.
Prov. 10. 24.

Timor sanctos facit.

Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi.

¶ O. G.

¶ O. G. Ad Lectorem pro instructione præcedentium, quæ dicta sunt de Bubone, ab ipso Archidiacono.

PRodigium, quod hic de bubone relatum est, ut intelligas, lector, necessum est te non ignorare (Teste namque sanctissimo Leone, Melius est defraudare doctos notis, quàm defraudare rudes incognitis) quisnam fuerit ille Balthasar, cui illud in papali Cathedra residenti, claro die contigerit. Tres enim non diu ante Concilium Constantiense super Pontificatu simul decertabant. Primus enim fuit Johannes, quem Platina 24. alii verò scriptores 23. hujus nominis appellant. Secundus Gregorius 12. Tertius verò Benedictus. Hunc Hispani, Gregorium Galli, & Johannem Itali, in hoc schismatico ambitionis conflictu, quisque suum, defensabant. Johannes autem, ut rem ipsam aggrediar, indixit Concilium, id quod Romæ celebravit in æde S. Martino sacra. Ubi quale portentum acciderit, paulò ante legisti. Tale etiam ut Conciliabulum potius quàm Concilium coegerit. Hic ergo Johannes, natione Neapolitanus, Balthasar Cossa vocatus, priusquam dolis & fraudibus pontificatum appeteret. Postea verò communi omnium nationum consensu ad sacrum generale Concilium Constantiense citatur, ubi cum suis collegis depositus, conjectus est in carcerem. Reliqua, quæ hic commodè de hoc homine dici possent, in pontificum catalogo, quem Johan. Stella Venetus Romæ edidit, copiosius reperies. Se enim ipse (quum armata manu Bononiam occuparet, & pallium S. Petri à Cardinalibus ibidem expeteret) summum constituit pontificem. Itemque, quàm vitâ ac moribus fuerit improbus, sacrosancta generalis synodus Constantiæ declaravit. Si tibi Venetus non satisfaciat, lege Platinam aliosque historicos, & vale fœliciter.

EJUSDEM AD EUNDEM SCHOLASTICUM.

VErebar, illam ad te ingentem scribens epistolam, id quod evenit, ne sc. non satis tibi vacui temporis adesset, ut ad tot tibi liceret quæsita respondere, his præsertim diebus: quibus ex officii debito aliis studiis ac curis implicaris, proptereaque (si meministi) ignosci per te mihi poscebam, si nimis multa ex te quærendo, nimio tibi oneri essem, addebamque me minimè velle (sicut nec æquum erat) ut labores qui ex officio tibi incumbunt propter mea accessoria impedirentur scripta. Quamvis autem non pro curiositate (ut aliquantulum suspicaris) sed pro mea instructione illud peterem, nunquam tamen meæ fuit intentionis à te exigere, ut aliquid super illis, nisi ex tuo beneplacito & libera etiam concessâ facultate rescriberes. Nihil quippe à te vellem requirere, quo te putarem offendi debere vel quod aliquatenus opinarer tibi molestum esse, qui suavitate tuæ propensioris in me dilectionis, tot tamque evidentibus signis in tuis literis patefactæ mirum in modum delector. Si itaque propter alias curas (quæ magno te cumulo premunt) ad illam epistolam respondere non vacat, aut si propterea non placet, ne argumentosa collatio longius provecta finem non esset habitura, fiat voluntas tua, quæ etiam mea est. Amici enim sumus & sinceri (nisi fallor) in Deo amici. Amicorum autem est idem velle idemque nolle. Denique quanquam Deum ac conscientiam testari liceat, nullatenus stomachato animo illa fuisse scripta, quòd miror tibi visum esse, quia tamen, undecunque hoc evenerit, ita tibi visum est, ut tuæ quantum fas fuerit, voluntati ac petitioni morem geram, dulciora ac sedatiora enitar. Deinceps scripta transmittere, in quibus nihil quisquam possit fellis, nihil stomachi, aut alicujus deprehendere amaritudinis. Nam vivas quidem tecum miscere voces (quod magnopere etiam optarem) nec loca nunc, nec tempora sinunt, quæ nobis dignetur placatiora Christus annuere, quo nostris possimus desideriis in ipso perfrui. Si qua enim putas in te mihi credendum esse, in hac constanter crede, nihil mihi fore jucundius tua societate, sed solitudinem animo gratam relinquere civitatemque repetere, ad quam me revocas, necdum consilium est. Oppressus namque (ut nosti) ante aliquot annos æmulorum insultatione, me tunc gravissimè persequentium, ex urbe illa fui excedere compulsus, latebrasque à facie tempestatis contra me injustè admodum illic sævientis alibi quærere. Elongavi itaque fugiens, & mansi in solitudine, expectans illic eum qui salvum me faceret à pusillanimitate spiritus & tempestate, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate. Quod quidem (quantum re ipsa experiri potui) mihi ad fructum cessit, à dominoque factum esse existimo. Primùm, quia me & conscientiam meam peccatis onustam aliquantula compunctione quietius atque opportunius

Amicorum est idem velle, idem nolle.

Causa & fructus secessionis Nic de Clamengiis, à Parisiis.

portunius ad Deū recollegi. Deinde, quia post longam lectionem secularis eloquentiæ gentiliumque scriptorum, in quibus non parva tempora occupavi, tandem illic ad sacri canonis investigationem sacrorumque doctorum mysticè ac salutariter illum exponentium, magna me aviditate contuli, quæ nunc penè sola de gratia Christi me lectio delectat, in qua etsi parum * studio solus proficere potui, plus tamen (ut opinor) profeci quàm tota anteacta ætate in † studio Parisiensi. Adde quòd stilo secessum requirenti, solitudinemque desideranti, melius, uberius, liberius, operam dedi. Sanè & plura in loco isto & utiliora scripsi (si quid potest utilitatis hic calamus afferre) quàm in cæteris omnibus locis, in totaque cætera vita, & insuper quæcunque alibi antea scripseram, hic recensui, limaque exactiori emendare studui. Illum postremò non arbitror fructum meæ fugæ ac solitudinis contemnendum, quòd interim à sensu acerbissimorum malorum, quæ nostra viderunt & nunc vident tempora, à furore belli civilis, à periculoso nimium partium studio, à fornace denique incendii horum certaminum pestiferorum, atque huic tandem infœlici patriæ exitialium, in solitario isto loco delitescens absui, quibus plerique ne implicarentur, Hierosolymam petierunt, alii sanctam Catharinam, montemque Sinai, nonnulli in Hispanias ad sanctum Jacobum peregrino sunt itinere profecti. Nec defuerunt qui his impellentibus causis, multis jam annis orbem lustrant, ut nemini debeat mirum videri, si quietis ac pacis amore à turbinum me strepitu paululum subduxi. Vale apud fontem.

* Parum ingenio parum studio. Lyd.
† Unicè delectatur lectione Evangelii; eaq; plus proficit, etiamsi solus, quàm tota anteacta ætate, in Societate doctâ Parisiis profecerat.

FINIS.

¶ Orthuinus Gratius Lectori candido S. P. D.

VAria hactenus commemorata sunt, Lector, quæ ut accipere atque intelligere debeas in nostris ad te præfationibus satis explicatum opinor. Nunc tandem de Conciliis generalibus ex Clamengio Archidiacono, & de Reformatione universalis ecclesiæ ex libello identidem Petri de Alliaco & Johannis Francisci Mirandulani, Concordiæ Comitis, nonnihil dicetur, Scis enim duplicem esse Dei Ecclesiam, militantem videlicet & triumphantem. Illa universalis sub hoc orbe lunari omnium est fidelium collectio, in suis quandoque membis à certo veritatis scopo deficiens; hæc autem cœlestis Hierusalem, quæ nullis, neque dæmonum insultibus opprimi, neque hæreticorum technis aut fraudibus decipi potest. Habet itaque duas ecclesia Dei vias (ut Gregorius super Ezechielem sentire videtur) unam in qua merces colligitur, alteram, in qua jam è receptis gaudet muneribus. In utraque etenim vita, suum ecclesia offert sacrificium, hic compunctionis, illic verò laudis. Hinc ob duo hæc quæ nunc diximus (quanquam etiam & de sola militante dicantur ecclesiâ) sanctus proclamat Bernardus: O humilitas! & sublimitas! tabernaculū Cedar & sanctuariū Dei, terrenū habitaculū & cœleste palatiū, domus lutea & aula regia, corpus mortis & templum lucis, despectio superbis & Christi sponsa. Cujus (hoc est ecclesiæ militantis) typus est Arca Noe, in qua sicuti olim pardus & hœdi, lupus & agni, ita & hic in nostra ecclesia, boni & mali, justi & peccatores, vasaque aurea & argentea, lignea & fictilia continentur, quorum quædam (ut Paulus ad Timotheum ait) sunt in honorem, & quædam in contumeliam. Ecclesia igitur hæc militans, media est (ut duobus Chrysostomi verbis utar) inter cœlum & inferos, illic prædestinatos, hic vero præscitos constituens, malos juxta ac bonos simul complectendo. Frumentum quippe bonum agro inseritur, virentibus tamen in arvis, imò etiam & culmis ipsis flavescentibus, ac planè jam onustis, lappæque & tribuli, steriles dominantur avenæ. Nec mirum. Quinque enim virgines in Evangelio fatuas habes, & quinque prudentes. Habes quoque arborem bonam & malam, zizaniam & triticum. Habes sagenam in mare demissam, & ex omni genere piscium, indifferenter, tam gratos quàm inutiles constringentem. At quorsum hæc tam multa, Lector mihi in Christo charissime? Ut (inquam) intelligas, in hac nostra ecclesia multos abusus esse, qui justo Dei judicio, in supernis sedibus condemnari, & à nobis omnibus in hac lachrymarum valle non indecenter post scamnum (ut sic dicam) projici, aut rectius aboleri possent. Utinam ergo è cœlo Spiritus Sanctus descendat, & suo ventilabro, per nostros superiores (quibus & ligandi & solvendi potestas est) aream suam expurget, & ex lolio ac palea, bonum faciat triticum. Cæterum possibile non est, ut propter Jebusæos ignobiles, ad amussim hæc militans Dei ecclesia purgetur, perverti tamen ac seduci non debet fides tua, quo minus in illa ad finem usque perseveres. Vale fœliciter & quæ sequuntur diligenter perlege.

DE

DE EMENDATIONE ECCLESIÆ

Libellus, à Reverendiſſimo Domino Petro de Alliaco Cardinali Cameracenſi, patribus olim oblatus in Concilio Conſtantienſi congregatis, quod Chriſtianiſſimus Princeps Sigiſmundus Auguſtus convocarat, non tam ob eccleſiæ concordiam, quàm communis morum emendationis ſpe. Quæ quo minus proceſſerit, per hunc non ſtetit, ſed per Eccleſiaſticos, Germanicæ ſimplicitati imponente Romana aſtutiâ.

AD LECTOREM.

CUJUS cor tam eſt lapideum, quod non commoveatur? cujus oculi tam ſicci ſunt, ut non madeſcant undis lachrymarum, qui cogitet quid intentatum reliquerit Chriſtianiſſimus ille Princeps Sigiſmundus Aug. quo diſſentientes in concordiam redigeret Pontifices, ut tandem Rempublicam Chriſtianam pulchrè emendatam ad evangelicam amuſſim cerneret prius quàm vitâ defungeretur? Indixit Concilium in Conſtantia Germaniæ. Ipſe in Britanniam navigavit, in Aragoniam profectus eſt, Galliam adiit amore concordiæ. Quam ubi tandem obtinuiſſet, & jam Oddo Columnenſis in Pontificem electus, & Martinus quintus appellatus eſſet, exuberanti gaudio velut extra ſe raptus planè ſperabat eccleſiaſticos proceres emendationi publicæ ſtatim operam daturos. At pientiſſimum Principem novus Pontifex bellè eluſit, aſſerens ſe de hac re per otium cogitaturum, in primis adeundam eſſe Romam, cujus templa abſente jam annis aliquot pontifice, paſſim collaberentur, & quod Petri patrimonium vocant, è tyrannorum manibus eripiendum. Quaſi verò non præſtet quicquid eſt Romæ ſacellorum corruere, ſi morum emendatio poſſit obtineri.

Quomodo Sigiſmundus à Pontifice deluſus.

Templa ſemper reſtitui poſſunt, & opibus ornari. Emendatio ope divina habet opus, & animis principum in hoc laborantibus. Sic eluſus fuit Sigiſmundus Cæſar, qui alioqui natus videri poterat ad Chriſtianiſmũ orbi reſtituendum, ejus adhuc extant in Germanica lingua de omnium ordinum emendatione pro tota republica Chriſtiana graviſſimæ conſtitutiones. Idem animi videtur habuiſſe Petrus ab Alliaco Cardinalis Cameracenſis, qui licet infectus eſſet Theologiâ iſta ſcholaſtica, quæ eſt ingenioſa cum ad conſcientias in nugis aggravandas, tum rurſus ad inveniendas excuſationes in peccatis multò ſolertiſſima, temperare tamen ſibi non potuit, quin hunc libellum, quem diu ſuppreſſum nunc emittimus, pro publica morum emendatione à ſe conſcriptum, patribus in Conſtantia Germaniæ juſſu Cæſar. Sigiſmundi congregatis offerret. Quo tamen haud plus effecit, quàm abhinc aliquot annos Raimundus Cardinalis Gurcenſis ſua privatim monitione. Nam cum is commodùm Romam revertiſſet, onuſtus auro Germanico, quod ſuprema ſua legatione fungens, ex diſtractione theſauri illius indulgentiarũ exhauſti corraſerat (meritorum Chriſti videlicet, & ſanctorum, quæ illis ſuperabant cum judice Deo rationem ineuntibus) fortè in ſenatu purpuratorum patrum (conſiſtorium illi vocant) rogatus eſt, quidnam de Roma ſentirent Barbari, quando ad illos tanta benignitate merces indulgentiarum importarētur? Reſpondit Raimundus, Totum orbem conqueri de luxu faſtuque Cardinalium. Quòd niſi vos (inquit) emendatos viderint, erit in periculo Reſpub noſtra. Id cum pluribus verbis repeteret, cuncti contrahebant ad hunc ſermonem frontes & humeros ſuos, qui Italis mos eſt. Cæterum ut optimus pater deinceps taceret de reformatione, re valdè odioſa Romæ, de qua nimium cœperat loqui, bono haud dubiè zelo motus, communicato prius conſilio convenit inter Cardinales, ut unus ex ipſis notæ audaciæ ſic ſenem pudefaceret. Quòd ordo noſter apud Barbaros male audit, tu Ipſe in cauſa es, qui tam copioſo famulitio, tanto luxu veſtium & epularum, tantoque ſplendore domeſticæ ſupellectilis uſus es, ut invidiam & tibi & nobis compararis, atque hæc cum ſtomachi ſignificatione proloquutus eſt. Intellexit rem ſtatim optimus pater, & deinceps ſiluit. Itaque Deus Optimus Maximus orandus eſt, ut illuſtret cæcas hominum mentes & pectora cæca. Nam à nobis nulla ſpes eſt, quos omnes communis culpa velut eodem faſce conſtringit. Vale, Lector.

Theologia ſcholaſtica ingenioſa ad conſcientias nugis onerandas & ad excuſationes pro peccatis fabricandas.

☞

Magna ſpes emendationis Rom.

DE REFORMATIONE ECCLESIÆ,

Libellus Reverendissimi patris D. Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, oblatus primoribus ecclesiasticis in Concilio Constantiensi, jussu Cæsaris Sigismundi congregatis, An. M. CCCC. XV. mense Novembri.

PRÆFATIO.

De Reformatione Ecclesiæ dudum plura per me scripta nunc compendiosius recolligere, & sacri generalis Concilii Constantiensis examinationi & correctioni præsentare decrevi. Quæ ecclesiæ reformatio quàm necessaria olim fuerit, & amplius modò sit, evidenter ostendit deflenda ipsius deformatio, de qua lamentabiliter conquerebatur beatus Bernardus sermone tricesimotertio, super Cantica, ita dicens: Serpit hodie putrida tabes per omne corpus ecclesiæ, & quò latius eò desperatius, eoque periculosius quò interius. Nam si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & aresceret: si violentus inimicus absconderet se forsan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici. Omnes necessarii, & omnes adversarii. Omnes domestici, & nulli pacifici. Omnes proximi, & omnes quæ sua sunt, quærunt. Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Et enumeratis quibusdam excessivis abusibus ecclesiasticorum, subdit, Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece martyrum, amarior pòst in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita invaluerunt & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga ecclesiæ. Et ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à Paganis, ab hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto. Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Spreverunt & maculaverunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris. Si hæc à beato Bernardo dicta sunt, nunc multò magis dici possunt; quia extunc de malis ad pejora processit, & in omni tam spirituali quàm seculari statu, abjecto decore virtutum, in variam cecidit turpitudinem vitiorum. Propterea extunc quidam spirituales mala hæc subtilioris intelligentiæ oculo prævidentes, præsentis ecclesiæ persequutionem, & hujus schismatis horrendam monstruosamq; divisionem, subtractionem quoque obedientiæ ab ecclesia Romana, & alia plura scandalosa inde sequutura prædixerunt. Sicut patet in libris Abbatis Joachim & Hildegardis, quos non esse contemnendos, quorundam magnorum * doctorum probat authoritas. Hæc autem Deus misericordissimus, qui solus ex malis bona novit elicere, ideo permittere credendus est, ut eorum occasione ecclesia sua in melius reformetur. Quod nisi celeriter fiat, audeo dicere, quòd licèt magna sint quæ videmus, tamen in brevi incomparabiliter majora videbimus, & post ista tonitrua tam horrenda, majora alia horribiliora in proximo audiemus. Eapropter summo opere vigilandum est circa Reformationem ecclesiæ. Ideo circa hoc aliquas considerationes particulares scribere, & prudentum examinationi proponere dignum duxi, nec omnes quidem, quia ad hoc & majori libro & majori ingenio opus esset, sed utiliores, & meo judicio magis necessarias, & per quas ad omnes alias via poterit facilius aperiri.

Non ergo fiet reformatio nisi multum laboriosè.

* Vide Onus Ecclesiæ, à Johanne Episcopo Chemensi suffraganeo Archiep. Saltzburg. cap. 2. § 3. & 4. edit. Coloniæ 1531.

Prima autem consideratio erit de reformandis circa totum corpus ecclesiæ.
Secunda, de reformandis circa ejus caput s. circa statum Papæ, & Romanæ Curiæ.
Tertia, de reformatione principalium ecclesiæ partium, scilicet prælatorum.
Quarta, de reformandis circa religiones & religiosos.
Quinta, de reformandis circa cæteros ecclesiasticos.
Sexta, de reformatione laicorum Christianorum.

DE

¶ DE REFORMATIONE ECCLESIÆ CIRCA totum corpus universalis Ecclesiæ.

PRima consideratio est de his, quæ viderentur reformanda circa totum corpus universalis ecclesiæ. Ubi primò occurrit esse expediens & necessarium, quòd sæpius quàm hactenus factum sit, generalia Concilia celebrentur. Item videtur expediens quòd etiam sæpius celebrarentur Concilia provincialia: quia ut patet 18. distin. Decreti, sancti patres propter ecclesiæ utilitatem, primò statuerunt ea bis in anno celebrari. Postea verò propter fatigationes, & ut opportunè haberentur, hi qui congregandi sunt, statuto Synodali definierunt, omni excusatione remota modis omnibus semel in anno fieri, & depravata corrigi. Unde & episcopi, qui ad Synodum venire contemnunt, & Principes qui hoc prohibent vel impediunt, vel Metropolitani qui absque rationabili causa hoc agere negligunt, Canonicis pœnis subjacent, ut hæc probantur in dicta distinct. quasi per totum, & in multis Canonibus Conciliorum, ut in secundo cap. Carthaginensis Concilii tertii. Et in alio capitulo Toletani Concilii sexti, & in tertio capitulo quarti Concilii Toletani, ubi sic legitur: Nulla penè res disciplinæ mores ab ecclesia Christi magis expellit, quàm negligentia sacerdotum, qui contemptis Canonibus ad corrigendos mores Synodos facere negligunt. Et certè hodie docet experientia, quot & quanta mala ex hujusmodi negligentia proveniant. Et ideo necesse est providere, ut hujusmodi Concilia sæpius fiant, & si non semel in anno juxta rigorem Canonum, saltem de triennio in triennium ad evitandum vexationes itinerum, laborum & expensarum, & quia omne rarum, pretiosum. Et si dicatur, quòd hodie non est opus generalia aut provincialia Concilia congregare, sicut fuit in primitiva ecclesia: & quòd ad tollendum vexationes prælatorum in hujusmodi Conciliis, Romana ecclesia seu Papalis Curia potest sufficienter casibus emergentibus respondere: Respondetur, quòd hoc non est utique verum. Tum primò quia experientia docet, quòd propter defectum Conciliorum, & maximè generalium totius ecclesiæ, quæ sola potest audacter & intrepidè omnes corrigere, ea mala quæ universalem tangunt ecclesiam diu remanserunt impunita, incorrecta & adeo creverunt & inveterata sunt, ut tandem multa injusta & iniqua sub prætextu fictæ & corruptæ consuetudinis licita reputentur. Item multi suspicantur, quòd hæc dissimulaverit Romana Curia, & super hoc Concilia fieri neglexerit, ut posset ad suæ voluntatis libitum plenius dominari, & jura aliarum ecclesiarum liberius usurpare. Quod non assero esse verum. Sed quia contra eam hujusmodi laborat infamia, debuit ad eam purgandam super congregatione Conciliorum generalium & provincialium providere. Alioqui, juxta dictum Augustini, si famam suam negligit crudelis est. Item illa sanctissima Romana Curia * s. Petri & Apostolorum, licet potuisset sine congregatione Concilii, per epistolas vel alias vias, causas & negotia ecclesiæ faciliter terminare, tamen legitur quatuor Concilia celebrasse, sicut patet in Actis 12. 15, 16. cap. Unde per hoc exemplum instructionis de sæpe congregandis Conciliis, suis posteris reliquerunt. Nam sicut Christi, sic & Apostolorum suorum à capite nostro est instructio, juxta illud Apostoli: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Item in quarto cap. Canonis dicit Isidorus: Quòd quia ante tempora Constantini, non erat episcopis licentia conveniendi in unum, scilicet publicè per modum Concilii generalis, ideo Christianitas in diversas hæreses scissa est. Et ita dicere possumus modò, quòd propter defectū celebrationis Conciliorum, ecclesia in diversa schismata, & alia innumerabilia mala, fortè etiam ad hæreses disponentia (proh dolor) lapsa est, sicut experientia docet. Item, si Concilia celebrata fuissent, verisimile est, quòd hoc nefandum schisma non tamdiu perdurasset, nec fortè schisma Græcorum. Unde hujusmodi schismatibus debuisset citò per Concilium generale provideri, ut in primitiva ecclesia docuerunt Apostoli, prout legitur Actorum sexto, quòd quia ortum est murmur Græcorum adversus Hebræos, &c. statim duodecim Apostoli ipsum convocata multitudine sedaverunt. Similiter Actorum decimoquinto, orta dissensione propter observantiam legalium, sancti Paulus & Barnabas ascenderunt ad Apostolos in Hierusalē. Unde patet, quòd valdè damnabiliter peccaverunt illi Principes & Prælati, qui pro sedatione hujusmodi schismatis, cōvocationē Cōcilii neglexerunt aut impediverunt. Itē aliqui sunt casus ardui necessariò reformādi, in quibus nō potest cōmodius quàm per generale Conciliū provideri, sicut patet primò de reformatione * Romanæ Curiæ. quæ, ut infra dicetur, necessaria est reformari, sicut nec contempsit à generali Cōcilio plures principatus honores recipere, quia licet principaliter Rōana ecclesia principatū habuerit à Domino, tamen secundariò à Concilio, ut dicit Glo. 17. di. super cap. Concilia. Item

O. G. Nota bene.

* Si Curia fuerit, proculdubio fuit Sanctissima: quid autem sibi vult Romana? nam hæc acta sunt Hierosolymis.

* Ista ergo Curia non est, ut esse debet, Sanctissima Romana Curia.

Item reformatio totius corporis ecclesiæ & particularis ecclesiæ Romanæ, est de arduis pertinentibus ad fidem. Nam ejus generalis deformatio non mediocriter fidem tangit, & per consequens ejus reformatio. Ideo in hoc non debet Papa aut ejus Curia deliberationem Concilii respuere, quia sicut dicit Glossa. 19. distinct. super c. Anastasius, Papa debet requirere Concilium episcoporum, ubi agitur de fide. Quod non solùm intelligo de articulis fidei, sed de arduis tangentibus universalem statum fidelis ecclesiæ. Quod notat Archidiaconus 15. dist. in c. ubi dictam Glo. approbans addit, quòd nimis periculosum esset fidem nostram committere arbitrio unius hominis. Et idcirco Papa in casibus novis & arduis, ad deliberationem Concilii recurrere consuevit. Item duo sunt arduissimi casus fidem, & fideles omnes mutabiliter & miserabiliter concernentes, quibus esset per generale Concilium necessariò providendum. Unus est de modo providendi contra Saracenos & alios infideles, fidem & Christianitatem impugnantes, & nunc multò periculosius quàm à multis retroactis temporibus fecerunt contra ecclesiam Catholicam insurgentes. Quibus si celeriter non obvietur, timendum est, ne Constantinopolitanum Imperium jam multipliciter ab eis laceratum & vexatum, penitus destruatur. Ac deinde Romanum Imperium jam divisum, & penè ad ruinam præparatum invadant, & sic ecclesiam destruant jam schisinate laceratam, ut sic via præparetur adventui Antichristi, de quo prædixit Paulus: Nisi venerit dissensio primum, &c. quod exponit Glo, de duplici dissensione seu divisione, una ab Imperio, alia ab ecclesia Romana, quæ prævenire debet Antichristum. Et utramque jam præsentialiter multi devoti fideles non immeritò pertimescunt. Alius casus est de modo providendi circa Græcos, ut ad unitatem Romanæ ecclesiæ reducantur, quod nunc maximè opportunè fieri posse videtur, dum eorum Imperator inter Latinos degens à Romana ecclesia, & dominis temporalibus, præcipuè à Francorum Rege contra infideles cogitur auxilium & subsidium postulare. De viis autem & modis circa dictos casus servandis scripserunt plures fidei zelatores, & specialiter frater Humbertus de Romania quondam magister quintus ordinis Prædicatorum tractatum utilem composuit, ut super his provideretur in Concilio generali Lugdunen. sub Gregorio Papa 10. celebrando.

O. G. Hoc esset homines cogere.

DE REFORMATIONE CAPITIS, HOC EST,

Status Papalis, & suæ Romanæ Curiæ & Cardinalium.

SEcunda consideratio est de his quæ reformanda videntur circa caput corporis ecclesiæ, id est, circa statum Papæ & suæ Romanæ Curiæ. Et primò tollendus esset detestabilis abusus à quo primò schisma originem traxit. f. quòd una natio sive regnum, aliquando ultra, aliquando citra montes, in scandalum residuæ Christianitatis, ita diu papatum tenuit, ut posset dicere: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Quod quam detestabile sit præcipuè in Papatu, ostendit ille qui ait: In veritate comperi quòd non sit personarum acceptor Deus, &c. Item pro dicta provisione esset statuendum, quòd de cætero major pars Cardinalium non posset assumi de uno regno sive de una natione, sicut quandoque hactenus factum est, in magnum scandalum plurimorum, sed quòd de diversis regnis & provinciis indistinctè juxta personarum merita assumantur. Quia sicut apud Deum, ita apud Dei ministros non debet esse acceptio personarum. Et videretur sufficere, quòd de una provincia solùm esset unus Cardinalis, ut sic in eorum promotione & multiplicatione tolleretur, vel saltem restringeretur & arctaretur carnalis affectio promoventis. Et ut per assumptos de diversis provinciis, diversitas morum & statuum earundem, Romanæ ecclesiæ innotesceret ad utilitatem & salutarem provisionem incolarum. Item quia una causa præsentis schismatis fuit, quòd Cardinales nimis tardaverunt declarare, & fideles sufficienter informare, quòd primam electionem fecissent vi & metu. Ideo ad tollendum ne aliàs similis scandali detur occasio, expediens videretur arctari aliquod tempus, ita quòd talis exceptio deberet allegari, & ultra quod nec illa nec alia exceptio contra Papæ electionem posset per Cardinales opponi. Et esset etiam per Concilium declarandum, quis de hujus causa metus haberet cognoscere. Quia Jo. An. super Clemen. de elect. quærit, quis de hujus causa metus cognoscere haberet, si allegaretur circa electionem Papæ: Et respondens, dicit, quòd ista nondum decisa, nec provisa, egebunt provisione. Item necessariâ erit reformatio & provisio circa gravamina, quæ Romana ecclesia infert aliis inferioribus ecclesiis & prælatis. Et maximè in tribus, de quibus conqueritur prætallegatus frater Humbertus, in dicto tractatu suo parte 2. c. 11. ubi dicit, quòd causa dispositiva schismatis Græcorum inter alias una fuit propter

Gravamina ab ecclesia Romana aliis illata.

gravamina Romanæ ecclesiæ in exactionibus, excommunicationibus & statutis.

Tria gravamina. Gravamina exactionum papalium.

De primo gravamine, & contra hanc multitudinem & magnitudinem exactionum, providendum esset tripliciter. Primò, per diminutionem pomposorum statuum & excessivarum expensarum, ut sic Romana ecclesia minus esset onerosa subjectis, & ut etiam eis esset exemplum humilitatis, & forma virtutis, instar Christi, cujus ipsa vicariatum & à quo primatûs honorem tenet, qui ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Secundò, per diminutionem & arctationem hujusmodi exactionum, sic scilicet, quòd certa summa rationabilis determinaretur & limitaretur pro moderato statu Papæ & Cardinalium, subjectis ecclesiis imponenda, & per dioeceses proportionabiliter distribuenda, & à dioecesanis recolligenda, & in certis terminis solvenda Romanæ curiæ, ultra quam summam nova exactio non possèt imponi sine authoritate & consensu generalis Concilii. Tertiò, per diminutionem numeri Cardinalium, ita quòd non esset tantus nec tam onerosus numerus ipsorum, sicut hactenus fuit, ne Romanæ curiæ dici possèt, Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. Item circa statum Cardinalium & aliorum ecclesiasticorum providendum esset, quòd deinceps non tenerent illam monstruosam & multipliciter scandalosam beneficiorum multitudinem: de quo abusu antiqui sapientes conquesti sunt, sicut Guilhelmus episcopus Parisiensis in verbo abbreviato de * verbis & vitiis c. de signis avaritiæ ecclesiasticorum, quorum rationes expediret diligenter examinare, & pro sedatione conscientiarum, quid super hac re tenendum sit, declarare.

Cardinalium numerus minuendus. Esai. 9. 3. *Ita etiam est in Speculo Ecclesiæ Pontif. (ubi hæc habentur) edit. Lond. 1606. sed fortasse erat [virtutibus]

Gravamen excommunicationum papalium.

De secundo gravamine suprà tacto, scilicet multiplicatione excommunicationum, & ex consequenti irregularitatum, quas Romana ecclesia in suis constitutionibus poenalibus & maximè in quibusdam novis Decretalibus imposuit, & sæpe per suos collectores in multorum scandalum fulminavit, & ad cujus exemplum alii prælati leviter & pro levibus causis ut pro debitis, vel hujusmodi, pauperes excommunicatione crudeliter percutiunt, necesse est providere, cum hoc sit contra jura, ut 11. q. 3. c. Nullus enim sine concord. Nam gladius ecclesiæ, videlicet excommunicatio, qui in primitiva ecclesia, veneranda raritate erat formidabilis, jam propter abusum contrarium, contemptibilis effectus est, sicut ostendit doctor subtilis Johannes Scotus super quarto Sententiarum dist. 18. Qui tamen contemptus valdè periculosus est, quia excommunicatio major, quæ anathema dicitur, æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis qui aliter non potuerunt corrigi, ut habetur 11. q. 3. c. Nemo. cui concordat glo. extra. de v. sig. ex parte.

Attende.

Gravamen papalium statutorum, Canonum & Decretalium.

De tertio gravamine ratione ecclesiæ, quod imponit aliis in onerosa multitudine statutorum, Canonum & Decretalium, & maximè illorum quæ videntur ad graves poenas, & præcipuè ad mortales culpas obligare. Et eadem ratione de similibus statutis aut constitutionibus synodalibus prælatorum providendum erit de rationabili alleviatione hujusmodi onerum, ne de prælatis ecclesiæ verificetur, quod de pharisæis & sacerdotibus synagogæ à Christo improperando dictum est: Imponunt onera gravia & importabilia in humeris hominum, digito autem nolunt ea movere. Item super quibusdam aliis gravaminibus per Romanam ecclesiam aliis prælatis & ecclesiis superinductis adhibenda erit provisio, videlicet super collationibns beneficiorum & electionibus dignitatum. Similiter super concessionibus exemptionum, quas Romana ecclesia pluribus religionibus, abbatibus & conventibus, ac Capitulis in præjudicium prælatorum concessit, de quibus jam olim plures devoti ecclesiæ zelatores conquesti sunt, sicut beatus Bernardus in libro ad Eugenium papam, & alii. Similiter de pluribus aliis honoribus, reverentiis & præeminentiis, quas quidem officiarii Romanæ curiæ super alios prælatos usurpaverunt. Et de multis eorum particularibus excessibus, de quibus longum esset per singula discurrere, perutilis & necessaria erit provisio. Hic autem propter dictos excessus dudum quandam opinionem recitavi, quam nuper in tractatu de ecclesiastica potestate, tanquam erroneam reprobandam esse declaravi, videlicet quorundam detractorum Romanæ ecclesiæ, qui in ejus odium prætextu quorundam abusuum, statum Cardinalium, quem inutilem & damnosum, nec ab Apostolis vel Conciliis institutum, & sine causa rationabili usurpatum, tanquam onerosum ecclesiæ, extirpandum esse dixerunt, sicut olim de statu Corepiscoporum factum esse legitur 68. dist. c. Corepiscopi. Hunc autem errorem in hac sancta synodo Constantiensi quodammodo resuscitare aliqui præsumpserunt. Qui utinam attenderent juxta doctrinam Christi, prius trabem de oculo ejicere, quàm festucam de oculo fratrum, imò patrum suorū. Utinam attenderent status episcoporum & aliorum prælatorum, cæterorumque ecclesiasticorum, ac etiam laicorum innumeris abusibus & vitiis deformatum. Nec tamen ideo hujusmodi status dissipandos esse atque perdendos, quoniam in multis offendimus omnes, sed vitium vel abusus corrigi debet & non status destrui, vel suis debitis juribus defraudari, sicut boni medici officium est, ab infirmo morbū tollere, & non infirmum corpus destruere.

De collationibus beneficiorum & prælaturarum. Usurpatio officiariorum Romanensium.

Cardinales abolendi, sicut Corepiscopi sublati sunt. Qui hoc præsumpserunt, multum sapuerunt.

Pulchra comparatio.

Utinam

Utinam denique considerarent, qualiter domini Cardinales pro reformatione ecclesiæ, ac status ipsorum se effectualiter paratiores obtulerunt quàm quicunque alii cujuscunque status. Imò plura membra ecclesiæ, hic suæ reformationi restiterunt, cum tamen reformationem capitis importunè peterent. Quia ergo Romana ecclesia in capite & in membris suis se cum ratione temperare studuit, justum est ut subditæ ecclesiæ eidem suoque regimini rationabiliter obtemperare & subesse debeant, juxta verbum Senecæ, Multos reges; si ratio te rexerit.

DE REFORMATIONE PRÆLATORUM.

TErtia consideratio erit de reformatione ecclesiæ circa partes ejus principales, videlicet, majores prælatos. Unde providendum erit quòd tales eligantur, qui non sint juvenes indiscreti, aut immorigerati, aut carnales, spiritualium ignari, sed graves ætate & moribus, eminentes spirituali scientia & doctrina, qui in suis rebus non sint strenui, & in ecclesiasticis remissi, nec propria magis quàm communia jura procurent, qui angarias & impositiones vel hujusmodi gravamina subjectis non imponant, qui per singulos annos parochias suas cum fructuoso affectu visitent, qui potentes & tyrannos populi oppressores arguant & corripiant, qui divinis scripturis studeant, & non scientiis practicis & litigiosis totaliter inhæreant, qui verbis aut ludis joculatorum & mimorum, aut publicis spectaculis vel superfluis conviviis non delectentur, sed moderato habitu & temperato victu contenti etiam in mensa lectioni divinarum scripturarum intendant, & ut brevius dicam, in omnibus tales sint, ut cæteris sint fidelibus in exemplum, sicut & esse tenentur, cum illis in officio succedant, quibus à Christo dictum est: Vos estis lux mundi, & vos estis sal terræ, &c. & multa similia. Item ut tales ad prælaturas assumerentur, & non indigni & insufficientes, providendum esset, quòd electiones prælatorum non faciliter aut leviter, sed cum diligenti & gravi examinatione confirmarentur, etiamsi nullus se opponeret; quia non sufficit bono patrifamilias constituenti custodem thesauri sui, quod nihil mali sibi de illo opponatur, nisi etiam ipse aliis tacentibus de ejus idoneitate diligenter inquirat. Item quia stultum esset, patremfamilias thesaurarium facere sine thesauro, sic similiter facere Episcopum sine subjecto populo, sicut sæpe fecit Romana abusio in contemptum status episcopalis, de quibusdam solùm titulatis Episcopis mendicantibus & gyrovagis. Item quia mali prælati rarò de suis excessibus corriguntur, quia non citò etiam contra notoriè malos profertur sententia, sed per multos annos differtur, & sæpe ejus punitio totaliter negligitur, idcirco absque timore mala perpetrant, & plerique eorum, suspensionis, excommunicationis, irregularitatis, ac alias juris pœnas contemnunt. Ideo providendum erit, quòd circa talia visitatio & inquisitio fiat, ut talium vita & fama in provincialibus conciliis, vel si opus sit quandoque in generali Concilio summo pontifici referantur, & ad eorū depositionem seu aliam condignam correctionem procedatur. Et licèt hodie Concilium non deponat vel restituat Episcopos, sed solus Papa, ut 2. quæst. 6. Ideo sicut notat gloss. 11, quæst. 3. c. Episcopus, super verbo synodo: tamen fortè nunc expediret ad antiquum morem illius capituli reverti, ut à generali synodo damnarentur vel absolverentur Episcopi, vel saltem quòd hoc fieret in præsentia synodi, ut sic magis cessarent inordinatæ affectiones quæ solent in talibus justam sententiam impedire. Item si non placeret servare illum antiquum rigorem Carthaginensis Concilii quarti, ut Episcopus vilem suppellectilem, & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem fide & opere & vitæ meritis quærat, saltem placeat moderari quòd excessiva pompa prælatorum, in vestibus, ornamentis, familiaribus equis, conviviis & ferculis ad congruam temperantiam restringantur, & quòd expensæ in talibus superfluæ (sicut fieri debet) pauperum necessitatibus applicentur. Item tollatur monstruosus ille abusus, quo quidam prælatorum armis spiritualibus depositis, arma corporalia assumunt in campis, sicut principes seculares, & sæpe cum oppressione pauperum, & crudeli effusione sanguinis, cum tamen David ab ædificatione templi, quia vir sanguinum erat, prohibitus sit. Item si non placet servare illum juris rigorem, quòd non liceat Episcopis à sua ecclesia plus tribus hebdomadis abesse, saltem provideatur quòd sine speciali licentia & rationabili causa diu ecclesias suas in præjudicium animarum non deserant, sicut hodie multi prælati faciunt. Item quod monstruosius est, religiosi & monachi, qui plus sunt officiales fisci quàm Christi, in curiis principum & cathedris judiciorum, & cameris computorum & aliis actibus secularibus militantes contra statuta Canonum, ut 11. quæst. 1. Cum te quidem, cum suis similibus. Item providendum erit, quòd prælati in suis synodis, & eorum officiales in suis curiis, non ad repletionem bursarum intendant, sed ad correctionem vitiorum, emendationem morum & ædificationē animarum,

[Margin notes: Quales prælati sunt eligendi. — De Pompa prælatorum.]

animarum. Et quòd exactiones pro sigillis & literis moderentur, & pœnæ pecuniariæ vel tollantur vel temperentur, aut in totum vel partem ad pios usus notoriè applicentur, & quòd pœna excommunicationis non leviter (ut suprà tactum est) feratur. Et quòd litium prolixitates quæ pauperes spoliant, & multos de suæ justitiæ prosequutione desperare faciunt, modis congruis rescindantur. Et quorundam advocatorum & procuratorum insolentia intolerabilis reprimatur. Item si, obstante consuetudine, non placet servare illam rigorosam regulam contra simoniam jure humano impositam, ut nihil pro ordinatione aut pallio detur aut accipiatur, ut habetur c. 5. epistolæ tertiæ Gregorii Papæ, & multæ aliæ quæ scribuntur in antiquis juribus, saltem super his esset aliqua moderatio adhibenda, & pro conscientiarum sedatione etiam multitudini errantium piè condescendendo aliqua declaratio facienda, juxta illud Nicolai papæ, qui præsidens in synodo Constantinopolitana, dixit, Quia ergo usque adeo verenda simoniaca pernicies hactenus inolevit, ut vix aliqua ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliquâ ex parte corrupta, & tanta talium multitudo est, ut dum rigorem Canonici juris super eos servare non possumus, necesse sit ut despensatoriè ad piæ condescensionis studium animos nostros ad præsens inclinemus, à simoniacis consecratos in acceptis ordinibus manere permittentes. Hoc enim temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit, &c. Similiter eadem vel majori ratione permissio & condescensio facienda esset super pluribus aliis juribus & constitutionibus, quæ communiter in scandalum plurimorum non servantur. Ut verbi gratiâ, Quòd nihil omnino liceat accipere in distributione graduum, ordinum administratione vel sacramentorum, vel sepulturarum, aut hujusmodi spiritualium vel spiritualibus annexorum. Quòd non liceat quemcunque episcopum vel clericum die Dominico absentem esse servitiorum solenniis, quòd clerici ad matutinum & vespertinum officia venire teneantur, quòd non liceat clericis ante tertiam horam prandere, quòd nullus sacerdotum à quinquagesima usque ad pascha carnes comedat, quòd sacerdotes Adventum jejunent; Et sic de multis aliis similibus, de quibus videretur expediens declarare quòd non essent præcepta, sed consilia. Et similiter de observantia jejunii quadragesimalis, quantum ad quasdam personas, & quoad quasdam circumstantias esset moderatio adhibenda. Item quia prælatis de divino cultu specialis cura esse debet, circa hujusmodi reformationem quæ necessaria est, providendum esset, quòd in divino servitio non tam onerosa prolixitas, quàm devota & integra brevitas servaretur, quòd in ecclesiis non tam magna imaginum & picturarum varietas multiplicaretur, quòd non tot nova festa solennizarentur, quòd non tot novæ ecclesiæ ædificarentur, quòd non tot novi sancti canonizarentur, quòd præterquam diebus Dominicis, & in majoribus festis ab ecclesia institutis liceret operari post auditum officium, cum quia in festis sæpe magis multiplicantur peccata, in tabernis, in choræis & aliis lasciviis, quas docet otiositas: Tum quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad vitæ necessaria procuranda: Quòd in hujusmodi festis scripturæ apocryphæ, aut hymni novi, vel orationes, seu aliæ voluntariæ novitates non legerentur, omissis antiquis & authenticis & jam in ecclesia consuetis. Et quòd generaliter omnis novitas & varietas, ac usuum diversitas in horis ac aliis divinis servitiis (quantum fieri posset) vitaretur, juxta Decretum Toletani Concilii 11. de quo. 12. dist. c. De his. * & multa alia utilia essent per prælatorum diligentiam providenda, quæ per singula discutere longum esset.

[Margin notes: Jejunia. — Prolixitas sacrorum. Picturæ templorum. Nova festa. Nova templa. Novi sancti. In festis sanctorum post rem divinam redeundum ad labores. Ineptiæ recentiorum non legendæ in templis.]

DE REFORMATIONE RELIGIONUM & religiosorum.

[Margin notes: De Monachis — Cardinalis & Wicleffus idem omnino sentiunt. — * ut. Spec.]

QUarta consideratio erit de his, quæ reformanda essent circa statum religiosorum. Et primò videtur, quòd tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam observationum, & sæpe ad singularitatem & ad superbiam & vanam extollentiam unius status super alium. Et maximè videtur necessarium, quòd diminuerentur religiones ordinum mendicantium, quia tot sunt & in numero conventuum, & in numero suppositorum, ut eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leprosoriis & hospitalibus, ac aliis verè pauperibus & miserabilibus indigentibus, quibus convenit jus & verus titulus mendicandi, ipsis quoque curatis parochialibus, & si bene consideretur etiam præjudicialis omnibus ecclesiæ statibus, & specialiter hujusmodi religiosis intolerabilis, & * eorum professioni contrarius, & maximè in multiplicatione magistrorum bullatorum, & sæpe indignorum, ipsis religionibus onerosorum. De qua materia & eorum variis excessibus pauca loquor, quia sunt plures doctores, qui de hoc abunde scripserunt.

ſcripſerunt. Item providendum eſſet ſuper correctione Quæſtuariorum prædicantium ſive religioſorum ſive ſecularium, quoniam ſuis mendaciis & immunditiis maculant eccleſiam, & eam ridiculam reddunt, & officium prædicationis maximè honorandum jam contemptibile efficiunt. Unde prædicatio, quæ propter ſui reverentiam ad prælatos pertinet, non eſſet tot & talibus vilibus Quæſtuariis & mendicantibus permittenda. Item cum in Chalcedonenſi Concilio ſtatutum ſit, ut habetur 16. quæſt. 1. Qui verè. quòd monachi tantummodo intenti ſint jejuniis & orationi in locis ubi rehunciaverunt ſeculo remanentes, nec eccleſiaſticis nec ſecularibus negotiis propria monaſteria deſerendo inſiſtant, providendum eſſet, quòd nec etiam occaſione ſtudii clauſtra relinquerent, vel ſaltem moderandum, quòd ſolum ratione ſtudii Theologiæ; cum nimis multi ſeculares hodie ſtudeant in litium facultate, ipſa quoque Theologia in ſtatu ſecularium paucos habeat ſectatores propter abuſum Romanæ curiæ, quæ Theologos contempſit, & in omni eccleſiaſtico gradu lucrativarum ſcientiarum ſtudioſos præpoſuit, cum tamen primitivi Theologi eccleſiam ædificaverint, quam aliqui barritatores deſtruxerunt, & nunc eam quaſi ad extremam ruinam deducere videntur, adeo ut jam horrendum quorundam proverbium ſit, Ad hunc ſtatum veniſſe eccleſiam, ut non ſit digna regi, niſi per reprobos. Item nunc maximè opus eſſet ad obviandum inſultibus infidelium, quòd reformarentur religiones militares, & ad ſervandam fidem, mores & patrum regulas, & ad priores inſtitutiones cogerentur. Item circa clauſtra monialium quæ jam, proh dolor! ultra quàm dicere audeam, dehoneſtatæ ſunt, eſſet correctio adhibenda. Et inter alias proviſiones hoc videretur expediens, quòd nulla religio mulierum ſuſtineretur, niſi tales haberent redditus unde poſſent ſufficienter ſuſtentari in ſuis domibus recluſæ, ſine mendicitate & diſcurſu, & quod de eorum eccleſiis ſeu quorumcunque aliorum religioſorum monaſteriis, vel prioratibus, vel domibus, vel ſpiritualiter in moribus deſtructis, vel in rebus temporaliter deſolatis fieret applicatio ad alia clauſtra, in quibus religio ſervaretur, ut per talem religioſarum domorum unionem ſuperflua numeroſitas religionum reſtringeretur, & reſidua paucitas bonorum & devotorum commodius ſuſtentaretur. Item in monaſteriis eſſet inviolabiliter obſervandum, quòd nullus niſi infirmus, aut debilis, aut hoſpes, comederet extra refectorium, quia experientia docet, quòd ubi hoc ſervaretur, aliæ religionis obſervantiæ tenerentur facilius. Item pro * ſerenandis conſcientiis devotorum religioſorum, ſummo opere cavendum eſt eis, ne à principibus aut aliis, redditus ſuos aut alia ad ipſorum ſuſtentationem pertinentia, procurent ex injuſtis exactionibus, aut quomodolibet illicitè acquiſitis. Ne etiam jura prælatorum, eccleſiarum & ſacerdotum parochialium indebitè occupent, ſive in decimis ſive in aliis proventibus eccleſiaſticis, Ne etiam in præjudicium Ordinariorum ab eorum ſubjectione juri divino conſona, & in Chalcedonenſi Concilio ſanctorum patrum decreto firmata, ut patet 16. quæſt. 1. c. Qui vere; per opportunam humanorum privilegiorum impetrationem & violentam exemptionem damnabiliter ſe ſubducant. Nam ſecundum aliquos, non eſt mediocriter dubitandum, an tales ſint in ſtatu ſalvandorum, ut patet ex deductione Cantoris Pariſienſis in verbo abbreviato, capitulo 37. Item in quibuſdam religionibus devotis, quæ regulæ beati Benedicti rigorem ſuperaddunt in prolixitate vigiliarum & orationum, & auſteritate jejuniorum & abſtinentiarum, & aliis variis obſervantiis afflictivis, videretur providendum de indiſcreta moderatione, & maximè circa infirmos, ut ſalva Chriſti lege nihil eis quod diſcreti medici conſuluerint negetur, ſive in eſu carnium, ſive in aliis quibuſcunque commoditatibus humanæ fragilitati, & naturali indigentiæ opportunis. Alioquin non dixiſſet Chriſtus, Non eſt opus ſanis medico, ſi non conceſſiſſet opus eſſe infirmis medicorum conſilio.

Quæſtores qui reliquias ſanctorum circumferunt.

Antiqui Theologi religionem plantarunt; hodierni juriſtæ deſtruunt.

Religiones militares.

Moniales.

* In Spec. Eccleſ. Pont. ſervandis.

DE REFORMATIONE CÆTERORUM Eccleſiaſticorum.

Quinta conſideratio erit de his, quæ reformanda ſunt circa ſtatum inferiorũ eccleſiarum & eccleſiaſticorum virorum. Et primò generaliter eſt providendum, quòd in eccleſiaſticis beneficiis juxta eorum eminentias ponantur perſonæ bene meritæ, & non præferantur fatui & ignari ſcientificis & ſapientibus, nec juvenes ſenibus, nec illis de una patria quorum vita & converſatio nota eſt & probata, aliqui extranei & alieni in moribus, linguis & conſuetudinibus, Nec potentes aut nobiles pueri clericis probatis & famoſis doctrina atque moribus, Nec advocati aut intenti ſcientiis lucrativis, vel curiales, aut dominorum temporalium ſervitores, ſacræ

scripturæ doctoribus, sicut à multis jam retroactis temporibus Romana curia facere consuevit. Et ideo erit expediens, quòd ordinarii, qui in suis locis habere possunt & debent bene meritarum notitiam personarum, juxta earum merita, beneficia conferant, vel saltem quòd eorum collatio non omnino tollatur, ita tamen quòd, ut obvietur eorum abusibus, potestas ordinaria limitetur; Ut verbi gratiâ, Quod non possint dignitates & beneficia majora conferre, nisi doctoribus in Theologia, vel in jure, quandocunque in suis vel propinquis dioecesibus erunt aliqui hujusmodi: quod non possint etiam nisi graduatis vel nobilibus, vel aliàs bene meritis conferre curas, personatus vel alia beneficia valoris centum librarum vel ultrà in portatis. Et ita de multis similibus provisionibus, per quas & digni promoverentur, & multi nobiles & alii ingeniosi ad studium literarum provocarentur, & Universitates studiorum florerent, & (quod valdè optandum est) importunæ & violentæ preces dominorum temporalium pro indignis cessarent, quæ hodie quàm periculosè fiant, docet experientia. Hæc autem quæ de graduatis dicta sunt, per modum exempli ponuntur, quæ etiam moderari possunt & alia addi, ad provisionem aliorum sufficientium, licèt non graduatorum.

Academiarum reformatio. Item providendum esset, quòd Universitates studiorum reformarentur, & per prælatos scientificos visitarentur, ut gradus distribuerentur dignis sine favore aut acceptatione personarum, & cum rigore examinis in scientia & moribus; & doctrinæ utiles, resecatis superfluis aut minus utilibus, legerentur; ut instructores Rhetoricæ & linguarum Græcæ & Latinæ, quarum ignorantia multipliciter damnosa est, haberentur. *Attende de lingua Græca.* Et ut aliis studiosis actibus reipublicæ tam spirituali quàm temporali utilibus juvenum ingenia exercerentur. Item adhibenda esset correctio circa mores ecclesiasticorum, qui jam nimis (proh dolor) sunt corrupti ira, gula, luxuria, pompa, prodigalitate, otio & aliis generibus, quod cedit in grave laicorum scandalum. Et maximè obviandum esset illi scandalosissimæ consuetudini seu potius corruptelæ, qua plures hodie non verentur tenere etiam publicè concubinas. Et quia adversus eos pœnæ juris, suspensionis, excommunicationis, irregularitatis non proficiunt, contra tales in hac vel aliis inhonestatibus publicis incorrigibiles, haberet locum pœna depositionis ob officio vel beneficio.

Item quia Archidiaconi ab ecclesia instituti sunt ut serviant Episcopis, ut habetur originaliter Actuum sexto, & specialius declarantur eorum officia, decimatertia distinct. quasi per totum. Ideo providendum erit, ut debita officia exerceant, vel cum sint ecclesiæ onerosi, penitus extirpentur, sicut supra de Corepiscopis, dictum est. *Hieronymus.* Item quia dicit Hieronymus: Pauci sacerdotes, multi sacerdotes: pauci merito, multi numero. Ideo contra hanc scandalosam multitudinem esset summo opere obviandum, per hoc quòd non promoverentur nisi digni & bene morigerati, habentes scientiam ligandi & solvendi, & intelligentiam divini servitii. Item ad obviandum ignorantiæ sacerdotum jam promotorum, in ecclesiis Cathedralibus & notabilibus collegiatis essent scribendi aliqui breves tractatus, & etiam in synodis publicandi tam in Latino quàm in vulgari super instructione necessaria de virtutibus & vitiis, de articulis fidei, de sacramentis, de modo confessionis & hujusmodi. Similiter in hujusmodi ecclesiis deberet esse aliquis lector Theologiæ, qui legeret secundum & tertium & quartum sententiarum, vel recipiendo utiliores materias dictorum librorum, eas sub brevitate applicaret ad expositionem & intelligentiam epistolarum & Evangeliorum, quæ in ecclesia per anni circulum recitantur. *Bibliothecæ ecclesiarum. Liber Conciliorum generalium perutilis & necessarius.* Similiter in dictis ecclesiis, & maximè in Metropolitanis deberent esse notabiles librariæ Theologicæ, & juris canonici, ac librorum moralium, & maximè quòd magnus liber Conciliorum generalium, qui modò rarus est, licèt sit perutilis & necessarius, à Metropolitanis in magnis ecclesiis reponeretur. Item quia correctio subjectorum sæpe per eorum appellationes impeditur, & datur peccandi audacia, etiam circa eas adhibenda moderatio est, ne in earum nimis facili receptione & admissione inferiores prælati à Metropolitanis vel Romana curia in ordinaria exequutione justitiæ gravarentur, sicut jamdudum beatus Bernardus conquerebatur in libro de consideratione ad Eugenium Papam. *Bernardus.* Qui liber in hoc & aliis multis pro reformatione ecclesiæ non mediocriter utilis est, & plures ejus libri & epistolæ.

De

De Reformatione Laicorum & Principum.

SExta & ultima consideratio erit de reformandis circa statum laicorum Christianorum, & maximè Principum, à quorum moribus dependet morigeratio populorum. Quia ut dicit poeta: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Et iterum: Claudianus. Mobile mutatur semper cum principe vulgus. Et ideo provideant principes Christiani, ut titulum suæ Christianitatis quem verbo confitentur, opere non negent, contra Christi doctrinam, & per vias ei contrarias in conspectu sui populi corruptis moribus incedentes, suis malis exemplis mores subditorum corrumpant Item quòd liberos suos in bonis operibus ac moribus, & in literarum scientiis informari faciant. Item ut non solùm à se, sed à suis familiaribus & domesticis, superfluam & superbam vanitatem, avaritiam & tyrannidem abjiciant. Item quòd populum ipsis subjectum bonis moribus ædificare studeant, eos à luxuria, avaritia, otio & à cunctis vitiis reipublicæ contrariis retrahant, & specialiter à Dei & sanctorum blasphemia, quæ sæpe in juramentis & perjuriis committitur, arceant. Item quòd malas consuetudines juri divino & humnno contrarias in suis subjectis per consilium Theologorum & aliorum prudentum repellant. Item quòd artes magicas & alias superstitiones divina lege damnatas, & omnes errores & hæreses fidei contrarias diligentius evellant & destruant. Item quòd ad fidei exaltationem, divini cultûs honorem, ecclesiæ reformationẽ, invigilent ad ea quæ suprà & infrà pro hujusmodi reformatione notata sunt, & alia quæcunq; utilia diligenter laborent. Item quòd zelo justitiæ contra persecutores & oppressores ecclesiæ, pauperum & debilium excandescant, & eorum injurias propulsare non tardent. Vicinis quoq; & peregrinis fidem catholicæ fraternitatis observent. Item contra Saracenos & alios fidei adversarios potenter insurgant, & nunc dum maximè opus est post purgatam & reformatam ecclesiam, infideliũ insultibus viriliter se opponant, ac propter hoc guerras & bella quæ jam, proh dolor! & in imperio & in regnis Christianis in contumeliam Christiani nominis crudeliter sæviunt, misericorditer compescant, & ad Christianam pacem & unionem reducant. Alioqui infallibiliter verificabitur verbum Christi, Omne regnum in se divisum, desolabitur. Item quòd Judæis propter vilẽ quæstum turpiter non faveant, eos videlicet inter subjectos suos morari permittendo, nisi vel Christianis serviendo, agros colendo, vel aliàs mechanicè laborando, & non usuras damnabiles in damnum Christianorum exercendo. Item quòd Judæorum conversorum bona non rapiant, sed ad vitæ necessitatẽ eis possidere permittant, ne egestate compulsi apostatent, & Christianos impietatis arguant. Itẽ multa alia essent per principes cum generali Concilio ecclesiæ contra statum Christiani populi reformanda, quæ si impediant, imò si ea diligenter non promoveant, timendum est eis ne contra ipsos manus domini (prout jam incepit) gladium sui furoris exerceat. Item propter præmissa expedit, quòd Reges & Principes mittantur ad generalia Concilia, non ad onerandum & confundendum, sed ad honorandum & confortandum ecclesiam, & ad ea quæ ibi decreta fuerint (quantum in eis est) exequendum. Item, quia juxta evangelicam sententiam quam etiam experientia rerum magistra docet, inter reges gentium & principes seculi sæpe fit contentio, quis eorum videatur esse major, quam contentionem Christus inter discipulos suos vitari docuit, Ideo non videtur expediens quòd de cætero in generalibus Conciliis pro deliberando ad partem super rebus gerendis fiat divisio per nationes vel regna, quia talis modus dividendi magis est secularis quàm ecclesiasticus, & ad contentiones de majoritate vel superioritate dispositivus. Sed juxta ecclesiasticas sanctiones & sanctorum patrum observantias, magis videtur esse procedendum per provincias ecclesiastico more distinctas. Tamen quia hujusmodi provinciæ valdè inæqualiter sunt divisæ in diversis mundi regionibus, ideo expediens videretur hanc moderationem observari, quòd ad constituendam provinciam in Concilio generali non sufficeret minor numerus quàm duodecim nobilium personarum, quarum sex ad minus essent prælati vel ambasiatores regum, principum, vel universitatum generalium studiorum, aut doctores in Theologia vel in jure, & illorum sex ad minus duo essent episcopi, non titulares aut girovagi, alii verò sex sint in minoribus dignitatibus ecclesiasticis constituti, vel in aliqua facultate graduati. Quando verò in aliqua provincia non esset talis numerus aut talium personarum, quòd suppleretur de aliis vicinis provinciis, & constitueretur una ex pluribus, quæ denominaretur ab illa, cujus ibi essent plura aut notabiliora supposita. Et quòd hujusmodi personarum electio fieret in Conciliis provincialibus, generale Concilium præcedentibus: Et ibidem ordinaretur de stipendiis, expensis & sumptibus eorundem per modum subsidii charitativi ecclesiastico more, & non seculari authoritate vel potestate imponendi & exequendi. Item, quia ecclesia non potest principes ad prædicta reformanda temporaliter cogere, expediens erit quòd per generale Concilium ipsos ad ea monitis salutaribus exhortetur, ut sic faciendo quod in se est, apud summum judicem excusetur.

Judæi non tolerandi.

De Judeis non spoliandis, si ad nos transeant.

setur. Nec solùm opus erit exhortatoriis verbis, sed etiam bonorum morum & in melius reformatorum actuum exemplis, quia plus movent exempla quàm verba; ideo cœpit Jesus facere & docere. Unde nihil est, quod tam efficaciter possit, sive ad bonum, sive ad malum principes & alios laicos inducere, sicut facta exemplaria ecclesiasticorum. Ideo super illud Matthæi 21. & intravit Jesus in templum, &c. dicit Chrysostomus, Sicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit. Si enim sacerdotium integrum fuerit, tota ecclesia floret; Si autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida est. Sicut cum vides arborem pallentibus foliis, intelligas quod vitium habet in radice; sic cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce quòd sacerdotium non est sanum. Et inde patet, quòd necessaria sit ecclesiasticorum reformatio, cum morum suorum deformatio tam periculosa sit, & cunctis fidelibus populis tam damnosa. Avertat autem misericors dominus ab ecclesia sua hanc contumeliam, ut omnes prælati, sacerdotes, aut alii ecclesiastici hujus lamentabilis deformationis reperiantur culpabiles. Sed sicut olim ipse sibi in Israel septem millia virorum reservavit, quorum genua non sunt curvata ante Baal, sicut legitur tertii Reg. 19. c. Sic hodie in omni statu ecclesiæ aliquos reservasse credendus est, qui zelo Christianæ legis accensi, deformatos mores in melius reformabunt, & suis salutaribus verbis & exemplis alios informabunt. Quod ipse præstare dignetur, qui ecclesiam suam pretioso filii sui sanguine redimere dignatus est.

Quanta bona & mala de templo Domini sancto prodeant.

3 Regum 19.

Amen.

¶ Libelli de Reformatione Ecclesiæ, quem dominus Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, patribus in Concilio Constantiensi congregatis obtulit. M. CCCC. XV. ipso die Calendarum Novembr. Finis.

O. G. AD LECTOREM.

QUisquis omnia, nostris hisce temporibus, ritè atque exactè satis pensitaverit, quæ & à patribus nostris, & à nobis etiam ipsis, per annos aliquot in hunc usq; diem & acta sint & agantur, pro reformãdis moribus & delendis ecclesiæ abusibus, generali opus esse Concilio nunquam diffitebitur. Quis enim tam cæcus, qui hoc non videat? quis tam amens aut tam mentis inops, qui idipsum non decernat? quis tam perversus Christianæ reipub. hostis & perfrictæ frontis homo, qui illud hoc tempore non desideret, non expetat, non tandem ex animo velit? Nemo hercule nemo. Sunt tamen, qui nescio qua ducti ratione, contrarium sentiant, dicentes, omnia bene à patribus nostris ordinata ac constituta, modò ab omnibus legitimè ac fideliter servarentur. Fatemur equidem idipsum esse verissimum. Attamen, quum eorum ferme omnium servetur nihil, quod in Conciliis generalibus per sanctos ecclesiæ proceres est sancitum, quumque & infiniti abusus, schismata quoque & hæreses per totum nunc Christianum orbem invalescant, ecclesiam Dei legitima indigere reformatione, nemini non apertum erit. Aperi itaque mentis tuæ oculos & vide, quid in sacrosancta universali Constantiensi synodo sit decretum, ut vel dicto citius obmutescas, vel prudentius posthac saniusque loquare. Fatetur enim tertia sessio concilii Basilien. sacrum olim Constan. Concilium futuris ecclesiæ necessitatibus providere volens, matura deliberatione statuisse & decrevisse, ut post finem ejusdem concilii in quinquennium, deinceps in ☞ septennium, & futuris postea temporibus, de decennio in decennium generale Concilium perpetuò celebraretur; id quod etiam Martinus Papa V. omnium nationum atque ecclesiæ procerum consensu confirmavit. Præterea si XII. ejusdem Concilii sessionem perlustraveris, invenies dubio procul, quod non parum ad rem ipsam conducat. Quapropter si Concilia generalia Spiritu Sancto aguntur, noli, quæso, huic male loquendo reniti, ne peccatum incidas irremissibile. Nam universalis synodus non expetitur, ut novam nobis fidem constituat, sed ut abusus nefarios, schismata quoque & hæreses, tum etiam & ipsa gravamina, quibus totus nunc premitur orbis, è medio tollat, quo sic tandem, Christo auspice, fœliciter hic in pace vivamus & post hoc exilium, vitam consequamur æternam. Itẽque ne mihi objicias velim, Christianum orbem tantas & tam frequentes impensas (nam stultum hoc esset elogium tuum) ferre non posse. Novit enim Concilium illud Constan. quibus modis & mediis tales illæ à nobis omnibus impensæ tolerari possint. Quod ni sese sic haberet, toto illius tu concilii cœtu prudentior (quod absit) videri posses. Postremò autem, si impensarum adhuc mole gravaris, & tantam te putas pecuniarum summam in eam rem minimè collecturum, considera, obsecro, quot millia ducatorum bello ac litibus, pro sua cujusque libidine, turpiter indies consumantur, Annatarumque taxam diligenter collige, collectamque fideliter conserva, & è pleno Copiæ cornu, providentia ipsa (quæ divitiarum est mater) cuncta tibi largiter administrabit. Jam ergo Concordiæ Comitem, de malis moribus reformandis (id quod in publicis ac sacris ecclesiæ comitiis peragi solet) coram Leone X. perorantem ausculta & vale fœliciter.

JOHAN-

JOHANNIS FRANCISCI PICI Mirandulæ Domini, & Concordiæ Comitis, Ad Leonem Pontificem maximum & Concilium Lateranen. de reformandis Moribus oratio.

Johannes Franciscus Picus, Mirandulæ Dominus, &c. Bilibaldo Pirckheimero suo salutem.

CUM ad * pontem Oeni, tu quidem Reipub. tuæ Legatus, ego verò ob propria negotia Cæsarem sequens, casu quodam convenissemus, coràm petisti, ut orationis ejus ad Leonem Pontificem Maximum & Concilium Lateranen. destinatam † te compotem facerem, & literis tuis, postquam in Italiam redii, id ipsum postulasti. Nunc eam tibi habere potes, quam tum non potuisti; neque enim fas erat, uti prior ullus eam haberet sibi, quàm is ad quem mittenda erat; sed miræ expectationis, aliquam Johanni tuo Cochlæi usuram, cum oratione ipsa Bononiam misi, Hymnis tribus comprehensam Martino, Magdalenæ, Antonio; qui postquam ex Germania in Italiam, indeque in patriam ditionem perveni, præter quinque alios, diversis in locis olim formis stanneis excusos, editi sunt. Cæterùm si me amaveris, ad communem amicum Johannem Reuchlin alligatam epistolam curabis perferendam, & interim bene vale nostri memor. Mirandulæ Calend. Aprilis. Anno Salutis, M. D. XVII.

* Inspruch.

† Ita est in exemplari etiam operum J. Fr. Pici Basileæ edito 1601. in lib. 4. epist. in fine vol. 2. Sicut & in Speculo Ecclesiæ Pontificiæ à Bulkleo edito Lond. 1606. viderint Grammatici.

AD LEONEM DECIMUM PONTIFICEM Maximum & Concilium Lateranen. Johannis Francisci Pici, Mirandulæ Domini, de Reformandis Moribus oratio.

SI quis fortasse cuperet in sacratissimo N. Christianæ Reipub. conventu atque consessu de ferendis legibus ad frænandam malorum hominum audaciam ut verba fierent, ipse secum cogitet prius, quo pacto sit opus eos plecti, qui eas quæ à majoribus nostris ritè positæ, maximoque habitæ in pretio sunt, & habuere contemptui & nunc maximè habeant. Nec dubitabit de moribus hominum qui tam diu collapsi jacent, instaurandis, & ad normam positarum jam legum redigendis orationem ante omnia haberi oportere. Nam tametsi non duxerim in controversiam referri debere ad sacrosanctam istam Synodum de legibus quibusdam ferendis, præstare tamen existimo, ut à principibus viris, ut à Cardinibus ipsis, quibus tota nostræ Christianæ Reipublicæ moles, verti regique convenit, sanctissima antiquorum Decreta patrum, & honestissima instituta custodiantur. Quod si fiat, populi facilè Antistites ipsos tanquam animatas & vivas leges sequentur, atque ad normam pietatis & veræ disciplinæ revocabuntur. Nova consulta atque decreta neutiquam aspernor, sed veterum custodiam sanctionum in primis duco necessariam, ad ea quæ jam prolapsa defluxerunt piis primùm instauranda moribus, severis deinde legibus vincienda, adeo ut censoribus, ut vindicibus legum ipsarum atque assertoribus magis quàm legislatoribus opus esse non negem. Et quanquam hac de re disserendi majus esse onus, quàm ut ferre facilè queam non sum nescius: Nam valentioribus egeret humeris, & vires robustiores exposceret; tamen quod suapte natura pertinet ad omnes, id à me alienum esse non cogito. Quod si ad hanc diem in tanta eruditissimorum hominum turba vel unum quempiam conspexissem, qui hoc idem exactè sibi adscivisset, mihi omnino cessandum putassem. Sed quum de statuendis legibus sæpenumero sermonem habitum norim, de legum custodia, vel nullum, vel tenuem, ut sunt hominum varia judicia variis rerum occasionibus mota: Non abs re mihi visum est fore, si quæpiam afferrem, ut facilius ad memoriam revocarentur sanctissima priorum instituta, quibus observatis, nostra Christiana respublica & aucta est semper & conservata: posthabitis verò atque contemptis, innumerabiles jacturas fecit, & nisi esset servata divinitus, eò miseriæ & calamitatis prolapsa fuisset, ut frustra nunc, Pater sanctissime Leo Decime, & vos

De veteribus & novis statutis.

vos ecclesiæ Cardines & Antistites Conventum haberetis, ut in meliorem statum redigi quiret: optabam certè ut ex doctissimorum hominum numero aliquis hanc sibi provinciam desumpsisset, ut majorem authoritatem & potestatem in audientium animis habitura esset oratio, sed nuda fortasse veritas, puraq; simplicitas viribus non carebit. De luxu, de libidine, de avaritia vitanda positas esse leges ab antiquis patribus, nemo est qui nesciat. De pietate, de justitia, cæterisq; virtutibus traditas esse normas, vel ineruditi novere, eas partim negligi partim jacere plus etiam quàm volumus, experimur. Multi nostræ Principes reipublicæ priscam simplicitatem in astutiam, castitatem in nequitiam, liberalitatem & parsimoniam in luxum & avaritiam convertêre. Apud plerosque religionis nostræ primores, ☞ ad quorum exemplum componi atque formari plebs ignara debuisset, aut nullus, aut certe exiguus Dei cultus, nulla bene vivendi ratio atque institutio, nullus pudor, nulla modestia: justitia, vel in odium, vel in gratiam declinavit, pietas in superstitionem penè procubuit, palamque omnibus in hominum ordinibus peccatur, sic, ut sæpenumero virtus probis viris vitio vertatur, vitia loco virtutum honorari soleant, ab his qui suorum criminum quasi septa, & tanquam mœnia, & inauditam petulantiam & diuturnitatem impunitatem esse putaverunt. Hi tibi morbi, hæc tibi vulnera sananda sunt, Maxime Pontifex; alioqui si mederi (quoniam id ad te multis de causis potissimum spectat) recusaveris, vereor ne non fomentis jam, sed igne ferroque is cujus vices geris in terris, membra ipsa affecta dissecet atque disperdat, signa jam dedisse illum ejus futuræ medicinæ planè crediderim. An puellæ Deo dicatæ in Brixiana direptione à religiosissimis abstractæ templis cesserunt militibus loco prædæ? An in Ravennati excidio sacerdotes trucidati? An in Pratensi clade sanctimoniâ olim celebratæ virgines prostitutæ? Quid aliud pater sanctissime? Quidnam aliud nobis ☞ intelligi dedere, quàm sacras ædes & templa Lenonibus & Catamitis antea commissa, quàm nefariis lupis optimi pastoris ovilia demandata, quàm virginibus olim dicata plerisque in urbibus septa in meretricios fornices & obscœna latibula fuisse conversa? Sed initia illa malorum & prægustationes, vereor, propinandæ nobis à perfidis nostræ religionis desertoribus potionis amaræ & luctuosæ, ni bonis eam moribus avertamus, ni precibus & supplicationibus, non ex summis labris, sed intimis ex animi penetralibus iratum placemus Deum, cujus ad hæc monita & tanquam cœlestia tonitrua non aures modò * arrigere visi simus ut resipiscamus, sed deprimere, visi tanquam Æthiopes ad prolabentis nili strepitum obsurdescere, prava consuetudine affecti sic, ut audiamus suadentibus vitiis, obaudiamus monenti Deo Optimo Maximo, sapientissimo, qui se contemni amplius à nostro seculo nolle satis arbitror indicavit, signis atque portentis non parum multis, pestilentia, fame, cruentissimis paulo ante præliis. Quid enim aliud? aut si quid aliud, cur hoc tamen nostris insinuatum mentibus planè non rear? per tot cæsorum hominum millia, quorum cadaveribus & contecti sunt campi, & remorati fluviorum cursus, eorumq; cruore superum mare & inferum quasi quadam purpura infectum, nisi ut memoriam subeat innumera in nos collata beneficia nobis non debere esse ludibrio; scilicet Christus ille Servator humani generis tantum sanguinis effuderit, ut qui eo sanguine non redivivi solùm facti, sed ditati etiam sunt, delicientur in plumis? Quid plumarum feci mentionem, & scortorum præterii catervas & greges exoletorum? & coempta & divendita sacerdotia? Sperare poteram, Pater Sanctissime, postquam ad supremum sacerdotii culmen evectus es, non malis artibus, non pudendis, ut plerique olim pactionibus & mercimoniis, qui per summum dedecus summum decus appetivere; sed tua (ita mihi, ita non parum multis visum) gratissima humanitate fore aliquando, uti meliorem in statum reformaretur Christiana respub. sed nec omnino desperarim, si adniti volueris, & tuæ isti humanitati, lenitati, facilitati, aliquid supercilii, aliquid rigoris, nonnihil pœnarum admiscere. Danda est opera, Maxime Pontifex, ne quid detrimenti nostra respub. patiatur; bellum enim tibi cum multis; bellum, inquam, intestinum, periculosum, grave, quod avertendum est severitate disciplinæ. Luxum cohibe cujuscunque ordinis, modum pone ambitioni, compesce indomitos & * effrænatos libidinis obscœnæ furores, suspectis sacerdotum (quod & legibus ecclesiæ cautum est) contuberniis fræna constitue, aviditati & sceleratæ habendi cupiditati terminum præfige. Non concredita & commendata fidei sacerdotum, sed comesta veriùs ab illis & devorata piorum virorum patrimonia vindica, & effice ut in bonos dispertiantur usus, ne amplius ab impuris heluonibus, ab omnium scelerum gurgitibus absorbeantur. Qui auctionibus sacrorum pudendisque licitationibus invigilaverint, dent pœnas temerariæ mercaturæ. Qui non prospexerint commisso gregi, qui vanitati studuerint innumeræ, superstitionibus, comessationibus, pudendis exercitiis & familiaribus oblectati, vel corrigantur omnino, vel amoveantur à sacris, quandoquidem omnia fœdant exemplo, & pravæ consuetudine vitæ eos qui bene morati & egregiè instituti sunt, planè corrumpunt, ut hinc non plebis modò, sed omnis ordinis fiat lapsus in crimina. Nec sane mirum, quando malum omne prodire de templo

* Non. Spec.

* Principum, Cardinalium &c. una semper est querela (ut per varios hujus libri tractatus constat) de turpi sacerdotum vitâ: quasi res nemini non innotesceret--- pudeat hæc opprobria vobis-- sed unde hæc oriantur cæcus est qui non videt.

templo Johannes Chrysostomus censet, & Hieronymus scribit se invenisse neminem qui seduxerit populos præterquam sacerdotes, quos quidem si vel probè institueris, volentes, vel nolentes coercueris, universo Christiano orbi ad bene de omni reformatione sperandum quasi signum aliquod sustulisse videbere. Potes, summe Pontifex, nec in terris alius potest, & quum possis, debes, & cum debes, nisi volueris & curaveris ut fiat, quid sit periculi ex probatissimis eisdemque divinis exemplis animadverte. Succurrat, quæso, tibi vetustus ille sacerdos, in quem filiorum non vindicata scelera magna ex parte reciderunt: etenim qui præsunt aliis, non modò est opus ut sint innocentes ipsi, sed ut resistant nocentibus, eorumque mala facinora compescant, & tum quidem ex Lebete carnes tridenti fuscinulâ subtrahebantur ab illis, quod peccatum sacra Regum testatur historia nimis grande fuisse, quin homines à Dei sacrificio retraheret. Nunc autem malorum catervis exemplorum plebs ignara & à divino cultu & ab omni pietate deterretur. Illi cum mulieribus ea tempestate dormiebant ad ostium tabernaculi. Nostrâ verò & in sacras ædes fit irruptio, & ab illis etiam (proh pudor!) fœminæ abiguntur ad eorum libidines explendas, & meritorii pueri à parentibus commodantur, & condonantur his qui ab omni corporis etiam concessa voluptate sese immaculatos custodire deberent, hi postea ad sacerdotiorum gradus promoventur, ætatis flore transacto jam exoleti. Non igitur miremur si dejerant & falsò utrumque se nosse sacrarum literarum instrumentum profiteantur. Quoniam nec quid ejus nomen significet pernovere. 1 Sam 3 13.

Ac memini puerum quendam in episcopi locum ascitum, qui quoniam literas penitus ignorabat, per jocum dum rogaretur, an magnos fecisset progressus in disciplinis, respondisse ingenuè, nondum se didicisse exordium ejus orationis quam de more sacerdotes præfari solent divina facturi. Novi & qui annuas sacerdotii pecunias, commendatas eorum fidei, spurcissimis voluptatibus & impendant & impendisse glorientur. Hæc tu monstra, LEO Decime, tolerabis? hæc & videbis & patieris? patieris (inquam) ut ignari literarum, ut ad omnia magis apti quàm ad tractanda sacra, per ignominiam & contumeliam abutantur divinis, & opes ad templa vel tuenda vel instauranda paratas, ad sublevandā pauperum miseriā, à piis hominibus qui jam vitā sunt functi destinatas, in alienos & prophanos usus convertant? Scribit Hieronymus eos qui rebus ecclesiæ abutuntur, similes scribarū esse & pharisæorum, & sacerdotum Christi Servatoris sanguinē mendacio redimentium. Equidem nec Dionysii mysticam Theologiam, & divinorum dogmata nominum, neque subtilitates hypostaseon, notionum, originum & cæterarum disceptationum, quæ in Lutetia Parisiorum exagitatæ ad nos manarunt, ab omnibus exquiro sacerdotibus; si se tamen dederent sacris literis, & præcellentium nostræ religionis Antistitum doctrinis navarent operam, multa sanè commoda ad bene beateque vivendum consequi possent. Non eò solùm quòd multa discerent, & pro se magna & ipsis utilia, sed quoniam ejusmodi studiis præstaretur illis, uti facilius illecebris sensuum nuncium remitterent, cum honestissimo in officio occupati, tum ab ipsis studiis admoniti, ad meliorem vitam nos esse natos, & hanc quam vivimus plenam esse ignorationis tenebris, si sensum, si humana solùm placita sectari volumus, plenam ærumnarum, plenam calamitatum, si humanis fidem votis velimus, cujus etiam vitæ incōmodis & tanquam stimulis invitamur, ut ad eam quæ futura est libentius properemus. Quis (quæso) mente paulò vegetiore nō advertat, prima hac in vita magis ad dolorem homines, quàm ad voluptatem natos? Tanto enim spatio nunquam aut bibere, aut comedere, aut vacare proli qui squā potuit, quanto aut sitiunt febrientes, aut mendici & obsessi esuriunt, aut rei criminū torquentur. Id etiam emolumenti nancisci facilè possent, ut frænarent ambitionē malorum omnium matrē atq; nutricē, quandoquidē omnia quæ magna corporeis & humana tantùm intuentibus oculis apparent, exigua videntur spiritualibus oculis & æterna contēplantibus. Idque ipsū jure optimo; quandoquidem terræ moles collata cœlo, instar est puncti, raris habitata locis, sterili arena, noxiis serpentibus sitiq; deserta, vastis invia paludibus, altissimis intersecta montibus, profundissimis interpolata fluctibus. In hac exigua naturæ portione tumultuatur humanū genus, brevis & incertæ vitæ, etiā si diuturna, si longissima, si stabili nixa fundamento videatur. Quid enim diuturnū mortalibus si æternitati futuræ & immortalis vitæ ad ipsum conferatur? Quid certum & stabile in homine, in quo nutant omnia? in quo ut externas taceam & circumjacentes molestiarum moles, ipse conflictus pugnantium inter se qualitatum corporei temperamenti, bellum intestinum illi ipsi ciet identidem, & confecto bello minatur excidium. Adde tenebras quibus humana mens sibi relicta circumfunditur, unde & variarum opinionum prælia cooriuntur, & votorum sibi succedentium, subindeque fluctuantium æstus planè continui. Adde impetus hostiles, dolos, fraudes, injurias: Adde & superiorum mentium & insultus & æstus, ut verissimum sit illud elogium, Vita hominis militia super terram. Militia dubio procul, sed qua & victoriam & coronam & regnum, nobis in cœlo comparare possimus, ejusmodi, ut nec animo capere, nec concupiscere

Alludit c. ult. de ætat. & qual. ordi.

Nota.

Ambitio omnium malorum mater.

concupiſcere votis planè queamus, quando & animi & corporis fœlicitas quæ illic repoſita Dei amicis, ejuſque legis cuſtodibus poſt hujus vitæ curſum aſſervatur, omnino ſuperet captum humanæ mentis, nec niſi Deo docente hominibus pateſiat, nihilque omnino ſint, ſi ei conſerantur fœlicitati, quæ vanæ vetuſtatis illuſtratores Poetæ atque philoſophi commenti ſunt de fortunatis inſulis, de fluminibus Nectaris, de via lactea, de reditu ad compares ſtellas, & cæteris quæ ad veritatem hallucinantes ſuis lucubrationibus inſeruere. Hæc illi & ſimilia de ſacro literarum otio nanciſci facilè poſſent. Sed ea ab omnibus non extorqueo ſacerdotibus: at ne literas omnino ignorent, ne ſalis evanidi, ne lucis extinctæ notam gerant, & noſcant quæ ad eorum pertinent officium, hoc expoſco, hoc exigo, & ni præſtent planè deteſtor. In primis autem & vitæ innocentiam & morum diſciplinam, non exactiſſimam illam quidem & præcellentiſſimam, ſed mediocrem. Non peto ut inſtar Hieronymi ſaxo pectus identidem verberent, ſed nec ut meretricum pectora baccatis monilibus, nec crepidas Hydaſpeis gemmis exornent. Neque etiam poſtulaverim, ut Hilarionis inediæ aſſueſcant, ſed ne Sybaritarum cœnas aut æmulentur, aut ſuperent. Minus etiam efflagitaverim, ut in ſpinis & nive volutentur, more Franciſci & Benedicti: Sed quum mollem cygnorum plumam ingenti pecunia mercantur, aut redimendis captivis, aut virginibus nuptui tradendis jure optimo dedicata id planè damnaverim. Mediocritatem ſuadeo, præcellentiam illam virtutum, quam demirari facilius quàm imitari plurimi poſſunt, ſi ſequi etiam maluerint, & laudabo & prædicabo. Sed neque ita rem ad vivum reſeco, ut quum eos & largos & faciles eſſe ad tribuendum moneo, ita moneam, ut velim eos omnino imitari egregium illud Martini & celebratiſſimum facinus ſcindendæ veſtis, uti mendicus & frigore tremebundus pauper amiciretur. Verùm eos quibus abundant acervi pecuniarum, monitos velim Martini exemplo, nudis veſtes tribuendas, potius quàm coccineis atque purpureis pannis cooperienda jumenta. Neque item exigo in ſacrarum ſumptibus ædium cenſum ut omnem diſpertiant, æmulenturque aut Sybillina Cumis olim extructa delubra, aut Simandii & Artemiſiæ præruptas murorum moles & minas, aut Solomonia templa, aut etiam noſtræ tempeſtatis Julia ædificia. Sed libenter poſtulaverim, ne ſinant corruere quæ ab illis ſtructa ſunt templa, à quibus ipſi opes tantas nacti ſunt, ut multo auro dicantur Salmacidas noctes coemere. Poſtulaverim ne Sacella à priſcis olim frequentata patribus permittant hiſtricum latibula conſtitui, fœdeque adeo haberi & negligenter, ut ſit ſæpenumero videre ferarum luſtra equorumque præſepia & mundius & honeſtius aſſervari. Quum nihilominus ipſorum cubicula interim auro ſplendeant, & ſubſtrata etiam purpura longè pretioſiſſima ſint, menſarum verò & coquinarum inſtrumenta opere cælato reſulgeant. His incommodis, cum aliarum beneficio ſanctionum, tum illius maximè cuſtodiâ legis conſuleres, Maxime Pontifex, qua ſanctiſſimè cavetur, ne multa ab uno ſacerdotia, quibus annexa ſit animarum cura, poſſideantur, Diſpenſatio, ita ſolet appellari, effecit, ut jam non multa, non plura, ſed innumera teneant multi, qui ne diaconi quidem mererentur officio defungi, at ejuſmodi rerum diſſipationem non ego, ſed Bernardus tot antea ſeculis appellavit. Oppone te huic petulantiæ, pater beatiſſime, & unum hoc inter alia negotium & munus egregiè ſuſcipe, ut qui luxu diffluunt, qui ambitione deſervent, qui vel coemptis vel ejuſmodi diſſipationibus paratis ſacerdotiis laſciviunt, qui leges denique ritè poſitas non obſervant, ſentiant tuæ vim juſtitiæ atque intrepidæ virtutis, ut ſi aliqua culpa teneantur erroris humani, ab ejuſmodi tamen ſcelerum immanitate liberentur. Liceat bonis & modeſtis vivere, quibus nec otioſis in communi otio jam licet eſſe: Illis ipſis omnia arripientibus, & ſervitutem in dicentibus maximam his qui eorum indigent operâ ad famem tolerandam. Hoc ſi non egeris, Antiſtitum ſumme, ſi malis hominibus fræna laxaveris, ſi jamdiu multumque laxata non cohibueris, vereor ne, te Pontifice, decidat eò noſtra reſpub. ut dici non falſò poſſit, à libidine pudorem, ab audacia timorem, ab amentia rationem penitus eſſe devictam, & in te bellum à noſtræ religionis hoſtibus ante audias geri quàm parari. Si egeris, & utilitatem omnibus, & tibi etiam gloriam non hanc ſolùm momentaneam & caducam, quæ parvi temporis anguſtiis coercetur, ſed & ſtabilem & perpetuam, non in terris modò, ſed in cœleſti ſede comparabis. Nec modò timendum tibi ab exteris erit, ſed intrepidè ſperandum, venturos noſtræ religionis hoſtes, ad noſtræ fidei diſciplinam, bonis exemplis facilius quàm vi & armis invitatos. Redactum olim ad noſtræ pietatis inſtituta terrarum orbem per apoſtolos efficacius ſanctiſſimis eorum vitæ moribus, quàm non modò Conſtantini Cæſaris legibus, præliis atq; triumphis, ſed etiam peractis ipſo apoſtolorũ miniſterio ſupra vim naturæ miraculis, præclariſſimi noſtræ fidei aſſertores judicavere. Et quis, rogo, nobis aſſentiretur bonos mores ſuadentibus, ſi pravis ipſis abuteremur? Quis religioni quam colimus initiari per nos cuperet, quos videret quod ore aſſerimus factis pernegare? Præſtat itaq; in reducendis hoſtibus & deſertoribus ad noſtræ fidei pietatem, ut collapſos

Faſtos inutilis.

Cave à multis ſacerdotiis.

collapsos mores ad normam priscæ virtutis instauremus, quàm quod multi ambiunt, ut classe petamus Euxinum, & exposito in continentem milite, concussaq; maximis confectis prœliis Colchica Trapezunte, cruentata vexilla inferamus Armeniæ. Eja igitur, Pater Sanctissime, & naturæ lege non scripta, sed nata & revelata divinitus disciplina, & majorum tuorum sanctionibus atq; decretis, & utilitate simul & gloria excitatus, indue sanctissimum in desertores & impios saluberrimumq; furorem, quo discant pœnarum agere formidine, quod virtutis amore deberent. Moses ille legislator, quanquam mitissimus, terrifica tamen percitus est ira, quum posthaberi Deum agnovit, & severam in desertores pœnam exercuit. Deus & homo Christus Jesus omnium virtutum exemplar, irrogatas in se contumelias patientissimè tulit. Non tulit Paterni honoris notam, quum sacrilegos venditores emptoresque ex templo expulit & flagello discussit. Et ille quidem vituli unius aurei cultores maxima est cæde persequutus: Et hic columbas vænales & turtures è templo voluit ejectas. Tu verò earum cultores vitularum, quæ maximo numero in urbe non stabulantur modò sed dominantur, & auro, purpura, margaritis, more regio incedunt ornatæ, ut ad eorum aspectum, nedum congressum plurimi & obbrutescant & pereant, exilio saltem & honorum omnium mulctâ non compesces? Tu sacras ædes sceleribus omnifariam prophanari, & in eis tot monstra Circæa grunnire permiseris? Tot Syrenes, & veriùs, tot Syrenum millia patieris, naviculæ tibi divinitus commissæ, quantum in ipsis est, procurare naufragium? Tu Dei Optimi Maximi templorum, tu Christi sanguinis mercatum sustinueris, cujus supremum sacerdotium nullis mercimoniis es consequutus? Si clemens videris pontifex, id pietati facilè adscribetur. Si nimis placidus, naturæ tuæ consuetudini, corporisq; temperamento. Sed si posthaberi Deum ejusque legem patieris, & immania scelera passim & nulla prorsus verecundiâ peragi, nullus erit tam injustus rerum æstimator, qui vereatur id tribuere vel malitiæ vel negligentiæ. Quapropter si attendere diligenter & æstimare hac omni de re, de qua disseruimus, volueris, Pater Sanctissime, sic (ni fallor) planè constitues, ut leges jam ritè positæ, pœnæ saltem formidine custodiantur, dabisq; operam exemplo non solùm & innocentiâ vitæ, sed animadversionis in alios, ne quicquid collibitum fuerit impunè fecisse audeant improbi, atque ita & tibi simul & omnibus consules, & collabentem jam ac prope intermorituram Christianam Rempublicam ab interitu vendicabis. Hoc omnis ordo, hoc consensio bonorum omnium exposcit & obsecrat. Quæ ubi per Te acta fuerint, ubi pessimæ vitæ monstra vel edomueris vel extinxeris, ne postea repullulent, adhibenda erit legum cautio, & severior aliquanto disciplina. Non in vestibus modò & sumptibus, sed in studiis sacræ literæ utriusque instrumenti recognoscendæ, & cum antiquis & castigatis primæ originis exemplaribus conferendæ, ut ab erratis quæ vitio temporum & librariorum incuria, in illas irrepserunt, omnino purgentur; solennes cæremoniæ de quibus fuere olim quæpiam difficultates, prioribus oblatæ Synodis, statuendæ firmandæque sunt; quotidianæ preces redigendæ in statum & probatum ordinatum ordinem; & veræ historiæ ab apocryphis nugis segregandæ, præscribenda principibus viris officia, ut scelerata illa & nostræ Reipublicæ deletrix opinio, licere quæ placeant, & à vulgi animis omnino amoveatur & penitus exulet. Sit inter ipsos Principes pax & discordiarum finis, ut à diuturnis dissensionibus aliquando quiescamus, daturi operam eis officiis, quæ mortales evehunt ad immortalem vitam & excedentem animantium omnium vota fœlicitatem.

¶ Comitis Mirandulæ de Moribus reformandis Orationis Finis.

¶ Orthuinus Gratius Lectori candido S. P. D.

QUanta, Jesu Christi Servatoris nostri ecclesia reformatione nunc indigeat, cogitare mediusfidius hoc tempore poterunt pauci, dicere nemo. Hæc tamen reformatio (modò rem ipsam ritè perpenderimus) non aliter quàm per generale Concilium (de quo paulò ante non pauca diximus) haberi potest. Cæterum, qui fit (obsecro) dicet quis, quo minus illud in commune Reipub. commodum celebretur & ultra centum annos, jam diu protractum atq; suspensum sit? Duæ namq; pestes obsunt, Ambitio videlicet & Cupiditas. Illa (ut ait Salustius) multos mortales falsos fieri subegit, hæc autem qualis sit, quàm etiam & nobis omnibus pestifera, Paulus satis abundè ad Timotheum testatus est, quum eam omnium malorum radicem esse dixerit. Nec immeritó. Nam si Innocentio credimus, sacrilegia hæc pestis committit & furta, rapinas exercet & prædas, bella gerit & homicidia, simoniacè vendit & emit, iniquè petit & recipit, negotiatur & fœneratur, instat dolis & imminet fraudibus, dissolvit pactum & violat juramentum, corrumpit testimonium & pervertit judicium. At, quid tandem de Ambitione, monstro hoc satis deformi, dicemus? Est equidem (ut divo Bernardo placuit) subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, & ex medicina desperatum generans languorem. Si hæc (mihi crede) monstra duo è medio quantocius tollerentur, longè æquabilius atq; fœlicius nostra sese resp. haberet. Hoc autem quàm sit factu difficillimum, Origenes, in suis super epistolam ad Rom. commentariis apertissimè testatur: Omnis (inquit) adeundi honoris ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potius, quàm judicaturos, hi, qui præesse volunt populis cogitarent. Quapropter, ut paucis finiam, præstat in reducendis hostibus & desertoribus, ad nostræ fidei pietatem, ut mores, vitio temporum atq; hominum collapsos, ad priscæ virtutis normam instauremus, id quod sine generali Concilio & universali totius ecclesiæ decreto (ut statim diximus) absolvi ac perfici non potest. Hæc omnia secum revolvens Reverendissimus in Christo pater D. Laurentius, presbyter Cardinalis, & ad nostram Germaniam, de latere (ut sic dicam) Legatus, quandam nuper cum suis Ratisponæ reformationem edidit, quæ sicuti pauca complectitur, ita etiam & à paucis est recepta. Tu igitur quid illic sancitum sit, & quid postea in publica apud nos synodo, iisdem de rebus Antonius dixerit Lynnichanus, diligenter revolve, ac vale fœliciter.

Ambitio & Cupiditas remoræ Concilii Generalis.

CONSTITUTIO AD REMOVENDOS

Abusus, & Ordinatio ad vitam Cleri reformandam, per Reverendissimum in Christo patrem & dominum, D. Laurentium *, tituli sanctæ Anastasiæ, S. R E. presbyterum Cardinalem, & ad Germaniam, &c. de latere Legatum, nuper Ratisponæ edita.

** Campegium.*

LAurentius miseratione divinâ, tituli sanctæ Anastasiæ, S. Romanæ ecclesiæ presbyter Cardinalis, per universam Germaniam, ac Hungariæ & Bohemiæ Poloniæq; regna, & quæcunq; alia loca, ad quæ nos declinare contigerit domini nostri Papæ & apostolicæ sedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam. Ex legationis officio à sede apostolica nobis commisso obligamur, ut circa statum personarum ecclesiasticarum sub finibus nostræ legationis consistentium in melius reducendum propensius cogitemus, ut quæ in eis à sanctorum patrum decretis & ordinatione deviare perpendimus, ad debitam reformationis normam dirigentes, eis opem & operam adhibeamus efficaces. Nuper siquidē, cum sanctissimus dominus noster Clemens Papa VII. cum pro pastorali suo officio, tum pro ea affectione, qua inclytam nationem Germanicam paternè prosequitur, intellectis ejus fluctuationibus, hæreticorūq; impietate indies crescente, nos ad universā Germaniā suum & apostolicæ sedis Legatum de latere miserit, non aliam ob causam, quàm ut tranquillitati provinciæ, & saluti animarum, quæ periclitantur ob dictam nuper natam impurissimam omnis hæreseos sentinam, consulat. Quod onus licèt humeris nostris impar, ejus tamen præceptis & mandatis obedire (ut tenemur) volentes, freti Christi favore Servatoris nostri, (cujus negotium agitur) subivimus. Nihil hic prorsus nostris viribus tribuentes, aut prætere-

Germania inclyta natio.

rea cupientes, quàm quod ad munus hoc fœliciter implendum attineat. Cumque aliquot mensium experientia multa collapsa, & præter omnem opinionem difficultatibus plena perpenderimus cum Serenissimo Ferdinando Hispaniarum principe, Archiduce Austriæ, Imperiali locumtenente generali, communicatis consiliis concordi sententia particularem conventum in civitate Ratisponæ convocare decrevimus. In quo unà nobiscum interfuerunt, præfatus Serenissimus princeps & Archidux, Reverendissimus Matthæus, S. Romanæ ecclesiæ tituli sancti Angeli presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Saltzburgen. Ac illustrissimi Wilhelmus & Ludovicus Palatinus Rheni duces in superiori & inferiori Bavaria fratres germani, Venerabiles in Christo patres, Bernardus episcopus Tridentin. Johannes administrator ecclesiæ Ratisponen. Palatinus Rheni Dux Bavariæ, Ac nuncii sive Oratores omnes cum pleno mandato venerabilium in Christo patrum & Illustrissimorum principum, Vigandi episcopi Bambergen. Georgii episcopi Spiren. Palatini, Wilhelmi episcopi Argentinen. Christophori episcopi Augusten. Hugonis episcopi Constantien. Christophori episcopi Basilien. Philippi episcopi Frisingen. Palatini Rheni Ducis Bavariæ, Ernesti administratoris ecclesiæ Patavien. ac Palatini Rheni ducis superioris & inferioris Bavariæ, & Sebastiani episcopi Brixien. cum quibus pluribus hinc inde in discussionem allatis, & præcipuè quibus consiliis, quibusq; modis præfatæ nationi Germanicæ periclitanti consuleretur. Paribus sententiis receptum fuit, hanc perditissimam hæresim rudi populo plausibilem ob libertatem illi falsò persuasam prætextu evangelicæ charitatis, non parvam habuisse occasionem, partim à perditis moribus & vita clericorum, partim ob non diutius dissimulandum sacrarum sanctionum, ecclesiasticarumq; constitutionum abusum, & perinde non parum momenti fore extirpandæ hæreticorum Lutheranorum & eorum sequacium sectæ, ut clerici ad honestatem vitæ, moresq; suos illos, quos divus Paulus exigit & præscribit, debita censura reducti, abususq; laicos male offendentes, sublati fuerint. Itaque habitis maturis deliberationibus, & piis consiliis præfatorum, Ferdinandi principis, Cardinalis ac ducum & episcoporum, atque nunciorum suorum infra scriptos salutares aliquot tam necessariæ reformationis sacerdotum, presbyterorum, religiosorum & clericorum modos præscribere, statuere, sancire, atque edere necessarium duximus. Quocirca authoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, statuta & ordinationes per nos ut præfertur edita, ab omnibus & singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, præpositis, decanis, archidiaconis & aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, ac parochialium ecclesiarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum rectoribus presbyteris, religiosis & clericis in universa Germania residentibus, prout eos & eorum quemlibet respectivè tangit, aut tangere poterit, in futurum perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari volumus. Decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus universis & singulis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ac aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, necnon Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ipsorumque archiepiscoporum & episcoporum officialibus & vicariis generalibus, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi & eorum quilibet, si & postquam pro parte illorum, quorum interest, aut in futurum interesse poterit, fuerint requisiti, statuta & ordinationes hujusmodi, & horum singula inviolabiliter observari faciant, contradictores per censuras ecclesiasticas, & alia juris remedia compescendo; Invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstan. constitutione fœlicis recordationis Bonifacii papæ VIII. qua cavetur, ne quivis extra suam civitatem & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, Seu ne judices à sede apostolica vel ejus authoritate deputati, extra civitatem & diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant. Et in Concilio generali de duabus dietis, & personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, & aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunque. Verùm quia difficile foret præsentes literas ad singula loca, ad quæ expediens fuerit deferri, volumus, & authoritate apostolica decernimus, quòd transsumptis præsentium literarum manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ea fides adhibeatur, quæ iisdem originalibus, si essent exhibitæ vel ostensæ, adhiberetur. Et ut hujusmodi statuta & ordinationes ad singulorum notitiam deducantur, universis locorum ordinariis, authoritate apostolica præfata in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus statuta & ordinationes hujusmodi per se, vel per alium seu alios in eorum ecclesiis vel civitatibus publicent, seu publicari faciant, quæ post publicationem ipsam, eosdem, quorum interest, aut interesse poterit, perinde arctent, ac si eis personaliter intimatæ essent, aut intimarentur.

Occasio Lutheranæ hæresi.

Cassatur Bonifacii 8. constitutio à Cardinale Legato.

Tenor verò statutorum & ordinationum prædictarum sequitur, & est talis.

CUM potissimum anima verbo, quod ex ore Dei procedit, vivat, id autem nec passim, nec ab omnibus expediat prædicari, admonente Apostolo, qui inquit: Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?

De concionatoribus.

¶ Ideo statuimus & ordinamus, ut non liceat cuiquam, etiam religionem professo, & quomodolibet exempto, Evangelium docere, nisi ab Ordinario vel ejus vicario tam moribus, quàm doctrina probatus fuerit, facta fide per patentes literas, quæ, præter Notarii mercedem, gratis prorsus concedantur. Missi itaq; atq; probati evangelicum negotium tractabunt rectè, sobriè & purè, loca quæq; recondita magis & abstrusa, intellectuq; difficilia, non ad novum & adulterinum sensum, sed juxta sanctorum patrum & ab ecclesia receptorum doctorum, præcipuè Cypriani, Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, Augustini & Gregorii exponant & interpretentur, omni etiam ope studeant, ne pro veris somnia & aniles fabellas, pro certis dubia, pro receptis apocrypha & jamdudum explosa, damnataq; ab orthodoxa ecclesia tradant vel depromant, idq; omni modestia, ne unquam eos ad convitia injuriasq; delabi contingat, locusq; ille cum populi offendiculo dehonestetur. Itaq; Ordinarius aliquot excellenti doctrina præditos constituat, qui per diœcesim inquirant, qui sint ad evangelicam doctrinam idonei disseminandam, quiq; ad Lutheranam perfidiam non delectant, ut remedia adhibeantur, quo populus rectè instituatur in Christiana lege, & ab ea deficiens, ne secum alios trahat, debitè coerceatur, cultus divinus observetur, peragaturq; his modis & ritibus, qui per manus sanctorum patrum nobis traditus & per majores nostros observatus est in sacrificio altaris, officiis defunctorum, canonicis horis, cæterisque divinis laudibus atque ceremoniis.

Doctores authentici.

Regula clericorum.

¶ Hinc hortamur atq; monemus omnes & singulos, qui sacris initiati sunt, ut vivant vitam quam professio exigit, & Christus requirit, inquiens: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est: cum vestitu honesto incedant, quem Paulus alibi præscripsit. Quaproter singulari cura intendat quisq; prælatus, ne hi, quibus præest, in sacris ordinibus constituti, vestes varii coloris, velut virgatas & fimbriatas deferant, sed longis atq; talaribus utantur, nulla arma induant, nisi itinerantes, barbamq; & comam non nutriant, coronam & tonsuram deferentes, tum summopere curantes, ne quem laicorum indecentiâ vestitûs offendant, ut sacris Canonibus cautum est.

¶ Insuper tabernas publicas evitent, nisi eas peregrè proficiscentes ingredi oporteat, & tam inibi quàm domi & alibi à crapula, ebrietatibus omniq; ludo à jure prohibito, blasphemiis, rixis, ac aliis quibuscunq; excessibus & offensionibus penitus abstineant, choreas, spectaculaq; & convivia publica vitent, ne ob luxum petulantiamq; eorum nomen ecclesiasticum male audiat.

¶ Cumq; secundum Apostolum, nemo militans Deo sese negotiis secularibus implicare debeat: Nemini liceat contra provincialia statuta & synodalia domi suæ tabernam, compotandiq; locum aperire laicis, quoniam non rarò sequi solent ebrietatem rixæ, cædes & multa hoc genus scelera, quæ sacerdotalem polluunt dignitatem. Præterea negotiationibus mercimoniisq; more mercatorum abstineant.

¶ Sacerdotes autem curati, quiq; vicem eorum referunt, subditos in remediis & aliis juribus parochialibus ultra ea quæ sibi de jure debentur, non gravent, ultraq; depositionem eos ad peractiones Septimi, Tricesimi, vel Anniversarii peragi faciendas non cogant, tum præter oblationes festis solennibus fieri solitas, cum illa pro arbitrio fieri debeant, alias non exigant.

De anniversariis.

De sepultura & administratione sacramentorum.

¶ De sepultura quoq; ac administratione sacramentorum, aliisq; spiritualibus pacisci, aut aliquid ab invito exigere nemo possit, aut debeat, & propter ejusmodi à parochianis neglecta cuiquam non liceat aliquod sacramentorum denegare, neq; propter debita quempiam ab ecclesiastica sepultura prohibere. Parochialia tamen jura, quæ usus recepit, & debentur altari servienti, per prædicta non abrogamus.

¶ Cum autem in diœcesibus non sit eadem consuetudo, & inter subditos & pastores multa & varia emergant dissidia, pastoribus quibusdam plura exigere propensis: Subditis verò ob penuriam & egestatem reclamantibus & recusantibus, ordinamus, quòd quilibet ordinarius infra sex menses post præsentium publicationem, omnibus perpensis, beneq; & sufficienter examinatis, super prædictis certam legem ordinationemq; unà cum principum aut dominorum secularium consilio, quos ista negotia tangunt, constituat, ne viduæ, pupilli & alii pauperes nimium ultra vires injustè graventur; quod nos, si neglectum fuerit, si in provincia adfuerimus, vel successor noster, habita plena de his informatione, facturos pollicemur, aut rem ipsam sanctissimo domino nostro relaturi sumus, qui huic rei prospiciendæ judices deputabit.

¶ Convivia

¶ Convivia presbyterorum, quæ in exequiis & fraternitatibus publicè in tabernis huc usq; exhibita sunt, prorsus abrogamus, quòd plerumque laicis sint scandalo: si autem convivium vel consuetudo vel locorum distantia exiget, fiat illud in domo sacerdotis, honesteque, non ad luxum, sed ad necessitatem instruatur. Siquidem neque comessationi neque compotationi vacandum est sacerdotibus, cum quòd non audiant [quorum Deus venter est] tum quòd officii eorum est & sobriè & castè pro peccatis Deo dona sacrificiaque offerre.

¶ Porrò ne & ipsi videantur pecuniæ aucupium magis, quàm salutis animarum studium amplecti, dum laicos graviora delicta confessos hinc inde remittunt, non sine famæ rerumque dispendio: Constituimus & ordinamus, ut deinceps quilibet confessor absolvere possit laicos contritos & confessos, à quibuscunq; peccatis occultis, quantumcunq; gravibus & enormibus, quæ Ordinarii suæ authoritati reservaverant, exceptis duntaxat homicidis, hæreticis & excommunicatis, ad Episcopum vel ejus vicarium mittendis: quo autem ad clericos, nihil quoad hoc statutum intelligatur innovatum; pro condonatione autem & remissione peccatorum, quam absolutionem vocant, nihil omnino ab invito exigant.

De absolutione peccatorum.

¶ Sancimus quoq; juxta Apostoli sententiam, quæ dicit, Nemini citò esse manum imponendam, ne cui temerè cura animarum committatur. Itaq; probetur prius per Episcopum, vel ejus Officialem, etiam religionem professus, nec liceat ulli vicarium ecclesiæ & plebis suæ sufficere, illamve locare, sive emolumentum, quod absentiæ nomine recipiet, constituere sine authoritate Episcopi aut vicarii; Nam cum os bovi triturantí non sit alligandum, Episcopi vel Officialis arbitrio ejusmodi emolumenta locationum & absentiarum moderanda censemus.

De imponenda manu.

¶ Domos quoque, fundosque dotales beneficiorum collapsos instaurent possessores, quantum necessitas postulaverit, reparataq; in debita structura conservent, & per Archidiaconos & Decanos rurales, ac alios, ad quos de jure vel consuetudine spectat, ubi negligentes fuerint per subtractionem proventuum, authoritate nostra arctius compellantur.

¶ Expresse caventes, ne cura ecclesiarum beneficiorumq; concedatur religionem quamcunq; professis, etiam exemptis; quòd si aliqui hactenus admissi, vel recepti essent, nisi de voluntate, favoreq; superioris sui, legitimisq; causis constiterit extra sua monasteria degere nequaquam sibi integrum fore putent, quando illos sic vagos per Ordinarios vel vicarios ad superiores suos per victus denegationem, aut alia juris remedia remmittendos esse jubemus.

¶ Monasteriorum prælati unicas ecclesias habentes, prædictos Vicarios perpetuos, vel ad nutum amovendos in iisdem ecclesiis in posterum non constituant, nisi prius per Ordinarios, aut eorum vicarios, ut idonei & apti fuerint admissi; ecclesiæ tamen suis monasteriis unitæ usque adeo propinquæ, quòd religiosi earundem curam habituri sub religione in monasterio, sub debitaque obedientia stare possent, modò sint habiles & idonei, per hujusmodi religiosos provideri possint, id quoque permittimus de monasterio, quod tamen tenue est, ut debitam sustentationem habere nequeat, volentes religiosos, & qualitercunque exemptos curata beneficia habentes Ordinario loci esse subjectos. Cumque in ecclesia Dei magis præstet paucos bonos & doctos, quàm plures indoctos & imperitos habere ministros, id quod ratio nostrorum temporum exigere videtur.

¶ Idcirco deinceps non initientur sacris ordinibus, nisi viri, morum, vitæ candore & doctrina præ cæteris spectati, probatiq; per testimonium examinis ritè servandi.

De ordinatione sacerdotum.

¶ Quod attinet ad ordinatos in urbe, vel in alia quacunque aliena diœcesi, sancimus, ut & illi suarum ordinationum literas & titulos ostendant. Et simili modo ad divina peragenda prius non admittantur, quàm ab Episcopo, vel Vicario seu Officiali fuerint ritè admissi.

¶ Præterea cum nihil æque conveniat omnibus numeris, ac eos esse mundos, qui vasa Domini portant & in sacrario operantur, quales sacerdotes constituit ipse dominus, qui quotidie sacrosancta tractant, & in illis versantur. Igitur volumus, atque juxta sanctiones canonicas fœliciter à divis patribus institutas, sancimus, ut castè continenterque vivant. Sacerdotes concubinarii, incontinenterque vitam agentes, Canonum pœnis in ordinem redigantur, nulla consuetudine eis, nulla conniventia, imò damnosa prælatorum negligentia patrocinante.

¶ Quo verò ad Quæstores, qui vulgo Stationarii appellantur, statuimus, ne quis quavis authoritate, & literarum occasione, vel ad prædicandum, vel subsidia eleemosynasque colligendas se ingerat, utcunq; se jactet indulgentiis abundare, nisi prius literæ admissionis

De stationariis.

missionis & approbationis Ordinariorum, vel Vicariorum ab eo prolatæ fuerint, astringentes ipsos Ordinarios, ut tales admittant, qui probæ vitæ testimonium habeant. Et de prædicatione sua dum opus erit, rationem reddere possint, eleemosynis piorumque oblationibus non abusuri per luxum proprium, religione jurisjurandi affirmaturi, Se nec quotam, nec totam colligendi facultatem certa summa pecuniarum pactos esse. Fratribus tamen mendicantibus integras salvasque concessiones à sede Apostolica factas relinquimus.

De peregrinis sacerdotibus.

¶ Et ut Pastor agnoscat vocem ovis, & illa vicissim vocem Pastoris audiat, tollaturque omnis vagandi occasio: Ordinamus, quòd presbyteri peregrini & ignoti ad missarum sacrificium non admittantur, nec ultra mensis spacium in consortio presbyterorum tolerentur, nisi exhibeant literas admissionis alterius ex Archiepiscopis vel Episcopis, in cujus Diœcesim se transtulerint, ac documenta & literas testimoniales sui Ordinarii à cujus Diœcesi proximè discesserunt: Quibus de eorum ordinibus & honestate constet, ne aliquis incorrigibilis post perpetratos excessus, impunè ad alienam Diœcesim transeundo evadat.

¶ Ut autem Christi fidelium eleemosynæ in usum, pro quo erogantur, vertantur, non liceat Procuratoribus, seu vitricis fabricarum, in singulis Ecclesiis quicquam de pecuniis ad fabricam provenientibus distribuere, aut in ædificiorum, vel alterius rei usum dispensare sine rectoris scitu, sed ad armaria fabricæ reponantur: Ut hactenus servatum est duabus vel tribus clavibus pro loci consuetudine tenendis, quarum una ipsi rectori servanda tradatur, observato usu in clavibus & rationibus reddendis à principibus & superioribus hactenus recepto.

De consecratione ecclesiarum, &c.

¶ Statuimus quoque & ordinamus, ne Episcoporum in Pontificalibus Vicarii, in consecrandis Ecclesiis & altaribus, quod sacri jubent Canones, quicquam omnino exigant, excepta procuratione. Convenit namq; ut pro qualitate status ipsorum Episcopi prospiciant, præstando præcipuè pensiones super fructibus mensæ episcopalis à sede Apostolica constitutas, ne aliquid attentare habeant in dedecus episcopalis dignitatis.

¶ Nec ab re, immo justis de causis adducti festorum multitudinem constringendam esse duximus: Statuentes & ordinantes, ut de cætero Dominica dies, quæ in gloriam Dominicæ resurrectionis ad nos usque à primitiva Ecclesia maximè celebris semper habita est. Dies quoque Nativitatis Christi, sancti Stephani, Johannis & Innocentium, Circumcisionis, Epiphaniorum, Paschæ cum feria secunda & tertia duntaxat, Ascensionis, Georgii, Pentecostes, cum feria secunda & tertia duntaxat, Corporis Christi, quatuor beatæ Virginis, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis & Nativitatis. Natalitia Apostolorum, Johannis Baptistæ, Magdalenæ, Laurentii, Dedicationis Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini, Nicolai & Catharinæ. Et per Diœcesim Saltzburgen. Festivitates sancti Ruperti, sicuti hactenus observatæ fuere, celebres quoque & festi habeantur. In cæteris autem festivitatibus quacunque ratione vel institutis vel receptis, & quæ sub præcepto celebrari debeant, permittimus liberumque cuique facimus, ut missa audita, ad operas suas, quibus suam suorumque alimoniam quærere cogitur, redire possit. Festis tamen Dedicationum, Patronorum & Principalium nihil derogantes, quoad eorum celebrationem in Cathedrali sede civitateque, ac loco etiam episcopalis residentiæ duntaxat.

De festis.

De nuptiis.

¶ Cumq; inter pastores & gregem propter nuptiarum celebritatem, quam alii inthronizationem alii solemnizationem vocare solent, multa & jurgia & scandala eveniant, declaramus & statuimus, quòd matrimonia in conspectu ecclesiæ possint solennizari, nullo ab ordinario ad hoc consensu petito, aut quapiam re pro eo exposita. Exceptis tamen tota quadragesimâ, ultima hebdomadâ adventûs, festis Paschæ, Pentecostes & nativitatis Dominicæ, cum octavis ac diebus rogationum.

¶ Jejunia ab ecclesia instituta sub debito obedientiæ sanctæ ecclesiæ Catholicæ in posterum indici debent, omisso excommunicationis verbo, ne infirmorum conscientiæ offendantur, cum his temporibus pietas penè omnis jaceat, sacerdotibusque parum deferatur.

¶ Ut igitur & extinctus cultus excitetur, populusq; non fiat indies negligentior, statuimus, ut propter cædem clericorum persona tantùm, non autem locus interdicendus veniat nisi cœtu concursuq; populari facinus patratum esset.

¶ Inhibemus insuper ne in posterum episcopi clericis legitimis ab intestato decedentibus in patrimonialibus bonis, aut industria propria acquisitis succedere possint aut debeant.

¶ Cumq; quotidie ob novas, imò jamolim damnatas hæreses, apostatarum & religiosorum, sacerdotumq; numerus in immensum crescat, quamplurimis eorum uxores ducentibus.

Ut

Ut ergo sacrilegia hæc impunita non remaneant, Concedimus quibuscunque Principibus Statibusque potestatis secularis, eorumque Officialibus, ut ejusmodi Apostatas & sacrilegos capere possint, modò reos ipsos Ordinariis infra tempus debitum tradant & assignent absque aliqua in eos tortura & animadversione debitè puniendos; quibus enixè mandamus, ut omni posita mora favoreque, diligentius quàm hactenus factum fuit, juxta sacras sanctiones omnino puniant facinorosos, adeo quòd, criminis enormitate expostulante, possit Episcopus servata formâ capituli primi de hæreticis in sexto, reum Curiæ seculari relinquere, vel ad perpetui carceris ærumnam damnare. Negligentia autem Ordinariorum ad Apostolicam sedem deductâ, judices ecclesiastici ab ea deputabuntur, qui constito de Ordinariorum negligentia ad preces Principum aliorumque secularium, reos maximè hæreseos meritis pœnis afficient. Quòd jam episcoporum quidam, ut accepimus, de beneficiorum pensionibus atque absentiis exigant decimas, cum sit id contrarium juri, longeque præstet male inductos usus delere, quàm inusitatum quid admittere, idcirco decimas ejusmodi ulterius exigi solviq; interdicimus, usumque talem qualitercunq; receptum cassantes, cassatumq; esse censentes.

Concedit Cardinalis Principibus authoritatem capiendi apostatas. i.e. Lutheranos sacerdotes, &c. quanta hæc Legati benignitas!

¶ Itemque improbamus, & ut absonum prorsus rejicimus, ab Episcopis medios exigi fructus de beneficiis, quæ unius sustentationi vix sufficiunt, ut sunt, quæ non excedunt valorem triginta duorum Rhenensium, de quibus in Romana Curia medii fructus non exiguntur. Quod etiam ab Ordinariis observandum esse præcipimus, nisi concordatis aliter cautum esset, vel honesta ratione, aliquid, sine tamen reprehensibili gravamine, accipiant.

¶ Cæterùm quo major fiat conjunctio, firmaq; magis inter provinciales stabiliatur concordia totius Provinciæ, antiquum morem Synodorum innovantes statuimus, ut singulo triennio post Pascha Provinciale Concilium celebretur.

¶ Ad hæc cum beneficia propter officia juxta patrum sanctiones dari consueverunt, fieriq; vix possit, ut in tanta præbendatorum caterva non reperiatur, qui officii oblitus horas negligat Canonicas: Hinc statuentes volumus & ordinamus, ut locorum Ordinarii per Archidiaconos & Decanos de hujusmodi sacerdotibus negligentibus, sese diligenter edoceant, & secundum uniuscujusque negligentiam atque desidiam fructus perceptos, vel in utilitatem ecclesiæ, vel in usum pauperum vertant. Quòd si post legitimas monitiones & simul primam correctionem, in eandem negligentiam, quæ dissolutæ prorsus mentis indicium est, quis relabatur, tum beneficio etiam ecclesiastico privetur: collatoriq; vel patrono de alio idoneo providendi aut præsentandi sit potestas.

¶ Sanctionem patrum, qua ecclesiastica sepulturâ privatur quisquis non confessus, nec Eucharistiæ Paschali tempore communionem sumpserit, inviolabiliter observandam esse statuimus, ac ubi quem contigerit, inopinata morte obire inconfessum, sepulturâ præfata illum carere non volumus, modò ipsius curato constet, vel doceatur illi, ipsum, secundum jam dictam sanctionem confessum esse & simul communicatum, aliudq; non obstet Canonicum impedimentum.

¶ Ad tollendam execrabilem blasphemiam Divini nominis, atque divorum quos temnere fas non est, statuimus & ordinamus, ut quicunque clericus vel sacerdos Deo palam maledixerit convitiis contumeliisq;, atque adeo obscœnis verbis incesserit Deum & Dominum nostrum Christum, aut nunquam satis laudatam matrem ejus gloriosam Virginem pari blasphemiâ linguâ impetiverit, aliosq; sanctos blasphemaverit, fructuum vel bonorum privatione seu aliis pœnis pro qualitate blasphemiæ & delicti plectatur.

Contra blasphemos & simoniacos.

¶ Contra simoniæ labem non discedimus à patrum sanctionibus, jubentes eas sub pœnis in illis contentis observari.

¶ In sortilegos, divinaculos incantatoresq; clericos, quos tam sacræ Leges quam patrum Decreta execrantur, statuimus & ordinamus, ut arbitrio superiorum infamiâ notentur, siqui moniti non destiterint, ordine amoveantur, inq; monasterium ad tempus juxta arbitrium superioris relegentur, beneficiis officiisq; suis ecclesiasticis privati. Cæteri autem pseudoChristiani, de fideq; parum probè sentientes citra delectum personarum, hæretici quoque, vel judaismum referentes, à sancta Christianorum congregatione procul arceantur. Contraq; eos diligenti inquisitione procedatur per ordinarios, vel eorundem vicarios, aut hæreticæ pravitatis inquisitores, vel per judices à sede Apostolica, vel per nos deputandos, ut non resipiscentes pœnis puniantur debitis.

Sortilegi divinaculi & incantatores clerici, quomodo puniti.

¶ Prohibemus etiam tam clericis quàm laicis de sacrosanctâ fide temerè, præcipuè inter pocula atq; convivia disceptare, injungentes sacerdotibus, ut omni modestia utantur & peculiariter operam impendant novo veteriq; testamento legendo, ut par est, ne per otia in vitia voluptatesq; labantur.

¶ Statuimus & ordinamus, ut quilibet episcopus diligenter provideat, atque inprimis id curet,

curet, ut vicarii, sive perpetui sive pro nutu positi, competentem vivendi portionem assequantur, ne detur eis ansa suos subditos ob rei familiaris penuriam gravandi. Porrò, quod proximè accedit ad Apostolorum institutionem moremq; primitivæ ecclesiæ, hortamur, cum Prælatos, tum reliquos sacerdotes, ut meminerint pauperum, & eleemosynis studeant alter alterum vincere.

¶ Sunt item pleraque alia summis Pontificibus, sacris Conciliis, provincialibusq; & Synodalibus constitutionibus prodita, quæ mirè decent & adornant candorem vitæ clericalis, nec minus obviant offendiculis, quæ Christus passim cavenda præcepit, quæ velut sancta teneri & observari mandamus, transgressores secundum canones ipsos prædictasque constitutiones puniri volentes.

¶ Inhibentesq; propterea omnibus & singulis vicariis & officialibus, necnon & Archidiaconis & Decanis ruralibus, aliisque ad quos criminum denunciatio correctioq; quomodolibet spectat, aut quibus id per ordinarios committetur, ne ad excessus transgressionesque alicujus dictarum constitutionum, statutorum & ordinationum nostrarum ob pecuniam etiam ultrò oblatam, aut alterius rei gratiâ conniveant, sed potius ad pœnas de jure vel consuetudine debitas contra delinquentes, pro delicti qualitate & officii sui debitè procedant; atque ut ita fiat, quoniam nihil proderit leges condere, nisi sint qui conditis vivant mentemque earum exequantur, utq; refloreat Catholica fides, ecclesiasticaq; dignitas (hæresibus radicitus extirpatis) suum locum recuperet, idque vix alio medio aptius atque commodius fieri possit, quàm Synodis: Itaque priscum synodorum morem renovare cupientes, statuimus & ordinamus, ut singulo anno saltem Synodus Diœcesana opportuno tempore à singulis episcopis celebretur, cum potioribus Prælatis, Decanis ruralibus virisq; dignis, in quibus per quartas designentur judices, qui diligenter intendant si statuta prædicta, ac alia per synodos de scitu episcopi statuenda observentur, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio seculari. Mandantes propterea, ut hujus nostræ constitutionis ordinationisq; series, in præfatis Synodis tam Provincialibus quàm Diœcesanis, in earundem principio diligenter legatur, ne quis in futurum ignorantiam prætexere possit. Datum Ratisponæ, Anno à nativitate Domini millesimo quingentesimo * vigesimoquarto, nonis Julii, pontificatus præfati Domini nostri Papæ anno † quarto.

* De constitutione istâ Campegii, &c. hoc anno factâ, vide Sleidan. Comment. Fol. 58. Edit. Argentor. 1555. in Fol. lib. 4. † Debuit esse [secundo] Clemens enim VII. P. M. iniit Pontificatum anno 1523. post sublatum (quo fato tu videris) Adrian. Sextum.

Visa.
Jul.
Flo. Montinus.

D. de Paternina.
G. Prego

Jodocus Hoetfilter Reverendiss Domini L. Cardinal. Campegii Legati, &c. Notarius subscripsit.

ORATIO

ORATIO HABITA COLONIÆ CORAM

frequenti Clero, ab Antonio Cornelio Lynnichano, qua ecclesiæ proceres sui officii admonet, & cujusmodi evangelici gregis pastores esse debeant, ostendit. Magnifico præstantissimoq; viro Domino Arnoldo Broiksmidt de Lemgo, cum artium tum sacrorum Canonum doctori eximio, Curiæ Colonien. officiali, & ejusdem metropolitanæ ecclesiæ canonico, Antonius Cornelius Lynnichanus S. P. D.

IMprobis quorundam amicorum precibus oppugnatus, vir ornatissime, cogor orationem eam quam nuperrima in Synodo, quinto Idus Martias ad clerum Colonien. habui, prælo excudendam dare, efflagitantibus id quidem à me amicis, quorum æquis in me votis si reluctarer, haud in rem meam consultum esse duxi. Cum igitur illorum impulsu, aleam in hac re jacere compellar, primus tu mihi occurrebas, cui hanc editionem nuncupem, cujus authoritate & jussu in lucem oratio prodeat: omnem citra ambiguitatem probè obtusurus eum, qui Theonino dente me petat. Relatu multorum habeo, philocolacas quosdam fuisse, orationem nostram mordacitatis nimiæ suggillantes, quibus ob insipida palata oratio planè desipit, cum non ex gnathonico penu eam deprompserim, ut gnathonicum aucupium faciat. Illi cujus farinæ sint homines, facilè conjecturare possumus, cum suam philautiam prodant, vitii proprii accusatores, nempe impudenti parasitorum gregi patulas aures semper accommodantes, malunt se turgidis ampullis & sesquipedalibus verbis palpando laudari, quàm veritatem dicendo pungi. Ego hisce calumniatoribus suaderem, ut aut suam in me criminationem dissimulent, aut nihil omnino me carpant. (Contra quosdam malevolos.) Porrò, si sibi temperare non possint, quin quæq; mordere cogantur, prosiliant è suo specu palam & in aperto criminantes quicquid usquam pius conatus in noxia vitia & execrandas hujus seculi pestes & mores scripserit aut dixerit. Certum est eum semper calumniis obnoxium esse, qui in hominum vitia & seculi mores quid scribit aut dicit. In quibus tamen carpendis, si quis connixerit, plus illis se carpendum præbet, præter officium agens & loquens, quasi sui consimilibus patrocinatur, dissimulans ea quæ maximè forent incusanda. Quòd autem malevoli illi me carpunt, id minimi ego facio. Qui enim fieret ut ab his vituperari pertimescerem, à quibus laudari nunquam cupivi? Mordeant, carpant, incusent & insimulent me. Quanto magis illi maledicta in me congesserint, hoc magis videbor mihi operæ pretium fecisse, publica oratione detestatus id, quod homines impuros male sibi conscios mordeat & male habeat. Postulabat locus & tempus & res me sic dicere Quid, rogo, hac infœlici tempestate magis est necessarium, quàm ut nostrates principes accuratius suis fungantur officiis, ut sistant tumultus, sedent seditiones, extirpent hæreses, intestina bella & jurgia componant, rebellionem refrænent, noxia quæq; amputent, putrida membra resecent, quo demum venerandum Catholicæ ecclesiæ corpus permaneat vegetum, integrum, solidum ac firmum, omnis nævi aut maculæ expers? Plurimumq; profectò referret, religiosos quosq; cujusvis status aut ordinis, ita deinceps vivere & populo præesse, ut hunc in sui amorem alliciant laudata vitâ, probis moribus, scientia, doctrina & eruditione. Quippe virtutis ea vis est, ut in sui amorem ignotos etiam alliciat. Cum populus viderit sibi à clero præberi exemplar Christianæ vitæ, velit, nolit, cogetur amare eum, quem cernit vivere vitam Christiano dignam. Hæc ego scribo ad te, vir præstantissime, non quòd quis opinetur in hac re superbè ut judicium dare audeam, definiturus quid aut agendum aut omittendum sit, sed ut commoneam ejus te quid sæpe cordati & sapientes viri super hisce rebus sopiendis senserint, & quid ipse plerumq; rectè censueris, cum illis candidum tuum adjiciens calculum. Bene vale, vir optime idemq; eruditissime, Coloniæ ex pædagogio divi Laurentii. Anno Domini, millesimo quingentesimo vicesimoseptimo, tertio nonas Apriles.

ORATIO

ORATIO HABITA COLONIÆ IN SYNODO,

Coram frequenti Clero, ab Antonio Cornelio Lynnichano, qua ſcripturarum teſtimoniis perfunctoriè oſtendit, cujuſmodi eccleſiæ principes, pontifices, primarii ſacerdotes & evangelici gregis paſtores eſſe debeant, eos officii ſui admonens: interim tamen gravem eccleſiæ jacturam deflens & lamentans.

MAjorum noſtrorum ſtudium & induſtriam, Venerandi Patres, quantum laudare quis debeat, non mearum eſt virium oratione conſequi, cum omnia ſic providerint, ut providentius penè nihil poſterior ætas excogitare poſſit: omnia ſic conſilio & ratione libraverint, ut quicquid extra eorum conſilium geſtum fuerit, diuturnum eſſe non poſſit: omnia ſic ad amuſſim perpenderint, ut quicquid citra eorum præſcriptum negligenter omiſſum fuerit, bonis moribus adverſum, & caſtis legibus obvium atq; contrarium ſit. Quæ quidem inſtituta abolere, & veteres eos mores antiquare, viſum eſſet non in eccleſiæ commodum & profectum conſulere, ſed in ejus grave diſpendium, ingenſq; diſturbium moliri. Quis noſtrûm nunc non videt, quantis eccleſia æſtuetur perſequutionum procellis, quantis periclitetur negotiorum undis, quantis involvatur æſtibus? Spirant circumquaq; horridi venti, ſonorus Boreas ſuum afflat horrorem, procax Auſter è tartareo ſpecu miſſus noxias flat nebulas, Circius turbines & vertigines, Septentrio grandines repentinaſq; procellas. Conſciſcunt graves nobis indies tempeſtates, circumfremunt circumquaq; ad eccleſiæ navem quaſſandam. At nos qui ea navi vehimur, nihilo ſecius noſmet gerimus, quàm ſi nulla oborta ſit tempeſtas, arbitrantes nihil adverſum nos poſſe contrariorum flatuum vires: Pigri, ſegnes, inertes, inconſiderati homines quieſcimus & deſidemus, non videntes quantum naufragium fecerimus. Ubi nunc noſtri archinautæ? ubi naucleri? quorum conſilio & prudentia eſſet, ne ſic ad ſcopulos illideremur, quorum officio foret pyratarum molimina & perſequutiones aut fruſtrare aut vitare, non invitare. Ab horum inſidiis & molimine, quàm ſe caverint majores noſtri, ſatis perſpicuum eſt ex laudatis his legibus & conſtitutionibus, necnon probis moribus, quibus ſatis ſe poſteritati commendarunt; quas verò leges & conſtitutiones, quoſq; laudatos mores, ſi nos ea integritate ſervaremus, qua illi, proculdubio haud eſſet quod ſic periclitaremur. Nimirum cum id antiquus poeta doceat: Moribus (inquiens) antiquis res ſtat Romana viriſq;. Ut tamen ex multis unum colligam, quis neſcit hunc morem à majoribus inoleviſſe, & apud poſteros receptum eſſe, bis quotannis per ſingulas diœceſes, ex altis ſuggeſtibus, eccleſiaſtica declamari ſtatuta, in loco ubi ſeniores patres metropoleos conveniunt, in eccleſiæ bonum & commodum conſulentes, à quibus ſubditus quiſq; vitæ normam & diſciplinam acciperet. Hoc quò commodius agatur, quid convenientius excogitari poſſit, quàm ſubditum quemq; præmio & honore invitare, prævaricatorem autem omnem mulctis & pœnis deterrere, & non eorum more agere qui ſecus quàm docent faciunt, quaſi præſcribatur lex, cujus ſancitor voluerit eſſe exlex? Parendum enim eſt legi quam quiſq; ſancit. Id quidem ſi non feceris, male audies à vulgo. Quid, rogo, eſt quod principem magis vulgo commendet, quàm ut bonorum morum exemplar in ſe ſtatuat, ſecundum quod vulgus vivat? Quòd ſi ipſe princeps & magiſtratus recta via non inambulaveris, idem haud dubiè tibi obtinget, quod ſtulto illi Prophetæ Balaam filio Boſor, qui iniquitatis ſuæ redarguebatur per aſinam, animal ſubjugale mutum, quod humana voce loquens, prophetæ prohibuit dementiam. Num ſimile iſtius nunc fieri videmus? cum paſſim à laicis & indoctis audimus principum & prælatorum, veſtigiis Chriſti non inſiſtentium, mores & vitam reprehendi. Ignoſcant, rogo, mihi dicenti, hi qui nullius iniquitatis ſibi ſunt conſcii. Caveant item & mihi iraſci, quos ſtimulus conſcientiæ pungit, generalem de vitiis diſputationem in ſuam non referant contumeliam: ne dum mihi iraſcuntur, ſuam indicent conſcientiam multò pejus de ſe, quàm de me judicantes. Non eò in hunc ſuggeſtum conſcendi, ut cuiquam adulari velim, omnia (ut quidam dixit) temperaturus * fumo & parietem velle linire laplantem. Nolo etiam canina quadam facundia orationem noſtram nimis eſſe maledicam atq; rixoſam, ne reddam aures veſtras mihi invitas; facilius duxi muſicorū morem ſequi, qui leni chordarum tactu pectora demulcent, non gravi pulſu; ita orationē meam placidam citius, quàm aſperam, vos poſſe movere non dubito: in qua ſi delicatus quiſpiam auditor exactum rhetorices artificium ullum deſiderarit, ſciat nec philoſophiæ, nec rhetorices artificium ullum divinam ſcripturam admittere, ſuo nitore ſatis claram, quemadmodum Paulus ad Corinth. ſcribens, miſſum ſe dicit ad evangelizandum, non erudito ſermone, ne inanis reddatur crux Chriſti: Sermo (inquit) crucis ſtultitia eſt his qui pereunt, at

Ventorum natura.

E jujus.

Num. 22. 2 Pet. 2. 16. 2. q. 7. c. ſecuti ſunt.

* Fortaſſe fimo. locus ſcript. eſt Ezech. 13.

1 Cor. 1. 17, 18.

at illis qui salutē consequuntur potentia Dei. Rogemus nos ut arcanus ille scripturarū spiritus corda nostra percellat, qui & balbos reddit disertos, & rusticos supremæ sapientiæ & gloriæ compotes hæredes. Quid nobis mundana philosophia? Quid confert ethnicos authores nocturnâ diurnaq; evolvere manu, dū non in Christo proficimus, dū non ad salutē nostrā sapimus? Intelligamus ea per quæ servabimur. Erudiamur ea quæ æternā sapientiā & hæreditatem nobis pollicentur. Porrò, quàm hoc nunc necessum sit, ipsi satis cognoscitis, ipsi judices estis, vos pontifices, prælati & primarii sacerdotes, ad quos mea festinat oratio. Vestrū est intelligere, vestrū est erudiri. Videtis quàm invaluerint hostiū vires, quàm late proserpserit hæc contagiosissima hæreseos lues? Num adhuc vestrā jacturā intelligitis? Num adhuc erudimini? Usquequò torpebūt corda vestra? Usquequò hos resides animos detinebitis? Satis jam satis dormitū est, satis jam satis cessatū est: Expergiscimini qui habitatis in torpedinis pulvere. Audite Davidicā tubā vobis buccinantē in psalmo mystico: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terrā. Hoc ego bucciniū per totā nostrā orationē cantabo, hoc efflabo, super hoc quicquid est meæ operæ ponā, orationē eo modo bipartiturus, quo ipsum prophetæ elogiū est bipartitū. Nēpe priori mēbro vos ad intelligendū hortaturus, posteriori verò ad erudiendū. Quod ut incitatius facere possim, vos, quæso, reddite mihi attentos, & mecum unà divinū implorate auxilium, quo prætermisso, nullū ritè fundatur exordiū. Mecū, inquā, unà Deū implorate, ut gratiæ suæ spiritū nobis omnibus infundat, per quē vos audire, & ego salubriter dicere valeā. Adoremus supremū illū Judicē, cui cū nos multis malis obnoxios reddiderimus, profugiamus tristes rei ad mitissimā eam advocatam, potentissimam quippe Judicis matrē, quæ filiū nobis exorare potest. Ea cū sit gratia plena, laboremus ne gratiæ per illā nobis partæ exortes reddamur, cū & inter omnes mulieres sit benedicta, agamus ne fructus ventris ejus, Jesus Christus, extremo seculo venturus Judex, propter blasphemias in matrem jactas, nos judicet ad æternum supplicium ire maledictos, quapropter dicamus cum sancta Elisabeth eam inter omnes mulieres benedictam, & cum Gabriele archangelo salutemus eam, dicentes: † Ave gratia plena, &c.

Psal. 2.

Luc. 1.

† Commune exordium Oratorum in Ecclesia Rom. qui inauspicatò se rem aggredi credunt, insalutatâ B. Virgine: quasi salutario illa Angelica data fuisset in exemplum Christianorum, in omne ævum.

Psaltes ipse mysticus David, vos Reges, Pontifices, primarii sacerdotes, magistratus & potestates, hoc quo dixi elogio ad intelligendū & erudiendum adhortatus est, dicens: Et nunc (inquit) Reges intelligite, erudimini qui judicatis terrā. Et nūc, inquā, inquit nunc intelligite, haud negligite, sed intelligite quæ vos intelligere deceat. Nullā vult intervenire morā, nullā ad intelligendū dari dilationem, quin instanter & in hoc tēporis momento nūc vult ut intelligatis: res omnis in novaculæ acie sita est. Extremū urget periculū. Aut est intelligendū quid vos deceat, quid vos decoret, quo pacto salutē consecuturi & hostiū molimina sitis frustraturi, aut certè per negligentiā pereundū vobis est, futuri præda & irrisio inimicis vestris. Gladius imminet capiti, laqueus insidiatur jugulo, securis posita est ad arborem, non trunco nec ramis minans sed radicibus, funditus & immedicabili vulnere succisura omnem arborem non ferentē dignos pœnitentiæ fructus. Vestrâ omniū refert nunc intelligere & omnes nervos ad intelligendū intendere, quid vos facere expediat. Audite sapientis vocē vobis acclamantem: Attendite Reges & intelligite, discite judices finiū terræ, præbete aures qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationū, quoniā data est à domino potestas vobis & virtus ab Altissimo qui interrogabit opera vestra & cogitatiōes scrutabitur, quoniā cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neq; secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniā judiciū durissimum in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autē potenter tormenta patientur. Non subtrahet personam cujusquam Deus, qui omniū est dominator, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniā pusillum & magnū ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam. Si delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiā, ut in perpetuum regnetis: diligite sapientiam, omnes qui præestis populis. Hisce verbis jubemini discere sapientiā & legem Domini, non Veneris, non aleæ, non Martis, non Bacchi. Non sit in voto vobis summum scire quid dexter senio ferat, & quantum damnosa canicula radat, & angustæ collo non fallier orcæ. Nec id vobis sit studium assem discere in partes centum diducere, ut constet quid supersit si de quincunce remota est uncia. Vestrū studiū sit meditari in lege Domini, philosopharíq; in philosophia Christi. Non temerè à Platone & à laudatissimis viris dictum beatam fore rempublicam, si aut philosophentur principes, aut philosophi capessant principatum. Enimvero talis solet esse populus, qualis princeps & sacerdos. Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarū. Rex sapiens populi stabilimentum, insipiens autem populi detrimentū. Revolvamus veterum historias, reperiemus ubiq; ejusmodi fuisse seculi mores, cujusmodi fuerat principis vita. Proinde principis, & ejus qui principis munus gerit, est se quàm optimum exhibere, cum enim quoddam Dei sit simulachrū, suarū partium est bonitate, clementia, sapientia;

Sap. 6.

Persius Sat. 1. & 3. cujus sensum videtur hic autor non satis assequi.

Ose. 4.

Sapientiæ 6.

pientia & doctrinâ, omnibus velle prodesse: hoc secum animo perpendat: memineritque id se esse in populo quod sol in mundo: quippe ut Deus pulcherrimū sui simulachrū in cœlo constituit, solem, ita inter homines vivam ac evidentem sui collocavit imaginē Regē atq; Principē. Sole nihil communius, ac cæteris item corporibus cœlestibus lucē suam impartit; ita princeps publicis usibus maximè debet esse expositus, & nativū sapientiæ lumen habere domi, ut etiā si quid cæcutiant cæteri, nunquam tamen ille hallucinetur. Curandū ergo principi, ne ejus, quod ab eo exigitur, expers inveniatur. Alioqui audiet Dominum per Oseam vocē dicentē, Conticuit populus meus, eò quòd non habuit scientiam, quia tu scientiā repulisti, repellā te ne sacerdotio fungaris mihi. Audi hæc, Rex, hæc discute Princeps, intellige sacerdos, cum & ipse principatū in terris geras, quid Dominus à te exigat, quid tibi præscribat: Cū(inquit Deuter. 17. à ver. 16. ad finē cap.)fuerit Rex constitutus non multiplicabit sibi equos, non reducet populū in Ægyptū equitatus numero sublevatus, præsertim cum dominus præceperit, ne per eandē viā revertamini. Non habebit uxores plurimas quæ alliciant animū ejus, neq; auri & argenti immensa pondera. Postquā autē sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomiū legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribûs, & habebit secū omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominū Deū suū, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neq; declinet in partē dextrā vel sinistrā, ut longo tempore regnet ipse & filii ejus super Israel. Audis præceptū esse, ut non sit magnus equorum strepitus, ut non reducas populū in Ægyptū; Ægyptus cū sit terra vitiosa in quā populus Dei sub duro Pharaonis imperio operibus luti & lateris, omniq; oneroso famulatu premitur. Audis præterea nō licere plurimas habere uxores, quæ animū tuū alliciant, non decere domi alere tot scorta, tot Veneres, quæ te continuè exedunt, tuamq; substantiā disperdunt. Quæ nunc (malum) impudēs, non dico, sacerdotum impudēntia, qui effronte libidine membra Deo dicata templum Dei, quod ipsi sunt, spurcāt & contāinant, iisdem labiis osculari audentes Filium Virginis, quibus impuræ Veneris os & labia circumlāberant? Quid est nocte se exhibere filium Veneris, die autē, polluto ore pollutissimaq; mente insumere filium virginis? Tu quisquis sacerdos es, quiq; totus divinis rebus es consecratus, cogita quā indignum sit facinus, eo ore sumere adorādum illud corpus, quo putidā scorti carnē contigisti: iisdē manibus abōinandas sordes cōtrectare, quibus ministrantibus angelis ineffabile illud mysteriū peragis. Item, quā non conveniat idē corpus eundē cum Deo spiritū fieri, & unum corpus fieri cum meretrice. Pudet me multa de his dicere, quæ tāen multos minimè pudet facere. Vellē mētirer, vellē mēdacii arguerer. Hæc, ut vereor, veriora sunt quā ut redargui possint. His & aliis datur scādalum populo, præbetur offēdiculum vulgo, cui hac tempestate vilet & contemptui est ordo quilibet sacer. Vilis plebs te sacerdotē nunc cachinnis atq; ludibriis incessit, & odit qui calumniādi ansā ultro præbueris. Dicit nāq;: Tot hic aut ille scorta domi suæ ex patrimonio Crucifixi nutrit, quo non sordida scorta, sed pauperes Christi forent sustentandi. Tot hic aut ille sacerdotiis, seu (ut dicunt) præbendis & beneficiis ecclesiasticis est suffarcinatus, quē non multis sacerdotiis deceret esse suffarcinatum, sed vitâ, moribus atq; virtutibus esse probatum. Habet profectò & vulgus suos oculos, habet & suum de te judicium, quod tu ne ut vile refutes, dico sæpe etiā, ut aiunt, & olitor est verba opportuna loquutus. Quamdiu ipse pergis te tua vita tuisq; moribus dedecorare, & ipsum vulgus de te judicium dare nō desinet. Vis ut te vulgus amet? ut te revereatur? ut te amore & benevolentia prosequatur? age quæ amore sunt digna, quæ amorē & benevolentiam promerētur, quæ justum est in te revereri: ita te geras ut sis illi probæ vitæ norma & regula, fingas te quandā ōnis virtutis amussim. Curandum est & id tibi præcipuè, qui inter sacerdotes primas tenes, ut non de cathedra Mosis reddas cathedram pestilentiæ. Qui bene sederit super cathedrā, honorē accipit cathedræ: qui verò male, injuriā facit cathedræ, authore Chrysostomo dist. 40. c. Multi sacerdotes. Officium tuum aptissimè Hieronymus super Levitico scribens cōmonstrat, ut habes 36. distinctione, quē Canonem ad verbum hic subjicere lubet: Si quis (inquit) pontifex vult esse non tam vocabulo quàm merito, imitetur Mosen & Aaron. Quid enim dicitur de eis? Quod non discedunt de tabernaculo domini. Erat ergo Moses indesinenter in tabernaculo Domini. Quid autem ei opus erat? ut à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt pontificis opera, ut à Deo discat, legendo scripturas divinas, & sæpius meditando; aut populum doceat: sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerat, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus Sanctus docet. Est & aliud opus quod fecit Moses: Ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos, sed quid facit? orat: & donec orat, vincit populus: si relaxaverit & dimiserit manus, populus vincitur & fugatur. Oret ergo sacerdos ecclesiæ, ut vincat populus qui sub ipso est, hostes invisibiles Amalechitas, qui sunt dæmones impugnantes eos qui volunt piè vivere in Christo. Hæc Hierōymus. Verēdum est, proh dolor! (ut audētius quid dicā) pontifices nostros

Marginal notes: Osee. 4. — Exod. 1. — Non sunt scorta alenda. — — Chrysostomus, Hieronymus de officio pontificum.

ſtros non multum vacaſſe orationibus, non uſq; adeo meditatos fuiſſe legem Domini, non continuam moram traxiſſe in tabernaculo Domini, quin pro lege Domini, meditatos fuiſſe legem Martis, Veneris & Bacchi, de tabernaculo Domini abſceſſiſſe ad cruenta bella, pro gladio Spiritus Sancti, quod eſt efficax verbum Dei, exemiſſe gladium cruenti Martis, non expandiſſe manus in cœlum, ſed per ignaviam remiſiſſe in cœnum. Hinc factum quòd populus Dei vincitur & fugatur, invaluerunt Amalechitarum vires: Hæreticus & ſchiſmaticus, hoſtes noſtri domeſtici, ſuum evomuerunt virus, quo, proh pudor! infectus totus penè Chriſtianus orbis. Nemo repertus qui præmunierit antidoto, quiq; remedio ullo ſuccurrere ſtuduerit, ſed pigri, ſocordes, nulla alacritate inſignes, admiſimus nos falli nobiſq; imponi. Ubi modò induſtrii patresfamilias? quos decuiſſet excubias poſuiſſe, ne nocturni fures nos incautos oppreſſiſſent, ne oppreſſos ſuo cachinno irriſiſſent. Jam facti ſumus opprobrium, ſubſannatio & irriſio inimicis noſtris. In nos comminiſcuntur carmina, in nos occentando jaculantur convitia, & convitiando varia impingunt cognomina. Nec ſatis hoc, quin ſæviunt in divos & ſanctos, quinetiam in eum qui eſt Sanctus Sanctorum in ſecula benedictus, protervиunt. Nempe latrones hi ubi inconſutilē Domini tunicā in varias partes conati ſunt rumpere, demū invaluerunt ipſiſſimum corpus & ſanguinem Domini, commiſcentes ſacra prophanis, adulterantes legitima, antiquantes ſacroſancta ſacramenta, Chriſti ſanguine ſancita. Quid multa de his ego effutiam ineptus? Compertum habetis quòd non vobis mentior, quodq; hæc longè ſeſe execrabilius habent, quàm ego dicere poſſum. O tempora, ô mores! eò dementiæ ventū, quòd humana protervitas Divinam inceſſit Majeſtatē? cui omnis majeſtas cedit, quam omnis principatus in cœlo & in terra veneratur & adorat: cuiq; omne genu cœleſtiū, terreſtrium & infernorū flectitur atq; proſternitur. Si humanis cautum eſt legibus, ne Imperatori quis maledicat, & ne contra magiſtratus ſuos quis ſceleſtā ineat factionē, quantò magis id cautū oportuiſſet in eum, qui ſummū Imperatorē, illum Monarcham mundi inceſſit, cœlo; terræ, mari & ventis, & quæ in his ſunt creaturis imperantem? Uſque adeo Judaica rabies non ſævиit in Chriſtū Dominum, ut poſtea hæc ſordidorū hominū colluvies ludibriis, irriſionibus, calumniis, blaſphemiis & ſpurcitiis innumeris eum eſt adorta, ſiquidē illi poſtremò palam & in aperto profeſſi hoſtes Chriſtū multis plagis impoſitis crucifixerunt; hi autem ejus morte redempti, & in ejus ſacramenta jurati milites, qui & ultro ſe ſacramentario munere ſubarrari permiſerunt, facti apoſtatæ & transfugæ deficiunt ad hoſtes: deſciſcunt à vero duce, deſerentes propria caſtra, dant manus & paciſcuntur cum hoſtibus: Obliti & immemores datæ fidei, perjuri ſeſe agglomerarunt inimicis catholicæ fidei. Interim tamen ſe inimicos videri nolunt, quin evangelici nominis prætextu, jactant ſe veſtigiis Chriſti inſiſtere, Chriſti doctrinam & viam ſequi. At quò ſua figant veſtigia, & ad quæ ſuam doctrinam moliantur ſatis exploratum eſt. Pax publica turbatur, quies privata negatur. Nuſquam eſt, ubi tutò quiſquam ſibi conſulere poſſit. Confuſus eſt omnium rerum ſtatus. Quocunque vergas, quocunq; oculos declines, non datur cernere quod antiquam repræſentet morum honeſtatem. Non opus eſſet adeo in id incumbere, ut quæque innovarentur, modò ſinguli ſtuderemus obſervare ea quæ antiquitus ſunt ſancita: Non in tantum dediti in quæſtum, in privatum commodum, inhiantes prædæ & avaritiæ, non ſecus huc atque illuc hæc ſacerdotia & beneficia diſtrahentes, quàm ſi venalium mercium publicam auctionem, ſeu venditionem faceremus. Quid Deo cum Belial? Quid ſacra ad Mercurium prophanum mercaturæ Deum? Abeat & valeat ille cum ſuo ethnicarum mercium emporio. Inſpiciantur Hebræorum hiſtoriæ, reperiemus ubique peſſum iviſſe Judæorum religionē, dum per fas & nefas ambiebant magiſtratus & ſacerdotia. Diceret hic adverſum me adverſarius, Tu ſi hic ſis aliter ſentias; Reſpondeo, ſive ego ſive ille aliter ſentiat, hunc prætextum ſive hanc doloſam ſtropham nihil in re mutare, ſed magis dare errori patrocinium, quo rei veritas ſemper eluditur. Inſuper & iniquiſſimum eſſe Chriſti ſacerdotes hæc beneficia diſtrahere, veluti venales merces eſſent, quæ tabernatim circumferuntur. Non hæc propheta vult eſſe intelligenda & erudienda. Non præpoſtero modo faciundum, ut qui diabolo & omnibus operibus idololatriæ renunciavimus, & Deo nos totos devovimus, rurſum ad illius, puta diaboli cultum & ſervitium recurrere. Secus in utroque teſtamento factum legimus: Abraham homo dives de patria ibat, quò neſciebat. Apoſtoli de piſcatione lacûs Genezareth ad piſcationem hominum tranſierunt. At hoc tempore, plerique in Apoſtolorum loca ſe ſuffectos eſſe credentes, piſcatione hominum relicta redeunt ad lacum Genezareth, ad locum ſordidi quæſtus, in quo quæritur cibus ventris, in quo laboratur pro victu vilis corpuſculi. Miſeri, infœlices & ſtulti homines corporis tantùm ingluviei indulgentes, negligimus inquirere dulcem illum cibum animi. Et cum ipſo evangelico reti æternam neſciamus piſcari ſalutem, jacimus & ponimus laqueos & retia ad irretiendum & circumveniendum fratrem, ad machinandum dolum & fraudem. Quid multis morer? Intelligenda dediſcuntur & negliguntur, erudienda dedocentur.

C. ff. ad. l. Juliam maje. & C. ſi quis imp. male.

Ardentis & acris ingenii vir cum ſuis neutiquam pepercíſſet, in noſtros pa-ri impetū invehitur; dexteritate quadam loquendi uſus ut rigorem & παῤῥησίαν ſuam in Reformatos converteret, eoq; artificio auditores ſuos demulceret.

Gen. 12. Luc. 5.

Nos aliò mentes, aliò convertimus aures,
Omnia hic dicere,
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas,
Omnia cunctorum percurrere nomina possum.

Digrediar ergo ad alterā orationis partem,quæ est de eruditione, qua terrarum judices propheta jubet esse imbutos,siquidē nostrum sic habet elogium, Et nunc reges,&c. Quid propheta à terrarum judicibus exigat, & ad quid hortetur, satis ex ipso verbo haberi potest, dicens: Erudimini qui judicatis terrā, perinde ac si dicat, si hucusq; rudes inertesq; fuistis, tempus nunc est ut erudiamini: si hucusq; animos gessistis incultos, expedit nunc eos fieri cultos & expolitos. Quos si cultos & expolitos fieri volueritis, hilares agite, capessatis sapientiā & doctrinā, qua & vobis & gregi vestræ custodiæ commisso prodesse possitis. Videtis errabundū & palantē gregē multijugis insidiis obnoxium. Insidiantur fures & latrones qui gregem per devia abigere & abducere moliuntur. Opus ergo esset pastoribus,qui furum & latronum insidias frustrarent,qui contra rugientium leonum incursus, & contra rapacium luporum infestationes repagula ponerent. Præterea & opus esset canibus, qui gregem suo latratu à luporum morsibus tutarentur,quiq; & oves è luporum faucibus eripere sint gnari, nec quicquam timeant si quando lupus gregē invadat. Timerem ego quod, si Esaias plerosq; nostri seculi pastores cerneret,rursum diceret: Speculatores gregis cæci omnes nescierunt, universi canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia, & canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viā suā declinaverunt, unusquisq; ad avaritiā suam. Et Dominus per Hieremiā loquutus, sic criminaretur gregis sui perditionem: Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos,feceruntq; vagari in montibus. Rursum & Ezechiel stomacharetur his verbis: Væ pastoribus Israel,qui pascebant semetipsos, qui lac comedunt & lanis operiuntur, quod crassum est occidunt,gregem autem non pascunt,quod infirmum est non consolidant, quod ægrotum est non sanant,quod confractum est non alligant,quod abjectum est non reducunt,quod periit nō quærunt, sed cum austeritate & potentia imperant. Ovibus dispersis & segregatis non est pastor fidelis,factæ sunt ergo in devorationem omnium bestiarum. Hic ego me continere non possum,quin effutiā id quod res est,cogorq; dicere: Heu mihi! quàm paucos hæc mea verba movent, Eloquar an sileam? Quotusquisq; est hodie pastor, qui his fungatur officiis quæ Petrus pastoribus præscribit,dicens in epistola 1.cap.5. Pascite qui in vobis est gregē Dei: providentes non coactè, sed sponte secundum deum,neq; turpis lucri gratiâ,sed voluntariè,neq; ut dominantes in cleris,sed forma facti gregis ex animo: Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. Dicite pastores, quo amoris argumento dicere possitis vos Christum diligere,cum oves ejus pabulo sermonis evangelici pascere planè negligitis? Nonne hujusmodi amoris aut saltem dilectionis argumentum, à Petro sibi exhiberi postulat Christus, dum verbis sæpe repetitis eum interpellat,dicens: Simon * Johannis diligis me? Pasce oves meas. Cum pastores vocemini, cur non præstatis quod appellamini? Vestrâ appellatione,vestri officii admonemini. Quod si lupos in gregem impunè grassari sinitis, jam non pastores, sed mercenarii appellandi essetis. Enimvero bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem in lupi adventu oves deserit fugitque, ac sinit oves à lupo rapi & dispergi: Nempe quia est mercenarius, & oves non sunt illi curæ. Pastoris boni officium est, pascere gregem, curare, regere, custodire, nequa ovis ulla aberret: Errantem promptè, libenter, non gravatè, sed ex animo quærere quousq; inventa fuerit: Inventam autem in humeris ad gregem portare. Videmus (proh dolor!) hoc infœlici seculo,non unam aut alteram ovem errantem, sed totum fermè gregem pastore bono destitutū inter salebrosas hæreseos rupes errantem. Quotumquemq; putatis hodie reperiri pastorem,qui ovem errantem quærat,ut servet,ut reducat,qui & in humeris suis ovem ad gregem vel ad ovile portet? An non diceretis plerosq; in hoc tantùm deditos esse pastores,dum ovem quærunt,ob nil aliud quærere, quàm ut lanam cum vellere deglubant,ut ovem excorient, ut mactent? Nonne si nostri seculi pastores cum priscis conferre volueritis, diceretis illos re id præstitisse quod vocabantur,nempe pastores pascebant,& custodes custodierunt gregem: hos autē longè ab illorum studio excidisse & degenerasse: Illi, quanta curâ, quanta solicitudine, quanta diligentia vigilaverunt supra gregē suum, excubiis positis contra rugientium leonum impetus & furentium luporum insidias: illi indies & numerosiorem & fertiliorem reddiderunt gregem, lucrantes gregi amœnissima & latissima pascua, florentissima regna, celeberrimas urbes & nationes. At hodie,nescio qua fatorum invidiâ fieri videmus,quòd grex, puta populus Christianus, cruentissimis bellis, immanissimis cædibus, horrendissimisque pœnis affectus suis regnis exulat. Quod ne quis meum aut alterius cujusquā commentum esse dicat, in promptu ejus quod dico occurrit argumentum & exemplum: Pro se, rogo, mihi quisque intendat

Esaiæ 56.
Hiere. 50.
Ezech. 34. vide Serm. Synodalem Hildeberti in Appendice & suprà pag. 290.
Ovibus dispersis, non est pastor fidelis.
1 S. Petr. 5. 2, 3, 4.
* Ita est in vulgari transl. parum autem respondet hoc nomen Ἰωνᾶ in originali.
Johan. ult. 15.
Mercenarii Johan. 10.

intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, aut quibus artibus res Chriſtiana & Evangelii majeſtas longè lateque per univerſum terrarum orbem eſt propagata? Labente deinde paulatim diſciplinâ, ſecum cogitet, ut ſenſim quoque partum illud & per omnia penè mundi regna auctum Chriſti imperium magis magiſque dilapſum ſit. Primò amiſimus Africam, deinde mox tota Aſia Saracenis & Turcis ceſſimus, poſtremò etiam majore & nobiliore Europæ parte adempta, vix tandem in Europæ angulo deſidemus, noſtras ipſorum conterentes vires, inteſtinis tumultuantes bellis, mutuis digladiantes armis, Turcarũ immanitati non modò non repugnantes, verùm eam potius per mutuas contentiones & inteſtina diſſidia, nutrientes. Heu miſeram & infœlicem Chriſtianæ religionis ſortem! O cæcas noſtrorum principum mentes, quos tantus perturbationum ſtupor oppreſſit, ut perinde tanquam in theatrali ludo otioſi ſpectarint, intra biennium Rhodum occupari, & hoc ipſo * anno majorem Hungariæ partem ſivimus à Turcis devaſtari, in quo quidem bello bellicoſiſſimus ille Chriſtianæ religionis pugil & athleta, fœlicis recordationis Rex Hungariæ, de Chriſtiana fide ſemper bene meritus, interiit, à ſuis deſtitutus, non audeo dicere, ut fertur, traditus. O vos principes Chriſtiani, quibus victimis, quibus putatis piaculis, quibus luſtrationibus tantũ facinus eluetis? qui licet titulo tenus, quaſi dii tutelares ſalutẽ & ſecuritatẽ Chriſtianæ reipub. polliceamini, quos vel ipſa cognomina ad publicas clades levandas inflammare debuerant, Chriſtianas tamen opes diſtrahitis, evertitis, dilaceratis. Cavete, cavete, ne qui nunc ab aliena domo incendium reſtinguere negligitis, mox flammarum impetus in veſtras proprias evolent ædes, utque poſterior Africanus in incenſæ Carthaginis conflagratione Rom. urbis occaſum verſibus Homericis deflevit:

* 1526.

Tempus erit ſacram quod deleat Ilion urbem,
Ac Priamum & Priami populum, regnumque decori.
Veſtra reverà agitur res, paries modò proximus ardet.

Subvenite ergo Principes, accurrite per deum immortalem, occurrite perditis & profligatis rebus, jam tandem opem afferte. Extremum periculum cuique veſtrum ante oculos obverſatur, quod prius fides & pietas debuerat, jam ſumma cogit neceſſitas, ut qui prohibere noluiſtis, ne hoſtili igne arderemus, ſaltem jam exuſtam & conflagrantem Chriſtianam remp. à tanto incendio liberetis. Quo autem noſtra intendit ſimulatio? cur publica omnium errata in unum aut alterum conjicimus? Magis ipſi in cauſâ & culpa ſumus. Accuſetur noſtra negligentia, accuſentur inteſtinæ ſimultates & civiles diſſenſiones, quibus nimium Chriſtiana reſp. conteritur, & interim dum nos ſic domeſtico bello tumultuamur, tertius nos invadit hoſtis, barbarus & immaniſſimus ille Turca pro certo ſperans, & jactare non deſinens, ſe propediem totius Chriſtiani orbis potiturum imperio. Qui quidẽ nobis haud dubiè eſt ille Aſſyriorum rex Sennacherib, vel Babyloniorum tyrannus Nabuchodonoſor, à Deo ad nos miſſus, quem peccata noſtra meruerunt, à quo nobis imminet virga furoris Domini, qua flagellamur prævaricatores & tranſgreſſores mandatorum Domini. Porrò hoc ſic in pſalmo myſtico comminatus eſt, dicens: Si dereliquerint filii mei legẽ meam, & in judiciis meis non ambulaverint, Si juſtitias meas prophanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Et per Ezechielẽ, quia ſacerdotes, inquit, contempſerunt legẽ meã, & polluerunt ſanctuaria mea; Inter ſanctũ & prophanũ non habuerunt diſtantiã, inter pollutũ & mundũ non intellexerunt, & à ſabbatis meis averterunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorũ; Principes quaſi lupi rapientes prædã, ad effundendũ ſanguinẽ, & ad perdendas animas avarè ſectando lucra. Prophetæ liniebant eos abſq; temperamento, videntes vana & divinantes eis mendaciũ, dicentes: Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non ſit locutus. Et rurſũ per Michæã: Principes in muneribus judicabant, & ſacerdotes in mercede docebant. Prophetæ in pecunia divinabant, & ſuper Dominũ requieſcebant, dicentes: Nunquid nõ Dominus in medio noſtrũ? Nunquid ſuper nos venient mala? Propter hoc cauſa veſtri, Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalẽ quaſi acervus lapidum erit, & mons tẽpli in excelſa ſylvarũ. O Sion, ô Hieruſalẽ civitas Deo ſacra. O ſancta Chriſti eccleſia! quæ quondã ab Aſſyriis & Babyloniis exteris tuis inimicis expugnabaris; Nũc autẽ longè execrabiliori bello, non modò ab exteris, verũ etiã ab intraneis pignoribus juratis militibus grave internecinũ bellũ, ne dicã exitiũ, pateris. Hi qui in tua ſacramenta jurarunt, facti transfugæ, apoſtatæ, tua caſtra relinquunt, paciſcendo cũ hoſtibus. Quæ hæc iniquitas? quæ veſania? Siccine fides ſervanda? ſiccine promiſſũ in fidei ſacramenta? Domeſticis his hoſtibus nõ ſat erat diruta eſſe templa, quũ aras, templa, ſacras ædes & domos ſunt demoliti, quin ſcelus ſcelere gravantes, temerario auſu graſſati ſunt in ſanctuariũ Domini, in quo juxta Ezech. prophetæ vaticiniũ egerunt, ipſũ ſanctuariũ prophanantes, nullo diſcrimine inter ſanctum & prophanũ habito, inter mundũ & pollutum, nil intelligentes, ſabbata & ſacras ferias prophanantes, docentes ea quæ carnis ſunt, non quæ ſpiritus. Blando ore, blandoq; ſermone incautos homines incautaq; pectora fallentes, nõ ſecus ſacris literis abutentes, quàm verſipellis ille ſatã, cujus

23. q. 5. c. remittantur.
4 Reg. 14, 15.
Pſal. 88.
Ezech. 22.
Mich. 3.

cujus Evangelium meminit,qui ad suum sensum sacris literis abusus,Salvatorē nostrū decipere
Matth. 4. est molitus. Qui nimirum stulti & impii homines, ex sacris literis hæreseos & majoris impie-
Luc. 4. tatis habēt occasionē,sicut ediverso sobrii & prudentes salutarē ex his habent alimoniā,quem-
Plinius 16. admodum simile legimus de rhododaphnes arboris frōdibus,quæ (authore Plinio) quadrupe-
cap. 20. dibus venena sunt,hominibus autē contra serpentiū venena remedio. Proinde hoc unū dicere nō erubeo, Præstaret nunquā evangelia & sacras literas legisse, quàm horum lectione id fieri quo demū prævaricemur legē Altissimi. Enimvero nō hæc sapientia nec prudentia,sed prudentiæ nequitia,de qua Eccles. 19.dicitur: Melior est homo qui minuitur sapientia, deficiens sensu in timore dei,quàmqui abundat sensu & trāsgreditur legē Altissimi.Longè satius esset tibi cum Paulo & Antonio eremitis,rusticis illis patribus qui in eremo latitarunt,literas nescire, & cum illis consors fieri cœlestis gloriæ,quàm eas scire & cum versutissimo hæreticorum sodalitio detrudi in infernū. Quid,rogo,est scientia, quando charitas nos non informat, quando intellectus nō captivatur ad fidē,quando cor ad servitutē Christi nō redigitur? Præter modū
Roma. 12. & plus quàm oportet sapere est desipere. Paulus ad Romanos scribens,præcipit ut ad sobrie-
2 Tim. 3. tatē,& nō plus quàm oportet sapiamus, ut non simus prudentes apud nosmetipsos, & ut non alta sapiamus,sed humilibus consentiamus. Diligit Dominus mites & humiles corde. Non simus quales idē futuros esse prædixit,ad Timotheum scribens,fore his extremis temporibus, quòd erunt homines sui amantes,cupidi, elati,superbi,blasphemi, parentibus immorigeri, ingrati,scelesti,sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites,sine benignitate, proditores,protervi,tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei,habentes speciē quidem pietatis,virtutē autē ejus abnegantes. Hæc ea periculosa esse tempora, quis modò non diceret? Videmusne,quàm universus terrarum orbis, ex pravis & perversis moribus degenerans, totus Redemptori factus sit contumax & rebellis? Hæreses ubique pullularunt, ubiq; eruperunt,& indies magis magisq; propagantur, quibus infœlix plebs & ad omnem rerum novandarum varietatē obvia semper & exposita velut pestifera quadā contagione tabescit, adeo ut & magna Europæ pars, quæ hactenus omni monstro caruit, tota sui dissimilis sit facta, quoniam cum fide perfidia, cum pietate impietas, cum veritate mendacium nullo pacto cohæret. Proruperunt ab inferis furiæ ipsæ Erynnies, ira, rabie,cæde, sanguine,scelere,perturbantes,involventes, permiscentes universa. In qua omnium rerum confusione nihil est,quod nō inquietatum sit,ita ut verè nunc dicere possimus, ut habetur Maccabeorū 1.cap. 3. Ablatam esse voluptatē à Jacob,& deficere apud eum tibiā. Nonne ut eodē loco dicitur, Sancta conculcata & contaminata sunt, sacerdotes facti sunt in luctum & humilitatē, nationes convenerunt adversum nos ut nos disperdant. Dixi fortasse de his longius quàm ferebat tempus,sed omnino parcius quàm res poscit. Reliquum est ut redeā ad orationis meæ elogium: Et nunc Reges, &c. Si hactenus neglectum est meditari in lege Domini, si hucusq; cessatum est ambulare in via Domini, si ad hunc usq; diē desitum est nolle salubri admoneri eruditione, tēporis nunc est erudiri. Apprehendamus disciplinā,ne pereamus de via justa. Satis jā superque insanitū est, satis in mutua debacchatū est exitia,satis hactenus furiis orcoq; litatum,satis diu, quæ Turcarum pascat oculos acta est Tragœdia: si volumus Turcis & inimicis Christianæ fidei formidabiles esse,simus concordes,sit amor mutuus,sit timor Domini,extirpentur hæreses, facessant intestina jurgia & dissidia: fœdum est Christianos cōtra Christianos belligerari. Etenim Christianus orbis una nobis est patria,una nobis est ecclesia,una familia,eadē sumus gēs & ejusdē civitatis incolæ, ejusdē corporis membra, ab eodē continemur capite Christo Jesu, eodē vegetamur spiritu,pari pretio redempti,ad eandē hæreditatē ex æquo vocati: sit igitur omniū eadē vox,eadē mens,idem conatus. Vos ergo appello Reges, principes, pontifices, de quorum nutu Christiani orbis fœlicitas potissimum pendet, ut super his intelligatis, in quibus Christianæ fidei commodū quæritur,& incommodū evitatur. Vos appello,terrarum Judices, Primates,magistratus,pastores, sacerdotes & qui ecclesiasticâ præminetis dignitate, ut quisq; ruditate seposita, curet salubri eruditione fieri verum Christianæ scholæ membrum. Adest modò tempus acceptabile,adest dies salutis,quod insanivimus imputetur satis,resipiscamus & conemur impetrare veniā. Adoremus,procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. Apud eum est portus placida manens quiete. Apud
Matth. 11. eum patens unum omnibus miseris asylum. Jubet ipse nos ad se venire, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego reficiā vos: tollite jugum meum super vos & discite à me,quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiē animabus vestris: Jugum enim meum suave est,& onus meum leve. Hanc nos doctrinā intelligere, & hac disciplina erudiri omnes studeamus: Beatus est enim quem Dominus erudit & legem suā docet. Monstrat siquidem viam qua itur ad gaudia vitæ,ad quam nos omnes pervenire concedat idem is,
Johan. 14. qui dixit: Ego sum via,veritas & vita,qua vita & propheta cum Christo in æternum fruitur, qui vos Reges & terrarum Judices ad eam quoq; adipiscendam adhortatus est, dicens: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram. Dixi.

FINIS. ¶ O. G.

¶ O. G. Lectori S. P. D.

REvolvisti, Lector candidissime, quæ ad instaurandos mores, & Ecclesiæ reformationem, non parum (ut ipse opinor) nobis conducere videntur. Quapropter non erit importunum, si & summum etiam Oratorem, doctissimumque Theologum, Erasmum videlicet Roterodamum, de hac ipsa eadem re, tum pro sua in Deum pietate, tum pro communi omnium salute, salubriter disserentem audiamus. Est enim hic talis ac tantus vir, ut nihil à se perperam, aut male dictum velit. Nam cœli filius in salebra ac luto hærere non potest. Vale fœliciter. Erasmi Rot. laus.

DES. ERASMI ROTERODAMI

Liber de sarcienda Ecclesiæ Concordia, deque sedandis opinionum dissidiis, cum aliis nonnullis lectu dignis.

¶ In Psalmum Octogesimumtertium. Cujus initium: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, &c.

Des. Erasmus Roterodamus Clarissimo viro Julio Pflug. S. D.

QUantopere te pigeat horum semper in pejus gliscentium dissidiorum, quantoque pectoris ardore suspires piis omnibus optabilem ecclesiæ concordiam, Juli vir ornatissime, satis arguunt tot tuæ ad me epistolæ, semper eandem occinentes cantilenam, magnaque instantiâ efflagitantes, ut hujus tempestatis me sedatorem præbeam: quod quum tu nihilo verecundiùs facias, quàm si jubeas Pygmæum Atlantis vice, sustinere cœlum, tamen à me nullam admittis excusationem. Erras tu quidem, mi Juli, vehementer ignorantiâ mei; verùm hic error quo major est, hoc magis declarat insignem tuam pietatem erga Dei domum, in qua tu non infimum tenes locum, tenesque ob eximias virtutes tuas meritissimò: quibus hoc decentius ornaris, quòd hinc nullum omnino tollis supercilium, sed agnoscis Domini munificentiam, quales viros si multos haberet Respub. Christiana, aut hi tumultus non extitissent, aut jam pridem essent consopiti. Ipse verò sic inter sacrum (ut aiunt) & saxum constrictus, ut quod flagitas nec recusare per te liceat, nec ex me præstare valeam, medium quiddam reperi, quòd te posthac utar aliquanto placatiore. Tractavi Psalmum 83. in quo divinus ille Spiritus mirè nobis commendat ecclesiæ concordiam. Non parum juvat hortator, in hoc sanè negotiorum genere, in quo bona pars facti est, propensa voluntas, cui nunquam deesse solet benigni numinis præsidium. Quod si Christus & illud largiri dignetur, ut ecclesiasticæ pacis amor quo tu tam insigniter flagras, omnium animos corripiat, brevi futurum est; ut nec tu flagitando, nec ego recusando sumam inanem operam, sed uterque alteri gratulemur. Verùm à Psalmo non te remorabor diutius. Datum Friburgi, pridie Calendas Augusti, millesimo quingentesimo tricesimotertio.

DES. ERASMI ROTERODAMI DE

Amabili Ecclesiæ Concordia Liber.

PSalmum octogesimum tertium ob id selegimus enarrandum, quòd in eo Spiritus Sanctus, multis argumentis, magnaque tum evidentia tum vehementia, nobis speciosam illam ac beatam ecclesiæ concordiam commendat: qui sermo quum omni tempore salutaris est atque utilis, tum verò hoc seculo sectarum feracissimo videtur ita necessarius, ut non alio magis. Quisquis igitur diligit pacem illam, quæ juxta beatum Paulum exuperat omnem sensum, quæque sola custodit & ab omnibus malis tuetur corda & corpora nostra in pacificatore Jesu Christo Domino nostro, ad hanc auditionem aures animosque attentos adferat. Titulus nonnihil habet scrupulorum, sed his quanta poterimus brevitate discussis ad pulcherrimi simul & amœnissimi spectaculi contemplationem alacriores ingrediemur.

Titulus igitur in codicibus nonnihil variat, sive id accidit scribarum studio, sive sermonis Hebraici ambiguitas hanc nobis peperit varietatem. Septuaginta sic reddidere: In finem pro torcularibus filiis Chore psalmus. Hieronymus hoc pacto, Vincenti pro torcularibus filiorum Chore psalmus.

Roma. 10. Quum audis in finem intellige psalmum tractare de Christo, qui finis, hoc est, perfectio legis est omni credenti. Nulla est enim vera perfectaq; justitia, nisi per fiduciam sinceram erga illum, qui solus fide purificat corda mortalium. Quum audis Vincenti, sive pro victoria, protinus in mentem tibi veniat illud Paulinum, Neminem assequi beatam illam coronam gloriæ nunquam marcescentis, nisi qui legitimè certaverit. Quidam ex Hebræi sermonis peritia submonuit pro Vincenti, potuisse verti, effundenti sanguinem, ut non levem & incruentam pugnam, sed acre prælium, & ut Græci dicunt ἄσπονδον πόλεμον intelligas. Quum enim qui huic militant mundo toties sua corpora telis hostium objiciant, suamq; vitam ambigui Martis aleæ committant, ut supplicationem, ovationem, aut etiam triumphum assequantur, eumq; ridiculum verius ac ludicrum quàm speciosum, quem nemo vir gravis absq; risu videre posset, cujus universa pompa uno circumagitur die: quid non facient Christi milites, ut æternũ illũ Hcb. 11. triumphum assequantur in cœlis? Quanta nunc est gloria martyrum, qui suum effundendo sanguinem, per fidẽ vicerunt regna, operati sunt justitiã & adepti sunt beatas promissiones? Quorũ encomia per universum resonant orbem, & angelis applaudentibus sempiternum cum duce suo Christo triumphum agunt in cœlesti Hierosolyma? Quanquam & hi qui Paulo auscultantes amore Christi mortificant membra sua, quæ sunt super terram, libidinẽ, avaritiã, iracundiã, aliosq; id genus affectus, spiritui reluctari solitos, non incruento bello vincunt Satanam. Jam & in ipso psalmo fit mentio Tabernaculorum, sive tentoriorũ, quod militiæ verbũ est. Porrò quod in titulo additur, pro torcularibus, nonnihil torsit divum Augustinũ, eò quòd in psalmo nulla fiat torcularium mentio. Itaq; confugit ad allegoriã. Verùm animadvertere poterat Psalmorum titulos interdum indicare argumentum ex historia, velut in Psalmum 33. Psalmus David cum mutavit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum & abiit. Interdum diem festum quo decantari solet, velut Psalmus 91. titulum habet, Psalmus cantici in die Sabbati 92. Laus cantici David in die ante Sabbatum 93. Psalmus David quarta Sabbati. Nec oportet historicum sensum rejicere, quo locus fiat allegoriæ, quum ille sit hujus basis & fundamentum, qui cognitus facit ut aptius tractetur intelligentia retrusior ac mystica. Itaque titulus propheticus quum addit, pro torcularibus, indicat mensem septimum, qui apud nos September est. Nam prisci à mense Martio quum sol ingreditur Arietem faciebant anni initium, & ab hoc numerantibus, quoniam quintus erat is qui pòst dictus est Julius, Quintilis appellabatur, & huic succedens Augustus, Sextilis, ac cæteri item usque ad Decembrem, ex ordine sortiti sunt nomen. Quoniam autem mense Septembri vindemiæ tempus est, significantius erat & ad mysterium accommodatius dicere, pro torcularibus, quàm mense septimo. Sic Horatius initium veris indicans non inamœnâ figura dixit, Zephyris & hirundine prima. Simul autem indicantur dies festi, quibus hoc canendi certamen inter prophetas celebrabatur. Hinc est quòd aliquot Psalmorum titulus habet mentionem Liliorum sive Rosarum, vernum tempus indicans, & ejus temporis festa. Nam quum Judæis tria fuerint festa præcipua, Pascha in memoriam prodigiosè transmissi maris, & Pentecostes in memoriam legis in monte Sinai latæ ac receptæ, & tabernaculorum, de quo mox dicemus: Primum incidebat in veris initium, Secundum in ver jam adultum, Tertium in autumnum. Nam septimi mensis die 15. festum erat Scenopegiorum, à figendis tabernaculis dictum. Septem enim diebus jubebantur commorari in tabernaculis in memoriam veteris historiæ, quòd ex Ægypto profugi, per vastam & horridam solitudinem peregrinantes annis quadraginta habitarint in tentoriis, Deo viam monstrante, nocte per columnam igneam, interdiu per columnam nubilam, cujus interim beneficio, nec potus nec cibus illis defuit, nec vestes aut calceamenta detrita sunt. Quo tempore & templum ipsum erat tabernaculum, mansitq; donec Solomon extrueret illud templum Hierosolymis, ipsis etiam ethnicis venerabile. Hujus tam benignæ numinis providentiæ ne vel ipsi possent oblivisci, vel ad eorum posteros non perveniret tanti miraculi notitia, jussi sunt quotannis circa vindemiæ tempus tabernaculorum festum agere per dies octo, idque mense septimo: qui quodammodo sic in mensibus est Sabbatum, quemadmodum in diebus dies septimus, in annis septimus annus, qui terris quoque suum dabat otium, in annorum hebdomadibus, Jubilæus septem annorum complectens hebdomadas. Ex his ergo septimi mensis octo diebus primus erat Sabbatum, utpote tertiæ hebdomadis initium, & item octavus quartæ hebdomadis initium. Uterque jejunio & otio peragebatur. Cæteri qui inter hos intercedebant, sacrificiis, hymnis, gratiarum actione & gaudiis solennibus transigebantur. Octavus tamen dies velut novi festi principium erat, videlicet cœtus sive collectæ, quòd tum præter impendia sacrificiorum ac donorum, nonnihil à singulis colligeretur in sumptus tabernaculi. His de rebus tractatur

Levi-

Levitici vicesimotertio,& Numerorum vicesimonono. Proinde quanquam in titulo non est expressa mentio tabernaculorum,est tamen tacitè comprehensa designato mense,quo Scenopegiorum festum celebrabatur collectis jam omnibus terræ frugibus. Mensis autem ille ferme totus festis & sacrificiis peragebatur, quo scilicet & Levitis provideretur, & populus agnosceret se quicquid terra produceret divinæ munificentiæ acceptum ferre debere: ut nec ad luxum abuterentur, si quando annona provenisset largior, nec desponderent animum, si quis annus extitisset sterilior, ab ipsis admoniti tabernaculis, quòd quum per steriles arenas ac sitientes facerent iter,Dominus non passus sit illis quicquam deesse,sed manna demiserit è cœlo,aquam effuderit è petra. Nam qui fieri possit, ut qui sic vestit agrestia lilia, qui pabulum suppeditat passerculis, sinat famulos suos egere necessariis, præsertim quum piorum sobrietas paucissimis sit contenta? Quo turpius est, quòd hodie Christiani quidam, ubi divina benignitas uberiorem annonam effudit, non ad gratiarum actionem, non ad liberalitatem in sacerdotes & pauperes, sed ad lasciviam, luxum ac libidinem convertuntur. Contrà si paulò malignior fuerit provenrus, obliti superioris abundantiæ ac de futura diffidentes, intendunt rerum pretia, contrahunt manus in egenos, occulunt quod debetur sacerdotibus, frustrantur creditores. Quanto dignius erat iis qui Christi titulo gloriantur, ut quo parcior fuerit anni proventus, hoc effusior esset divitum in pauperes benignitas? Non enim Deus in hoc dedit messem uberiorem, ut in tuis horreis frumenta computrescerent, sed ut quod superest in usus pauperum dispensaretur. Ita fieret, ut superiore fertilitate videare non indignus, & in sequuturis annis majorem Domini liberalitatem promerearis. Porrò festum illud tabernaculorum quod olim à Judæis celebrabatur, τυπικῶς designasse celebritatem ecclesiæ Catholicæ non obscurè declarat Propheta Zacharias capite 14. Erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes quæ non ascenderunt ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. In eodem capite fit mentio torcularium, ut hujus Psalmi argumentum ex eo Prophetæ loco sumptum videri possit. Illud vigilanter annotatum est ab Hieronymo,tres esse psalmos,quorum titulus meminit torcularium. Octavus qui inscribitur David. Octogesimus qui inscribitur Asaph; & hic octogesimus tertius qui inscribitur filiis Chore. Quibus & hoc commune est, quòd omnes meminerunt victoriæ. Ogdoas autem resurrectionis gloriæ dicata est. Hic est enim dies quem fecit Dominus à mortuis resurgens in quo jubemur lætari & exultare tripudiis spiritualibus. Nam ubi resurrectio,ibi vita est: Vita autem est innocentia, quemadmodum peccatum mors. Primus igitur dies plausibilis erat hominis ad imaginem Dei conditi,de quo tractat Psalmus octavus,ostendens hominē ita conditum,ut angelis esset proximus. Secundus erat hominis per legem ad innocentiam revocati, quo indicat Ogdoas decies multiplicata, decalogum figurans. Hic tertius ostendit hominem per evangelii gratiam eò perfectionis evectum, ut licèt corpore degeret in terris, per fidem tamen ac spem conversationem haberet in cœlis. Eoque decem Ogdoadibus additur ternio, quòd per evangelicam lucem mundus universus cognovit dilucidè mysterium sacræ Triadis. Patrem noverant & Judæi, sed posteaquam filius assumpta naturâ humana in terris visus est, & cum hominibus versatus est, moxque receptus in cœlum,emisso cœlitus Spiritu innovante linguas ac mentes omnium, tum demum dilucidè mundus agnovit in tribus personis unum Deum, & in eadem natura divinâ tres personas Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Quoniam autem Gentes solent vindemias prophanis & impiis ritibus in honorem ridiculi Bacchi celebrare, incompositis ludis, indecoris saltationibus & obscœnis verbis lascivientes, cujus insaniæ dolemus in hodiernum usque diem nonnulla conspici * vestigia: Moses publicam lætitiam ad religiosam gratiarum actionem, petulantes motus ad propheticas saltationes (Nam & David in honorem Dei ante arcam saltasse legitur) impios hymnos & impudicos sermones ad mysticos psalmos convertit, effecitque ut impurus cultus, quem aliæ nationes dæmonibus exhibebant, in veri Dei cultum verteretur. Habebant & Gentes in his festis sua certamina, in quibus homines parum sobrii, facie fæcibus oblita de plaustris ridicula carmina jaciebant: victori præmium erat hircus, dignum (ut aiunt) patella operculum. Hic inter Prophetas erat certamen, plenum religionis ac reverentiæ. Unde psalmi complures in titulis habent, pro victoria. Tale certamen & Apostolorum temporibus erat in cœtibus Christianorum. Unus loquebatur linguis, plures prophetæ officio fungebantur. Nec hic fervebat indecora contentio, sed si cui alteri fuisset revelatum, prior tacebat: Nec victus sibi displicebat, sed gratias agebat spiritui, qui per alium hoc docere voluit, quod ipsum fugerat. Nec victor efferebatur animo, sciens totum hoc esse divini Spiritus energiam, qui cuique dividebat sua dona prout volebat. Tale canendi saltandique certamen erat inter hos Prophetas. Hoc exemplo nos erudimur, ut sive laboramus & affligimur adversis, sive rebus prosperioribus delinimur, omnia in gloriam Dei faciamus. Nunc complures Christiani tantùm morbis, bellis, aliis periculis Deum invocant, & ita distinguunt tempora,ut tristia secent Deo, lætiora tribuant satanæ. In funere charorum videas aliquam pietatis speciem; in nuptiis,

Zachariæ 14.

In tribus personis unus Deus.

* Sc. Carnevale, ut statim constat.

nuptiis, in victoriis, in conviviis nullū Christianæ mentis vestigiū. Existimant abundè satisfactum Deo, si per tempus quadragesimæ paulò vivant severius, sed imminente quadragesima quàm irreligiosa licentia? rursus exacta ea feriis Paschalibus, quanta aviditate reditur ad intermissas voluptates? Atqui decebat Christiana gaudia non minus habere religionis quàm luctum. Quamdiu versamur in his tabernaculis, sunt variæ rerum vices. Est tempus nascendi & est tempus moriendi, tempus nubendi & tempus abstinendi à nuptiis, tempus gaudendi de natis liberis & tempus lugendi defunctos liberos, sed Christianis nullum oportet esse tempus vacuum à pietate. Sub festum diem celebretur jejunium, sed religiosum. Festus dies requirit lætitiam, sed spiritualem. Illic nonnihil contristamur, sed secundum Deum: hic lætamur, sed coram Domino. Quemadmodum de gaudiis Evangelicis loquens Esaias cap. 9. ait Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Bene lætantur, qui lætantur coram Deo, qui purà conscientia illi pro tristibus pariter ac lætis gratias agunt. At qui lætitiæ temporibus, aleæ, temulentiæ, turpilòquiis & scortis indulgent, coram mundo fortasse lætantur, coram Deo insaniunt. Sed his forsitan diutius immoramur, quàm sat est, utinam & sine causa. Absolvamus igitur tituli mysterium. Octavus Psalmus inscribitur David, quæ vox Hebræis sonat manu fortem, octogesimus Asaph, quæ sonat, congregantem; Hic octogesimus tertius, filiis Chore, hoc est Calvariæ. Juxta sensum retrusiorem, tribus nominibus idem Christus significatur. Ille condidit hominem rectum: Pater enim per Filium condidit universa, quæq; in cœlis, quæq; in terris. Id nemo potest nisi Omnipotens; unde Paulus scribens Hebræis filium appellat verbum virtutis paternæ. Idem hominem collapsum, eoq; dejectum, ut jam comparandus esset brutis animantibus, & similis factus esset illis, ne dicam deterior, recollegit per legem, & donec veniret plenitudo temporum, velut cancellis inclusit. Unde & synagogæ vocabulum, & Psalmus Asaph, increpando provocat ad legis observationem. Israel, inquit, si audieris me, non erit in te Deus recens. Deniq; congregatoris personam ipse Dominus profitetur in Evangelio: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te, quoties volui congregare te, sicut gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti. Tandem ubi venit plenitudo temporis, idem factus filius Chore, in monte Calvariæ sublatus in crucem, universum orbem ad se congregavit, & in eodem resurgens devicto Satanâ triumphavit. Hic fortasse scrupulus aliquis tanget animum lectoris, quomodo Christus filius Dei, dicatur filius Chore, qui quum esset ex Levitis præcipuus, ambiit summum sacerdotium, & adjunctis sibi Dathan & Abyron, totam ferè multitudinem concitavit adversus Mosen & Aaron, sicut refertur Numer. 16. Cui quotquot pertinaciter adhæserunt, partim vivi à terrâ dehiscente absorpti sunt, partim igni cœlitus emisso absumpti. Sed nihil absurdi habet allegoria. Christus juxta carnem è gente Judaica duxit originem, pertinaciter rebelli adversus Deum, de qua queritur per Esaiam prophetam: Extendi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem mihi. Rursum in Psalmis: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & semper dixi, hi errant corde. Quam pertinacem rebellionem exprobrat illis & Stephanus in Actis Apostolorum: Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Complures autem Psalmi in titulis habent filios Chore, nec ullius tamen nomen exprimitur, quasi satis esset ad illorum laudem, dici filios Chore: quum juxta communem hominum sensum ignominia videatur, scelerati patris & horrendo exemplo damnati cognomine designari. Quis enim sustineat appellari filius aut nepos Judæ proditoris? Et tamen scriptura laudis gratia notat posteros Chore progenitoris nomine, cujus impietas illustravit filiorum pietatem, qui cum essent arctissimis naturæ vinculis astricti seditionis authori, tamen in illis affectum naturæ vicit amor religionis. Siquidem ut est probabilis conjectura, aut auscultantes Mosi resipuerunt, separaruntque se à patre, aut sic apud illum remanserunt, ut impio proposito nequaquam assentirentur, eoque illo cum suis absorpto filii servati sunt, ut legis Numer. 26. nec ob patris scelus à tabernaculi ministerio submoti sunt, sed honorifico Janitorum officio functi sunt, quemadmodum refertur, 1 Paralip. 26. Insuper & prophetico spiritu præcelluerunt. Ergo quum Deus non imputet parentum commissa filiis, nisi facta illorum imitentur, iniquè facit hominum vulgus, qui liberis non aliter exprobrat progenitorum scelus ac supplicium ac si ipsi perpetrassent. Tuus, inquiunt, pater de peculatu convictus, in crucem actus fuit, & audes hiscere? audes venire in conspectum hominum? Sed pulchrius est, ex malis prognatos virtute claros evadere, quàm si quis bonus nascatur ex bonis. Cæterum iniquius etiam faciunt, qui filiis non scelera parentum, sed fortunam aut calamitatem probri gratiâ objiciunt. Novi, inquiunt, patrem illius servum, aut vidi mendicum. Et qui hæc dicunt, ipsi sibi ignoscunt, quòd dediti vitiis turpissimam servitutem serviunt Satanæ, quòd pauperum rapinâ ditescant. Ex patre servo nasci non est turpe, sed servire libidini, avaritiæ cæterisq; vitiis turpissimum est. Mendicare panem si urgeat egestas, non est turpe, sed egenis non impertire necessaria, ac rapto vivere, crimen est exprobrabile. Et qui sibi ignoscunt vera, propriaq; commissa, proximis exprobrant

Tribus nominibus Christus vocatur.

Esaiæ 65.

Liberi propter obscuros parentes minimè contemnendi.

Virtute clarus pro virtuosus.

brant alienam fortunam. Quanto Deus civilior erga nos? Non imputat nobis nostra delicta, quorum semel pœnituit. Quod facinus execrabilius quàm fuit Chore? Aut quod supplicium detestabilius? haud illud quidem homine judice, qui nonnunquam fallitur, sed Deo. Et tamen hujus filios sermo propheticus honoris gratiâ progenitoris nomine signare maluit, quàm propriis vocabulis. Similis inhumanitatis est, quòd qui ex Judæis progeniti, à parentum impietate conversi sunt ad veram pietatem, contumeliæ causâ vocamus Maranos, quum ea gratiâ plus illis honoris debeatur. Quod si justum majorum vitia impingere nepotibus, unde nos prognati sumus? Nonne ex his qui in veri Dei contumeliam, coluerunt ligna & lapides? qui martyrum sanguinem effuderunt? Sed ad rem, Chore, Dathan, Abiron & Hon conati sunt dividere tabernaculum, quemadmodum hæretici & schismatici semper conati sunt ecclesiam discindere: sed ut in illos præsens ira Dei deſæviit, ita qui moniti nolunt ab impiis sectis ac seditiosis conatibus resipiscere, hos sine dubio manet gehennæ incendium. Atque in simili rerum statu, oportet omnes esse filios Chore, ut nec filius contra pietatem adhæreat patri, nec frater fratri, nec uxor marito, nec gener socero, sed ab impiorum tabernaculis secedendum est, si non corpore, certè animorum dissensione: & si quid erroris per incogitantiam obrepsit, auscultemus Mosi, & moniti meliora sequamur: quo post exantlatos hujus vitæ labores, in monte Domini bibamus mustum sempiternæ lætitiæ. & concorditer viventes in tabernaculo Dei quod militans est ecclesia, recipiamur in cœleste tabernaculum ecclesiæ triumphantis. Video me in explicando titulo prolixiorem fuisse, quàm proposueram: ad psalmum igitur properabimus.

Marani.

QUàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum. Abruptum hujus Psalmi exordium declarat impotens animi desiderium. Quod genus est & psalmi septuagesimi secundi: Quam bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde. Aptius est quod legit Augustinus: Quàm amabilia, Græce ἀγαπητὰ. Nihil est pulchrius, nihil amabilius, nihil tutius aut firmius bonorum in bonis consensu, ut contrà nihil turpius, nihil abominabilius, nihil infirmius conspiratione malorum in malum. Habent enim & impii tabernacula sua, quorum & hic psalmus meminit, & is qui hunc proximè præcedit. Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversus te testamentum disposuerunt. Tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Et Psalmus secundus: Principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus. Sicut est unica ecclesia, & tamen Paulus ita loquitur: Sicut in omnibus ecclesiis doceo, sentiens esse multas distinctione locorum & personarum, unicam professione fidei & sacramentorum communione: ita multa leguntur tabernacula Dei, quum revera sit unicum tabernaculum universos electos complectens, quoniam omnes in Christo sunt idem: contrà impiorum, quoniam in religione ac fidei dogmatibus dissentiunt, nullum est commune tabernaculum, sed impii cum impiis sic dissentiunt, ut variis quidem modis ac nominibus, sed tamen pari impietate dissentiant à tabernaculo Dei. Olim Græci & Romani deridebant Ægyptios, bovem Serapim & Cercopithecos, atq; adeo cæpe pro diis colentes; sed ipsi interim lapides ac ligna, aut in his latentes dæmones pro vero Deo colebant. Sic Lacedæmonii habebant sua tabernacula diversa à tabernaculis Asianorum. Habebat & Gallia Druidas propriæ cujusdam religionis magistros, sed cum verâ religione pugnantes. Horum typum gessit Dathan, Abiron & Hon. In suo quisque tabernaculo stabat paratus ad pugnam. Erant inter se divisi, in hoc concordes, ut Mosen expugnarent. Quemadmodum diversarum gentium diversæ religiones, inter se discordes, mira tamen concordiâ & syncretismo persequebantur Judæos, ac pòst majore conspiratione Christianos. Hæreticorum autem dissidia figurabat Chore, qui non recessit à tabernaculo Dei corpore, licèt animo esset sejunctissimus. Siquidem hæretici affectant videri veræ religionis assertores, & quemadmodum ille conabatur Aaron à sacris submovere, ita isti persuadere conantur Catholicæ doctrinæ sectatores esse tyrannos & hostes ecclesiæ. Et quemadmodum unusquisque hæresiarcha clamat, hic est Christus, non isthic: Ita Chore grex dicebat, omnis multitudo sanctorum est, in ipsis est Dominus. Ante Redemptoris adventum apud Judæos Sadducæi & Herodiani habebant sua tabernacula, sed nec amabilia nec speciosa. Cæterùm jam per orbem diffundente sese luce evangelicâ, quàm multa, quàm abominanda tabernacula hæreticorum constiterunt adversus tabernaculum Dei? Quis non inhorrescat, si vel legat quæ turpitudinum scæna fuerit in tabernaculis Ophitarum, qui serpentem pro Christo venerabantur; Cainorum qui Cain paricidam & Judam proditorem inter præcipuos habebant sanctos? Nicolaitarum quibus uxores erant communes: Adamianorum, qui nudi cum nudis fœminis ad sacra conveniebant, hac s. specie, Adam & Evam adhuc innocentes è paradiso nobis repræsentantes? Et tamen iidem nuptias aversabantur. Quæ dogmatum portenta, quæ monstra turpitudinum peragebantur in tabernaculis Basilidis, Colarbasi, Priscillæ ac Marcio-

Qualiter una ecclesia.

Corniger um Hammonem.

Marcionis? Manichæorum fœda mysteria, quis posset absq; nauseâ vel legere vel recensere? Quis non execretur Sabellianorum, Arrianorum, Eunomianorum blasphema in Christum, aut in totam potius Trinitatem conventicula? Quibus præstigiis, quibus technis, qua crudelitate conati sunt catholicam veritatem obruere? Operæ pretium fuerit unum & alterum illorum stratagema referre, ut hinc fiat conjectura, quantum malitiæ texuerint illa tabernacula. Athanasium invictum catholicæ veritatis propugnatorem, quoniam scripturis & argumentis superare non valuerunt, fictis criminibus statuerant opprimere. Constantium Cæsarem malitiosis suggestionibus sic irritarant in virum sanctissimum, ut jusserit apud Tyrum coacto concilio cognosci de Athanasio, delegato ad id comite quodam à latere suo, qui cognitioni præsideret. Duo præcipua crimina intentabantur, mulier vi constuprata, & brachium homini defuncto abscissum in usum maleficarum artium. Conducere mulierculam quæ hujus tragœdiæ partem ageret, non erat difficile: sed ad probandum maleficii crimen accersierant Arsenium quendam olim Athanasii lectorem, qui veritus episcopi quem offenderat correptionem ab eo profugerat. Hunc diebus aliquot abditum servarant Arriani, ut cum fide mentirentur esse mortuum. Is tamen ut intellexit, quid in Athanasium molirentur, sive exhorrens facinoris atrocitatem, sive cupiens hac occasione cum episcopo suo redire in gratiam, noctu clam profugit è latebris, & Tyrum ad Athanasium navigio pervenit, eique rem omnem aperit. Ibi vir ut insigniter pius, ita mirè solertis ingenii, quippe qui juxta præceptum Domini, columbinam simplicitatem cum serpentis prudentia conjunxerat, jubet Arsenio, ut abdat sese, donec in rem præsentem evocaretur: coacto concilio prodit mulier, infertur horrendo spectaculo loculus defuncti, ostenditur brachium hominis resectum loculo impositum. Horror etiam bonorum animos pervaserat. Quis enim crederet illa fingi à sacerdotibus? Mulier quæ fuerat edocta, narrat se quondam Athanasium excepisse hospitio, & ab eo noctu, quum nihil ab illo metueret, per vim fuisse constupratam. Athanasius introductus est, ad hæc responsurus. Is qua præditus erat solertiâ, submonet Timotheum presbyterum suum ut ipso tacente, mulieri respondeat. Sciebat enim se mulieri ne de facie quidem notum esse. Quum illa perorasset accusationem, Timotheus, Tu ne (inquit) mulier ais te à me vi constupratam? Tum illa muliebri pervicacia, Tu inquit, tu, inquam, illo loco, illo tempore, per vim meam pudicitiam contaminasti. Erubuere quidam tam facilè detecta mulieris calumniâ. Nec tamen absolutus est Athanasius, nec ad calumniæ pœnam vocata mulier, quòd iidem essent judices qui accusatores. Itum est ad secundum crimen: En! inquiunt, ipsa res loquitur; hoc est Arsenii brachium, quod in quem usum amputaris, tu nobis, Athanasi, exponito. Hic simili solertiâ vir prudens rogat illos, num satis nossent Arsenium, cujus hoc esset brachium. Respondent quidam, se probè nosse Arsenii faciem. Petit Athanasius, ut liceret sibi accersere quendam, quo ad eam causam haberet opus. Concessum est. Introductus est Arsenius, cujus facie nudata Ecce! inquit, Arsenius vivus, ecce brachium dextrum, ecce sinistrum incolume, unde vos istud brachium amputaveritis, ipsi narrate. Quid hic expectas, ut hic Athanasius fuerit expeditus? Imò discerptus erat inimicorum manibus, ni Archilaus Orientis comes, qui & ipse ei concilio præsidebat, virum sanctum è manibus illorum extractum per occultos meatus dimisisset. Quid autem tergiversari poterant, tam evidenter confutati? Vociferabantur hominem esse Magum ac præstigiis imponere oculis hominum, nec ullo pacto committendum esse, ut talis artifex viveret. Rursus coacto concilio, perinde quasi legitimè convictus condemnatur Athanasius. Spargitur per universum orbem fœdus rumor, per Imperiales præfectos, per omnes latebras terra marique quæritur vir cœlo dignus, propositis etiam præmiis, qui vivum adduxissent, aut si minus id possent, qui mortui caput attulissent. Quid simile Judæi moliti sunt in Christum? Imò quis fando audivit inter ethnicos facinus execrabilius? Specimen dedi: talia sunt schismaticorum & hæreticorũ tabernacula. Quid nunc commemorem de Circumcellionum furiosa crudelitate? Quid de Donatistarum vafricie, technis ac violentia? Hæc non ignorant qui legerunt Augustini de his actis commentarios. Sed hæc vetusta. Magis deplorandum quòd nostra etiam memoriâ reperta sunt conventicula in quibus noctu post decantatas Dei laudes, extinctis lucernis, promiscuâ Venere viri cum fœminis miscebantur. Sit hoc leve, in quibus matres ultrò tradebant suos infantes occidendos & tam immane facinus hilari vultu spectabant, persuasæ sic interfectos inter præcipuos sanctos habendos. Quæ dementia videtur ex hæresi, quæ κατὰ φρύγας dicitur, traxisse originem, qui eucharistiam ex farinâ sanguine infantis maceratâ conficere solent: Eum minutis punctionibus excipiebant. Quod si puerum eum mori contigisset, pro martyre colebatur. Vides in quæ portenta devolvantur homines, qui semel deserto Dei tabernaculo, sese manciparunt tabernaculis impiorum. Jam si præstanti forma puellam, cum anu deformi componas, & illa videbitur amabilior, & hæc aspernabilior. Ita propheticus ac spiritualis oculus conferens synagogas Satanæ cum tabernaculo Dei, in quo regnat cœlestis illa veritas, in quo exuberat pax exuperans omnem sensum, in quo fervet charitas

Athanasius ob duo crimina accusatur.

charitas fuci nescia, triumphat fides invicta, in quo uno ore unaq; anima canuntur laudes Dei, magis erumpit in vocem, Quàm amabilia tabernacula tua Domine virtutum. Piorum enim concordia cœlestis illius ecclesiæ imaginem nobis repræsentat in qua nulla est opinionum dissensio: Jam enim gloriam Domini non in ænigmate sed revelata facie speculantur, summa animorum concordia summa charitas, uno ore eademq; mente Deum hymnis celebrant. Adde huc, quòd spiritualis oculus, quem perspicacem reddit lumen fidei, plus cernit quàm oculus corporis. Quid igitur ille videt præterea? Videt Christum in medio suorum residentem ac benedicentem cœtui suo, quemadmodum ipse pronunciavit in Evangelio: Ubicunq; sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Videt angelos protectores ac ministros sanctæ congregationis, magna frequentiâ summaque reverentia versantes. In tabernaculis impiorum omnia diversa sunt; in quibus præsidet Satanas, nunquam nocentior, quàm quum se transfigurat in angelum lucis; intersunt impii spiritus ad omne malum instigantes. Ut ne jam commemorem diversum exitum. Quid Chore & illi conjuratis acciderit, sciunt omnes. Horribile spectaculum erat, terram dehiscere ac viva corpora devorare, aut igni cœlitus emisso, aut fulmine consumpta tot hominum millia. Nam postridie recrudescente populi seditione, quatuordecim millia perierunt incendio cœlesti. Sed horribilius est & animam & corpus mitti in gehennam. Nec omnino falsum est, quod dicunt quidam invisibilem esse ecclesiã. Solus enim Deus introspicit corda hominum, ac verè novit qui sint ipsius. Multis tamen argumentis sæpe deprehenditur ubi sit Ecclesia Dei, ubi synagoga Satanæ. Multorum enim peccata sunt ad judicium. Sed hæc ipsa ecclesia visibilis, quæ bonis habet admixtos malos, quantum habet alacritatis ac majestatis, quoties ad pietatis cultum convenit? Ubi is, cui datum est donum prophetiæ sincerè tractat ac dispensat verbum Dei, populus religiosa attentione ac reverentia auscultat, non ut verbum hominis sed ut verbum Dei. Quum interim qui docet, sic afficitur, ut sentias Christi Spiritum per os hominis loqui. Interea videre est præsentem spiritus energiam in auditoribus. Alii suspirant, aliis erumpunt lachrymæ, aliis hilarescit facies, in summa dicas omnes transfigurari. Rursum quum in solenni cultu suo quisque munere fungitur, alius recitat sacram scripturam, alius decantat laudes Deo, alius orat totius multitudinis nomine tractatque mysteria, alii hæc agenti subserviunt, populus interim religioso silentio veneratur hæc omnia. Quis hæc spectans non fateatur amabilia esse tabernacula Dei? Itidem quum procedit solennis ecclesiæ supplicatio decenti digesta ordine, etiam hi qui tantùm spectandi gratiâ prospiciunt, venerabunda quadam alacritate tanguntur. Postremò omnis legitimus conventus hominum ad rem honestam habet dignitatem quandam, atque adeo lætitiam. Cujusmodi sunt cœtus discipulorum ad professionem, aut diversorum hominum ad disputationem publicam. Alcibiades quum primum esset verba facturus apud populum Atheniensem, sensit animi trepidationem. Eam illi sic exemit Socrates. Rogat num posset contemnere coriarium aliquem? Respondit, maximé. Num figulum? Respondit facilé. Num fabrum aut cementarium? Quum de singulis interrogatus, respondisset, apud quemvis istorum posse intrepidè dicere: Atqui, inquit Socrates, ex his constat ille populus quem tu vereris. Quòd si per se contemptissimis hominibus ipse conventus conciliat dignitatem ac reverentiam, quanto venerabilior est cœtus piorum hominum ad cultum Dei viventis congregatorum? Tantam autẽ vim habet chorus unanimiter Deo fidentium, ut prophanos etiam rapiat in admirationem sui; sicut testatur Paulus, Idiotam aut incredulum ingressum ecclesiam sanctorum procidere in faciem suam & adorare Deum, profitentem quòd verè Deus sit in medio suorum. Balaam propheta quidem erat, sed impius. Is tamen è monte conspectis Israelitarum tabernaculis, coactus est exclamare: Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel! Videbat idem fœlicem illorum mortem qui perseverant in castris ecclesiæ. Moriatur, inquit, anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. Conspexit horum tabernaculorum pulchritudinem propheta sanctus, quum exclamat in Cantico graduum: Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum! Vidit & Petrus, sed tanquã per somnium, quum in monte contemplatus esset Domini gloriã, & audisset Mosen & Eliam de gloria mortis Dominicæ colloquentes: Domine (inquit) bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula. Illic demum vera est concordia, ubi lex & prophetæ consentientes Christum novi testamenti ministrum, non literâ sed spiritu prædicant. Hoc nec fit in synagogis Judæorum, qui legem detorquent, non ad Christum, sed ad nescio quem alium Messiam, quem tot jam seculis frustra expectant infœlices; nec in tabernaculis Manichæorum qui totum vetus testamentum, ut non à Deo sed à principe tenebrarum proditum rejiciunt: novũ, ceu multis locis falsatum, suo arbitrio probant aut improbant. Deniq; in nullis hæreticorum tabernaculis, ubi scripturæ non ad Christum, qui est veritas, accommodantur, sed ad sensum humanum detorquentur. Id enim semper fuit hæreticorum proprium. Siquidem Priscillianistæ nullius libri vel veteris vel novi testamenti authoritatem rejiciebant, sed quum absurdissima

Ecclesia invisibilis.

Ecclesia visibilis habet bonos & malos.

☞

Balaam iniquus sed tamen propheta.

dissima docerent, quicquid cum ipsorum dogmatibus pugnabat, falsa interpretatione ad alienum sensum depravabant. Verùm ut ad Psalmi tenorem redeam, Si tabernacula Dei intelligis ecclesiam adhuc in terris militantem, puta hæc dici vel à catechumeno, vel ab ethnico aut Judæo resipiscente, vel à peccatore sive hæretico, schismaticove redeunte ad cor. Sin de ea parte ecclesiæ, quæ jam triumphat cum Christo, puta quemvis pium hominem, cum Paulo cupientem dissolvi & esse cum Christo, dicere, Quàm amabilia tabernacula tua Domine virtutum! Abruptum sermonis initium declarat desiderii magnitudinem à profunda contemplatione proficiscentis. Nec otiosum est quod alloquens Dominū dicit, Tua. Quicquid in ecclesia virtutis, roboris aut fœlicitatis est, Domini est, non hominū. Ille gratis sibi redemit ecclesiam, ille gubernat, ille tuetur adversus omnes procellas. Et quicunq; ecclesiæ resistit, non rebellat hominibus, sed Deo. Hoc apertè loquitur per os Zachariæ cap. 2. Qui tetigerit vos, tanget pupillā oculi mei. Et Paulus audit: Saule, Saule, quid me persequeris? Rursus quemadmodum in Evangelio agnoscit sibi præstitū quicquid beneficii collatū fuerit vel in infimū Christiani nominis professorē, ita quicquid malorū ingeritur in Ecclesiā Catholicam, sibi ingestum esse deputat. Talē præsidē ac propugnatorem quum habeat ecclesia catholica, frustra sunt omnes impiorū conspirationes adversus illā. Eoq; psalmus addit, Domine virtutū. Virtutes autē hic appellat, non ἀρετὰς quæ opponuntur vitiis, sed Δυνάμεις, quæ vox sonat potentiā. Atq; hoc cognomento sacræ literæ nonnunquam designant Deum. Veluti psalmo 23. Dominus virtutū ipse Rex gloriæ, Δυνάμεων. Præcesserat enim, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Et in veteris testamenti voluminibus frequenter appellatur Dominus Sabaoth, quod Hebræis sonat, virtutū sive exercituum. Δυνάμεις in mysticis literis interdum declarat præcipuos angelos, quorum ministerio Deus utitur ad electorum suorū protectionē. Hunc exercitū vidit Helisæus, quum puero ad conspectum Syrorum exercitum exanimato diceret, Noli timere, plures sunt nobiscum quàm cum illis. Et ad prophetæ preces aperti sunt oculi ministri, mox & ipse vidit montē plenum equitibus & curribus igneis. Nemo, inquit Christus, potest eos de manu mea eripere, quos pater dedit mihi. Concinit his canticū graduum: Nisi Dominus ædificaverit domū, in vanū laborant qui ædificant eam, &c. Tempore Pauli nec opibus, nec viris, nec ullis mundi præsidiis erat munita ecclesia, & tamē magna fiducia loquitur, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Moxq; eò fiduciæ provehitur, ut quum ecclesia tot malis undiq; premeretur, non vereatur dicere: Certus sum, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neq; profundum, nec ulla creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Unde tanta fiducia, Paule, inter tot mortes, inter tot pericula & foris & intus urgentia? Unde isti spiritus paucis indoctis, privatis, tenuibus & oppressis? Ex nobis, inquit, nihil possumus, sed Dominus noster Dominus est virtutum. Sive igitur accipias virtutes angelos, ecclesiæ protectores, sive miracula, uterq; sensus declarat ecclesiæ Dominum prorsus invictum esse, quum sit Omnipotens; ad cujus nutum præstò sunt omnes angelorum legiones, & qui facit mirabilia magna solus, quiq; solus quicquid voluit fecit in cœlo pariter atq; in terra. Ecclesiæ primordia miraculis, non humanis præsidiis invaluerunt. Et quoniā quicunq; piè vivunt in Christo Jesu impiorum persequutionē patiuntur, humiles juxta mundum, ac pauci præ his qui oppugnant, ad consolationem gregis pusilli dictum est, Domine virtutum. Hic est enim ille qui dicit in Evangelio, Nolite timere, pusillus grex, quia vestrum est regnum cœlorum. Et rursus, Confidite, quia ego vici mundum. Solus hic potuit alligare fortem, domumq; illius ac supellectilem diripere. Æstimati, inquit, sumus sicut oves occisionis. Quod animal ove imbecillius aut magis imbelle? Sed quid dicit Paulus, jam è lupo factus ovis? Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, &c. Eodē in loco objurgat Corinthios, quòd quum adhuc essent carnales, ea tantum viderent, quæ erant secundum faciem, atq; è rebus externis æstimantes Apostolos, quòd non solùm juxta mundum tenues essent & humiles, verùm etiam afflicti, contemnerent eos, quum essent spiritualibus opibus ditissimi, spiritualibus armis munitissimi. Ita quorum oculos occupavit hujus mundi potentia, quum metiuntur ecclesiam Christi externa specie, non solùm contemnunt eam, verùm etiam abhorrent & aversantur. Tales erant olim qui baptismum in extremæ vitæ diem studio proferebant, nec nisi tristes ac deplorati veniebant ad atria Domini. At qui spiritualibus oculis cernit gloriam filiæ Regis ab intus, dicit cum propheta: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Mediocria bona moderatis affectibus expetuntur; at illa quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparavit diligentibus se, ingenti desiderio expetantur oportet. Hanc desiderii magnitudinem propheta expressit, addens, & deficit in atria Domini. Ἐπιθυμεῖν vulgare est, sed ἐκλείπειν non est nisi supra humanum modum desiderantium. Græci λειποθυμίαν appellant, quum propter vehementem & subitum spirituum motum homo destitutus

Bona qui fiunt, Domini solum sunt.

Sabaoth.

4 Regum 6.

Rom. 8.

2 Cor. 10.

animo

animo sibi excidit ad tempus. Eam affectionem aliquando gignit in homine vehemens pavor, aut admiratio: unde stupefactos & attonitos dicimus. Nonnunquã ingens dolor, aut lætitia præter spem objecta, aut amor impotens. Unde & in prophanis tragœdiis, Phædra ad Hippolyti conspectũ concidit exanimi similis. Et historiis proditum est mulierem ad inexpectatum filii sui introitum, quẽ acceperat in bello cecidisse, fuisse exanimatã. In eundẽ sensum usus est hoc verbo, Psalmo 118. Defecit in salutare tuũ anima mea. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Huc pertinet quod sponsa loquitur in Cantico Solomonis: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quæ fulciri postulat, periclitatur ne concidat. Idem enim accidit in spiritualibus quod in rebus externis. Requiritur moderata cognitio inter potentiam & objectum. Alioqui si quod sensui objicitur careat modo, sensum obruit: veluti sol nulla nube temperatus, si intendas oculos, corrumpit visum, & sonitus immodicus adducit surditatem. Sicut literis eruditorum proditum est, apud Stadisin oppidum, ubi Nilus se per cataractas ingenti fragore præcipitat, indigenas nasci surdos. Item illud sæpenumero videmus accidere, ut qui vehementer intendunt animum rebus supra modum subtilibus investigandis, incidant in dementiam. De Aristotele literis proditum est (verè an falsò, nunc non excutio) quòd posteaquam ingenium suum diu multumq; torserat studio pervestigandi causas, quur mare Euboicum secus quàm alia maria septies in die decurreret ac recurreret, neq; quicquam proficeret, sese in ipsum abjecit mare, dicens, quando ego non te capio, tu capies me. Quo minus mirandum est, si qui non contenti credere quæ nobis tradidit scriptura, de divina Triade multa scrutantur humanæ mentis captum in immensum excedentia, in delirationem incidunt, ut jam communi quoq; sensu careant, qui supra humanum sensum sapere voluerunt. De quibus vaticinatus est Solomon: Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria. De iisdem Esaias: Qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint. Sed jamdudum audire cupis, quæ sint ista præclara bona, sensum humanum exuperantia, quæ conspexit hic qui tanto desiderio gestit in atria Domini ingredi ut præ admiratione deficiat animo? An quisquam dignè valeat æstimare, quanta sit dignitas, quantaque fœlicitas, hominem peccatorem ac Satanæ laqueis irretitum, per fidem ac baptismum gratis è mancipio diaboli cooptari in numerum filiorum Dei, insitum corpori Christi, unum cum illo fieri, ex hærede gehennæ fieri hæredem regni cœlestis, allegi in illud gloriosum contubernium sanctorum omnium, qui à condito mundo fuerunt, quiq; usq; ad consummationem seculi futuri sunt, sive in cœlis, sive in terris? Tantus honos, tantaq; beatitudo præstatur catechumenis in atriis Domini, priusquã admittantur ad penetralia. Nam atrium propriè nobilium ædium ingressus dicitur, Unde servi atrienses, qui atrio præsunt. Itaq; qui fidei oculis perspicit majestatem Domus Dei, quid mirum si ad res divinas & humana naturã superiores animo deficit, & affectu impotenti raptus sese præ desiderio non capit? Horatius homo facundus ad Mecœnatem accitus pauca loquitur, idq; (ut ipse ait) singultim. Nec rarò accidit viris alioqui magnis & eruditis, ut in celebri consessu Pontificum aut Principũ dicturis, vertigo oboriatur, sibiq; repentè sic excidant, ut quæ mensibus aliquot meditati sunt, proloqui non possint. Sed quid illius consessûs majestas ad ecclesiæ gloriam? Certius autem cernitur oculis fidei quàm oculis corporis. Proinde qui frigidi & invitis similes veniunt ad baptismum, nondum pervident ad quantam fœlicitatem recipiantur, eoq; indigni sunt qui potiantur ad quod invitantur. Age, si cui plebeio in tetro carcere marcescenti veniat nuncius, dicens: Bono esto animo, hodie liber Regiam ingredieris, futurus inter aulæ proceres & Regi charus: nonne periculum esset ne subito gaudio deficeret, & ne post carceris tenebras, ad regalis domûs lucem ac majestatem admissus ipse sibi excideret? Sed quis carcer, quod barathrum tam tetrum est, quàm est in quo detinentur quos Satanas alligavit criminum vinculis? Aut quæ est usquam regia, etiamsi omnium splendorem in unam conferas, quæ cum ecclesiæ majestate possit conferri? Quòd si meritò reprehendendi sunt, qui tantam gratiam segnes ac languidi accipiunt, quanto justius culpandi sunt, qui in hujus regiæ penetralibus sordidè & incompositè vivunt? Arbitror & in ipsis prophetæ verbis 'aliquid latere mysterii, non dicit, ego defeci: sed, Anima mea defecit: nec ait, ego exul- 'tavi: sed, Cor meum & caro exultaverunt. Animæ vox in literis sacris interdum humanum quiddam & infirmius sonat. Veluti quum Paulus loquitur Corinthiis: ψυχικὸς, hoc est, animalis homo non recipit ea quæ Dei sunt. Sic & Jacobus hujus mundi sapientiam, quæ fidem rejicit & humanis rationibus scrutatur divina, animalem appellat. Sic & caro hominis crassius quiddam sonat, cui perenne bellum est cum Spiritu Dei. Cordis verò nomine spiritum hominis sive mentem significare videtur. Spiritum enim vitalium, juxta Physicos, fons in corde est. Est igitur caro, quæ (authore Paulo) regnum Dei non valet possidere. Et est caro, cujus consortium non patitur Spiritus Dei. Puta hanc esse infimam hominis partem. Sic est & anima, quæ repellit Spiritum Dei, quemadmodum ait sanctus Judas eos ceu digito notans, qui sectantes ea quæ sunt hujus mundi, per sectas & schismata secedunt ab

Locus corrupti sensus communis.

Prov. 25. 27.
Esaiæ 40.

Atrium quid.

1 Corinth. 2.

Genes. 6.

ecclesiæ consortio. Hi sunt, inquit, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Jam est & cor hominis, in quod non ascenderunt ea quæ Deus præparavit diligentibus ipsum. Quum igitur totus homo, ut omnes suas vires in unum conferat, non sit capax donorum cœlestium, quid superest nisi ut totus deficiat in sese, concidatq; quo renovatus & erectus Spiritu Dei, per fidem perspiciat quàm ingentia sunt quæ divina benignitas nobis per Filiū gratis largitur, si dignè accedamus ad illius tabernacula. Sic deficere, proficere est; sic exanimari, vivificari est; sic sibi excidere, est reddi sibi; sic concidere, est erigi; sic suis viribus destitui, est robustū fieri in Christo; sic emori, est in Deū transformari. Nisi enim mortificetur quod animale est, non exoritur quod est spirituale. Itidem in rebus naturæ corrumpitur siccum & informe semen, ut exurgat viridis arbor. Emoritur deformis eruca, ut provolet nitidus ac picturatus papilio. Marcescit cicada jam anus, ut ex sicco exuvio prodeat nova succulenta modulatrix. Posteaquam igitur totus homo defecit, & defecit in tabernacula Dei, tunc caro simul & anima & cor illius exultat in Deo vivo. Spiritus enim Dei per fidē innovat ōnia, fitq; totus homo nova creatura in Christo Jesu. Nā est caro quæ videt salutare Dei, & (juxta Paulū) est corpus spirituale, & est cor mundū quod in nobis creat Deus, & est spiritus rectus quē innovat in visceribus nostris. Hinc nimirum nascitur illa spiritualis exultatio, non in opibus aut honoribus aut voluptatibus hujus mundi, non in forma viribusque corporis, non in sapientia humana, sed in Deo vivo, qui vitam dat mortuis. Is demum tutò gloriatur, qui (beato Paulo monitore) in domino gloriatur. Scriptura frequenter hoc vivi cognomen attribuit Deo, non tantùm ad differentiam simulachrorum mortuorum, sed etiam ad declarandum illius omnipotentiā. Vivum enim dicitur, quod est efficax. Non est magnum si credamus Deum esse viventem, quum vivant & bruta animalia, sed hic solus sic est vivus, ut sit ipsa vera vita, unde velut à fonte manat omnibus vita. Ego (inquit Dominus) sum via, veritas & vita. Mortificato igitur vetere homine & sepulto in baptismo, novus homo in se quidem mortuus, sed in se viventem habens Christum, totus exultat, gratias agens ei cujus gratuita munificentiā sic transformatus est. Sara enim non genuit Isaac, hoc est, gaudium spiritus, nisi posteaquā illi defecerant muliebria. Sed unde genuit? ex Abraham carne emortuo, sed fidei vigore vivo vividoq;. Cæterum ipse propheta causam hujus exultationis ' maluit per allegoriam nobis exprimere: Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidū ' sibi ubi ponat pullos suos. Quam magnificā rem, quàm humili tropo expressit spiritus propheticus! Quid est igitur quòd sic exultas, sic gaudio gestis ac triumphas, qui paulò ante defeceras? Quia passer, inquit, invenit sibi domum, & turtur nidū, ubi ponat pullos suos. Naturæ instinctu omnia animantium genera parant sibi locum aliquem in quo post labores tuta conquiescant, & in hoc mira ingeniorum varietas. Pleraq; procul in avia & impedita loca recedunt, quæ vix à venatoribus pervestigantur, ut cervi. Apri fruticetis abdunt sese; Leones ac dracones speluncarum recessibus; Lepus averso saltu mirè fallit venatorem, ne deprehendat cubile; Serpens in cavernis suis tutus est; Cuniculi subterraneis labyrinthis sese tuentur; Formicæ in cavis effossis per hyemem latitant; Apes in cavis arboribus extruunt cellas suas, easq; crusto tenaci & amaro foris oblinunt, quo tutæ sint adversus injuriam. Habent & pisces recessus ac latebras suas: Avium magna pars in saltus inaccessos aut in loca palustria recipiunt sese: Aquila in præruptis ponit nidum, perdix humi: Alcyones in mari suspendunt nidum, tanta arte contextum, ut ne ferro quidem rumpi possit, nec adhuc à quoquam deprehensum est, unde conficiant fluitantem domunculam: Complures surculis ac stipulis arte congestis in ædium fumariis, aut in arbore suspensis nidulantur: Passeres & hirundines nos quoque docuerunt ex uda argilla paleis temperatā struere macerias: Et ne singula commemorando fiam prolixior, unumquodque animal, ubi reperit in quo tutò conquiescat, suamque sobolem educet, suam fœlicitatem assequutum est, nec amplius quicquam desiderat. Habet enim naturæ principia, quæ sunt tueri sese, & suam propagare speciem. Sed mirabitur aliquis quur ex omniū animantiū generibus solæ nominentur aves, & in his passer tantùm & turtur. Inter omnia animantium genera minutissimum est avium genus. Habet terra elephantos, mare balenas, immani magnitudine. Inter aves autem minimus est passer, cujus vilitas, & vita solicitudinis expers, nobis ore Domini commendata est. Non amat Spiritus Sanctus animos fastu turgidos, corporaliumq; bonorū amore gravatos, & ob id humi gradientes: volucres amat animas, cœli cōmercio gaudentes: amat in suis oculis pusillos, juxta mundum contemptos, amat totos de Dei providentia pendentes. Si Deus sic vestit, sic alit passerculos, quorum bini asse veneunt, quid tu te discrucias in extremam senectam, ad quam fortasse nunquam perventurus es, & in liberos, nepotes ac pronepotes, per fas nefasq; congerens divitias, fortassis ad eos perventuras, ad quos tu minimè velles. Et si ex passerculis unus non decidit in terram: nam hoc interdum fit, ex immodico (ut quidam tradunt) coitu: quid tu cooptatus in gregem illorum de quibus Servator pronunciavit, ne pilum quidem capitis periturum sine providentia

Quid sit vivum.

dentiâ patris, ad genethliacos & astrologos curris, metuens ne ante diem tuũ pereas? Turtur hoc habet commune cum columbis, quòd suspiriũ edit pro cantu, quod adulteriũ nescit, imò ne digamiam quidem: fertur enim, compare mortuo, nulli alteri se jungere. Quare vox hujus grata est sponsæ, in mystico Solomonis cantico: Vox (inquit) turturis audita est in terra nostra. Alioqui vernis mensibus longè dulcius canunt alaudæ ac lusciniæ, sed sponsæ placent turturũ suspiria. Quotquot enim contemnunt hunc mundũ spe vitæ cœlestis, quãdiu versantur in hoc corporis tabernaculo, ingemiscunt gravati, eò (sicut ait Apostolus) quòd nolint expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quòd mortale est à vita. Adde quòd in veteri testamento turtur pauperum erat oblatio, ut vilitas huic avi sit cum passere communis. Sibi vilissimus sit oportet qui verè agnoscit in se nihil esse boni. Quid Paulo sublimius? tamen ut passerculus loquitur, quũ ait sese abortivum & Apostolorũ minimum ac prorsus indignum apostoli nomine, deniq; rejectamentum ac peripsema hujus mundi. Sed hæc vilitas una res est, quæ nos reddit pretiosos in oculis Dei. Hæc exiguitas magnos & excelsos facit apud justum judicem. Vis audire hujus passerculi magnitudinem? Omnia, inquit, possum in eo qui me corroborat. An non dicas hic è passerculo aut turture factum leonem? Ex diametro pugnant judicia Dei & judicia hujus mundi. Itaq; sicut mundus amat ac magnificat eos qui de mundo sunt, ita odit ac contemnit eos qui de mundo non sunt. Circumierunt (inquit) in pellibus ovium & caprarum, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis & cavernis terræ. Quid contemptius? sed audi dignitatem. Quibus, inquit, dignus non erat mundus. Quid Paulo juxta mundum abjectius, qui sese appellat peripsema, hoc est purgamentum quod abjicitur? Sed idem ille tam despectus mundo, quanti fuit apud Christum, qui testatur illum sibi vas esse electũ. Sed quid de cæteris sanctis loquor, quum ipse gloriæ Dominus dicat per os David: Ego sum vermis & non homo, opprobriũ hominum & abjectio plebis Atqui idẽ ille mundo contemptissimus, est, in cujus nomine se flectit omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorũ, quiq; pari consortio in gloria est Dei Patris. Nullus igitur piè vivens displiceat sibi, si contemptus & invisus est his, qui hauserunt spiritum hujus mundi. Est quidem pro viribus enitendum, ne cui præbeamus offendiculum, attamen magnum est argumentum, nos esse gratiosos apud Christum, si citra culpam nostrã mundo simus invidiosi. Quũ mundum dico, non designo professionem, vestem, cibos, aut titulum, sed animum Christi spiritu vacuum. Vulgus enim hac voce quemadmodum aliis multis abutitur, mundanos appellans, qui sacris initiati non sunt, aut qui monasticam vitam professi non sunt. Professos autem appellant extramundanos & mundo mortuos. Atqui sicut sub omni veste, quantumvis sit vilis, aut ἱεροπρεπὴς, latere potest mundanus animus, ita sub veste, quamvis laica, aut etiam militari latere potest animus à mundo alienus, etiamsi pluma struthiocameli volitet in pileo secto. Sed interim fortassis subibit alicujus animũ admiratio, quo modo repentè, à tanta exultatione totius hominis, ad suspiriorum mentionem dilapsi simus, velut à calcaria (quod aiunt) in carbonariam. Quoniam hæ duæ res licèt inter se pugnare videantur, tamen ita sibi connexæ sunt, quamdiu versamur in hoc mortali tabernaculo, ac thesaurum cœlestem portamus in vasis fictilibus, ut altera ab altera sejungi nequeat, imò quod majus est, altera vicissim ex altera nascatur. Omnis nostra exultatio qui per fidem ambulamus, est in spe futurorum bonorum. Quæ quò clarius cernimus oculis fidei, quoq; certius speramus, hoc majora trahimus suspiria, sicuti vehementibus desideriis omnis molesta est dilatio. Quoq; magis ad illam vitam suspiramus, hoc magis exultat cor & caro nostra in Deo vivo, dum in mundo tristitiam habemus, in Christo solatium. Nihil hic perfectum est, vix quicquam tutum. Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Et qui stat, huic videndum est ne cadat. In medio laqueorum ambulamus, quos omnes effugere difficillimum est, ne dicam impossibile At hæ molestiæ quas hæc vita secum defert, etiamsi non tantum valeant ut nos abducant à charitate, quæ est in Christo Jesu, tamen ab illa spirituali mentis exultatione frequenter avocant, & cogunt ingemiscere desiderio ejus diei, quo continget quod perfectum est. Quis enim à tali exilio non suspiret ad talem patriam? Vis audire turturem suspirantem? lege Psalmum 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Domine, libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Piis hominibus magna pars afflictionum est perpeti mores & linguas malorum. Hic enim locum habet, quod ait Ecclesiastes: qui apponit scientiam, apponit dolorem & in multo sensu multa indignatio. Lumen solis omnibus commune est, at non omnibus commune lumen fidei. Cedar Hebræis tenebras sonat. Quicquid autẽ moliuntur, qui mundi hujus spiritum habent, mera caligo est, oderunt lucem veritatis ac magis amant tenebras. Et quum propemodum plus discriminis sit inter hominem fide illuminatum ac spiritualem, & hominem fide vacuum & carnalem, tamen in hac peregrinatione pii coguntur cum tam diversis animis in eadem urbe & in unis ædibus vivere. Sic Loth vivens Sodomis animo

2 Corinth. 5.

Hebræ. 11.

discruciabatur, optans eripi à nefariorū consuetudine. Sed turturē eundē quē modò audisti graviter suspirantem, Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! Audi rursus exultantē spe promissæ fœlicitatis: Lætatus sum (inquit) in his quæ dicta sunt mihi, in domū Domini ibimus. Ausculta & aliū turturem insignē graviter ingemiscentē patriæ cœlestis desiderio.
2 Cor. 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Nunc & hunc ausculta exultantē. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni afflictione nostra. Hos gemitus videmus semper fuisse gravissimos in viris ad cœlestem beatitudinem anhelantibus. Hinc olim tot hominum examina non ferentium idololatrarū impietatē ac sævitiam, occupaverunt solitudines Thebaidis. Hinc prima monachorū origo: Satius esse ducebant cū leonibus ac pantheris habere cōmerciū, quàm cū hominibus impiis. Alii secesserunt in solitudines Syriæ, quorū est beatus Hieronymus. Alii in desertas insulas sese abdebant. Alii montium cacumina, penè inaccessa obsidebant, ut D. Benedictus. Nonnulli paludes horridas & vix ulli animantium habitabiles scrutabantur, ut Patricius ac Bernardus. Alii rupes & ipso aspectu horrenda quærebant loca, ut Bruno, aut si quis alius fuit author Carthusianæ sodalitatis. Hæc suffugia persuadebat piis hominibus hujus exilii tædiū. Studebant sejungi ab his qui habitabant Cedar. Sed hîc quocunq; te vertas, quocunq; te abdas, in exilio es. Quære, pete, quàm voles retrusas latebras, homo ad homines vadis, atq; ut universum hominū commerciū effugias hominē tecū effers, mortale corpus tecū circūmfers, quo gravatus sic ingemiscit Apostolus. Divus Basilius legitur monachos qui in solitudinibus procul ab hominum commercio degebant ad urbana sodalitia revocasse, quòd vir prudens intelligeret illorum plerosque non evadere verè pios, sed superciliosos, falsa sanctimoniæ persuasione turgidos, irritabiles, vindices, morosos, sensus communis expertes & ad omnem vitæ functionem ineptos. Fatetur idem D. Chrysostomus experimento cognosci, si quando ab illis jejuniis, vigiliis & * chameuniis ad episcopi munus accerserentur. Foris quærebant, quod intus quærendum erat. Ponebant nidos, sed non in atriis Domini, quum regnum Dei sit intra nos. Hic ipse sermonis cursus admonet nos ut ad nidos revertamur. Nidus est in quo acquiescit hominis desiderium, & in quo tranquillè fovet pullos, hoc est, curas & cupiditates suas. Fœlix enim ille dicitur, qui quum sapiat, nihil præterea desiderat. Id nulli mortalium in hac vita potest contingere. Cæteris animalibus natura fœlicitatis terminos præscripsit, quæ simul ut ad id pervenerint, ad quod condita sunt, suam quandam beatitudinem assecuta sunt. At hominis animus quoniam divinus est & immortalis, nihil invenit in hac vita, in quo verè conquiescat, nisi fuerit assecutus ad quod conditus est. Quid est igitur illud ad quod conditus est homo? Ut corpore simul & animo cognoscat, amet, glorificetq; Deum conditorem & Redemptorem ac Dominum suum. Hæc est (inquit Dominus) vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Cognoscere videre est, & videre frui est. Frui, beatitudinis extrema linea est. Hæc fœlicitas non continget plenè, nisi in resurrectione justorū. Hic tamen aliquis nidus est in atriis ecclesiæ, sed pensilis ac fixus in spe futurorum. Nam extra ecclesiam nulla est veræ fœlicitatis spes. Tam immensa, tam capax res est animus humanus, ut eum solus Deus possit explere, etiamsi illi præter Deum sexcentos mundos addas. Quid quod etiam in rebus inanimis videas unumquodque ad suam ferri sedem? Lapis ex alto dejectus, simul ut terram contigerit, quiescit; flamma quanto impetu fertur ad suum locum? Quid est hoc quod interdum sic concutit terram, ut saxeos etiam montes disrumpat, nisi Boreas, nitens in nativum erumpere locum? Sic vesica vento distenta vi in aquam depressa exilit. Ignea res est animus hominis, qui quanquam gravatur hoc terreno corpusculo, tamen non conquiescit, donec ad nativam sedem subvolârit. Ac natura quidem omnes homines venantur otium, quærunt aliquid in quo conquiescat animus, sed quoniam in rebus vel inanibus vel perituris figunt nidum, quo magis expetunt quietem, hoc majoribus turbis involvuntur. Quid enim aliud sibi volunt tot veterum volumina de summo bono, de bonorum finibus, deque animi tranquillitate, quam Græci vocant εὐθυμίαν? Alius posuit nidum in scientia, alius in indolentia, alius in voluptate, quidam in habitu virtutis, quem appellant sapientiam. Nonnulli in actu usuque virtutis. Sed isti omnes (teste Paulo) evanuerunt in cogitationibus suis, & quum linguâ magnificis verbis aliis εὐθυμίαν pollicerentur, ipsi cor habebant irrequietum. Qur ita? Quoniam non exultaverunt in Deum vivum. Si sic delirarunt sapientum proceres, quid attinet dicere de idiotis qui divitiis metiuntur fœlicitatem? Atqui posteaquam ad præscriptum sibi modum perveniunt, sentiunt esse verissimum quod scripsit ille Venusinus, Crescentem sequitur cura pecuniam. Et, Crescit amor nummi quantū ipsa pecunia crescit. Alii contemptis opibus regnum ambiunt ac monarchiam. Quid enim aliud tanto rerum tumultu moliebatur Alexander magnus? Sed quotā ille mundi partem sibi potuit subigere? Et si totū subegisset, quū ex Democrito didicisset innumerabiles esse mundos, ingemuisset, qui in unius orbis parte tam diu laborasset. Quid non & fecit & passus est Julius Cæsar,

Hoc est, humi dormitionibus.

Cæsar, ut orbis Romani principatum teneret? Tenuit, sed ibi non conquievit animus; Imò curis & conscientia scelerum urgente, mente defectus est, ut vitæ tædio mortem optarit, sed inopinatam. Non potest illic esse vera quies, ubi est animus sibi male conscius. Finem nesciunt humanæ cupiditates. Hic sibi promittit otium, si talē puellā nanciscatur uxorē, insigni formā, pulchreq; dotatā, sed pro quiete molestiarum agmen reperit. Ille sibi beatam vitam pollicetur, si tale sacerdotium adipiscatur, sed assequuto crescit venandi acrior sitis. Connectitur sacerdotium sacerdotio, eluctatū est ad Abbatis dignitatē, petitur episcopi mitra, & mitra magis opima mitrâ permutatur. Jam animus anhelat ad Cardinalitium fastigium: Hoc ubi contigit, ambitur corona triplex. An hic tandem conquiescit animus? Respondeat nobis Julius secundus, cujus extrema senectus intolerabilius rerū fluctibus jactata est. De cæteris judicent alii. De Julio 2. Non est absurdum, quod divus Augustinus interpretatur [pullus] bona opera nostra, quæ nisi ponas in nido ecclesiæ Catholicæ frustranea sunt. Phocion & Aristides, Trajanus & Antoninus, aliiq; complures multa fortiter, justè ac pie gesserunt erga patriam. Laudatur Zenonis continentia, Xenocratis integritas, Socratis patientia, sed quoniam extra Christum facta sunt, non contulerunt veram fœlicitatem. Julianus Imperator immensam pecuniæ vim effudit in subsidia pauperū: sed adversus Christum. Itidem in multis hæreticis quædam eximiæ virtutes vixq; credibiles prædicantur. Magna divitiarum contemptio in Ebionitis, prodigiosa orandi assiduitas in Euchitis, magna abstinentia ac vitæ severitas in Manichæis. Sed hi frustra omnia faciebant, quia non ponebant pullos suos in nido ecclesiæ, sed in suis quisq; tabernaculis nidulati sunt, eoq; convenit illis illud veteris proverbii, ut è malo corvo nasceretur malum ovum, & expectatis turturum pullis, excluderentur aspides. Nos igitur si quærimus veram animi quietem, perseveremus in tabernaculo Domini virtutum, maneamus in unitate ecclesiæ Catholicæ, quæ est Hierusalem, & ædificatur ut civitas, cujus participatio in idipsum. De vera requie & vita beata. Hæc est enim illa beata quies, de qua dicit alius psalmus: In pace in idipsum dormiam & requiescam: Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Sion autem mons est Hierosolymæ, in quo tabernaculum erat & regia. Sion autem speculam sonat Hebræis. In hunc igitur montē ascendamus. Quo modo ascendemus? Contemptu rerum terrenarum ac desiderio vitæ cœlestis. Ibi post longas errorum ambages, post infrugiferas rerum humanarum curas delassati, inveniemus nidum in quo refocillemur, inveniemus requiem, quemadmodum dicit Psalmus 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Ingrediamur sine macula hæreseos, & proficientes in fide, quæ per dilectionem operatur, faciamus justitiā, non Judaicā, sed evangelicā, totum quod rectè videmur agere Deo tribuentes. Ut autem in hunc montem subvolemus, simus animi demissione passeres, viles minimiq; pretii in oculis nostris, non soliciti de crastino, sed omnem solicitudinem projicientes in eum, cui nostri cura est. Simus innocentia & castitate turtures, & intelligentes nos non hic habere stabilem sedem, ad cœlestem illam Hierosolymam assiduè suspiremus. Auscultemus voci Domini ad veram animi Matth. 11. quietem invitantis: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quòd mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. Juxta sensum humanum absurdus est sermo. Nam quæ requies mitibus & humilibus qui conculcantur, & è sedibus suis exiguntur? Aut quæ requies ducentibus jugum? Servitutis nomen est jugum, & juxta Græcorum proverbium: Servis nullum est otium. Sed qui ad Christi exemplum mites sunt, terram possident: & Qui terram possident. qui juxta mundum humiles sunt, in Christo sublimes sunt, pertingentes usq; ad cœlum: & qui placido Christi jugo submittunt colla, verè liberi sunt. Submittunt autem qui citra disquisitionē fidunt illius promissis. Sequamur prophetā mystagogum, qui è vestibulo nobis ostendit, quàm amabilia, quàm pulchra, quàm suspicienda sunt atria Domini quamq; placida sit in illis animorum requies. Nunc ex atrio ostendit nobis altaria Domini, quæ sanctior & pulchrior templi pars est. Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus. Apud Judæos magna erat templi ac vasorum templi religio, magnificus altarium ornatus. Hinc illæ voces, templum Domini, templum Domini, & sanctissimum jusjurandum erat jurare per templum & altare. Nec fuit impunè Domino dixisse: Solvite templum hoc. Sed ista nihil aliud erant quàm typi rerum spiritualium. Propheta dum hæc loquitur, aliud quoddam tabernaculum non manufactum contemplatur, alia videt altaria, quæ sic admiratur, ut attonitum verba deficiant. Quidam enim hunc sermonem, Altaria tua, Domine, referunt ad superiora, quàm dilecta tabernacula, quàm dilecta altaria. Augustinus annectit proximis, passer invenit sibi domum, turtur nidum, ut appositivè sequatur, altaria tua, ut intelligamus ipsa altaria esse nidos, in quibus conquiescimus. Mihi rectius videtur, ut sermo sit inabsolutus, quo magis exprimantur admirantis affectus. Sic quum videmus principis domum magnificè extructam stupefacti dicimus, Palatium regium. Et quēadmodum hic emphasis est, in voce regium, ita in prophetæ verbis magna emphasis est, in pronomine, tua. Tu unus es Dominus

virtutū, & hæc tua sunt altaria, te digna, tibi grata. Rursus pro virtutum, Græcis est δυνάμεων de quo prius admonuimus, Hebræis Sabaoth, hoc est, exercituum. Iteratio ad hoc fit, ut intelligamus ecclesiam, licet juxta mundum contemptā & inermē, tamen protectore Deo exercituum invictam esse, atq; ipsis etiam portis inferorum inexpugnabilem. Non hæc sunt altaria quæ vitulorum, hircorum & arietum sanguine cruentantur. Dominus jam olim per os Esaiæ hoc victimarum genus fastidiebat. Quid igitur? Deus spiritus est, & spiritualibus victimis delectatur. Non gaudet cæde pecudum, sed mortificatione cupiditatum Spiritui reluctantium. Si amore Christi mactasti in teipso pecuniæ studium, & quod prius abditum pro deo colebas, nunc erogas in membra Christi, gratissimam deo victimam immolasti. Si jugulasti luxum & libidinē è lurcone factus sobrius, ex incontinente castus, acceptam Deo hostiam mactasti. Si læsus à proximo, in gratiā Christi compescis effervescentē animum, ac vindictam remittis, gratissimum Deo sacrificium obtulisti. Si fide firmus & charitate fervens tua omnia teq; totum tradis voluntati divinæ, paratus & mortē & gehennam subire, si illi visum fuerit, gratum holocaustoma posuisti Dōino virtutum. Hic est cultus rationalis sive spiritualis & hostia viva, sancta ac Deo placens, ad quā cum obsecratione nos hortatur Apostolus Rom. 12. Ita Deus non delectatur vapore thuris aut myrrhæ aut storacis, sed amat suffitum spiritualem, vota ac preces piarum mentium, gratiarum actionem & sacrificium laudis, quo Deus gaudet honorificari. Per has victimas itur ad videndum salutare Dei, qui finis est & hujus psalmi. Videbitur Deus deorū in Sion. Preces acceptæ sunt, quæ fiunt cum fide, & in nomine Christi; gratiarū actio, non tantùm in prosperis verùm etiam in adversis immolanda est. Sacrificiū laudis ita gratum erit, si juxta Pauli doctrinam, quicquid facimus sive in verbo sive in opere, nō in gloriam nostram, sed in gloriam Dei faciamus. Hæc oblatio verè munda, quia spiritualis, per universum orbē jugiter offertur in altaribus ecclesiæ. In hoc nido tuti conquiescimus ad tempus, quia altaria non sunt hominum, sed Domini virtutum, cujus voluntati nemo potest resistere, qui per simplices & humiles coli voluit, qui pusillis impartire voluit dona regni cœlestis. Quo nomine & ipse Patri gratias agit in Evangelio: Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Non est quòd metuas mundū aut Satanam, si te recipit in tabernacula sua Dominus virtutum. Ille tuetur quod instituit, ille regit ambulans in medio suorum, ille consūmat quod fecit. Dominus virtutum tuetur, Rex gubernat, Deus evehit ad regna cœlorum. Rex meus & Deus meus. Similiter loquitur Psal. 43. Tu es ipse Rex meus & Deus meus. Hoc propriè potest ad Christū ecclesiæ principem accommodari. Qui psalmo 2. loquitur: Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus. Sub ditione Dei sunt universa. Et dæmones agnoscunt omnipotentē & contremiscunt, sed fidei vox hæc est peculiaris. Rex meus & Deus meus. Nemo potest dicere dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto. Passim tāen audivimus voces appellantium dōinū Jesū. Sic nemo potest dicere, Rex meus & Deus meus, nisi qui se plena fiduciâ Dei voluntati permisit, & ab hoc uno præmiū æternæ fœlicitatis expectat. Alius psalmus populum illum beatum pronunciat, cui Dominus est Deus. Item quum aliis aliquot scripturæ locis, tum Levitici vicesimosexto, ita loquitur Dominus: Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos & ero Deus vester, vosq; eritis populus meus. Quē hic regē appellat, post appellat legislatorem. Itaq; si Regem agnoscimus, pareamus illius legibus. Si Deum agnoscimus, nihil supra eum diligamus, imò nihil omnino diligamus quod non propter ipsum diligamus. Nomine Regis & illud admonemur, quòd sanguine Christi redempti sumus à tyrannide diaboli, & pro turpissimo simul & crudelissimo domino venimus in jus clementissimi Regis. Hactenus mystagogus sive hierophanta noster ostendit nobis amabile Domini tabernaculum, introduxit in atrium, commonstravit altaria, & hostias spirituales. Nunc ostendit nobis eximios illos ac Deo dignos sacerdotes, sacris operantes in templo Domini. Beati (inquit) qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorū laudabunt te. Qui fortes sunt in fide, qui radicati in charitate, jam habitant, non in atriis sed in domo Domini. Nam habitare stabilitatis verbum est. Et quare sunt beati? Num quòd abundent opibus, aut præfulgeant honoribus, aut affluant deliciis? Nequaquam. Quam ob rem igitur? Quoniam, inquit, In secula seculorum laudabunt te. Ecce tranquillam domum, quam reperit sibi passer, ecce quietum nidum, quem reperit sibi turtur. Hic est enim supremus finis, ad quem conditus est homo, ut agnoscat, amet & hymnis celebret Conditorem, Redemptorem, gubernatorem ac remuneratorem suum. Juxta sensum humanum, qui laudantur, potius beati videntur quàm qui laudant. At in rebus divinis, secus est. Deus enim nullius laudibus fit fœlicior. Est enim æternus fons omnis gloriæ. Sed quicunq; illum laudant, hoc ipso beati sunt quòd laudant. At non omnes illum laudant, qui canunt, Gloria tibi Domine, sed in quorum cordibus habitat charitas quod est vinculum perfectionis, & exultat pax Christi, ad quam vocati sunt, qui in unum corpus coaluerunt, seseque mutuò cohortantur in psalmis

Matt. 11.

Coloss. 2.

mis & hymnis & canticis spiritualibus, in gratia canentes in cordibus Deo. Quod si voce corporea laudandus est Deus, psallamus spiritu, psallamus & mente. Non est speciosa laus in ore peccatoris, non est grata Deo symphonia, ubi vocibus concordibus dissonant animi; deniq; extra domum Dei quæ est ecclesia, nō est hymnus acceptus deo. Si volumus esse beati sic unanimes laudemus Deum, quemadmodum laudant angeli, inter quos nulla est dissensio. Universa creatura suo quæq; more laudat Dominum. Neq; enim cœli tantùm enarrant gloriam Dei, sed omne animantium genus, ipsa elementa & quicquid ex his gignitur, dum ipso aspectu conditoris omnipotentiam, sapientiam ac bonitatem nobis declarant, clamitant laudes Dei. Eoq; in Psalmis, & in Cantico trium puerorum, non tantùm sol & luna, sed & pecudes & pisces, & montes & colles, & maria & flumina, invitantur ad laudandum nomen Domini. Soli spiritus impii, & homines mali non invitantur ad hanc symphoniam quia per hos, quod quidem in ipsis est, blasphemiâ potius afficitur nomen Domini. Sed quid sibi vult quod addit Propheta, In secula seculorum laudabunt te? Quo loco subjicitur, Sela. Quod Hieronymus vertit, semper. Tametsi sunt qui negent eam vocem æternitatis habere significationem, quòd in scripturis nusquam reperiatur præterquam in Psalmis, & interdum his locis ubi nulla sit æternitatis significatio: Proinde existimant idem pollere Sela, quod diapsalma, quod indicium erat mutandæ melodiæ. Nam Psalmi vocibus ac musicis organis canebantur. Habent autem & hodie musici signa quædam quibus admonentur, mutandam esse cantionis rationem. Neq; enim omnis harmonia, cuivis sententiæ congruit. Sic & in comœdiarum diverbiis tibiæ modos quosdam accinebant, aut fortassè præcinebant, ex quibus populus intelligebant sententiæ genus, gravis esset an secus. In hoc certè psalmo ab hac clausula videtur esse alterius argumenti exordium. Sed hoc utcunq; habet, certè verba in secula seculorum declarant æternitatem, ut non possint quadrare in templum quod erat Hierosolymis. Id enim non ita multò duravit ultra ducentos annos: Quanquam Judæorum vulgus sibi persuaserat legem & illius templi religionē usq; ad mundi finem duraturam. Quemadmodum Romani sibi persuaserant, Capitolium fore sempiternum, quum hodie Romæ ne vestigium quidem Capitolii possint ostendere, nec Judæi templi sui Hierosolymis. Aliud igitur templum videbat oculus propheticus in quo sine fine laudaretur nomen Domini. Ea nimirum est ecclesia Catholica. Sed quî possit esse perpetua laudatio, quum mortales sint qui laudant? Hæc ecclesia laudatrix Domini, consummationem expectat, finem nescit. Et sicut in piis charitas nunquam excidit, ita laudatio Dei hic exercetur, in cœlis perficitur. Simul ut animus evolarit ex hoc terreno domicilio jam cum angelis ac beatis animabus limpidius canit laudes Deo, donec recepto corpore non jam animali sed spirituali, totus homo sine fine citraq; interruptionem resonabit conditoris sui laudes. Est enim una eadēq; domus, ecclesia militans in terris, & ecclesia triumphans in cœlis, nisi quòd illa pars est purgatior. Quemadmodum idem est aer terræ quam calcamus, proximus & qui juxta quosdam philosophos, lambit convexa orbis lunæ, sed hic ob terræ contagium crassior, ille purior. Nihil autem obstat, quo minus unusquisque nostrum licet gravatus hoc mortali corpore, tamen sine intermissione laudet Deum suum. Quî potest, inquis? Potest: Si quicquid cogitamus, loquimur aut agimus, omnia in gloriam Dei faciamus, etiam quum edimus ac bibimus, etiam quum dormimus, aut lusu corpusculum reficimus, laudamus Deum nostrum. Glorificate (inquit Apostolus) & portate Dominum in corpore vestro. Non omnia membra loquuntur, sed omnia membra corporis nostri glorificant Deum, si serviant justitiæ, etiamsi lingua sileat. Posteaquam Propheta velut ecstasi raptus pervenerat ad illam cœlestem Hierosolymam, in qua nulla est molestia quæ interpellet, nulla animorum dissensio, quæ vitiet melodiam, nulla necessitas, quæ interrumpat hymnos Dei: quod ait beatus Paulus, sive excedimus, deo, sive sobrii sumus, vobis: velut ad se rediens, meminit se hominem esse, & in hoc exilio versantibus ostendit viam, qua ad illam beatam tranquillitatem perveniatur. Dixerat: Beati qui habitant in domo tua, Domine: etiam Angelos & pias animas cum angelis viventes complectens. Hic mutata jam harmoniæ specie dicit: Beatus vir, sive ut ex Hebræo vertit Hieronymus: Beatus homo. Viri nomen non excludit fœminas. In Christo non est vir aut fœmina, non servus aut liber, sed nova creatura. Hominis vocabulum admonet nos fragilitatis nostræ, cui nisi Dei misericordia porrigat manum, ne ad ecclesiæ quidem atrium potest accedere, tantum abest ut ad illam supernam beatorum sedem possit evolare. Aditus in ecclesiam fides est, sine qua nihil prodest baptismus. At fidem nemo sibi largitur, Dei donum est, quo Deus quos vult, prævenit & ad Christum trahit. Nam homo quatenus est homo, carnalis est, & nihil nisi mundum sapit. Hoc perspiciens Propheta submissioribus jam modis ait: Beatus homo cujus est auxilium abs te. Sive ut legit D. Augustinus, assumptio, Græce est ἀντίληψις, quæ vox convenit in eum qui manum porrigit conanti ascendere. Nam & ecclesia civitas est in edito sita, quemadmodum templum Hierosolymitanum erat in mōte Sion. Hieronymus pro auxilio vertit fortitudinem.

Voces

Inter Angelos non est dissensio.

Psalmi organis canebantur.

Ecclesia militans & triumphans una.

1 Corinth. 6.

2 Cor. 5. 13.

Voces dissonant, sensus idem est. Nitentibus ad ardua, viribus opus est. Homo autem ex sese nihil potest. Fides autem propriè robur addit homini, ut jam nec mundum nec satanam metuat. Itaq; qui totam fiduciam in Deo collocant, ii demum confirmati vigore spiritus valent conscendere in montem Domini. Ad templum illud Judaicum quod extruxit Solomon, quindecim gradibus ascendebatur. In primo gradu Propheta queritur de improbitate linguarum, tædioq; exilii. In secundo confirmatur dono fidei, dicens: Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram. Fides est quæ
2 Cor. 1. stabilit gressus nostros ne vacillent. Ita Paulus Corinthiis: Fide statis. Item Ro. Tu autem fide stas. Et beatus Petrus hortatur, ut resistamus diabolo, fortes fide. Is enim demum verè fortis est qui in se imbecillis fortitudinem suam habet in Deo. Quod indicans Esaias ait fore, ut hoc canticum canatur in terra Juda. Canticum est evangelicæ professionis. Juda enim Hebræis confitentem sonat. Quod igitur canticum? Urbs fortitudinis nostræ Sion. Sion ecclesia est, sed unde fortitudo imbelli? Servator ponetur in ea murus & antemurale. Audis inexpugnabile munimentum. Idem ait: In silentio ac spe, erit fortitudo vestra. Tacitus expectat qui nihil diffidit de promissis: & spes tantæ fœlicitatis quæ non pudefacit quia non fallit, etiam in mediis afflictionibus ac mortibus exhilarat animum. In hac igitur vita non est perfecta beatitudo, & tamen magna quædam beatitudinis pars est dum reputamus animo, quàm sit momentaneum totum hujus vitæ spatium, & quàm non sint condignæ afflictiones ad futurã gloriam
2 Tim. 2. quæ revelabitur in nobis. Ad hæc, quàm bonæ certæq; fidei sit qui nobis eam promisit: Ut enim nos illum abnegemus, ille fidelis permanet, seipsum abnegare non potest, tantum ut perseveremus in fide & charitate, continentes nosipsos intra septa domûs Dei, in qua succrescentes usq; ad mensuram plenitudinis Christi, per quindecim mysticos gradus, ascendamus in æternum tabernaculum, & per quadraginta mansiones, ad terram illam quietis quam Dominus in Evangelio promisit mitibus, alacriter proficiscamur. In arduo est quod petimus, egregium est quò tendimus. Nemo repentè ab imo ad summa provehitur. Opus est qui commonstret viam, quemadmodum Deus Israelitis, qui nostri typum gerebant, dux fuit per invia desertorum: opus est qui è sublimi porrigat manum, & nitentem sursum trahat. Horum
Philip. 2. 13. nihil ipsi nobis præstare possumus. Dominus est, qui & velle & perficere operatur in nobis. Ille per fidem aperit nobis oculos, ut videamus ubi simus, ut horreamus quod sumus & suspiremus ad ea quæ nondum sumus. Primum igitur auxilium à Domino, hoc est, primus beatitudinis gradus est, ut levemus oculos in montes. E cœlo datur, ut amemus cœlestia & con-
Nota bene. temnamus terrena. Qui circumspectant suam sapientiam, suas vires, sua merita, qui tantùm respiciunt ad cæremonias, condonationes ac diplomata Pontificum, nunquam perveniunt ad illam beatitudinem. Quid igitur facit ille beatitudinis candidatus, cui Dominus per fidem dedit, ut fastiditis humilibus mundi curis, oculos attollat in montes æternitatis? ἀναβάσεις ascensiones sive gradus ascensorios disponit in corde suo. Quas hic appellat ἀναβάσεις, in Canticis graduum appellat ἀναβαθμούς, qui gradus sunt, sed ascendentium, quum Latinis eisdem gradibus descendatur quibus ascenditur. Cæterùm in negotio pietatis non oportet unquam retroducere, sed oblitos à tergo relictorum semper ad perfectiora tendere. Respexit Eurydice, & relapsa est in Orcum. Respexit uxor Loth, & versa est in petram salis. Habet autem & pietas gradus suos, quemadmodum hominis ætas. Catechumeni parturiuntur, modò baptizati velut infantes aluntur lacte, adultis pro solido cibo proferuntur retrusiora mysteria. Et Paulus sapientiam loquitur inter perfectos, inter infirmos profitetur se nihil scire, nisi Jesum Christum & hunc crucifixum. Ergo qui sustulit oculos suos in montes disponit gradus ascensorios. Ubi? In corde suo. Nec mirum, ad illum enim montem non ascenditur pedibus sed affectibus. Sunt externi gradus, quos ut non oporteat reprehendi, tamen inutiles sunt, nisi gradus disponantur in corde. E laico fit clericus, è clerico fit hypodiaconus, ex hypodiacono diaconus, è diacono archidiaconus, ex hoc presbyter, è presbytero episcopus. Rursus è laico monachus, è Canonico regulari Dominicanus, è Dominicano Franciscanus, è Franciscano Benedictinus, è Benedictino Carthusianus. Quanquam de his gradibus multa inter ipsos controversia est qui gradus hos disponunt ac digerunt juxta res externas. Sunt qui putant Franciscanos in altiore gradu consistere, quòd seminudis incedant pedibus, quòd pecunias non contingant. Rursus sunt qui his præferant Dominicanos, quòd domi non vescantur carnibus. Utrisque præferunt Benedictinos, qui & pluribus horis canunt in templis, nec unquam domo prodeunt. Jam inter omnes summum gradum obtinent, qui lorica ferreâ pro indusio cutem defricant. Hi gradus ita demũ prosunt ad pietatẽ, si domino auxiliante veri gradus disponãtur in corde. Desiisti rapto vivere; nonnullus ad pietatem gradus est. Non solũ restituis fraude parta, verũ tua profundis in egenos amore Christi: Altiorem ascendisti gradũ. E violento ac feroce factus es innocens: Aliquem ascendisti gradum in corde. Studes omnibus benefacere, in sublimiorem gradum te recepisti. Tandem & illis à quibus graviter læsus es, non

non modò remittis vindictam ex animo, sed in Christi gratiam bene velle & bene facere gaudes; ad verè sublimem gradum emersisti. Hæc exempli causa proposui, de cæteris item quisq; apud sese consideret. Hi gradus digeruntur in corde hominis, in intimis animi recessibus. Hos igitur gradus quibus ad perfectionē tendimus, beatus ille disponebat in corde suo, non se jactans apud homines; sed se probans inspectori cordium, sed auxiliū non aliunde expectans quàm à domino. Atq; hæc meditatur in valle lachrymarū. Quid enim aliud est totus hic mundus, nisi convallis obscura, nascentium, parturientiū, morientium, ægrotantium, egentium, navigantium, belligerantium, aliisq; mille lachrymarū occasionibus plena: à quibus nec potentes nec divites, nec reges ulli sunt immunes. Hæc est illa vallis Achor, id est tumultus ac perturbationis, in quam præcipitatus est Acham, ut habetur Josuæ septimo. In hoc loco nos posuit Dominus, posteaquā è paradiso per inobedientiā excidimus, ut aliquantisper in exilio degentes per obedientiam fidei & observationem præceptorū Dei moliremur reditum in patriam. Nec est quòd nos hujus vallis pigeat: in hanc descendere dignatus est ipse Dei filius, ut nobis esset via, veritas & vita. Ergo quamdiu vivimus in hoc corpore mortali, versamur in valle lachrymarū. Sed dixerit aliquis: Frustra igitur homo disponit gradus ascensorios in corde suo, si permanendum est in valle lachrymarum. Sed hæc vallis Achor vertitur in requiem armentorum, juxta Esaiam 65. Daturq; Hierusalem ad declarationem spei. Osee 2. Præter hæc oportet meminisse, quòd in arcē Sion affectibus ascenditur non pedibus, corde ascenditur non scalis. Corpus hæret in valle, animus eluctatur in montem. Ita visū est Regi nostro, ut per temporarias afflictiones hujus mundi, pertingamus ad coronā immortalitatis. Nec videatur hujus militiæ dura lex. Rex noster qui nobis hanc legem præscripsit, ipse eam in se præstitit. Nec est quod despondeamus animum, qui nos ad certamen vocat, ipse dabit benedictionē, auxilians nobis in periculis, consolans in afflictionibus, ut possimus sustinere. Agonotheta noster evocat suos ad certamen, proposuit ingentia præmia, qui legitimè certaverint: præsidet, non tantùm ut spectator & judex, verumetiam ut auxiliator. Ille suppeditat vires, suggerit alacritatem. Nam hîc benedictio non est laudis vox sed liberalitatis, quemadmodum loquitur Apostolus: Qui parcè seminat, parcè & metet. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. Aspera lex est, qui non tollit crucem suam quotidie & sequitur me non potest meus esse discipulus. Qui non odit patrem & matrem, præterea & animā suā, non est me dignus, &c Dura (inquā) & horrenda lex est, nisi accedat gratiæ largitas, quā ut ostenderet & gratuitam & minimè parcam esse, maluit εὐλογίαν appellare, quàm alio nomine. Sub lege Mosaica parcior erat gratiæ dispensatio; verum simul ut effulsit humanitas ac benignitas Dei nostri, qui non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis, spiritum suum abunde effundit in universam carnem. Apud homines aliud interdum est benedicere, aliud benefacere: imò frequenter hominis benedictio maleficium est non beneficium: sed Deo idem est benedicere & benefacere. Religiosè faciunt qui procumbunt & accipiunt Episcopi benedictionem, sed quanto justius est nos prosterni coram Deo, ut illius impetremus benedictionem? Vide porrò quantum efficiat Dei benedictio:

Vallis Achor.

Agonotheta.

Ibunt (inquit) de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion.

Mirabitur hic aliquis subito mutatum verbi numerū. Modò dixit: Beatus est cujus auxiliū abs te, & disposuit in corde suo. Hic ibunt de virtute in virtutem. Unde repentè ex uno plures facti sunt? In mysticis literis, Dei benedictio affert fœcunditatem, sicut maledictio sterilitatem. Maledicta terra in opere tuo, quum exercueris eam, spinas & tribulos producet tibi. Contrà quum Deus creasset hominem ex uda argilla, uxorem ex una costa lævi lateris, benedixit eis, dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Item Psalmo centesimosexto: Benedixit eis, & multiplicati sunt nimis. Atq; ista quidē typi sunt rerum spiritualium. Itaq; posteaquā per evangelii gratiam exempti sumus à maledicto legis, ac per Spiritū Sanctum effusa est in Apostolos benedictio, quanta celeritate veri Dei cultus, qui prius apud Judæos velut in orbis angulo coercebatur, sese diffudit per universas mundi nationes? Quot virginum, quot martyrum, quot confessorum examina prosilierunt? Unde hæc prodigiosa fœcunditas? Unde nisi ex benedictione Dei? Filii (inquit) tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Itaq; deserta illa & vidua mulier admiratur insperatam fœcunditatē suam, dicens: Et isti filii unde venerunt? Venerunt ex omni natione quæ sub cœlo est, ab Indis, ab Gadibus, à Thracibus, à Gothis, à Scotis & Hybernis. Itaq; jam multiplicati benedictione Dei, & animosi fide, alacres spe, ibunt de virtute in virtutem. Ne hic quidem est ἀρετή, sed ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, quod Hieronymus ex Hebræo vertit: de fortitudine in fortitudinem. Nonnulla fortitudo est, pro Christo negligere voluptates, opes & honores hujus mundi: sed fortius est vincere pietatis affectus in parentes, uxorem ac liberos; longe verò fortissimum est, mortem & morte graviora tormenta vitæ cœlestis amore

Esaiæ 6.

negligere,

negligere. Qui gradibus nituntur in altum,quo magis ascendunt hoc magis lassescunt: at qui per hos gradus ascendunt, quo longius eunt,hoc redduntur fortiores & alacriores. Unde tandem? Nisi quia res non est humanarū viriū, sed benedictionis divinæ. Alioqui unde tam præsens animi robur, tanta alacritas Apostolorū,juvenum, virginum in squalore carcerum? in flagris & aculeis? in ipsis etiam mortibus, ad quarū etiā cōmemorationē humanus inhorrescit animus? Non aliunde, nisi quòd Agonothetes ac legislator pro magnitudine tentationum auget benedictionem. Mirantur homines qui foris vident afflictionem, sed non vident internam benedictionem. Non ineleganter à viro quodam ob pietatem celebri dictum est de monachis austerā vitam agentibus: Multi vident cruces nostras, sed non vident unctiones nostras: Vident corpus attenuatum vigiliis, jejuniis ac laboribus, Vident solitudinem, omniumq; voluptatū abstinentiam, & tamen in corpusculo exiguo & imbecilli, non vident quantis deliciis reficiatur animus ad cœlum anhelans. Sed quod tandē præmium petitur tantis laboribus? Videbitur (inquit) Deus deorū in Sion: sive (ut vertit Hieronymus) apparebunt apud Deum deorum in Sion. Hoc est brabeum omnium certaminum, hæc est requies omnium votorum, hæc est fœlicitatis summa: Domine(inquit)ostende nobis faciem tuam,& salvi erimus. Et Philippus: Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Atqui,Deum nemo vidit unquā. Invisibilis est oculis corporeis, sed cordi mundo visibilis est. Itaq; Dominus in Evangelio beatos pronunciat, qui sunt mundo corde, quoniam ipsi Deū videbunt. Cor autē intellige non intestinum corporis, spirituum ac sanguinis fontem, sed mentem hominis fidei illustratam lumine. Videtur autē interdum & in hac vita purgatis mentibus, sed per speculū & in ænigmate, sed non nisi in Sion. Nam extra ecclesiam nemo videt Deum, quia nemo habet puram mentem. Et si sibi videntur videre, hallucinantur jam spectrum videntes pro Deo. Non vulgaris autem beatitudo est apparere apud Deum deorū. Quid est parere apud illum? Cum plena fiducia venire in conspectū illius, qui novit omnes latebras humani cordis. Hoc non ausit nisi pura & undiquaq; sincera conscientia. Alioqui videbitur & impiis Deus, sed horribilis erit aspectus illius, qui piis est amabilis. Non est alius Deus, sed diversi sunt oculi. Ut ægris oculis molesta lux est,quæ sanis est jucunda. Omnes enim sistendi sumus ante tribunal summi judicis, à quo non est provocatio. Miles qui fidelem & strenuam operam navavit in bello, servus qui gnaviter dispensavit talenta domini, gaudens prodit in conspectum ducis & heri sui, auditurus, Accipe coronam vitæ æternæ, & intra in gaudium domini tui. Ille beatus est, qui non veretur suam conscientiam aperire Domino, dicens cum Hezechia Rege: Obsecro, domine; memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate & corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Simili fiducia fortissimus ille Christi miles prodit in conspectum imperatoris sui: Ecce (inquit) coram Deo in Christo loquimur. Et ad eosdem Corinthios de se loquens: Non ambulantes in astutia, neq; adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum, coram Deo. Idem alibi: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cætero reposita est mihi corona justitiæ. An non magna fœlicitas est sic posse comparere apud Deum deorum in Sion, in specula perfectionis evangelicæ? Deum deorum dixit, judicem omnium indicans. Sive enim accipias populi judices, sive pios homines, ad quos sermo dei factus est, sive angelos, qui & ipsi dicuntur Elohim, sive dæmones aut dæmonum ministros homines qui se pro diis coli passi sunt, hic unus est Deus deorum, judex universorum, sicut testatur psalmus 81. Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat, ipse à nemine judicandus. Nec angelorum, nec prophetarum, nec ullius sanctorum aspectus confert homini veram beatitudinem. Solus hoc præstat Deus deorum. Huc ut pertingamus, Dominus impertit benedictionem, sed orantibus. Assidue rogari vult, non ut admoneatur, sed ut nos rogando digni efficiamur, quibus largius impertiat suam benedictionem. Nam & hoc pacto paremus apud deum, quoties vel appellamus illum puris precibus, vel pro beneficiis acceptis gratias agimus. ‘ Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus ‘ Jacob. Angelorum Deus est, eoq; deus virtutum dicitur, & hominum Deus est, qui pa‘ triarcham Jacob imitantur. Is luctando cum angelo meruit benedictionem, & idem dixit: ‘ Vidi dominum facie ad faciem,& salva facta est anima mea. Sequitur: ‘ Protector noster ‘ aspice Deus, & respice in faciem Christi tui. Nondum plenam securitatem assequutus est, qui requirit protectorem. Adhuc metuit ignea jacula malorum spirituum è sublimi nos impetentium. Adversus hæc implorat Deum exercituum, ut suis sit clypeus. Hoc enim vertit Hieronymus, quod septuaginta verterunt hyperaspisten. Magna est dæmonum potentia, sed Dominus virtutum unus potentior est universis. Si ille dignatur nobis esse clypeus,non est quòd metuamus ulla jacula. Sub hoc clypeo tutus latebat qui dicit: Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Et alibi rursus: Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ cinxisti nos. Nullum est hominis scutū, quod totū hominis corpus reddat invulnerabile, quin & ipsum

De monachis.

Matth. 5.

Esaiæ 38.

Psalm. 26.

Psalm. 5.

ipſum ſcutum interdum prodit hominem: at quem tegit Dei clypeus, nulla ex parte poteſt ſauciari. Aſpici à Deo, tegi eſt. Aſpicit autem cui propitius eſt ac bene vult. Eóq; pſalmus quem modò citavi, ſcutum appellat benevolentiæ, Græcè εὐδοκίας. Hieronymus vertit placabilitatem. Qui ſuis meritis ſeſe protegunt & his veluti clypeo fidunt, an tuti ſint, ipſi viderint. Attende. Qui fiduciam ſuā collocant in ceremoniis, in cultu divorum, in veſte, quaſi tutum reddat ab inſultu Satanæ, non ſatis fideli utuntur clypeo. Sed gratiæ Dei & hujus promiſſis tutò fiditur. Aſpicere Deum, beatitudo eſt; ſed illum non poſſumus aſpicere, niſi prius aſpexerit nos. Cum eſſemus cæci, & in tenebris pluſquam Cimmeriis verſaremur, ille dignatus eſt aſpicere nos, aperuit oculos noſtros, & quum eſſemus inimici, diligendo nos effecit ut ipſum redamaremus. Reſpice in faciem Chriſti tui. Non arbitror anxiè diſquirendum, utrum hoc ad perſonā Davidis, an alterius cujuſpiā juxta communem ſenſum referatur. Chriſtus Græcis unctum ſonat, quod Hebræis Meſſias. Omnes Chriſti ſunt, qui in Chriſtum renati ſunt. Ab horum facie nunquā avertit oculos Deus, ſed cuſtodit illos ut pupillam oculi, modò ne ipſi faciē ſuā avertant ab eo. Regum autē ac ſacerdotum eſt ungi. Utrumq; ſuo quodā modo ſunt, qui ſuo cognomini reſpondent, quos beatus Petrus alloquitur: Vos autem genus 1 Petri 2. electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, &c. Sed ille Chriſtorum omnium Princeps eſt, qui dictus eſt princeps pacis, ac ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec, quem ſingulariter unxit Deus oleo lætitiæ præ participibus ſuis. In hujus faciem quoniam caret omni nævo Deus Pater gaudet aſpicere, quē profitetur eſſe Filium unicè dilectum in quo ſibi placitum ſit. Quid ſibi vult igitur, quod ait propheta, aſpice, & reſpice in faciem Chriſti tui? Quicquid Deus largitur nobis, per Filium ac propter Filium largitur, non propter opera juſtitiæ quæ fecimus nos. Nos enim in multis offendimus omnes. Solus ille agnus eſt omnis expers maculæ. Ergo protector noſter Deus, ſi tuos oculos offendit facies, hoc eſt, conſcientia noſtra, reſpice in faciem Chriſti Filii tui, quem ſine exceptione diligis, per illius merita nobis largire, quod ipſi non meremur. Judæi quoniā non noverant incarnationis myſterium, in precationibus ſuis, diffidentes ſuis meritis obteſtabantur Deum per memoriam patriarcharum, Abraham, Iſaac & Jacob, quorum pietas Deo fuiſſet accepta. At Chriſtiani nihil petunt à Patre, niſi per Jeſum Chriſtum, quem habemus in cœlis advocatum efficacem, quiq; ſuam fidem nobis obſtrinxit, fore ut acciperemus quicquid poſtularemus Patrem in ipſius nomine. Qui ſcripſit hunc Pſalmum non viderat Chriſtum in carne, ſed oculis fidei qui longè proſpiciunt, viderat illum venturum, quemadmodum & Abraham, tot ſeculis Chriſti adventu antiquior, viderat diem illius & gaviſus eſt. Nos Johan. 8. igitur quoties aliquid à Deo petimus, cum fiducia petamus, ſed eam fiduciam hauriamus, non ex noſtris benefactis, ſed ex gratuitis Chriſti promiſſis. Ne dicamus reſpice ad jejunia mea, aut eleemoſynas, aut vigilias, aut chameunias, ſed reſpice in faciem Chriſti tui. Docet hoc Paulus Eph. 3. In Chriſto Jeſu domino noſtro habemus fiduciam ac acceſſum, in confidentia per fidem ejus. Quid eſt per fidem ejus? Quia fidendum eſt illi toto pectore, qui non fallit in promiſſis, etiamſi promittat quæ videntur nobis impoſſibilia. Quis enim credidiſſet fieri poſſe, ut divina humanaq; natura ſic unirentur ut coirent in unam perſonam? At ille promiſit & præſtitit. Quis crederet fieri poſſe, ut homo verus ſederet ad dextram Dei Patris? Promiſit & præſtitit. Quid eſt igitur quod non ſperemus à deo, modò reſpiciat in faciem Chriſti ſui? Ut autem intelligas hanc interpretationem non eſſe ſomnium ſenſus mei, ſed prophetam agnoſcentem dignitatem ſuam confugiſſe ad faciem Chriſti, attende quod ſequitur: Quia melior eſt dies unus in atriis tuis ſuper millia. Nihil vetat quo minus hæc juxta ſenſum humiliorem referantur ad Iſraelitas captivos apud Babylonios. Tenebantur ingenti patriæ deſiderio, tædebat ethnicarum ſuperſtitionum, ſuſpirabant ad priſtinos ritus ac templum illud magnificum, quod extruxerat Solomon. Jam enim ſibi videbantur diutino ethnicorum commercio facti ethnici. Sed nos retruſiorem intellectum ſequi maluimus. Non addit chiliadum numerum, ut intelligas infinitum diſcrimen. Nec dicit in domo tua, aut ſanctuario tuo, ſed in atriis tuis, quod eſt templi quaſi veſtibulum, in quod admittebantur & prophani: unde * Paulus Hebræis ſcribens appellat ſanctum ſeculare κοσμικὸν, quod toti pateret mundo. Nec eſt apud Hebræos unus dies, ſed tantùm dies. Non eſt enim dies ubi non lucet ſol juſtitiæ & incontaminata veritas. Nuſquam igitur dies eſt, niſi in eccleſia. In nocte ſunt, qui ſunt extra hanc: quod olim vaticinatus eſt Zacharias, cap. ultimo, de incredulis loquens: In die illa non erit lux, ſed frigus & gelu. Mox de fide eccleſiæ ſic loquitur: Et erit dies una quæ nota eſt domino, non dies neq; nox. Vulgarem diem facit ſolis exortus, noctem occaſus. Quis igitur eſt hic dies & non dies? Explicat hoc Eſaias cap. 60. Non erit tibi ſol in lucē diei, neq; ortus lunæ illuminabit te per noctem, Sed erit tibi Dominus lux æterna. Utrumq; duorū prophetarum locum imitatus eſt qui ſcripſit Apocalypſim. Et civitas non habebit opus luce ſolis, quoniam Dominus omnipotēs lumen ejus erit. Porrò, non eſſe lucem niſi in eccleſia, teſtatur Eſaias eodem

Humi dormitiones, pro humiliationes.

* Epiſt. ad Hebræos à S. Paulo ſcripta.

eodē quod modò citavi capite, dē his agens qui non receperunt fidē evangelicā: Quia ecce tenebræ operient terrā, & caligo populos; Super te autē orietur Dominus, gloria ejus in te videbitur. Mox subjicit de his qui relicta patria superstitione crediderunt Evangelio: Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortûs tui. Ad hæc quū ait, τὰ χαλὰ, non addit quarū rerū, complectens universa commoda in unū conflata quæ non possunt homini contingere extra ecclesiam. Nam quæ potest esse fœlicitas hominis, si in tenebris ambulet? Quamdiu militamus in hoc tabernaculo, per fidem intuemur solem. At in illo cœlesti templo non est nisi unus dies, quia non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, nec ulla erroris aut ignorantiæ nebula lucē offuscat. Æternitas enim nescit ortū & occasum. Interim tamen ambulare in luce fidei, & simplici animo sequi eū qui dixit: Qui sequitur me non ambulat in tenebris, beatius est omnibus opibus, regnis, gloriis & oblectamentis hujus mundi. Hæc stulta dictu videntur, quibus Christus nondum aperuit oculos. Verùm si percонteris eos quorum cordibus illuxit Christus, num velint pietatis jacturā totū mundū lucrifacere, detestabuntur & abominabuntur sermonē tuū. Norunt enim quantū bonū sit, quod jam velut arrā tenent, & quàm inæstimabile sit illud, ad quod mox sunt transferendi. Nunc illud mihi spectato, quanto desiderio teneatur domûs Dei qui hæc loquitur.

Elegi abjectus esse in domo dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Quid est abjectum esse? Jacere in limine aut vestibulo & conculcari, Quod mendicorum est. Tanta autem est ecclesiæ majestas & fœlicitas, ut quod in ea contēptissimū est, longè præstet omnibus mundi splendoribus. Sicut in cœlesti Hierosolyma, multæ sunt mansiones, quarū infima tamen potior est omnibus regum palatiis: Sic in ecclesia velut in magnâ domo diversi generis vasa sunt, quorū aliud est alio honoratius, & tamen quod in his vilissimum est, pretiosius est universo mundo. In corpore hominis naturali membrum aliud alio est præstantius. Functiones quidem diversæ sunt, sed eodem spiritu vegetantur omnia. Sic in corpore Christi mystico, quod est ecclesia, diversi sunt ordines hominum, diversa munia, donaq; spiritus, omnes tamen membra sunt Christi, & eandem expectant hæreditatem. Quod hic infimum est, sublimius est omni fastigio mundi. Pes humani corporis beatior est oculo suis aut canis & eæ partes per quas egeruntur recrementa cibi ac potus in humano corpore, beatiores sunt capite asini. Hic obiter propheta aperit fontem, quamobrem plerique mortales, vel non accedunt ad ecclesiam, vel recedunt ab ecclesia, vel ejecti ob culpam gravantur redire. Qui tument honoribus mundanis, nolunt deponere cameli gibbos, ut per humile ingrediantur ostium. Et ex historiis discimus complures hæresiarchas esse factos, quòd ad episcopi dignitatem non admoverentur. Itaq; maluerunt primum tenere locum inter canes & sues, quàm inter oves Christi mediocri esse loco. Hæc stulta ambitio genuit nobis Basilides, Marciones aliaq; inauspicata nomina. Sed quid consequuti sunt infœlices? Apud homines sibi conflarunt sempiternam ignominiam, apud Deum meruere gehennam. Quanto satius erat, vel ignotissimum esse inter oves ecclesiæ, modò nomen habeas scriptum in libro vitæ. Simili tenentur amentia, qui quum magnis ac manifestis criminibus meruerint submoveri à consortio ecclesiæ, tamen recusant profiteri pœnitentiam ut ecclesiæ reconcilientur. Humile & abjectum esse putant arceri ingressu, nudo capite, nudisq; pedibus stare in vestibulo, flexis genibus introeuntium preces implorare, gestare pro purpura saccum, pro unguentis conspergi cinere. Quid in causa? Quia non vident quanta sit dignitas, quanta fœlicitas, quanta securitas versari in atriis Domini; Quanta vilitas, quantumq; periculum vel ad horam esse extra domum Dei. Vidit hæc ille Deo charus Theodosius Imperator, qui maluit universum Imperii strepitum deponere & in abjectum pœnitentium ire locum, quàm non esse in domo Domini. Illi ipsi pœnitentes cultu squalidi, jejuniis attenuati, lachrymis & mœrore confecti, qui tanquam mendici jacent in limine domûs Dei, multò fœliciores sunt, quàm qui sub Satana regnant in tentoriis impietatis. Siquidē hi, si modò verè pœnitet, licet corpore sint extra domū ecclesiæ, animo sunt intus. Quid est igitur, quod tanto ardore desiderat propheta, per Christi faciē obtestans Deū? ut vel in extremo angulo, aut limine domus Dei versari liceat, & vel inter abjectissima Christi membra censeatur, extra quē nulla cuiquā est spes salutis. Sed si ad limen domûs Dei vel accedamus, vel redeamus, parata est misericordia Domini, quæ sublevat infirmitatē nostrā, ut proficiamus ad perfectiora. Parata est veritas Domini, ut abundemus in omni scientia spirituali, parata est gratia Domini, ditans nos spiritualibus charismatibus. Postremò parata est gloria Domini, quæ nos transformet in imaginem Christi. Christus veritas est, Christus justitia nostra est; quem si sequamur antecedentē, fit quod dicit Esaias: Et anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te. Misericordia condonat errorem, veritas illuminat mentem ne revolvaris in errorē, gratia instruit donis spiritus, ut conversus confirmes fratres tuos, & quàm plurimos ab impietate revoces, quēadmodum ait beatus David, expertus misericordiam Domini magnam, ac per Nathan ad veritatem

Abjectum esse, quid sit.

Corpus Christi mysticum, ecclesia.

Theodosius Imperator. Id idem & fecit Amedeus dux Sabaud. qui electus in pontificem maximum, Fœlix dictus.

ritatem revocatus: Docebo iniquos vias tuas,& impii ad te convertentur. Hoc est quod hic sentit propheta: Quia misericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Similiter & Paulus, per domini misericordiam revocatus à furore persequendi; & per veritatem Evangelicam edoctus viam Domini, denique per gratiam Sancti Spiritus præclaris donis locupletatus, factusque vas & organum electum, eò profecit ut etiam in mediis afflictionibus in Domino gloriaretur. Quanquam potest hic versiculus & aliter intelligi, ut misericordiæ divinæ sit quòd trahimur ad cognitionem veritatis, juxta verbum Hieremiæ 31. Ideo attraxi te miserans. Tum ut veritas sit hominis confitentis sua mala & agnoscentis gratuitam Dei misericordiam. Hoc enim sentit Psalmus 50. Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. David quamdiu celabat peccatum suum mendax erat, & fucum facere conabatur non hominibus tantùm sed & Deo. Verùm Deus ex sua misericordia per Nathan prophetam revocat eum ad veritatem confessionis: declarans inutiliter celari peccatum apud homines, quum oculos Dei nemo possit fallere. Misericordiam revocantem & veritatem confitentem sequitur gratia & gloria. Peracto enim luctu pœnitentiæ, & ita castigatis membris, ut quemadmodum antea servierant iniquitati ad iniquitatem, ita facta templa Spiritûs Sancti serviant justitiæ ad justitiam, fit ut glorietur ecclesia illic superabundare gratiam, ubi abundarat peccatum, & inter angelos major sit gratulatio super uno peccatore revocato quàm super nonagintanovē justis. Non est quidem absurdum quod adfert Augustinus, veritatem referens ad fidem Dei in promissis. Solus enim ille verax est,quum sit omnis homo mendax,non quòd semper fallant homines, sed quòd in ipsis non sit præstare quod pollicentur, incerti an in proximum diem victuri sint. Quamdiu circumferimus hoc mortale corpusculum, multis injuriis,multisque periculis obnoxium, misericordia Domini circumvallat nos undiq; sicuti vice,ne revolvamur in vitia, veritas Dei in promissis fulcit erigitq; mentes nostras,ut contemptis hujus vitæ bonis pariter ac malis feramur ad cœlestia. Concinit huic sensui Psalmus 35. Prætende, inquit, misericordiam tuam scientibus te, & justitiam tuam iis qui recto sunt corde. Justitia reddit cuiq; quod suum est. Quid autem reddet nobis Deus qui nulli cuiquam debet? Nihil enim habemus quod illius benignitati non oporteat acceptum ferri. At aliud est liberalitas, aliud justitia. Verùm & illud justitiæ genus est, præstare quod gratuitò promiseris. Hac ratione Deus seipsum nobis quodam modo debitorem constituit,ut licèt ipsum ob merita nostra non possimus appellare,ob promissa tamen appellare possimus. Quòd si nos meminerimus officii nostri, ille non recusat vocari injustus, si minus præstet quod pollicitus est. Venite,inquit, & arguite me,dicit Dominus. Hanc Dei justitiam appellat David quum ait: Ut justificeris in sermonibus tuis,& vincas quum judicaris. Prorogat interdum expectationem nostrā Deus, fallit nunquam: interim qui non norunt illius veritatem, obmurmurant ac dubitant, quemadmodum illi duo discipuli,quum aiunt, nos sperabamus quòd esset redempturus Israel. Quin & discipulos ingens habebat mœror, quòd quia non credebant eum resurrecturum,putarent sibi data verba. Quod hic ex Hebræo vertit Hieronymus, & alii quidam, id ita discrepat ab eo quod transtulerunt septuaginta, ut non videatur ejus generis esse varietas, quæ frequenter accidit ex eo, quod eadem sententia variis effertur modis, aut ex iisdem verbis alium sensum colligit, sed apparet scripturam Hebraicam in codicibus variasse. Id usuvenit interdum, quum scriba aut interpres elementi similitudine deceptus, aliud pro alio legit, aut quum diversa literarum distinctio diversum efficit sensum. Nam quod ex Hebræo reddunt sic habet: Quia sol & scutum Dominus Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Quæ lectio si germana est, solem posuit pro veritate, quæ est Christus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: scutum pro misericordia protegente credentes, adversus omnes insultus Satanæ. Sicuti loquitur Psalmus 31. Sperantes in Domino misericordia circundabit. Quanquam & Paulus hortatur ut sumamus scutum fidei. Et alius psalmus dicit: Scuto circundabit te veritas ejus, nec timebis à timore nocturno. Vis igitur tutus esse ab omni malo? Ne circumferaris omni vento doctrinæ, sed quod è scripturis divinis tradidit nobis ecclesia catholica,firma fide teneamus, quod præcipit simplici obedientia servemus,quod promittit, alacri spe expectemus. Simpliciter ambulantibus non deerit neque misericordia neque veritas neque gratia nec ullum bonorum genus quod ad beatitudinem pertinet. Eoque subdit: Dominus non privabit, sive non fraudabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Pro quo septuaginta verterunt ἐν ἀκακίᾳ, quod magis sonat simplicitatem, omnis expertem fraudis ac malitiæ. Columbinos animos amat Spiritus Sanctus. Dabit hic gloriam sinceræ conscientiæ, in futuro dabit ineffabilem illam gloriam. Interim arrabone tam pretioso contentus, expecta bona futuri seculi, spe gaudens, ut verè & ex animo dicas cum propheta: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te. Atque hæc est complurium psalmorum clausula. Frequenter enim repetendum est, quod oportet semper infixum esse mentibus nostris. Secundus Psalmus ita definit, Beati omnes qui confidunt in eo.

Aliud liberalitas, aliud justitia.

S.Luc. 24. 21.

Quartus: Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me 26. ita: Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum,& sustine Dominum 30. ita: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino 32. In nomine sancto ejus speravimus 33. Non delinquent omnes qui sperant in eo 36. Salvabit eos qui speraverunt in eo. Item 41 & 42. ad spem in Deo figendam hortantur. Similiter & 63 & 130. Nec est ista vulgaris spes,quam nobis tanto studio commendant literæ sacræ. Agricola sperat à Deo lætum agrorum proventum,nauta prosperā navigationē,gravida fœlicem partum,ægrotus convalescentiā. At vir pius qui verè sperat, hoc est,spem omnem fixit in Domino, plena fiducia totā solicitudinē conjicit in Deum,persuasus,sive læta obtigerint, sive tristia, sive mors sive vita, omnia per Dei misericordiā cessura in bonum,inscrutabili sua sapientia sic temperantis res mortalium. Itaq; quum beatus sit homo,Domine virtutum, qui fiduciam omnem in te collocavit, nec id fieri possit,nisi sit intra domum tuam ecclesiā, dignare quæso aperire oculos omnium nostrum, ut videntes, quàm sint amabilia,quàm pulchra,quàm tranquilla,quàm tuta, quàm fœlicia tabernacula tua: rursus,quàm his dissimilia tabernacula impietatis, positis opinionum & affectuum dissidiis,eodem sensu,eademq; sententia concordes versemur,in illa beata sodalitate sanctorū omniū,ut verè de nobis dici possit: Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum. Nunquam autem coalescemus in unum, nisi pariter spem nostram ponamus in Christo Jesu Rege Sion ac Domino nostro, & ad illum unum spectemus omnes. Ubi regnat ambitio,ubi pecuniæ studium,ubi pervicacia, ubi cæcus favor, aut odium cæcius, ut pertendamus tueri quicquid semel diximus aut scripsimus, ubi in gratiam partium probamus quæ scimus esse improbanda, aut odio privato damnamus & ea quæ piè dicta: deniq; ubi quisq; ad se spectat, & undiq; trahitur funiculus contentionis, non potest res ad concordiam redigi. Reputemus quàm sit stultum sic odisse mores quorundam pontificum aut sacerdotum ac monachorum, ut ipsi fiamus illis deteriores. Deterior enim est qui recedit ab ecclesiæ consortio & in hæresim aut in schisma demigrat, quàm qui impurè vivit salvis dogmatibus. Cum hoc perquam iniquum est, nos ad aliorum vitia lynceos esse, ad nostra ipsorum talpis cæciores, & in aliorum oculis videre festucam, ipsos trabem in oculo circumferentes. Homines cum hominibus versamur. Quanquam gravius, fateor, peccant, qui in potestate constituti publica,non meminerunt officii sui: Tamen populi pervicacia sæpenumero in causa est, ut qui præsunt, alii sint quàm esse conveniret. Sic populus Israeliticus pro mitissimo Samuele, accepit superbum Saulem. Placabilior erit alienis erratis, qui prius sua inspexerit. Præcipuum est discordiæ seminarium, quòd sinistro tantùm oculo proximorum vitia intuemur. Claudatur ille sinister, & dexter vicissim ad eorum virtutes aperiatur. Si virtutum candidi fuerimus æstimatores, levius offendemur vitiis. Inter fratrem ac fratrem, inter uxorem ac maritum non constat amicitia, nisi vicissim inter sese ad quædam vitia conniveant. Quomodo igitur constabit totius ecclesiæ concordia, si quisq; ad alterius virtutes lusciosus, ad vitia tales habet oculos, qualia sunt specula quædam, quæ faciem oppositam & multo majorem reddunt & deformiorem? Dolendū est tam multos esse monachos qui præter vestitum ac frigidas ceremonias minimū habent religionis, tam multos esse sacerdotes qui nec castè vivunt nec sacris vacant literis: nonnullos etiam abbates & episcopos,qui minimum differant à prophanis principibus aut satrapis: sed interim dissimulamus quàm multi sint inter illos pii, sobrii, docti,deq; repub. bene merentes, in divitiis pauperes, in dignitate modesti, in potentia mites. Nec cogitamus quanto nos essemus ferociores,si tot rebus ad licentiam invitaremur. Expedit igitur, ut plebs, quæ dissimulatis sacerdotum virtutibus vitia tantum videt exaggeratque,suam inspiciat manticam,à tergo in pectus revolutam. Quotus quisq; est opifex, ut ab infimis incipiam, qui in præstanda opera fidelis est,in mercede exigenda æquus? Nec enim temere natum est illud vulgò celebre proverbium, In sua quemq; artificē arte furē esse. Jam quod omnino genus rerum est, quod illi non corrumpant quæstus gratia? Quot modis vitiatur triticum ac farina,quot modis vinum ac cervisia,quot modis pannus reliquaq; texta? Omitto nunc in promissis perfidiam, in commercio supercilium ac morositatē,ut propemodum commodius sit cum Rege quopiam aut Cardinale agere,quàm cum latomo,qui vix habet domi unde cœnet. Qui tales sunt in servili sordidoq; opificio, quales probabile est futuros, si ad eorum dignitatem evehantur, quorum mores ferre non possunt. Vulgus sacris initiatorum incontinentiam incesti sacrilegii ac violati voti titulis exaggerant, sibi ut liberis ac solutis blandiuntur. Atqui, ne errent, nemo Christianus ad peccandum liber est; omnes religiosissimo sacramento sunt astricti, nisi fortè ludum esse credunt quod in baptismo professi sunt. Si infami cognomine vocantur apostatæ, qui à Benedicti aut Francisci instituto desciscunt, quanto magis eo nomine digni sunt qui in baptismo mundi contemptum professi, toto animo serviunt mundo, & à Christo Imperatore transeunt ad Satanam. Jam adulterium crimen, quod apud ethnicos gladio, apud Judæos lapidatione puniebatur, neutiquam leve est, utcunq; nunc pro joco ducitur. Quod si quis propius inspiciat,

Votum & professio baptizatorum.

inveniet

inveniet fraudibus,rapinis, perjuriis referta omnia. Ut ne commemorem interim, quantam malorum lernam tegat umbra belli. Nihil attinet hic de magiſtratibus inferioribus loqui,deque iis qui ob nobilitatis titulum ſibi volunt licere omnia, deq; principibus. Quocunq; vertas oculos nimium multa eſt querelarum materia. Sed hæc eſt rerum humanarum natura, maris in morem multa ſecum deferre,quæ malis abeſſe. Mutat ſæpe vitia, ponit nunquam. Quid igitur ſupereſt, niſi ut ſe quiſque diſcutiat, & omnes ad Chriſti miſericordiam confugiamus? Quædam vitia leviora ſunt,quàm ut expediat aſperam admovere medicinam. Quædam minore religionis incommodo diſſimulantur quàm exagitantur. Porrò,quæ graviora ſunt quàm ut oporteat diſſimulare, manum doctam & artificem requirunt, ne nobis eveniat quod ſolet imperitis medicis, qui dum parum dextrè admovent remedia, pro morbo extinguunt hominem, aut ex leviore malo reddunt immedicabile. Pleraq; paulatim ac per occaſionem irrepſerunt, ea paulatim ac per occaſionem tollenda ſunt, ſi fieri queat abſq; gravi tumultu: ſin minus,diſſimulanda,donec ipſa dies porrigat occaſionem commodiorem. Eadem dexteritate utendum eſt in dogmatibus. ☞ Quidam dum impotenter vociferantur, hæreſis, hæreſis, ad ignem, ad ignem,in pejorem partem interpretantes quæ dicta ſunt ambiguè, per calumniam depravantes & quæ piè dicta ſunt, plurimum favoris conciliarunt iis quos exitio dignos judicabant. Rurſus qui ſub Evangelii plauſibili titulo moliuntur ea, quæ ex diametro pugnant cum Evangelio, vehementer adjuverunt partes eorum quos oppreſſos volebant. Itaque dum illi nihil omnino patiuntur innovari, hi nihil ſinunt relinqui, ☞ tempeſtas orta eſt penè inſedabilis, & dum utrinq; nimium tenditur funiculus contentionis, fit, ut utraq; pars rupto fune in tergum cadat. Non quòd eccleſia concidat,quæ nixa ſaxo immobili Chriſto, nullis turbinibus concutitur, ſed de quibuſdam hominibus loquor, qui cauſam eccleſiæ tuentur, magno quidem zelo,non enim dicam malo,ſed non ſecundum ſcientiam. Nondum eò proceſſit hoc morbi, ut ſit immedicabile. Extingui poteſt hoc incendium, ſi materiam igni ſubtrahamus.

Sententia Eraſmi de fonte & fomite diſcordiæ Eccleſiaſticæ.

Præcipuus autem hujus tumultus fons ſunt impii mores hominum. Non eſt quòd alii in alios culpam rejiciamus. Primum hoc humani generis exemplum eſt,ſed ut per ſe pravum,ita nobis infœlix: Mulier decepit me; ſerpens decepit me: omnes iram Domini provocavimus; reſtat ut omnes ad illum ſimul ſincero corde convertamur: ille ut eſt exorabilis, viciſſim convertetur ad nos,atq; hos inconditos rerum motus vertet in tranquillitatem, nobis eôdem pro noſtra quantulacunq; portione annitentibus. Quo pacto, inquis, id fiet? Sit unuſquiſque quod eſſe debet: Sint pontifices, pontifices, Chriſti vicarii, ſincero corde gregis Dominici curam agentes. Sint principes, principes, divinæ juſtitiæ miniſtri, tanquam Deo reddituri rationem, quem hoc magis oportet ab illis timeri, quo liberiores ſunt à timore hominum. Magiſtratus bonâ fide rempub. adminiſtrent. Monachi perfectionem quam titulo profitentur, moribus præſtent. Sacerdotes noctes ac dies meditentur in lege Domini,quo poſſint eſſe ſal populi. Qui laici ſunt, ſint quod dicuntur,non præeant, ſed reverenter obtemperent ſacerdotibus, fideliter pareant principũ legibus, in ſuo quiſq; opificio probet ſuã conſcientiã ſummo illi καρδιογνώςῃ. Nam beati Lucæ verbo libenter utimur. Qui negotiator eſt bona fide negotietur: qui molitor eſt, bona fide ſit molitor: qui piſtor eſt, bona fide ſit piſtor: qui faber eſt,bona fide ſit faber: qui veſtiarius eſt, bona fide ſit veſtiarius, fiduciam habens in eo qui non deſerit rectos corde: atq; item de cæteris dicendum eſt. Nemo ſuis vitiis hoc nomine blandiatur: Ita mos eſt, ſic nemo non facit. Ne circumſpicias, ô bone, quid alii faciant, ſed quid abs te fieri velit ſupremus ille Judex, cujus oculos nemo fallit, ad cujus tribunal omnes ſiſtendi ſumus, ſive Reges, ſive inopes erimus coloni. Ibi non valebit hæc tergiverſatio: Ita mos eſt, ſic nemo non facit. Interim ponatur ambitio & pertinax vivendi ſtudium, faceſſant favores cum privatis odiis, conſileſcat dementis rixæ ſurda vociferatio, ita demum eluceſcet veritas illa pacifica. Accedat ergo * συγκατάβασις, ut utraq; pars alteri ſeſe nonnihil accommodet, ſine qua nulla conſtat concordia. Sed hactenus obſecundetur, ut ne moveantur † τὰ ἀκίνητα, & hactenus feratur hominum infirmitas, ut paulatim invitentur ad perfectiora. Illud autem omnibus penitus infixum eſſe oportet, nec tutum eſſe, nec ad fovendam concordiam utile, temerè deſciſcere ab iis quæ majorum authoritate tradita ſunt, quæq; longo ſeculorum uſu conſenſuq; confirmata. Nec quicquam omnino novandum eſt, niſi huc aut cogat neceſſitas, aut inſignis invitet utilitas.

Id eſt, cordium inſpectori.

* Condeſcenſus.

† Immota.

De libero arbitrio qua ſtio eſt ſpinoſa.

De libero arbitrio, ſpinoſa eſt verius quàm frugifera diſputatio. Et ſi quid de hoc quærendum eſt, in Theologicis diatribis ſobriè diſcutiatur. Interim inter nos illud convenire ſatis eſt, hominem ex ſuis viribus nihil poſſe, & ſi quid ulla in re poteſt, totum ejus deberi gratiæ, cujus munere ſumus quicquid ſumus, ut in omnibus agnoſcamus imbecillitatem noſtram & glorificemus Domini miſericordiam.

Fidei quid tribuendum, quidque ad eam probandũ neceſſarium.

Conveniat inter nos fidei plurimum eſſe tribuendum, modò fateamur & hoc eſſe peculiare Spiritus Sancti donum, idq; multò latius patere quàm vulgus hominum credit, nec omnibus adeſſe qui dicunt, Credo Chriſtum pro me paſſum eſſe. Concedamus fide juſtificari, hoc eſt, purificari corda credentium, modò fateamur ad conſequendã ſalutem neceſſaria

charitatis opera. Neq; enim vera fides potest esse otiosa, quum sit fons & seminarium omnium bonorum operum. Quin potius distinguamus justitiam repurgantem mentis nostræ domicilium, quam rectè dixeris innocentiam, & justitiam ornantem ac locupletantem eam bonis operibus. Deus propriè nulli debitor est, nisi forsitan ex gratuito promisso, quanquam & hoc ipsum ut præstemus, promissi conditionem, illius est munificentiæ: non tamen rejiciendum est mercedis aut meriti vocabulum, quòd Deus quæ in nobis aut per nos operatur pro sua bonitate acceptat ac pensat. De verbis nulla sit digladiatio, modò de re conveniat, nec interim ingerantur auribus imperitæ multitudinis illa * παράδοξα: Nihil refert qualia sint nostra opera, tantum habeto fidem & servaberis: Et homo quicquid agit nihil aliud quàm peccat: quæ ut in aliquo sensu vera sint, tamen ab imperitis aliò rapiuntur quàm expedit. Quemadmodum & illæ voces, Christus pro nostris peccatis dependit. An ille pro nobis mortuus est, ut nos vivamus in peccatis: an potius ut semel illius sanguine loti, abstineamus ab omnibus inquinamentis? Mortuus est & resurrexit, ut ipsum imitantes moriamur peccatis & in vitæ novitatem resurgamus: pro nobis crucem gestavit, sed idem clamat: Qui non tollit crucem suam quotidie, non est me dignus. Cæterum qui Dominum suis sceleribus quotidie, quod in ipsis est, crucifigunt, iis mors illius adeo nihil profutura est, ut cessura sit in gravem supplicii accessionem. Pii cujusdam affectûs est credere preces ac bona opera viventium prodesse defunctis, præsertim si hæc illi dum viverent facienda curarunt. Tantùm admoneantur qui funebres pompas ac missas gloriæ causâ instituunt, perdere mercedem suam: ac certius esse lucrum, si quod morientes legant, vivi ac sani in pios usus erogent. At quibus hoc nondum persuasum est, ne obstrepant aliorum simplicitati, sed ipsi tanto benignius sublevent pauperum inopiam, tantoque ferventius incumbant bonis operibus, quo minus credunt defunctos vivorum benefactis juvari. Religiosi item affectûs est, credere sanctos ac sanctas quos Deus adhuc mortali corpore gravatos tanti fecit, ut ad illorum preces dæmones expulerit, mortuos ad vitam revocarit, nunc quoq; nonnihil apud eum posse. At quibus diversa sedit opinio, pura mente sinceraq; fide invocent Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, ne obturbent odiosè iis, qui citra superstitionem implorant divorum suffragia. Superstitio, quam fateor in invocatione cultuq; divorum esse plurimam, coarguenda est, pius ac simplex affectus interdum tolerandus est, etiamsi sit cum aliquo conjunctus errore. Ut nostra vota non sentiant divi, sentit tamen Christus qui & amat simplices animos, si minus per sanctos, certè pro sanctis dabit nobis quæ petimus. Qui sævierunt in divorum imagines, non prorsus abs re concitati sunt ad eum zelum, licèt immodicum meâ quidem sententia. Nam horribile crimen est Idololatria, hoc est, simulachrorum cultus: qui tametsi jam olim sublatus est è moribus hominum, tamen periculum est, ne technis dæmonum eodem revolvantur incauti. Sed quum statuaria & pictura olim inter liberales artes habita sit tacita poesis, plus interdum repræsentans affectibus hominum quàm homo quamvis facundus possit verbis exprimere, & Plato agnoscens poesim plurimum habere momenti ad remp. bene secusve instituendam, non omnes poetas submoverit ex illa quam fingit civitate, sed Homerum tantùm aut Homeri similem, qui diis, ac deorum filiis attribuit adulteria, puerorum amores, furta, mendacia, impotentes iras, dissidia aliaq; vitia, quæ nemo bonus reipub. gubernator ferret in suis civibus, aut frugi paterfamilias in uxore, liberis aut famulis: corrigendum erat, quod per imagines irrepserat superstitionis, utilitas erat servanda. Utinam omnes omnium ædium parietes haberent vitam Jesu Christi decenter expressam. In templis autem quemadmodum in Africano Concilio decretum fuit, ne quid recitaretur præter scripturas canonicas, ita conveniret nullam esse picturam, nisi cujus argumentum in canonicis scripturis contineretur. In peristyliis, porticibus & ambulacris possent & alia pingi ex humanis historiis desumpta, modò facerent ad bonos mores. Stultas verò aut obscœnas aut seditiosas tabulas oportuit, non solùm è templis, verùm etiam ex omni civitate sublatas esse. Et quemadmodum blasphemiæ genus est, sacras literas ad ineptos ac profanos detorquere jocos, ita gravi pœna digni sunt, qui dum pingunt canonicarum scripturarum argumenta, de suo capite miscent ridicula quædam ac sanctis indigna. Si libet ineptire, à Philostrato potius petant argumenta. Quanquam sunt & in ethnicorum annalibus multa argumenta, quæ idiotarum oculis utiliter exponi possent. Ergo cui persuasum est, divorum imaginibus, quoniam non sentiunt, nihil habendum honoris, fruantur suo sensu: ne tamen obstrepant iis, qui citra superstitionem sic venerantur imagines eorum amore quos repræsentant, quemadmodum nova nupta sponsi absentis amore exosculatur annulum aut strophium ab illo relictum aut missum. Hic affectus Deo non potest ingratus esse, qui non è superstitione, sed ab abundantia quadam amoris proficiscitur. Idem sentiendum est de iis, qui simili affectu exosculantur ossa, aliasve reliquias sanctorum. In his Paulus opinor concederet, ut in suo quisq; sensu acquiescat. Novi Theologum, qui cum videret quendam per cœmiterium euntem, nam erat iter publicum, non aperire caput ad signum crucifixi, haud quidem studio, sed intentum fabulis comitũ quibuscũ deambulaverat, miro zelo dixit ad suos confabulones, ausim

[Margin notes:]

* Paradoxa placita.

De piis officiis pro defunctis.

De precibus & invocatione sanctorum defunctorum.

De Idololatria. De Statuaria picturaque.

Vita Jesu pingenda. In templis ne recitetur quicquam præter scripturas canonicas.

auſim jurare illum eſſe Lutheranum: Illud profectò non rectè, quemadmodum altera pars peccat odioſè obſtrepens non ſuperſtitioni,ſed ſimplici religioſoq; affectui nonnihil tribuentium imaginibus. Illud citra noxam omnibus poteſt inculcari, divos ac divas optimè coli imitando vitam illorum. Itidem quibus nondum perſuaſum eſt horum temporum ſacramentalē confeſſionem fuiſſe ab ipſo Chriſto inſtitutam, ſervent eam ut rem ſalutarem multiſq; commendabilem utilitatibus,ac multorum ſeculorum uſu comprobatam. Ut autem illa tum tutior ſit tum minus gravis,magna ex parte in nobis ſitum eſt. Videlicet ſi deligamus integrū, eruditum ac ſilentii tenacem ſacerdotem, nec eum ambiguis ac perplexis ſermonibus remoremur, ut percontando cogatur velut expiſcari crimina, ſed ſimpliciter tanquam coram Deo aperiamus ea duntaxat,quæ certò ſunt lætalia vulnera. Quod genus ſunt adulterium, homicidium, furtum, ebrietas enormis ac voluntaria,obtrectatio malitioſa,quod homicidii, aut veneficii genus eſt,perjurium, fraus,rapina, aliaq; hujus generis ſeu facto perpetrata, ſeu certo animi propoſito deſtinata.Quibus enim nihil deſuit præter occaſionē,jam perpetrarunt. Abſit autem repetendi confeſſionem ſuperſtitio, abſit anxietas enumerandi commiſſa & circumſtantias,aut totam iterandi confeſſionem apud alium ſacerdotem, ſiquod crimen in priore fugit. Præcipua cura ſit, ut quod admiſſum eſt deteſtemur,& in priſtinum remigremus affectū. Illud omnium caput eſt,ſic inſtituere vitam,ut non incidamus in ullum crimen lætale. Id qui poteſt, liber eſt ab onere confitendi. Leviores culpas vitare vix cuiquam conceſſum eſt in hac vita. At non difficile eſt, auxiliante Deo,vitare crimina ei qui ſemel ſit radicatus in charitate Dei ac proximi. Hoc igitur fundamentum ante omnia jaciendum ac ſtabiliendum eſt in animis noſtris. Quòd ſi accidat in crimen prolabi, non eſt neceſſe protinus ad ſacerdotem currere, ſed ad Deum illico confugiendum eſt. Cum illo ſtatim redeundum in gratiam; ut ſacerdoti quoq; confitearis expectanda eſt temporis opportunitas. Conſultum tamen eſt culpas de quibus dubitas, criminales ſint necne,ſacerdoti quum opportunū fuerit referare. Idem dico de factis, de quibus ambigis, utrum legitima ſint, an non. Complures enim perplexi caſus incidunt in vita mortalium, veluti de uſura,de matrimonio,de reſtituendo, de votis. Qui credunt eam, ut nunc eſt, à Chriſto inſtitutam, tantò obſervent religioſius, ſinantq; alios in ſuo ſenſu acquiſcere, donec ſacroſancta Synodus aliquid expreſſius de hoc pronunciarit. Hoc pacto fiet, ut nec ſcindatur omnino Chriſtiana concordia, nec mores infirmorum in omnem licentiam proruant. In miſſam ſi quid ſuperſtitionis aut ſordium irrepſit, æquum eſt corrigere. Ipſam miſſam quur uſqueadeo execremur non video. Conſtat pſalmodiâ qui dicitur introitus, doxologiâ, precatione,ſacris canticis,recitatione verborum propheticorum aut apoſtolicorum quam vocant epiſtolam,recitatione evangelii, profeſſione fidei Catholicæ, gratiarum actione,quam appellant Euchariſtiam, ac religioſa commemoratione mortis Dominicæ, rurſus precationibus, inter quas eſt precatio Dominica: dein ſequitur pacis Chriſtianæ ſymbolum, mox communio, rurſus ſacrum canticum & precatio. Poſtremo loco ſacerdos totum populum velut in ſuam tutelam receptum,Deo benedictione tradit atq; commendat, ut perſeverent in affectu pietatis mutuaq; charitate. Quid in his non pium ac venerandum? Quos offendit ſordida turba conductitiorum ſacrificulorum, ſubmoveant indignos, dignos retineant. Quibus non placent proſæ, præſertim indoctæ, licet eas prætermittere. Neque enim Romana eccleſia ullas novit proſas. Similiter & cantionem quam nunc in nonnullis templis canunt, poſt conſecratum corpus & ſanguinem Dominicum,pro pace aut contra peſtilentiam, aut pro fœlici proventu frugum, ſine religionis detrimento liceret omittere. Id enim omnino præter veterem morem inductum eſt. Nam id temporis olim populus non curſitabat ad videndū id quod ſacerdos oſtendit,ſed proſtratus humi corporibus,animis in cœlum erectis gratias agebat Chriſto Redemptori, qui nos ſuo ſanguine lavit, ſua morte redemit. Nihil porrò tale novit eccleſia Romana. In ſacello pontificis non eſt niſi unicum altare & unicum ſacrum. Quin & hodie in multis eccleſiis Romanam imitantibus, non licet privatim ſacrificare duntaxat id temporis, quum ſummum peragitur ſacrum. Illorum inſolentia eſt arguenda qui cum ſummi ſacrificii tempore ambularint nugantes de rebus frivolis, proprium requirunt ſacerdotem, qui ipſis propriè ſacrificet: aut in veſpertino cultu,quemvis obvium arripiunt ſacerdotem, qui ipſis ſeparatim dicat veſpertinas laudes, etiamſi jam ſuas abſolvit: qui ſi recuſet, ſic commoventur, ut periculum ſit ne illi pugnos in faciem ingerant. Adeo quod publicum eſt contemnitur,& quiſq; privata quærit. Si non placet in templis illud modulatæ muſicæ genus & organorum cantus, poſſunt citra pietatis jacturam omitti: ſi placet, curandum eſt ut illa quoq; muſica ſit digna templo Dei. Jam & illud non rectè fit in quibuſdam eccleſiis, ut ob muſicorum aut organorum concentum omittantur, aut decurtentur ea quæ ſunt præcipua. Hora propè conſumitur in proſa, ac decurtatur ſymbolum fidei, & omittitur precatio dominica. Nec minimum temporis abſumunt illæ vocum caudæ, ad ſingulos verſus in longum productæ. Atqui præſtabat cultum ſolennem nullis ſupervacaneis verti in tædium. Ad ſuperſtitionem vergunt tot peculiaria miſſarum argumenta, miſſa de

De Confeſſione auriculari.

Quæ lætalia ſunt, duntaxat referantur.

Non repetendam unius criminis confeſſionem. Abſit commiſſorum & circumſtantiarum anxia enumeratio.

Ad Deum primum omnium confugiendum.

Præconia Miſſæ.

Proſæ quas nunc vulgò ſequentias nominant.

De Elevatione.

Muſica modula.

ſpinea corona, miſſa de tribus clavis, miſſa de præputio Chriſti, miſſa pro navigantibus, pedeſtri aut equeſtri itinere peregrinantibus, pro ſterilibus, pro gravidis, pro parturientibus, pro febri quartanâ aut tertianâ laborantibus. Hæc & hujus generis multa facilè poſſent vel tolerari vel corrigi. Nec erat neceſſe ut miſſam tot ſeculis receptam, quaſi rem peſtilentem & impiam exigeremus. Jam quæ quidam tradiderunt de qualificatione, de merito principali & ſecundario, de opere operante & operato, poterant inter humanas opiniones ſeponi, donec ſuper his quoq; ſynodus pronunciaret, aut ſuo quemq; arbitrio relinqueret. Sacrificii atque immolationis vocabulum veteres ſacri doctores non horruerunt. Chriſtus ſemel mortuus non moritur iterum, fateor, ſed unicum illud ſacrificium myſticis ritibus quotidie quaſi renovatur, dum ex illo fonte inexhauſto nobis novam ſubinde gratiam elicimus. Immolamus hoſtiam pro vivis ac defunctis, dum pro illis Patrem per Filii mortem obteſtamur. Poſtremò, quum omnis precatio, laus & gratiarum actio rectè dicatur ſacrificium, maximè nomen hoc convenit in miſſam hæc omnia ſacratius continentem. Sunt qui requirant in miſſa communionem. Sic, fateor, fuit à Chriſto inſtitutum, & olim ita conſuevit obſervari. Verùm id quo minus fiat, haud ſtat per ſacerdotes, ſed per laicos, in quibus heu! nimium refrixit charitas. Cœleſtis ille cibus non eſt obtrudendus invitis, aut nauſeantibus, avidè petentibus non negabitur. Nunc quæ poſſit eſſe communio, quum quibuſdam in locis templa ferè ſint vacua communionis tempore? Quidam aſperſi mox abeunt domum, & ante introitum faciunt exitum. Alii poſt auditum & non intellectum Evangelium abeunt. Atqui poſteaquam ſacerdos dixit, Surſum corda, & Gratias agamus, tum præcipuè populi partes erant, quando tacente ſacerdote quiſq; cum Deo loquitur. Atq; interim illi fabulantur in foro, aut potant in popina. Quanquam & hi verecundius faciunt iis qui toto ſacro nugantur in templis. Deniq; tametſi inter ſacrificantem & aſſiſtentes non eſt ſignorum Sacramentalium communio, quæ nec olim inter omnes fuit, eſt tamen ſacræ doctrinæ, piæ exhortationis, precationis, laudis & gratiarum actionis communio. Commune eſt igitur quod vivificat, illud commune non eſt quod ſine illis nihil prodeſt. Sed objicitur ſcrupulus de adorando: Si in Euchariſtia totus eſt Chriſtus, quur non eſt adorandus? Quanquam Chriſtus in eo ſacramento eſt, ſub ratione cibi ac potus, ut ſumma cum animi puritate ſumatur, non ut oſtentetur, aut in ludis publiciſq; pompis circumferatur, aut in equo circum arva vehatur. Id nequaquam eſt veteris exempli, ſed in hoc multitudinis affectui plus ſatis indultum eſt. Quidam ſibi valdè pii videntur, ſi quoties ſacerdos ſinit videri corpus Domini undiq; accurrant, ac è proximo defixis oculis intueantur. Quantò religioſius erat cum publicano procul à cancellis abſtinere, & corpore humi fuſo, mente adorare crucifixum? Nullus eſt tam ſtolidus, ut humanam Chriſti naturam adoret pro divina, aut ut panem & vinum adoret pro Chriſto. Quoniam autem nemo certus eſt, an ſacerdos verè conſecraverit, præter ipſum unum, nullus adorat ibi Chriſtum, niſi ſub tacita condicione; & tamen id quod in Chriſto propriè adoratur nuſquam non adeſt. Adde huc quod nullum ſit ſacramentum tam humile, cui non aſſiſtamus nudis capitibus quũ adminiſtratur, velut in baptiſmo, in confirmatione puerorum: quid ſentiunt igitur, qui putant idololatriam eſſe, ſi huic ſacramento caput aperiant, etiamſi Chriſti corpus & ſanguis tantùm ibi ſint in ſacro ſigno? Quot porrò videmus Sacramentariorum formas? Quoties ipſi ſuam mutarunt ſententiam, quoties alienam rejecerunt? Nam & nuper exortus eſt, qui tam impiâ de hoc ſacramento ſententiâ commentus eſt, ut totum ſuſtulerit ſacramentum. Neq; enim ſacramentũ dici meretur, quod nullo externo ſigno, ſed tantum animi cogitatione peragitur. Hæc qui faciunt, utrum ſibi videntur talis ludere, an de graviſſimis rebus diſputare? Quod ſi ambigunt, ut ipſa declarat res, quanto ſatius erat in eo perſeverare quod nobis tradiderat eccleſia catholica? Tradidit autẽ ibi verum eſſe corpus & ſanguinem Domini, haud dubiè quin vivũ: Quod ſi credimus in ſepulchro divinã naturã non fuiſſe ſeparatã ab exanimi corpore Domini, quanto credibilius eſt eam à vivo corpore non eſſe ſeparatam in ſacramento? Itaq; ſi in hoc concordes eſſemus, cætera quæ diſquiruntur, quomodo ſit ibi corpus & ſanguis Domini, ſub panis ſubſtantia, an ſub ſpeciebus panis ac vini, & quid accidat ſumpto corpori, & ſi qua ſunt his ſimilia, poterant in ſynodo definiri. Nunc dum quiſq; de re tanta quodlibet comminiſcitur, nonne illud unicum piarũ mentium ſolatium ac delitiũ quodammodo in nauſeam vertimus? Turbam feſtorũ dierũ, quos vel Epiſcopi multitudinis affectibus indulgentes induxerunt, vel Romani pontifices cauſis non neceſſariis inſtituerunt, ipſi facile patientur abrogari, quod genus ſunt feſtũ Conceptionis & Nativitatis Virginis matris, item feſtum Præſentationis in templo. Et haud ſcio an expediret nullum omnino feſtum ſolenne

Euchariſtiæ ſacramentum utiq; adorandum.

☞

Qualis Chriſtus in ſepulchro.

Turba feſtorum dierum immodica.

Utrum magnus hic vir aliqua quæ præcedunt ſcripſerit ex nimio vel pacis Eccleſiaſticæ ſtudio, vel factionis odio, penes eſto lectorem judicare. Scriptus eſt hic libellus circiter annum ætatis Eraſmi 66. quo tempore perturbatiſſimus fuit Religionis ſtatus. Quòd ſi hodie viveret, & quantillum religio fuerit in melius mutata, aſpiceret, admodum veriſimile eſt eum aliter ſenſurum: dum autem nihilominus ab aliquibus (quibus favere videtur) pingitur inter cœlum & infernum pendulus, & ab Expurgatoribus ſit maledictus; aliiſque quibus commovetur, diſplicet; ex propriis Chiliadibus diſcat, eum qui duos inſectatur lepores neutrum capere: quod dictum velim ſalvâ tanti viri famâ per omnia ſæcula reverendâ colendâque

indici,

indici, nisi cujus argumentum extet in sacris literis. Diē Dominicum semper excipio. Faci-
lè patientur esse festa pauciora, modò ea quæ supersunt, majore religione celebrentur. Non
est omnino prophanus dies, quo licito labore citraq; fraudem paratur quod uxorem alat ac
liberos, aut proximi sublevet inopiam. Festa quæ sodalitates sibi privata constituunt autori-
tate, unà cum ipsis sodalitatibus à magistratu tollenda sunt. Nihil enim aliud sunt quàm Co- Delectus ci-
mi & Bacchi conventicula. Delectum ciborum ac jejunia non indixit ecclesia nisi ad sanitatē borum & je-
corporis & animi. Itaq; qui piscium esu periclitantur aut jejunio & valetudinem corporis & junia.
animi vigorem lædi sentiunt, hos nequaquam obligát ecclesiæ constitutio. Qui verò senti-
unt se ex abstinentia carnium & jejunio, & corpore & animo melius habere, quæ, rogo, con-
tumacia est, velut in odium ecclesiæ hoc rejicere, quod tantam adfert utilitatem? Hic igitur Constituti-
nùllus alium dijudicet, vescens non insultet abstinentibus, abstinentes non condemnent ve- onēs humanæ.
scentes, etiamsi causa non sit evidens. Suo Domino stant aut cadunt. Idem sentio de cæteris
episcoporum constitutionibus, quæ si piæ sunt, si utiles, si æquæ, ob hoc ipsum servandæ sunt,
quòd tales sunt: & si displicet legis vocabulum, amplectamur eas tanquam salubria consilia.
Si servus de lapide emptus dat tibi consilium utile, auscultas & obtemperas, non quia servus
dedit, sed quia est in rem tuam. Et nos eorum consilia rejicimus, qui publica dignitate præmi-
nent, quiq; nobis patrum ac doctorum loco sunt? Hæc eò spectant, non ut quæ dicimus prò
certis haberi velimus, aut præeamus ecclesiæ quid sit statuendum, sed ut interim dum appara-
tur synodus, ipsi dissensionum causas omnes quantum in nobis est, amputemus, nihil per vim
ac tumultum agamus, neq; cuiquam hoc faciamus, quod si nobis fieret, cœlum ac terram ac
maria inclamaremus, neque quenquam ad novam religionem, à qua abhorret, perpellamus.
Æquissimum enim est, ut qui sibi religionis causâ vim fieri nolunt, ab aliis eam abstineant:
prǽsertim quum hic quoq; melior sit causa, tam longi præscriptione temporis sese tuentium.
Hæc admonitio ad utramq; partem attinet: si moderata συγκατάβασις præmolleat dissidiorum Condescen-
paroxysmum, fiet ut synodi medicina fœlicius operetur ad concordiam. Sic enim medici pri- sus.
usquam porrigant validum pharmacum, levibus quibusdā ac blandis potiunculis, Syrupos illi
vocant, præparant corpora. Hoc exemplum utinam omnes imitemur. At vereor ne sint, qui
vel ob inopiam judicii, vel ut ipsi sint in tuto, properent sic exulcerare omnia, ut frustra coëat
synodus. Quis autem malus genius effascinavit infœlices anabaptistas? Nam audio hos er- De erroribus
rore falli, magis quàm incitari malitia, ut ad istum modum in proprium ruant exitium. Non rebaptizato-
sufficit illis baptismus, qui mille quadringentis annis suffecit ecclesiæ Catholicæ? Nam tem- rum.
poribus Augustini tam vetus erat consuetudo tingere infantes, ut hujus exempli author igno-
raretur, admodumq; probabile esset ab ipsis Apostolis fuisse inductum. Quanquam enim non
est expressum in sacris libris quòd Apostoli baptizarint infantes, tamen ex his sumitur non 1 Cor. 1.
levis conjectura. Paulus enim fatetur se baptizasse tres familias, Crispi, Caii & Stephanæ. Et
apud Philippenses noctu baptizavit carcerarium cum universa familia. Et Petrus in Actis Act. 16.
10. baptizavit Cornelii non solùm familiam, sed etiam cognatos ac necessarios, quos ille sub
adventum Petri convocarat. In his familiis probabile est fuisse nonnullos infantes aut pue-
ros. Christus ait: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Et Apostolorum principes Petrus & Pau-
lus diligenter admonent, ut Christiani cives obtemperent regibus ac præfectis licèt idolola-
tris. Volunt servum baptizatum fidelius etiam servire hero suo, quàm antea fecerat, & isti
gravantur parere principibus eodem lavacro tinctis, eandem professis religionē? Dicuntur exi- De rerum
gere à suis rerum omnium communitatem. At ista quidem fuit aliquandiu temporibus omnium
Apostolorum in primordiis ecclesiæ nascentis, ne tum quidem inter omnes Christianos. Nam communitate.
latius propagato evangelio non potuit servari communitas, exitura videlicet in seditionem. Communitatis rerum om-
Hoc ad concordiam est accommodatius, ut rerum proprietas ac dispensandi jus sit penes legi- nium exitus
timos dominos, charitas verò faciat usum communem. Nunc audimus apud Bohemos exo- Seditio
riri novum Judæorum genus, Sabbatarios appellant, qui tanta superstitione servant sabbatū, Apud Bohe-
ut siquid eo die inciderit in oculum, nolint eximere, quasi non sufficiat eis pro sabbato dies mos novum
Dominicus, qui Apostolis etiam erat sacer, aut quasi Christus non satis expresserit quantum Judæorum
tribuendum sit sabbato. Beatus Paulus anathema minatur angelo, qui vel cœlitus adferret genus Sabba-
aliud evangelium quam ipse tradiderat. Nunc multorum animos adeo conspicimus vacillan- tarii.
tes, ut si vel obscurissimus homuncio proferat novum dogma, licèt absurdum, inveniat di-
scipulos. Unde tanta vacillatio in animis Germanorum, qui semper cæteris nationibus for-
titudinis & constantiæ laude præcelluerunt? Quid nobis fœlicius, si positis dissidiis concor- Concordibus
des versemur in domo Domini? Agit hoc summo studio Carolus Cæsar; agit idem Roma- nihil fœlicius.
norum, Hungariæ Bohemiæq; Rex Ferdinandus, princeps singulari pietate præditus. Nec
Christianissimus Gallorum Rex in hoc negotio suo cognomini non est responsurus. Nec
Anglorum Rex oblivisсetur, se non ita pridem, Defensoris fidei Catholicæ speciosum me-
ruisse titulum. Qui Clementis Pontificis ingenium propius norunt, pollicentur illum ad
æquissimas conditiones descensurum, modò sarciatur ecclesiæ pax. Nec defutura est erudi-
torum

torum Cardinalium æquitas. Res, auspice Christo, fœliciter cessura est, si cæteri quoque principes ac civitates huc intendant animum. Jam nimium diu rixis indultum est, vel defassati quæramus concordiam. Si Domini lenitas nos provocat ad licentiam, quæ ad pœnitentiam debebat invitare, verendum est ne furor fiat læsa sæpius patientia, & quod de Judæis scripsit Paulus perveniat in nos ira Dei in finem. Ne Regum quidem mansuetudine abuti consultum est. Non ignorant illi vires suas, sed pro sua clementia, mollioribus si fieri possit remediis huic malo mederi malunt quàm cauteriis aut sectionibus. Fortasse nos credimus dormitare Cæsarem: at is planè vigilat in hoc negotio, lentior est, sicut oportet principem summa potentia prædìtum non esse præcipitem in rebus gerendis, sed tamen ille tandē perficit, quicquid animo destinavit semel. Regis Ferdinandi bonitas & animus planè philosophicus, qualem in principe requirit Plato, non meretur contemptum, sed abundantiorem reverentiam ac religiosiorem obedientiam. Nunquam habuere fœlicem exitum ausus Cyclopici & inconsulta temeritas: Sed ut verissimè dixit ille vates acutissimus. Vis consilii expers mole ruit sua, Vim temperatam dii quoq; provehunt in majus. Ergo si moderatis consiliis, affectibusque sedatis incubuerimus ad sarciendam ecclesiæ concordiam, fiet quod vaticinatur Esaias: Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta: jamque simul omnes uno ore nobis invicem gratulantes, dicemus, Quam amabilia tabernacula tua Domine Virtutum.

Sequuntur Minæ.

Id est, quàm exustionibus aut decollationibus.

Esa. 32.

F I N I S.

CLARISS. DOCTISSIMOQUE VIRO D. DES. ERASMO Rot. Domino in majoribus observando, Julius Pflug. S. D.

FAcit charitas in quam infixus sum, ecclesiæ, ut quamvis ipse illi præsidium afferre haud possim, de omni tamen statu ejus cogitare non desinam: ex quo certè ipso uberem capio fructum, sive in mentem venit mihi quod consoletur, sive quod terreat. In quorum ego cogitatione ita versor, ut altero animus meus recreetur, altero verò muniatur contra casus impendentes. Malum enim cum advenit diu ante provisum, levius esse solet. Accedit eodem singulare quoddam officii vinculum. Nam cum publicum in ecclesia munus sustineam, etsi ad eam constituendam facultas mihi non suppetit, voluntate tamen mihi eò est incumbendum. Itaq; quum aliam officii tribuendi rationem inire nequeam, facilè adducor, ut tuam tuiq; similium, qui & doctrina & authoritate florent maximè, fidem implorem. Hæc eò ad te scripsi, ut ad causam, quæ mihi cum omnibus bonis communis est, intelligas privatum etiam officium accedere, ut si nimius fuerim in urgendo, des veniam mihi, quum me illò affectio haud injusta rapuerit. De statu autem religionis est omnino ut scripsisti, id enim re ipsa experior. Nec mihi hoc tempore facilè occurrit quod animum levet ægritudine: cum præsertim scelerum eorum, ob quæ plagas illas & eas quidem justas Deus nobis infligit, nullum faciamus finem. Quod autem cogitas rudem sumere, istud tibi profectò per eum, qui tribuit ut posses hominum generi præclaram operam navare, nunquā licebit: & eo quidem minus, quòd ut extrema cygnorum vox consuevit esse suavissima, ita sanctissimæ esse solent voces extremæ optimi cujusque qui eas edit unà prope cum spiritu extremo. Etsi igitur habes, quo repudies typographorum postulata, non tamen reperies quemadmodum ei, qui jure quodam suo imperare poterit, satis facias, nisi pareas. Sed quid ago? Ita tecum quodammodo loquor, quasi senectus tua non & operosa sit, & plane talis, ut eam nobis diuturnam fore sperem. Quin animum ad ea, quæ tu nobis præclara parere non desinis, conferens, intellige haud obscurè iis, quæ à te optimus quisque desiderat, nonmodò non orbari senectutem tuam, sed etiam augeri. Vigent enim in te omnia ea, quibus rei Christianæ prodesse possis, & haud scio an magis etiam quàm in ætate florente. Quæ quidem res spem ostendit fore, ut in quam ecclesiam multa tua officia extant, de ea diu bene mereri possis. Atque hæc quidem amantissimis literis tuis provocatus scribenda putavi, non ut te ista ætate atque authoritate virum ipse homo juvenis atque rudis monerem, sed ut in quem me duceres sermonem sequerer. In quo ipso dum brevitatem vito, verbosior & ineptior nescio quo pacto fui, quàm deceret. Venio nunc ad Julium Camillum & Augustinum Eugubinum: quorum alterum cum Venetiis essem de facie novi tantùm, cum altero verò congressus & locutus sum sæpe, qui me ea re devinciebat sibi, quòd mihi quotiescunque vellem faceret potestatem introeundi bibliothecam Antoninam. Amphitheatrum Camilli si eam nobis utilitatem afferre posset, quam pollicetur, libenter me facerem unum è spectatoribus in eo. Ac si apud te disceptantem causam dicit eloquentia, jam vicit. Nam (si te bene novi) contra eam nunquam tu statues, cujus beneficio tantus es, ut vivas in oculis omnium ferè gentium. Itaq; nihil attinuit Camillum eam ad pedes tuos abjicere: Sed illi potius placandi fuerunt, qui negant cum eloquentia cognitionē rerum conjungi posse

posse, quasi verò inquinatè loqui sit sapere. Jam verò tuam ad Eugubinum epistolam jamdudum legi. In qua tu illum amanter sanè & singulari cum gravitate mones. Qui utinam obtemperasset tibi. Nam sic fere fit, ut quam quisq; voluptatem maledicendo capit, eam male audiendo amittat. Qua in re eventus cum ipsa justitiæ æquabilitate bellissimè congruit. Quo magis miror quid homini venerit in mentem cunctam nationem nostram tanta contumelia afficere. Quod si te optima monentem audire noluisset, suam tamen ipsius rationem si adhibuisset in consilium, virus illud in nos tam turpiter non evomuisset. Sunt certè in singulis nationibus qui sub figura hominum immanitatem gerunt belluarum. Sunt item, qui cum ingenio, tum verò etiam virtute excellunt. Hoc qui negat, næ is aut rudis est in cognitione rerum humanarum, aut plane impudens. Qui igitur universæ alicui nationi in opprobriis objicit, quæ sunt certorum civium labes, qua id tandem fronte facit? Cur non potius laudat ob certorum civium virtutes? Id quod cum officio boni viri multò est conjunctius. Nonne qui ita reprehendit, idem sentit se patriam quoque suam, cum in eodem vel simili sit crimine, premere & tacita quasi sententia sua damnare? Sed quid si non tam vitia exprobrat, quàm virtutes in finitima vitia detorquet? Ut cum animi altitudo hominum nostrorum atq; virtus, quæ in periculis contemnendis lucere solet, feritati tribuitur. Quod si quis Germanorum, quibus ingenia Eugubinus adimit, vellet in hoc genere ingeniosus esse, nonne quæ multò vel præstantiss. sunt, ea ad speciem turpem facilè orationis vi convertere posset? Nulla enim virtus est, cui non vitium aliquod sit finitimum. Quo facilius id quod honestum est atq; bonum, dicendo eò potest traduci, ut malum esse videatur. Rectè igitur tu, qui prudentiam Eugubini requiris, cum præsertim multi sint nostrorum hominum si commoveant sese, sentiat ille Germanis neq; ingenia neq; facultatem orationis, neq; maximarum rerum scientiam deesse. Quanquam res ipsa pro hominibus nostris loquitur, etiamsi nullum faciant verbum: Quod multa jam extant signa, eaq; illustria, non solùm ingenii illorum sed etiam eximiæ doctrinæ. Adde quod ipsum Eugubini institutum ei acerbitatem istam exprobrare videtur. Quid enim ab officio hominis Christiani sacerdotis & Theologi alienius esse potest, quàm in eo quo se profitetur religionem defendere, tantum acerbitatis effundere, & contrà quàm lex mutui amoris sancit, multos bonos viros de se nihil tale merentes tam insigni injuriâ afficere? Sed de his Eugubinus ipse viderit; ego, quod me attinet, mallem illum isto maledicendi genere supersedisse. Faveo enim hominis honori. Quod si fecisset, majorem proculdubio fructum industriæ suæ cepisset, nec eam ad quam se excitavit bene audiendi rationem, ipse in dubium vocasset. De Gulielmo Budæo quæ scripsisti, ea me singulari affecerunt voluptate. Ille enim ita se gerit, & ea nobis affert, ut mihi videatur natus esse ad lucē rectis studiis inferendam. Lætor igitur virum illum in eo etiam nunc cursu esse, quem jamdudum magna sua cum gloria tenet. Hic si tantum apud suos authoritate valet, quantum excellens ejus doctrina & virtus, quæ uno omnium ore celebratur, postulat, & gaudendum est certè omnibus bonis & præclarè cum Galliis ipsis agitur. Hæc ferè ad epistolam tuam. Jam verò ne te fugiat quò loci sint res nostræ, sic habeto, religionem aliquanto perturbatiorem esse, quàm fuit antehac, & ortus est nuper nescio quis terræ filius, qui conatur novum malum invehere. Negat enim necessaria esse ad Eucharistiam verba Christi, quibus ea consecretur, quin nec speciem panis aut vini necessariam esse, sed satis esse, si motu interiori cordis Eucharistia capiatur. Ita cum hic ad spiritalem manducationem referat omnia, id agit ut possit sacramentum ipsum funditus tollere. Sed Deus tamen prò sua misericordia nos respexit, cujus divino beneficio effectum est, ut authore in vincula conjecto hæc hæresis oppressa sit antea, quàm in vulgus proferretur. Novi præterea quod scribam nihil sanè est, & arbitror satis multa esse hæc, præsertim ad te virum nunquam satis vacuum. Sed malui tamen multus esse, quàm non declarare me iis quæ scripsisti, valdè delectari, de quibus certè tecum quasi loquens quanta voluptate perfusus sim inde perspicias facilè, quòd finem dicendi ægrè fecerim. Non igitur mihi visus es garrire (qua tu voce uteris) sed aptissimè gravissimeque loqui, & tanto me vehementius amare, quanto longiores fuerunt hæ literæ tuæ. Quare tam me tibi beneficio obstrictum sentio, quàm quem maximè: cumque mihi nihil esse possit antiquius, quàm ut gratitudinem meam erga te quibuscunque possim rebus testificer, magnum mihi beneficium dederis, si ostenderis in qua re officium meum tibi præstari velis. Vale, Litii tertio Nonas Maii. Anno millesimo quingentesimo tricesimotertio.

Optima sententia.

Nota.

D. Budæo.

Def.

Des. Erasmus Roterodamus Clarissimo LL. Doctori Johanni Rinco, S. P.

Ro. 8. Hebr. 2. 1 Timoth. 2. μεσίτης est mediator, interventor, &c.

LIteræ tuæ, vir ornatissime, quibus & pro tua prudentia sagaciter divinas imminentes Germaniæ calamitates & eas piè deprecaris, permoverunt animum meum, ut ad Omnipotentem illum pacificatorem, & (ut Paulus vocat) μεσίτην precationem conscriberem, qua simul omnes Dominum, iratum quidem ut videtur, sed exorabilem appellemus. De non movenda Camarina, amanter tu quidem ac fideliter, sed serò mones; Et merebatur hoc quorundam scurrilis improbitas, nec deerant amici qui per literas hoc hortarentur. Bene vale, amicorum candidissime. Friburgi quinto die Martii, Anno à Christo nato, M. D. XXXII.

Precatio ad Dominum Jesum pro pace Ecclesiæ.

DOmine Jesu Christe, qui pro tua omnipotentia condidisti creaturam omnem visibilem pariter & invisibilem, pro tua divina sapientia ordine pulcherrimo gubernas ac dirigis universa, pro tua ineffabili bonitate servas, tueris ac vegetas omnia, pro tua immensa misericordia, restituis luxata, reformas collapsa, mortua revivificas, dignare, quæsumus, tandem ad unicè dilectam tibi sponsam ecclesiam flectere vultum tuum, sed illum placidum ac propitium, quo serenas omnia quæ in coelis, quæ in terris, quæ supra coelos, infraq; terras sunt: flectere digneris oculos illos mites ac misericordes, quibus Petrum ecclesiæ tuæ summum pastorem intuitus es, ac mox resipuit, quibus turbam palantem aspexisti,& misericordia commotus es,quod ob inopiã pastoris errarent, velut oves dissipatæ disjectæque. Vides, pastor bone, quàm varia luporum genera irruperint in caulas tuas, quorum quisque clamat, Hic est Christus, Hic est Christus, ut in errorem pertrahantur, si fieri possit, etiam perfecti. Vides quibus ventis, quibus undis, quibus procellis jactetur tua navicula, extra quam nulli vis esse salutem. Quid superest, nisi ut illâ demersa fluctibus, pereamus omnes? Hanc tempestatem accersiverunt nobis scelera nostra, agnoscimus & confitemur. Agnoscimus tuam justitiam, & nostram injustitiam deploramus, sed appellamus tuam misericordiam, quæ (juxta propheticum psalmum) superat omnia opera tua. Multum jam poenarum dedimus, tot bellis attriti, tot exactionibus exhausti, tot morborum ac pestilentiarum generibus afflicti, tot inundationibus concussi, tot portentis è coelo minantibus territi, nec inter hæc mala subinde nova lacescentibus ullus undecunq; portus apparet, sed atrociora videntur impendere. Non querimur de severitate tua, mitissime Servator, sed agnoscimus hic quoque tuam misericordiam, longè siquidem atrociora merueramus. Verum noli, clementissime Jesu, perpendere quid nostris meritis debeatur, sed quid tuam deceat misericordiam, sine qua nec angeli possent subsistere, nedum nos lutea vascula. Miserere nostri Redemptor exorabilis, non quòd ipsi simus digni, sed hanc sancto nomini tuo da gloriam. Ne permittas, ut Judæi, Turcæ ac cæteri qui vel non noverunt Te, vel invident tuæ gloriæ, perpetuò glorientur de nobis, dicantq;, ubi est Deus eorum, ubi Redemptor, ubi Servator, ubi sponsus quem jactant? Hæc opprobria in Te recidunt, dum ex nostris malis æstimatur tua bonitas: desertos credunt, quos non intelligunt * emendari. Olim quum in navi dormires, & exorta tempestas minaretur omnibus exitium, ad inclamationem paucorum discipulorum experrectus es, & mox ad vocem tuam omnipotentem, subsedere fluctus, consiluere venti, tumultus subitò versus est in tranquillitatem magnam. Agnoverunt elementa muta Conditoris imperium. Nunc in hac longè graviore tempestate qua periclitantur non paucorum corpora, sed innumerabiles animæ, ad totius ecclesiæ tuæ periclitantis clamorem, rogamus ut expergiscare. Tot hominum millia clamant, Domine serva nos, perimus. Tempestas vicit humanam industriã, imò videmus opitulari volentium conatus in diversum cedere. Tua voce opus est Domine Jesu. Tantùm dic verbo, consilescet tempestas & protinus illucescet optata tranquillitas. Parsurus eras tot sceleratissimorum hominum millibus si in Sodomis reperti fuissent decem justi. Nunc tot sunt hominum millia,qui diligunt nominis tui gloriam,qui suspirant decorem domus tuæ, an non ad horum preces, iram tuam remittes ac veterum misericordiarum tuarũ recordaberis? Non coelesti tuo artificio nostram stultitiam vertes in tuam gloriam? Non improborum mala vertes in ecclesiæ tuæ bonum? Solet enim tua misericordia tum maximè adesse, quum rebus maximè deploratis, hominum nec vires nec prudentia possunt opitulari.

Ob inopiam pastoris oves errant.

* Extricari, vel sublevari.

opitulari. Tu solus res quamlibet discordes redigis in concordiam, unicus pacis & author & tutor. Tu Chaos illud vetus, in quo nullo ordine nulloq; decore confusa jacebant discordia rerum semina, digessisti, & admirabili ordine, quæ naturâ pugnant æterno fœdere sociasti. At quanto turpius est chaos, ubi nulla est charitas, nulla fides, nulla fœdera, nulla legum, nulla præpositorum reverentia, nullus dogmatū consensus, sed velut in dissono choro suam quisque canit cantionem? Inter cœlestes orbes nullum est dissidium, elementa suum quæq; locum servant, suis quæq; funguntur muneribus. Et sponsam tuam, in cujus gratiam condita sunt universa, sines perpetuis dissidiis ire pessum? Patieris, ut impii spiritus, discordiarum authores, in tuo regno tyrannidem exerceant impunè? Patieris illum fortem, quem semel expugnatum deturbasti, rursus occupare tua castra? Quum mortalis inter homines versabaris homo, ad tuam vocem aufugiebant dæmonia. Emitte, quæsumus, Domine Spiritum tuum, qui dispellat à pectoribus omnium tuum adorabile nomen profitentium spiritus impios, luxûs, avaritiæ, ambitionis, libidinis, vindictæ, discordiæq; magistros, & ut propheticis verbis utamur: Cor mundum, Deus & Rex noster, crea in nobis, & Spiritum Sanctum innova in visceribus nostris, Spiritum Sanctum tuum ne auferas à nobis. Redde nobis lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma sponsam tuam, ac sponsæ tuæ pastores. Per hunc spiritum terrena cœlestibus conciliasti, per hunc tot linguas, tot nationes, tot hominum tam varias formas in unum ecclesiæ corpus compegisti, quod tibi capiti suo per eundem spiritum cohæret. Eum si dignaberis in omnium cordibus innovare, cessabunt & illæ calamitates externæ, aut si minus cessabunt, certè te diligentibus cedent in lucrum pietatis. Digere hoc chaos Domine Jesu, expandat se spiritus tuus super has aquas male fluctuantiū dogmatum. Et quoniam spiritus tuus, qui (juxta prophetæ sermonem) continet omnia, scientiam habet etiam vocis, fac ut quemadmodum cunctis in tua domo versantibus, una lux est, unum baptisma, unus Deus, una spes, unus spiritus, ita sit & vox una catholicam veritatem profitentium. Ascendens in cœlum triumphantium more sparsisti ex alto pretiosa missilia, dedisti dona in hominibus, dilargitus es varia spiritus tui munera. Rursum ex alto renova veterem munificentiam tuam, da ecclesiæ tuæ labascenti, quod dedisti nascenti. Da Principibus timorem tui, ut sic rempub. administrent, tanquam brevi tibi regum Regi rationem de singulis reddituri: da throno tuo semper assistentem sapientiam, ut quid sit optimū factu, perspiciant animo factisq; persequantur. Da pastoribus, quibus tuas vices delegare dignatus es, prophetiæ donum, ut arcanas scripturas, non ex humano sensu, sed ex tuo afflatu interpretentur. Da charitatem triplicem, quam à Petro stipulatus es, ovium curam illi demandaturus. Da sacerdotibus tuis sobrietatis & castitatis amorem. Da populo tuo bonā voluntatem obtemperandi præceptis tuis, ac promptitudinem obsequendi his, per quos juxta tuum animum voluisti res humanas administrari. Ita fiet, ut si principes tuo munere, te digna imperent, si pastores te digna doceant, populus bene imperantibus ac pia docentibus obtemperet, ecclesiæ simul cum ordine redeat pristina tum dignitas tum tranquillitas ad tui nominis gloriam. Ninivitis internecioni destinatis, simul ut ad pœnitentiam conversi sunt, pepercisti: & sponsam tuam pedibus tuis advolutam aspernaberis, quæ pro sacco habet suspiria, pro cinere lachrymas? Pollicitus es veniam ad te conversis: sed hoc ipsum tui muneris est, ut quis ad te toto pectore convertatur, ut omnia bona nostra redundent in tuam gloriam. Conditor es instaura plasma tuum. Redemptor es, * serva mercem tuā. Servator es, ne sinas eos interire qui toti pendent ex te, & serva servos tuos. Dominus es, assere possessionem tuam. Caput es, subveni membris tuis. Rex es, da legum tuarum reverentiam. Princeps es pacis, inspira nobis charitatem mutuam. Deus es, miserere supplicium; esto (juxta Pauli dictum) omnia in omnibus, ut universus ecclesiæ tuæ chorus concordibus animis & consonantibus vocibus pro impetrata misericordia gratias agat Patri & Filio & Spiritui Sancto, qui ad absolutum concordiæ exemplum, personarum proprietate distincti estis, natura unum, * quibus laus & gloria in æternum. Amen.

* Assere, vendica.

* O. G. cui.

FINIS.

Orthuinus

Orthuinus Gratius pio lectori S. P. D.

QUemadmodum in omnibus fermè & singulis hujus libri præfationibus, omnem tibi salutem precati sumus, lector, ita quoque & hoc loco, eandem tibi deprecari non possumus. Totus enim ex animo sum tuus, modò quæ citra cujuscunque offensionem in præcedentibus sunt dicta, in bonam semper partem interpreteris. Cæterum quia de universalis ecclesiæ Reformatione multa sunt dicta, & propter nostros abusus, discordias ac varias tyrannides, multæ forsitan gentium nationes à nobis defecerunt, & tyrannos sibi ferociores sunt assecuti, non abs re fuerit, crudele Turcarum in suos imperium hisce præcedentibus opusculis adjicere, ut illis tandem condolendo & nobis in cunctis prospiciendo, aliorum discamus frui insaniâ.

Turcæ igitur postquam Pontum & Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Lycaoniam, Pisidiam, Phrygiam utramque, Pamphyliam, Ciliciam, Cariam & omnem Asiam, quæ minor vocatur, ultra citraque Taurum ad oras usque Ioniæ & littora Græci maris occupassent, nec unum quendam principem, sed alios alii duces, & varia auspicia per factiones sequuti, tàndē circa annum Christi M. CCC. XXXIV. * Ottomanus quidam, exigui tamen census & obscuri inter privatos nominis, ex collectitio milite non ingenti manu per seditionem conflata, grassari passim, ac non solùm reliquias Christianas vexare, verum etiam suæ gentis homines infestis armis petere cœpit, cui inter principes orta gravi discordia, fœlicem cursum præbuit. Ottomanus itaque brevi authoritatem adeptus Orcanem successorem reliquit, qui rem à patre inchoatam, longe lateque propagavit, cujus filius Amurates, Græcis de imperio diffidentibus, alteri auxilio futurus, in Græciam navigavit ex Asia, consultò bellum protrahens, ambobus fere consumptis, magnam Græciæ partem acquisivit: huic filius Bajazetes, qui, priusquam à Tamerlane Persa caperetur, magnas in Græcia res gessit. Eo mortuo, Calapinus filius natu major, à Græcis emissus, regnum tenuit, cui vita functo, † Orcanes filius succedens, à Moyse patruo pugna oppressus interiit. Quo fine liberis mortuo, Mahometes tertius Bajazetæ filius regnum incruentè obtinuit, qui magnis in Europa rebus gestis, in Asia quamplures Turcarum regulos vi atque armis oppressos, regnis exuit. Huic defuncto successit Amurates, qui per id tempus in Asia manens, audita patris morte, in Thraciam conatus trajicere, à Græcorum Imperatore maritimo apparatu prohibitus est. Et Mustapha natorum Bajazetæ reliquus, ut rerum potiretur, à Græcis adjutus. Sed Mustapha bello victo ac interempto, Amurates victor universum regnum obtinuit. Huic mortuo, Mahometes successit, Constantinopolim, Thraciam, Mysiam inferiorem, Corinthum, Peloponnesum, Trapezuntinen. imperium, & quicquid Christo in Ponto credidit, Imperatore securi percusso; tum Lesbon Mysiamq; superiorem cum Euboea paternis regnis addidit; Capham Genuensibus vi eripuit. Cum Syriis, Ægyptiis sæpius congressus, Pannoniam, Germaniam cum multis millibus hominum abductis, sæpius depopulatus. Per Illyricum in Italiam transgressus, in Foro Julii Venetos prælio ad Sontium vicit, villis inter Sontium & Tiliaventum amnes igne succensis, sese per Alpes in Juliam (quam nostri Celiam dicunt) & Carniam recepit, icto paulò post cum Venetis fœdere, Leucadem, Cephaleniam & Zacynthum occupat. Magna validaque classe Rhodum per tres menses obsedit, ac tunc (proh dolor!) ipsius successor expugnavit & occupat. Tandem classe multisq; hominum millibus in Apuliam trajiciens Hydruntem expugnat: * Bestias oppidum Gargani montis demolitus, infinitis cædibus quacunq; discurrens, omnia igni ferroque perdendo. Tandem in Orientis expeditionem profectus post ingentia facinora terra mariq; gesta, non fine veneni suspicione quinto Nonas Maii in exercitu suo moritur, anno Constantinopolitani imperii vicesimoseptimo, mense secundo, die quinto, Anno salutis nostræ, M. CCCC. LXXXI. Hæc ex Ænea Sylvio aliisque. Oremus itaque flexis poplitibus & levatis in cœlum manibus, Deum Optimum Maximum, ut talis fiat à nobis in cunctis Reformatio, nostraque universalis ecclesia ad eam restituatur integritatem, ut miserrimi illi homines, fidei catholicæ desertores, nostri contemplatione & bonorum operum exemplo pellecti, ad præsepe Domini revertantur, ac salvi fiant. Vale.

* Initium istius regni refertur ad A. D. 1300. ut Leunclavio, Lonicero, & c. videtur.

† Magna est inter historicos dissensio de nomine successoris Bajazetis: de Calapino isto & Orchano vicissim regnantibus, nulla apud melioris notæ historicos mentio, ut probè monet Knollesius nostras rerum Turcicarum Scriptor diligentissimus, sub initium vitæ Mahometis I. Gesta Mahometis IIdi.

* Ita appellatum à templo Vestæ ibidem olim sacro: ut Leandro Alberto placet, in descriptione montis S. Angeli in Apulia.

ORATIO

ORATIO DE ORIGINE, POTENTIA

Ac Tyrannide Turcarum, ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Henricum, Angliæ & Franciæ Regem, &c. ejus nominis. VIII. dicta Londini à D. * Johanne Fabro.

* Poſtea Epiſcopo Vienenſi.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC Illuſtriſſimo Principi Bernardo, Epiſcopo Tridentino, Sereniſſimi ac Invictiſſimi D. Ferdinandi, Hungariæ ac Bohemiæ Regis, &c. Archiducis Auſtriæ, &c. Protocancellario, Johannes Fabri Doctor, ſalutem, gratiam & pacem, ab eo qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

CUm nuper exactius mecum, neq; id ſine maximo dolore perpenderē, reverendiſſime præſul, quàm variis calamitatum inſultibus & procellis reſpub. Chriſtiana aliquot jam retroactis annis undiquaq; vorſum ſit laceſſita, afflictaq;, adeo ut parum abſuerit (niſi Deo Opt. Max. aliter videretur) quin perinde ut navis altiſſimo maris gurgite ad ſcopulum illiſa, tot diſcriminum naufragio penitus interiret. Inde eſt, quòd dubium mihi oboriri cœperit, tibine magis, qui jam in invictiſſimi atq; potentiſſimi Hungariæ, Bohemiæq; Regis D. Ferdinandi Principis noſtri auguſtiſſimi Protocancellarium, communibus omnium votis pariter ac publico bono electus es, an univerſo potius orbi terrarum, cui talis tamq; circumſpectæ prudentiæ Princeps moderator contigiſſe videtur, congratulari conveniat. Precor itaq; ut hoc quicquid eſt eminentiæ, tum privatim tum publicè fœlix fauſtumq; ſit futurum. Sed quis porrò dubitabit, divina quadam providentia, hujus ferrei ſeculi longè quàm difficillimo temporum articulo, te in eum locum dignitatiſq; culmen, idq; citra ullam ambitionis notam eſſe evectum? Nam inpræſentiarum æquè ac inter Scyllam & Charybdim conſtitutis, omnis melioris auræ ſpes, ſiqua reliqua eſt, in te uno & unico, non ſecus atq; in ſacra anchorâ conſiſtit. Siquidem altera ex parte Lutheriſmi præſentiſſimo toxico tota penè Germania ſit infecta: altero item è latere truculentiſſima Turcarum immanitas, toties jam (proh dolor!) noſtro malo experta, latius ſævire tentet. Tu ille ipſe es Hercules, ſeu (ut ſignificantius dixerim) David potius, qui funda tua, hoc eſt, ſingulari ac divina propemodum, qua præditus es, & eruditione & magnis magnorum conſiliorum induſtria, ſuperbum illum Turcarum Goliad ſis proſtraturus, ita ut ab his imminentibus periculis ſecuritatem, portum ac ipſam deniq; ſalutem nobis audacter polliceri poſſimus. Præterea ſi quis ad orthodoxam fidem & præſentem reipub. Chriſtianæ ſtatum, hæreticorum videlicet arietibus non mediocriter quaſſatum, oculos rejiciat, nonne ſicuti de Hieremia propheta teſtatum eſt, quaſi columnam ferream murumq; æreum, pro tota civitate Hieruſalem, fortiter te opponi deprehendet? ita quòd (auxiliante Chriſto) impii, ſeu etiam inferorum portæ adverſum te nihil prævalebunt. Jam verò operæ pretiū quod ſim facturus non arbitror, ut altius tum ipſo (quod aiunt) ab ovo repetam; quot & quantas clades non dico ab exoticis illatas, ſed quas à Germanis Germania perpetuo biennio acceperit. Illas, inquā, furias & faces unde, obſecro, niſi à Luthero, quē pro ſua virili acriter ſuffudiſſe frigidā conſtat, primùm ortas dicam? Sed incendium hoc utcunq; vires ſuas longè lateq; ſparſerit, modò vigiles habere velis oculos, nullo negotio reſtinguetur. Germania enim, quæ olim inter omnes nationes ob verum Dei divorumq; Chriſti cultū, ob morū deniq; incorruptiſſimorum pluſquā niveā ſinceritatē, cū primis ſpectabilis commendabatur, ſimulatq; mutato inſtituto cū porcis in volutabro ſeſe immergi, quàm è limpidiſſimis fidei ſcatebris bibere maluit, quid aliud præter inteſtinorū diſſidiorū ſemina fructus pepererit, non video. Itaq; tandē factū eſt, quòd huic regno in ſeſe diviſo, Turca, ductu & auſpiciis Satanæ, deſolationē minari cœperit. Cui quidā in Lutherano ludo edocti, imò ipſe Lutherus, minimè gentiū reſiſtendū eſſe fortiter contendit. Belli, ſi diis placet, homunculi, meoq; calculo nequaquā indigni qui ad corvos amandentur, qui cū infidelibus bellandū eſſe prohibent, interim centena Chriſtianorū millia miſerè interficiunt. Alii viciſſim ut ſanioris judicii, ita probabilioribus argumentis, quantis quantis dicendi viribus poſſunt, bellum omnibus modis adverſus Turcarum impreſſionem ſuſcipiendum perſuadere conantur; quorum ſententiæ omnes quotquot ſumus Chriſtiani, meritò ſubſcribere debebamus. Eâ igitur ratione ego quoque ductus, orationem illam ad Sereniſſimum Anglorum

Protocancellarius.

Clades Germaniæ à Luthero.

Bellum Turcis inferendum.

Regem in celebri episcoporum ac procerum consessu Londini à me habitum, tibi non modò Mecænati meo sed & omnium studiorum, studiosorumq; tanquam cuidam Asylo dedicare volui, quam ubi (quæ alioquin tua est civilis admodum humanitas) renidenti fronte susceperis, omnino exhibebis ansam, ut in posterum ad consimiles labores majori spiritu suscipiendos accingar. Vale Reverendissime Antistes bonorum omnium patrone. Ex Vienna, decimosexto Martii. Anno à Christo nato, millesimo, quingentesimo vicesimooctavo.

SErenissime ac Potentissime Angliæ & Franciæ Rex, Sacrosanctæ orthodoxæ fidei Defensor pientissime. Nobis quos hic ob communem usum & Rempublicam Christianam non modò in pristino suo statu conservandam, verumetiam latius propagandam adesse coràm cernis, Serenissimus atq; invictissimus, Dei gratiâ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex Ferdinandus, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Silesiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtembergæ, &c. Princeps Sueviæ, Marchio Moraviæ, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi & Goritiæ, Lantgravius Alsatiæ, Marchio sacri Romani Imperii super Anasum & Burgouviæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, portus Naonis, & Salinarum Dominus, D. ac Princeps noster clementissimus, tuæ Majestatis avunculus & frater, suo nomine tuam Regiam Majestatem ut plurimâ salute impartiremus injunxit, atque ita se offert benevolum, ut quibuscunque rebus tuæ Regiæ Majestati placere possit, nunquam non facilem & spontaneam operam suam præstò tuæ Regiæ Majestati futuram polliceatur. Veruntamen cum ejusmodi functio ab eadem Regia Majestate mihi semel delegata sit, ut coram Te omnibus numeris excellentissimo Principe, ac potentissimo Rege verba sim facturus; Vereor equidem conceptæ de me expectationi omni ex parte satisfacere nequeam, cum videlicet onus sit gravius majorisq; molis, quàm ut humeris meis illud subire posse mihi arroganter ascribere velim. Nihilo secius interim, dum me necessitas & voluntas eò Regia compulit, rem, licet perarduam, utcunque humili dicendi filo expedire, & quoad fieri poterit, paucissimis absolvere conabor. Non ignorat Regia Majestas tua, quæ inter gravissimas florentissimi hujus regni occupationes Regias, etiam res sanctas & quicquid uspiam ad Christi fidem religionemq; pertinet, tum crebra lectione, tum meditatione frequenti pertractare consuevit, quomodo Christus Dominus & Salvator noster, qui in principio erat, est, manebitque Verbum æternum, verbi sui semen, sanctæ & illibatæ vitæ exemplo, ac jugi prædicatione in hujus mundi agrum solicitudine non parva seminarit, quo semen hoc, in bonam terram jactum, fructum quoque produceret uberiorem, hanc suo proprio sanguine irrigavit. Sic ut ipse verè unicus filius primusq; fuerit, ac sit, qui exierit seminare semen suum, non volens ut caderet vel in viam publicam, vel inter vepres, aut supra saxum aliquod, sed in bonam frugiferamque terram, ortumq; faceret fructum cum fœnore. Ad hujusmodi causam, de semine parabolam ab Apostolis non intellectam pulchrè edisserit: Regnum cœlorum grano sinapis, quod sumptis radicibus in stipitem, in ramos, tandemque in magnam arborem crescit, comparat: multipliciterque in Evangelio testatur, sese hoc voluisse, ut Gentilium erroribus, ac Judæorum superstitione veluti spinis, tribulis, urticis, infœlicibusque loliis & miricis, atque id genus aliis terræ nascentibus, falsam ac sterilem proferentibus messem, ab agro mundi præsentis funditus erutis ac evulsis, totus ager, qui mundus est, flavescentis & fertilissimæ æstatis spicas ex omni parte refertas perpetuò generaret. Eapropter de ficu, ficulnea, ac cæteris arboribus, de messe, messoribus, falce, regionibus * albis, vinea, vite, agricultura, vinitoribus, colonis, æstate, horreo, area, fructibus, centesimo, sexagesimo, ac tricesimo, thesauro in agro abscondito, & tribus farinæ satis, grano frumenti & hisce similibus sexcentis propemodum parabolis, arcana mysteria, ignitasque sententias ore suo divinè deprompsit. Percurrens denique Judæam, Galilæam, Samariam, totamq; Palæstinam, plantator, irrigator & incrementi præcipuus author, sua manu stivam aratri, etiam usque ad crucem, crucisq; mortem non retrospiciens, dixit, torcularq; solus calcavit, quo lætas segetes; messem. vineamque perfectam, in hoc agro Patri æterno, quem & ipse vocat agricolam, plantaret. Et ne quid uspiam neglectum iret, etiam Apostolos quos alibi palmites, & in Marco designat agricolas, in mundum universum misit, ut & illi reliquum & totum terrarum orbem, quasi communem agrum hac fœcunda plantatione replerent, denique juxta verbum Doctoris Gentium (qui Sacri Evangelii est tuba) Dei agriculturam facerent.

Regna provinciæque Regis Ferdinandi.

Initium religionis Christianæ ex semine Verbi.

* Joh. 4. 35.

Prædicatio Apostolorum.

Et

Et ad illius exemplum etiam sanguinis effusione terrā, alioqui ex primorū parentū trāsgressione spinosam, sterilem, aridam & penitus infœcundam, cœlestis gratiæ rivulis abundè irrigarent. Cecidit itaq; res brevi fœliciter, atq; adeo ut Apostolorum sonus in omnem terram exiverit, & in fines orbis terræ: à solis ortu usq; ad Britanniæ occasum verba eorum. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua; Venientes autem venerunt cum exultatione, portantes manipulos suos. Non modò Samaria, sed etiam οἰκουμένη, hoc est, totus orbis, hoc semen, id est, verbum accepit, quo universa terra (ut olim Arcæ filiæ Caleb, irriguum superius inferiusq;) irrigata est. Facta sunt itaq; & creverunt lætæ segetes, regiones albæ, messisq; perfecta in Asia, Africa, Europa, ab oriente usq; ad penitus toto divisos orbe Britannos. Hæc tempora non solùm septennalem in Ægypto ubertatem, verumetiam Saturnia regna longè superarunt. Ea quoque fames divinissimi verbi Dei, de qua pastor rusticus & propheta Amos in pastoralibus Thecue nonnihil prædixerat, omnino sublata est. Terra enim dedit fructum suum, ederunt pauperes & saturati sunt, laudaveruntque Dominum. Comederunt veri Israelitæ panem absque ulla penuria, panem de cœlo verum, in quo vivit homo, in cujus fortitudine cum Elia propheta ambulat, quisquis ederit, usque ad montem Dei Oreb.

Quumq; hæc plenitudo temporis, dulce plenumq; convivium, sexcentos perstitisset annos, Ecce! tenebricosa ac quasi intempesta nocte inimicus homo, non modò pseudopropheta & ementitus Apostolus, sed pseudochristus, qui se pro deo venditabat, Mahumetus spurius à patre idololatra, & Agarenus à matre, haud secus quàm callidus ille serpens, in paradisi dominicum agrum irrepsit, zizaniamque superseminavit, & quidquid recti, veri, honesti & salubris à Salvatore nostro, illiusque discipulis tanto labore & studio per priora secula plantatum & cultum erat, extirpavit, evulsit & quasi radicitus evertere atque evellere cœpit: Nec aliter quàm horrendus ille & cunctis formidabilis aper, qui miserè quondam vastabat Arcadiam vicinasque regiones. Idem Mahumetus, abjecto pudore, longè lateq; depopulatus est. Ac semen quod in terram mirificè fœcundam ceciderat, penitus evulsit extirpavitq;. In pessimæ & astutissimæ vulpis modum, vineam Engaddi, * Zorecq;, utramq; illam electam vineā Domini Dei Sabaoth perdidit, totumq; agrū sanctum, tam pulchris redimitum floribus, & Christi tam bono odore fragrantem, ut longè præcelluerit odores Jacob filii Isaac, nardi, unguentorum, florentium vinearum, myrrhæ, balsami, mandragoræ, suavissimique thymiamatis, infecit. Is Mahumetus, etsi ex infima fæce obscuroque loco, dubium Arabs, an Persa natus fuerit, quasi ille inter Israelitas primus blasphemus de patre Ægyptio, & Israelita de matre natus, hujus mundi regna respuit, ut Christus in monte, sed suggerente tentatore diabolo, mox omnia ambivit & Satanam adorare cœpit. Quippe Sergii, Nestoriani apostatæ, & Johannis Antiocheni hæretici auxilio & operâ fretus, rudi & nihil tale intelligenti Arabum populo, miris præstigiis Alchoranum præscripsit, quasi legem demissam cœlitus. Vidit vana & in pseudoprophetæ morem divinavit mendacia. Quo deniq; totum orbem, quem tunc in tres vias trium religionum, Christianismi scilicet Judaismi & gentilismi, divisum invenit, sibi vendicaret, ad se suamque nocentissimam sectam pelliceret, ex omni parte, ea quibus hominum desideria & illecebræ appetitûs satiantur, inseruit; instabilesq; in fide, hac via, in Antichristi modum, seducendo à vero, aberrare multifariam fecit. Et quo popularior esset, & multos brucos adnumeraret, ex omni secta quæ placentia erant, atq; Veneris & omnium voluptatum relaxare habenas solent, prædicavit, omnia contra sententiam toties à Paulo repetitam, in carnis occasionem. Sicq; consuit pulvillos (ut est in Ezechiele) sub omni cubito manus, & fecit cervicalia sub capita universæ ætatis ad capiendas animas. Quæ omnia huc pertinebant, ut ejecto Christo, ipse verus Messias, & quasi alter Nabuchodonosor, pro deo haberetur; cœli, maris terræque dominus esset. Et nationes, quas dulcedine voluptatum & titillatione carnis permulcere & ad se pertrahere non potuit, vi adigere animo suo cogitavit. Idcirco in suæ legis Alchorano spurcissimo, sic perpetuò servandū statuit, ut in quatuor plagas terræ Mahumetani reges quatuor Amiros (quos nunc Thracico vel Persico vocabulo Bassas, Sclavonicè Vuonas appellant) eligerent ac intertenerent, qui semper armis & manu potenti terras alienas incurrerent, hasq; Mahumetanæ ditioni seu tyrannidi subjugarent. Sic eo tam ambitioso ordine ac instituto repente factum extitit, ut iidem Mahumetistæ, quos majores nostri aliquot seculis Saracenos, & nos prævalescente nomine Turcas vocamus, bellis quasi per manus acceptis, Mechâ nullo pacto contenti longè lateque per universum orbem regnare cœperunt. Quandoquidem defuncto Mahumeto anno suæ ætatis tricesimo quarto, illoq; cum suis aliquot pseudoprophetis assectis apud Mecham sepulto, Turcarum interim arma in exteros fines nunquam quievisse leguntur. Idque non modò miranda, sed stupenda res fuerit. A Mahumeti morte si duntaxat numeremus centum proximè secutos annos, inveniemus quanta vicinis

Mahumetus pseudochristus.

Depopulator vineæ Domini Sabaoth.

Doctrina ejus carnalis.

Jussit eligi Quatuor Amiros, quos nunc Bassas & Vuonas vocant.

Tricesimo quarto anno suæ ætatis sub Heraclio obit.

nationibus damna intulerint. Quot imperia, regna, provincias & terras occupaverint, quæ cum obiter & per compendiū, vel scire, vel alta mente revolvere non parū prosit, rebusq; nostris valdè conveniat, nonnulla cōmemorare libet. Non quòd, clementissime Rex, ista nescias, qui rerū earundē & similium gestorū doctissimus & expertissimus es, sed ut in memoriam revocemus, parvus in Arabia igniculus in quantā flammā latumq; incendium brevi excreverit. Sic enim historiæ tradunt, sub Heraclio imperatore, Anno post Christū natum sexcentesimo tricesimosecundo, Mahumetū, qui se deum immortalem fecerat, obiisse mortem, illiq; dum viveret, ex aliqua parte Arabiā paruisse. Fuit eo tempore Syroes Persarum rex, hunc Abubacher, Mahumeti cognatus ac successor, vicit exuitq; regno. Post quē Haumar, secundus Mahumetanorū rex, qui repentè irruit in Syriam, sanctamq; Hierusalē cum Dominico sepulchro occupat: Syriā domat: Mesopotamiā totam usurpat, ejectisq; Romanis Cæsaream Palæstinæ capit. Eodē Haumaro à quodā Persa per insidias interfecto, Otman Saracenis præficitur. Qui mox Gabatham reliquamq; Arabiam, petræam scilicet & desertam sterilem, & eam quam fœlicem vocant, usq; in sinum Persicum, & ultra mare rubrum subjecit. Posthac Muhaviam prætorem cum quatuor Amiris misit, qui Antiochiam, primam sancti Petri Apostolorum antesignani sedem, cepit. Ægyptum cum reliquis provinciis usq; ad Euphratem, fluvium ex paradiso (ut in Genesi legitur) fluentem obedire fecit, & transito Euphrate Edissam venit. Post hoc Saraceni, seu potius Agareni, non à liberâ, sed ancilla Ismaelitæ, Africam impetunt, & illius magnam partem tributariam facientes, extemplo cum mille scaphis & pluribus, Cyprum, quæ est Insula Syriæ & Ciliciæ opposita, invadunt. Mox Isauriam, quam Ciliciæ partem nonnulli fuisse dicunt, ac Siciliam deinde, angusto freto ab Italia divulsam, & in ea pulcherrimam iis temporibus Syracusanam urbem hostiliter obtinent, clarissimam in mari Carpathio Insulam Rhodum truculenta manu invadunt, & illic nobilem Colossum, statuam quidem septuaginta cubitorum altitudinis, ex ære mirabili artificio conflatam, inter septem mirabilia mundi numeratam, hostiliter destruunt. Ex cujus ære Emissenus quidam, genere Judæus, nongentos Camelos onerasse legitur.

Successores Mahumeti Abubacher, Haumar. *Otman hic subjecit sibi omnem Arabiam & Antiochiam.* *Cyprum, Isauriam, Siciliam. Rhodum. Colossus Rhodius ab eo destructus.*

Eodem etiam anno, qui à virginis partu DC. LV. Mahumeti verò morte vicesimus tertius erat, Turcæ Armeniam intraverunt, & Mutianum Romanorum prætorē usq; ad Caucasios montes persecuti sunt. Sequenti anno Muhavias ex Amiro factus rex. Ita Syriis & Ægyptiis patrocinantibus contra Halim, cui desertum Arabiæ adhæsit. Illico Romaniam, quæ Constantini magni temporibus ita vocari cœpta est, ad Bosphorum, Propontidem & Hellespontum ingreditur, Ciliciam & Lyciam occupat, & per septem annos Byzantium, quod à primo Christianorum Principe qui verè Christi nomen agnovit, Constantino magno, qui natus Britannus erat, si (ut par est) Lactantio credimus, Constantinopolis nomen accepit, terrâ & mari tam strenuè obsedit, ut obsidionis anno primo sex continuis mensibus non recesserit Mahumetana classis à mari, neque inde castra mota fuerint à mœnibus. Sed in longum nostra cresceret oratio, si recensere perrexero, quæ & quanta egerint reliqui post Muhaviam reges, Abdallam scilicet & Addimelech. Nam sub Justiniano Imperatore reliquas Persidis & Armeniæ partes occuparunt, ipsamque Carthaginem, quam tantis etiam temporibus Romana potentia subdere non potuit, potenti manu invasere. Ulid quoq; rex Damascum & Misiam, quam hodie Turcæ Sagariam dicunt, occupat, & Galatiam totam expoliat. Quòd si magnas res & memoratu dignas hi homines hucusque gesserunt, non minora Soliman, Haumar, Gizid & Elvelid, omnes Turcarum reges & Turcicarum rerum gubernatores, præstitere. Nempe Soliman Thraciam, in qua tunc Triballi, Dardani & Mysii erant, totam vastavit, Gizid in Sardiniam ruit, Haumare ita jubente. Anno salutis DCC. XX. inter dissensiones ac dissidia Justiniani & Philippi, Abduravia belli & exercitus Saracenorum Dux, ex Numidia, Mauritania & reliquis Africæ locis, in Hispaniam transfretavit, illamq; totam & maximè Granatæ regnum sibi vendicavit, solis Gallicia & una parte Castiliæ salvis. Et quotquot illic Visigothos ac Suevos invenerat, ejecit. Sicq; Saraceni magnam Hispaniæ partem eamque ferè octingentis annis occuparunt, quoad successu temporum, aliquot Hispaniarum Reges junctis copiis illos partim repulerunt. Et novissimè Ferdinandus & Isabella, Augustissimæ tuæ contoralis parentes, Serenissimi Regis nostri avus & avia, per quinquennalem obsidionem, illos à Granaten. regno & urbe, Anno incarnationis Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo ejecerunt. Ex quibus omnibus manifestum habetur & est, intra primum centenarium, quàm effusè Turcarum vires creverint & auctæ sint, utpote qui majorem Asiæ, Africæ & Europæ partem violenta deprædatione expilaverint & occupaverint, nec interim ullo unquam tempore illorum arma siluerunt, de quibus enarrandis si liber scribatur, immensæ magnitudinis erit; usq; adeo πολύφθορος ille regnandi tyrannus intra octingentos annos suarum virium alas latè extendit. Missis ergo ob temporis angustiam & tacitè præteritis Christiani orbis, fidei, rerum & populorum

Muhavias rex. *Constantinopolis VII. annis obsessa. Constantinus Britannus à Lactantio dictus.* *Reges Abdallam & Addimelech. Rex Ulid.* *Alii reges Turcarum. Soliman, Haumar, Gizid. Abduravia in Hispaniam transfretavit.* *Ferdinandus & Isabella Saracenos ejecerunt. A. D. 1490.*

pulorum jacturis, civitatum ruinis, regnorum devastationibus, cruentissimis tot hominũ cædibus, quas à septingentesimo usq; in millesimum quingentesimum Christianæ nativitatis annum Turci perpetrarunt: sunt ex viventibus,qui adhuc reminisci possunt,Amuratem Ottomannorum Turcarum principem à Christianis cepisse Thessalonicam urbem, quam duabus epistolis Tarsensis ille Paulus docuit in fide, Ætoliamq;, quæ nunc Despotatus, & non modicam Illyrici partem vi subjugasse.

Amurates princeps Turcarum.

Ac brevi multas urbes Atticæ, Bœotiæ, Phocidis, Achaiæ, Macedoniæ & Græciæ occupasse, nobilissimas deniq; Ægæi maris insulas, Eubœam, quæ Nigropontus, & Chium (in qua Euchius nascitur, qui curas dissipat edaces) manu potenti ademisse, Lesbon quoq; & Mitylenen Macherei filiæ, Anno salutis M.CCCC.LXIIII. eripuisse, & quod intra sexaginta annos ausus fuerit in Apuliam trajicere & Hidruntem vendicare.

Quo deniq; Serviam,tunc inferiorem Misiam,per occasionem adipisceretur, Georgii Serviæ Despoti filiam desponsavit. Et apud Varnam montem Uladislaum Poloniæ Regem,ac ipsos Hungaros in prælio superavit.

A. D. 1444.

Quid quod * quinquaginta plus minus sunt anni, quando Mahumetes Amuratis filius, quẽ cuncti ob magna facinora,magnũ Turcã vocabant, per Hellespontũ in Europam classe trajecit ad Euxinũ mare, à littore Bosphori castrum fecit,& Constantinopolim, alterũ Christiani orbis oculũ nobis ademit. Ac Palæologorũ ultimam Constantinopolitani imperii Regalem familiam cum ipso Imperatore evicit,& reliquã Romaniã summo dedecore subdidit.

* Fœdus est hic error; quinquagesimus enim annus à clade & excidio Constantinopolitano incidit in A.D. 1503. & Regni Hen. 7. 19. Oratio autem hæc habita est ad Henr. 8. postquam Defensoris fidei titulum adeptus sit à Leone 10. 1521.

Hinc Peloponnesum, non tantũ gentiũ in ea quondam nobilitate & potentia,sed locorum etiam situ, promontoriis & finibus nobilem, prædam sibi fecit, & omnem Christi populum abduxit, eoq; pro vilissimis mancipiis usus est. Et mox irruit in Achaiam, Acarnaniã, Epirum, Bulgariam & Serviam, quas omnes, & quicquid ab Adrianopoli, ac intra Savũ amnẽ & Danubium flumen interjacet, cum magna parte Valachiæ,quæ olim Dacia, suis imperiis ac regnis adjecit. Bosniam postremò, quam veteres Misiam superiorem nuncuparunt,& quæ horreum Cereris ob fertilitatem dici meruit, Hungariæ & Croatiæ conterminam, ingressus est, & tanquam horrenda tempestas, illic cuncta vastavit, illamq; cum universo regno & Christiano rege comprehendit destruxitq;.

Peloponnesũ prædam sibi fecit.

Regiões Græciæ suo imperio adjecit.

Bosniam, horreum Cereris devastavit.

Idem etiam Mahumetes mox nobilem & naturâ invictissimam Mitylenen denuo expugnat,& Trapezundarum imperiũ diripuit,& ut summatim complectar multa,Iste unus tyrannus in Asia minore duodecim regna intra brevissimos annos obtinuit. Pontum sc. Bithyniam Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphiliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Phrygiam, ac fere omnem Peloponnesum, quæ pene insula est & Morea nunc dicitur,demptis reliquis provinciis, insulis & urbibus, quæ illius nomen & pedes adorant.

Mitylenen expugnavit, denuo Imperiũ Trapezontis diripuit.

XII. regna in Asia minore obtinuit.

Ad hæc omnia idem Turcus adjecit Isthmum qui angusto tramite Helladi Peloponneson annectit, & Corinthũ celeberrimam urbem continebat: Albaniã, quæ olim Macedonia, & ab Albanis supra Colchidem habitatã, Scopiũ & Dyrrhachiũ. Et quædã in Epiro: ad finem quoq; vitæ capta Phocide urbe à Phoco Thesei fratre condita: Soldanũ Assyriorũ & Ægyptiorũ regẽ, prælio superavit. Et fortè † quadraginta sunt anni, ubi Caffa, illiusq; imperium, quæ est in septentrionali plaga & in Taurica Chersoneso, non longè à Mæotide, in manus Turcarum devenit. Et inde uno impetu, septuaginta millia Christianorum captivi abducti sunt. Interim Ugent Mahumet, Assimbei Usuncassani filius, in regnis Parthorum, Persarum & Medorum, Mesopotamiæ & Armeniæ regnare cœpit.

Isthmũ Macedoniamq; sibi subjugavit.

† Hoc etiam falsum est: Caffa enim capta est A. D. 1476. cui si adjicias 40. non attingit ultra annum 1516.

Soldanum prælio fudit.

E Caffã septuaginta millia Christianorum abduxit.

Temporibus itaq; Matthiæ Regis inferioris Pannoniæ, quam nunc Hungariam vocitant, Mahumet irruit in Rasannum,Lycosthanum,Severinum,Clisium & Moncastrum, pugnacissimas urbes, in ripis Danubii & ad mare sitas. Ex illis quoq; in Hungariam, Savo, Travo & Danubio fluminibus liberum transitum fecit.

Irruit in Hungariam.

His quoq; & bonæ memoriæ Imperatoris Romanorũ Friderici tertii, nostri Regis proavi, temporibus,Bajasetes per duces,quos (ut antea dictum est) Turci Bassâs,& Slavonice Vuonas vocant, gravissimas incursiones in Pannoniam, Croatiam, Dalmatiam, Illyricum, Carniam, Carniolam, Carinthiam & Styriam, inclytas domûs Austriæ provincias intulit, & sic Germaniam pugnacissimam, à limine primus Turcarum salutavit. * Narantemque Regis Matthiæ portũ, regnumque Croatiæ,quod olim Liburnia fuit, majori ex parte vastavit.

In multas Austriæ provincias impressionem fecit.

* Suspicor hoc nomen, quoniam non occurrit inter cosmograph.

Sic itaq; Turcarũ tyrannus, illiusq;res ex minimis principiis in immensum penè creverunt, & ubi per Apostolos ac martyres olim signum crucis, nomen Christi, templa summi & veri Dei erecta sunt, venerant gentes (ut est in regio citharœdo propheta) in hæreditatem Domini, polluerunt templum sanctum & tabernaculum nominis ejus,posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, morticina servorũ domini escas volatilibus cœli, carnes sanctorum

Prophetia David de Turcis, Psal. 78.

 bestiis

Turcarum immanitas in devictos.

bestiis terræ, effuderunt Christianorum sanguinem tanquā aquam, & non erat qui sepeliret. Patriarchas Antiochiæ, Alexandriæ & Constantinopoleos, Archiepiscopos, Episcopos ac sacerdotes, dei ministros & mysteriorū dispensatores, & electos Christi milites, ense (quē illi Sebolam vocant) necaverint. Uxores & virgines castissimas inter obscœna Mahumeti prostibula prostituerunt, hisq; abusi sunt.

Viros & mulieres, senes & juvenes, absq; sexus & ætatis discrimine, dum hæc fierent, abduxerunt: In miseramq; Pharaonis servitutem, ad coquendum lateres, ad fodiendum arenam ad remigandum in triremibus, more * Galeatarum, rejecerunt.

* Galeotto apud Italos idem est quod remex apud Latinos; mancipium ad remos damnatum.

Ah! quoties infantes ab uberibus & lacte matrū avulsi sunt, & interim in illas pudicissimas matronas Lucretias, spurcissima Venere sævitū est. Quis nefandas transactorū temporū cædes, stupra, adulteria, sacrilegia, tot clariss. urbiū eversiones, referre sine lachrymis potest?

Crudelitas in clerum.

Veritas & res gesta est in Mitylene, Constantinopoli & Trapezunda, quoscunq; divino cultui devotos & addictos invenere Turcæ Archiepiscopos, episcopos aut religiosos, perinde ut boves in campis & foris mactari fecerunt. Et in prælio † æstatis proximæ, non satis erat quòd octo Episcopos Pannonū interfecerant; sed post stragem, inter mortuos Christianos, Archiepiscopū Strigoniensē, Cancellariū regni, ac dominū Paulū Archiepiscopum Colocen. utrumq; pro fide Christi mortuum, Solyman Turcarum princeps decapitari, & in frusta ac minutissimas partes (ut nonnulli retulerunt) secari ac discindi impudico ore jussit.

† Hoc prælium fuit Mohazense, commissum 1526. (de quo vide Reusneri narrationes rerum Turcicarum edit. Francof. 1603. pag. 44.) unde constat orationem hanc habitam esse 1527. i.e. anno sequente; vel saltem sub finem Anni 1526.

In magnates Rasciæ & populum Eubœæ.

Turca in Rascia, hoc est inferiori Mysia, quæ Servia nunc est, cunctis magnatibus oculos erui, quasi alter Julianus apostata, præcepit. In Eubœa verò innumerū populū palis suffixit, alios obtruncavit, plerosq; ignito ferro discerpsit, pueros & infantes nondum ablactatos saxis illisit, & pro tyrannica consuetudine multos per medium scidit.

In Impe. Trapezuntium.

Trapezuntium autē Imperatorē, cum Ponticæ oræ & Cappadociæ principibus, liberis, uxoribus, Byzantium velut in triumphum duxit, ductosq; lachrymanda morte interemit.

Urbes magnæ sub Turcis.

Prætereo urbes, civitates & castra, quæ Turca ferro & flamma perdidit, & quædam solo æquavit. Quid quod non sine Christianitatis magno vixq; vincendo periculo, celebriores urbes, quas orbis habet, suæ tyrannidis vocem audiunt, inter has expressis numerare nominibus cogimur Tripolim, Smyrnā, Sebasten, Cæsaream, Antiochiamq;, quæ olim * Reblatha & Petri prima Cathedra, Alexandriā, quæ Evangelistæ Marci sedes fuit, Damascum, Joppen, Ascalonem, Tyrum, Sydonem, Alchirum, quæ olim Memphis, † Balthac, quæ Babylon, Athenas, Thessalonicam, Laodiceam, Colossam, Philippidem, Thebas centum portarum & Niniven trium dietarum, ipsamq; arcem Sion, unde exivit lex, & Hierusalem, unde exivit verbum Domini, aliasq; propemodum infinitas & potentiores totius mundi urbes populosissimas & opulentissimas & augustissimas.

* Vide S. Hieron. de locis Hebraicis & Ortelii Synonymiam geograph.
† Bagdat.

Adhuc tam amplis imperiis, regnis, provinciis & urbibus ἄπληστος ille orthodoxæ fidei hostis non est satiatus, sed totus ad hoc tendit, & animi sui audacem cogitatum adjecit, quando ad orientem solem nihil ferè reliqui habet quod rapiat, sed illic terræ & maria illi obediunt, jam ad nos rapacissimos suos ungues convertit, & reliquā occidentalis ecclesiæ particulam, quæ in illius comparationem quasi tenui filo pendere videtur, demoliri conatur.

Occidentalem plagam vexare cœpit.

Est quoq; illius proculdubio præsumpta & elevata in cœlum usq; cogitatio, nolle cessare, quoad in fluminibus tuis (hic cave prudenter & defende viriliter, catholice Rex, qui fidei Defensor es) etiam Tamesi juxta regiam tuam suos Turcicos asturcones equos & camelos adaquet ex eoq; potum præbeat.

Et ut Lybico, Persico, Ionico, Ægæo, Hircano, Tyberico, Adriatico, Euxino & aliis maribus prævaluerit, ita sibi facillimum & citissimè futurum non dubitat, etiā * Polygoniæ tuæ Britanniæ, Orcadibus insulis, Islandiæ, ultra circulum arcticum imperare, ut ipse unus ac primus sit futurus, cui ad Maronis hemistichium serviat ultima Thule; & sic non modò oceano, sed & toti mundo præsidere ambit, fortè cū Pellæo juvene, tandē quæsiturus à philosophis, magisq; prudentibus, an ullibi locorum sit alius mundus, ut & illum sibi subjugari festinet. Eapropter cum in Æthiopia supra Ægyptum, quæ India est, Naid Gian, quē nos Pretejan dicimus, non formidet, à Syria & Assyria, Melech, Lastraphi, Soldanum deleverit, cum Tartaris ultra Tanaim & Mæotides Paludes affinitatem contraxerit (Nam illorum rex viventis & nostris temporibus in nos tam dirè ferocientis Solymanis sororem in uxorem ascivit) & cum his Scythicis populis, qui ultra Volgam amnem & supra Caspium mare degunt, amicitiā teneat & pacem: Iberiam, in qua olim Bacharites Melech, pro voto habeat, Sophiq; Persam bis prælio vicerit, Etiam ab illius regia urbe & regali sede nobis viventibus profligaverit (Ita in proximis comitiis procerum Romani imperii apud Norinbergam, ubi etiam tuæ Majestatis regii Oratores aderant, Sophi Persæ nuncius ad Regem nostrum destinatus

* i. e. Multangulæ: sed quid hoc ad dignitatem & fortitudinem Britanniæ? ingenium Oratoris erat nimis fæculentum & crassum, cum nullum majus illi aderat ἐπίθετον quàm polygonia.

Potentia Turcarum.

natus referebat) neq; sit, quod hunc Persarum regem vel alium quenquam in terra formidet; Ideo huc omnes potentias viresq; suorum potentissimorum regnorum convertit, ut Hungariæ & Croatiæ regna sibi contermina,& deinde tantillũ quod superest Christianitatis evertat, vastet, sibiq; subjiciat. Sic intra sex annos sub Adriano hujus nominis Romano Pontifice sexto, Rodon insulã & civitatẽ Rhodianã à cruce signatis militibus expugnavit. Sic Belgradum Taurini oppidum, quod alii Albã vocant, verè bellum Pannoniæ gradum, cum munitissima arce, non modo Hungariæ, sed totius Christianitatis propugnaculum evicit.

Rhodon insulam sub Adriano Rom. Pontifice cepit.

Et profectò dolenda res est, ut Rhodos Lydiæ Insula, quæ olim perpetuo quinquennio à Soldano Ægypti armata classe vexata, & posthac ab Ottomanno Turcarum principe, cum centum millibus armatorum, octoginta diebus obsessa, libera & invicta fuit, & Belgradum urbs munitissima à Matthia Rege faucibus Turcarũ erepta, sic ævo nostro ab immanissimo illo tyranno, Christianorũ dissidio, desidiâ dicere volebam, occupentur. Et ex his, ut plerisq; aliis Christianorum locis Christi fideles innumeræ quidem multitudinis jugulati, & reliqui compedibus & catenis vincti, abducti & in Mahumetis sectam rejecti sunt.

Anno verò præsenti, æstate præterita, Solyman ille Turcarum Imperator factus, ut se immortalem, & adhuc adolescens, populum sibi in viridi applaudentem faceret & conciliaret suorumq; regnorum fines augeret, in propria persona sese à sedibus propriis movit, & tanquã Attila, flagellum, fulmen & terriculamentum orbis cum potentissimo exercitu tam equitum quã peditum ultra centum & quinquaginta, & fere ducenta millia hominum, cum Camelis (ut quidã retulerunt) triginta millibus, navibus tribus millibus, equis, arteleriis, munitionibus & commeatu instructissimus Hungariam invasit. Petrivaradin & alia quædam munitissima castra cepit. Ex his aliqua in cinerem vertit. Infinitam Christiani sanguinis multitudinem cruenta & immiti clade, cæde mactationeq; carnifex ille perdidit.

Quæcunq; etiam tam hominum quã jumentorum, aut bonorum ex lateribus fluviorum, Savi, Travi, Tragi & Danubii invenit, vastavit: & in prædam quasi leo rugiens diripuit. Idq; in longitudinem, si solam Hungariam eamq; à Belgrado metiamur, per quadringenta, & in latitudinem per ducenta ac plura Anglica milliaria, & quidem parvo temporis decursu, hoc est, sex mensibus perpetravit.

Quod deniq; horribilius est, occurrentis Ludovici Regis exercitum validissimum, octo episcopos, ac regni primates & proceres profligavit, & in tuæ Majestatis ac omnium Christianorum Regum & Principum perpetuam ignominiam, & vix abluendum dedecus, pientissimum Regem, eumq; florentissimæ ætatis, juxta Tragum flumen, in obscœnâ & profunda palude immaturâ morte interire fecit.

Fœlicis memoriæ regem Ludovicum Hungariæ fugavit & trucidavit.

Et mox triumphabundus Sennacherib ille blasphemus, sese in ejusdem Regis regale solium, quod in inclyta urbe Buda fuit, posuit: sese Hungariæ regem adorari præcepit, ipsamque Budã cum Pesta civitate, ex altera & oppositâ parte sitâ, Vulcano tradidit, in favillamque & fumum perdi & abire fecit.

Penetravit ad Budam, quam incendio perdidit.

Nolim hic coram prudentissimo Rege diutius immorari circa cædes, latrocinia, jugulationes, prædasq; opimas, quas etiam in æneis machinis in subsidium missis abduxit.

Adhuc ἀπλήρωτος & sanguinarius hostis, intra fines nactos manere, atq; Constantinopolitano, Trapezuntio, etiam Caffæ Imperiis & plusquã sexaginta regum regnis contentari non didicit neq; vult, etiamsi Macedoniam, quæ nunc Albania, habeat, ex qua gente ad excursiones sanè procacissima, Philippi regis filius, magnus ille Alexander, cum triginta millibus duntaxat militum, ut quintus Curtius testatur, fere totum sibi subegit orbem.

Jam verò minimè sævissimus quiescit animus, sed diu noctuq; secum voluit ac meditatur ut singula reficiat atq; instauret, quæ ad ulteriorem & novum belli gerendi apparatum attinent. Terra deniq; & aquis commeatum comparat & instruit, quæcunq; pro æstate nunc proxima & imminenti necessaria sint, ut mox Hungariam, Croatiam, Austriam & proculdubio Germaniam, & reliquas Christianorum provincias, etiam occidentis quicquid superest, suæ ditioni subjicere possit.

Instruit sese ad futurum bellũ Germaniæ provinciis inferendum.

Animatur ad hæc & tam magna moliri Turca, quòd videt Hungariam nunc sibi apertam esse, nec (ut olim) Euxino mari, aut Alpibus impeditur aut clauditur. Cecidit Croatiæ regnum, quod suo hiatu fere totum absorbuit, deglutivit & delevit. Superest ut pessimus vicinus, reliquos vicinos, quos pati non potest, neque vult etiam, Te quoq; in brevi rostratis triremibus & navibus, aut terra adoriatur.

Croatiam fere delevit.

Sciens & quasi præ oculis præsentaneos interitus Christianitatis videns Serenissimus ac clementissimus Ferdinandus, Hungariæ ac Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, & princeps & dominus noster gratissimus, quid aliud faceret quàm quod maximè & primo omnium loco Christianum principem, à tot Christianissimis Imperatoribus, Regibus & Archiducibus parentibus, avis, proavis, abavis & atavis natum, & speculatorem fidelem, contra venientem gladium decet ac plurimum ornat, in primis Christi, non propria quæsita gloria, precantes

Providentia Regis Ferdinandi.

cantes manus cum toto illi credito populo levet, & cinere aspersus cilicioq; in Ninivitarum regis morem & formam indutus, toto corde se vertat & clamet ad Dominum? Quis scit si convertatur & ignoscat deus & relinquat post se benedictionem?

Ad hoc veluti Josue contra Amalechitas pugnaturus pro salvanda Christiana rep. & recuperanda ab invictis possessoribus, Jebusæis, Cananæis, Pherisæis, Hethæis, Amorræis, terrâ prõissionis, quæ lacte & melle fluit, etiam illa sanctâ civitate Hierusalē, si viriliter & fortiter contra iturũ parat & jam irruenti sanè sævo hosti, perinde ut ordinis divi Georgii militem, quem Gedeonis & suscepti velleris clypei, ensis & hastæ, sic tuis præscriptis legibus exigentibus, memorem esse oportet, undequaq; conscribit & colligit milites, machinas, cõmeatum, & quicquid ad exercitum utile & necessarium esse credit, non adversus Christianos principes, sed contra Christiani nominis persequutores pugnaturus, hic diligentissimè adornat: Ita ut tuæ militiæ non impigrum agat militem, suoq; fungatur officio.

Sed ne tã fortis & exercitatissimi in bello hostis vires & multitudinem contemnere videatur, gaudeantq; super illum olim inimici pessimi, neve in toto orbe rideatur, quod apprimè & operæ pretium cavendum esse prædixit Dominus, volens ædificare turrim prius sedens sumptus computare debeat. At quis rex (inquit is, qui via, vita & veritas est) proficiscens ut committat prælium adversus alterum regem, nonne sedens prius cogitat, an possit cum decē millibus occurrere, qui cum viginti millibus veniet contra se? Eapropter apud se suosq; fidos quos habet amicos, & à secretis consiliarios invenit, nisi sua Majestas se ac reliquam deniq; Europæ & Christianitatis partem, non modò tributariam, sed penitus extinctam dedere velit, hostē cũ quo certè dimicare oportebit, facilè non contemnendum aut negligendũ, sed illi cũ potentissimo exercitu Cataphractorũ & leviorũ equitũ ac peditũ obviandũ esse.

*Milites qui perpetuò penes Turcam sunt. Timariotæ. * Gionli dicuntur à Laz. Soranzo. † Caripici. * Suluphtari appellantur à Lonicero. Janizari. † Asappi Laz. Soranz. Azappi. Lonicer.*

Non ignorat profectò, sed à totidem exploratoribus fidisq; tam suæ Ma. quàm Christianorum amicis & monitoribus compertum habet, illum apud Turcas militarem esse ordinem, ut illis perpetuò sint equites octoginta millia, quos Timariotas vocant, qui & in duos divisi sunt exercitus, Asiaticum scilicet & Europæum, quorum præsidentes (ut antea diximus) Bassas vocant. Et quòd * Sconisiarum equitum, qui sine stipendio, & pro quinta parte prædæ militant, semper quadraginta millia sunt, † Catipporum autem, * Spahioglanorũ & * Soliphratorum ex Scythis & Persis ad latus regis aliquot millia. Didicit etiam ac scit sua majestas peditum ordinem interteneri triplicem, Janizarorum quidem, qui ex omnibus Turcarum regnis proceriores ad hoc idonei per conquisitores leguntur, & ab ineunte ætate, quasi ephebi in publicis gymnasiis & castris, ut olim Lacedæmonii, nutriuntur, & ab albo pileo sursum versus porrecto, brevioriq; veste amicti sunt, hi urbes & arces oppugnant, & viginti millia sunt. † Asypporum autem peditum, qui rubeo pileo ab Janizaris discernuntur, qui in prælio hostium equos subfodiunt, quadraginta millia, & peditum voluntariorum qui sine stipendio militant, aut evocantur; demptis & non numeratis calonibus, lixis, fabris, nummulariis, institoribus ac aliis id genus, * magna qui vias sternunt, pontes fluminibus & stagnis imponunt, aggeres & reliqua necessaria erigunt ac struunt ordinaria institutione, dum proditur in campum, educuntur propemodum infiniti. Illis autem sic instructis & à cunis ad bellandum edoctis copiis, parvo & imbecilli cuneo militum occurrere, cum illisq; manum conserere, aut prælio congredi, neq; Regi, neq; antesignanis consiliariis videtur admodum esse consultum.

*Quomodo Turcis occurrendum sit. * Vid. Lonicerum p. 26. tom. 1. edit. Francof. 1584.*

Produnt historiæ veterum, quibus securè fidimus, Bajazetem Turcarum regem adversus Parthorum regem Tamberlanem * Tambrullonum, à quo prælio superatus & catenis aureis vinctus in curru ducebatur, plusquam quatuor centena millia armatorum eduxisse, necdum illius potentia, quantum hodie crevit, aucta erat.

Proinde videt, & rectè, Rex noster, parvum non sufficere cuneum, sed opus fore potentissimo & validissimo, tam equitum quàm peditum optimè instructo exercitu. Quem si conscribere & collectum educere velit, illum commeatu, machinis æneis, munitionibus & aliis rebus innumeris instruere oporteat. Id autem sine immenso thesauro pecuniæ (qui fortissimus cujusq; belli nervus est) perfici non poterit.

Paratissima, totoq; animo propensa esset Majestas illius, vel Midæ aurum ac Solomonis & omnium regum, atq; adeo totius mundi thesauros exponere, modò ut ipsa Christianitas ab hoc furioso, impio & sine Deo tyranno liberata & salva esset.

Sed (proh dolor!) à Friderici proavi, & Maximiliani avi Imperatorum temporibus, intra quæ Turcæ vehementiores, graviores & frequentiores incursiones ac depopulationes non solùm in Hungariã & Croatiam, sed & Carinthiam, Stiriam & Carniolã Austriæ provincias, per crebros Saccomannos & latrones, quos Martylosas appellant, fecerunt. Contra quos & in subsidium regni Hungariæ, quãdiu Rex noster Austriæ domum gubernandã suscepit, septē continuis annis exercitum magnum intertenere coactus est, sineq; intermissione cõtra Turcas pugnavit. Non enim tã impius & crudelis in suos etiam Hungaros & Croatas esse voluit

voluit ut sese præcipitet in damnatissimā Lutheri novā & inauditam hæresim, qua pro suo more pertinaciter per insaniā affirmat quomodo Christianis contra Turcas bellare non liceat, sed Turcis omnes aperire portas Christianum & evangelicum principem conveniat.

His igitur tam diuturnis ac gravissimis incursionibus, depopulationibus ac bellis, militibusq; auxiliaribus, sic suæ majestatis vires exhaustæ ac diminutæ sunt, ut sua majestas sola hanc tantam tanti tyranni molem, nisi aliunde suppetias & suffragia, & potissimum ex tuæ Majestatis thesauro habeat, juveturq;, sufferre solus non potest, & multo minus resistere ac repellere.

Quòd si hac vice sua majestas divino assistente præsidio, tā irato ac frementi inimico nōn restiterit, aut saltē prævalentiori Marte non prævaluerit: Jam non solum de Croatiæ regno cujus residua pars exigua est, & Hungaria, quæ ferè dimidia cecidit, sed de utraq; Germania superiori & inferiori, quibus dudum feciales misit & bellum indixit tyrannus ille, actum erit. Is etiam ad Calesium, * Dovarum, & ultra Britannos & occidentis fines excurret.

* Quorsum tam propero pede?

Hæc res, tam prodigiosum inquam & abominabile malum, longè à Majestate tua & cunctis Christianis, Capitibus, Regibus ac Principibus, ne contingat, abesse debebit.

Est hoc negotium, sive Christum sanctissimum fidei nostræ caput, sive illius membra spectes, per omnia cōmune, victoria cōmunis, periculum ex altera parte cōmune. Paries enim hic proximus ardet. Velimus, nolimus, congrediendum erit. Vincere ergo (ut breviter dicam) aut vinci, fugare aut fugere, necesse est, neq; hic ulla Fabii cunctatio levabit.

Resistendum esse Turcæ ob commune periculum.

Et quia Regia tua Majestas hoc totidem seculis à progenitoribus & antecessoribus, quasi inditum ac hæreditarium habet, ut Anglia posteaquam Christi nomen, baptisma, fidemq; suscepit, pro illa tuenda quàm religiosissima fuerit, & fuso sanguine, quasi vitæ prodiga, sæpe acerrimè pugnaverit; aliisq; pugnare volentibus fidelissimè astiterit, & manus præbuerit auxiliares.

Pro Christianitate defendenda, sæpius pugnatum est ab Anglis.

Sic sanè aliquot Britannorum Reges, dimissis quæ domi erant omnibus, ab occiduo sole in orientem, triremibus navigare Ptolemaidem, Syriam, Hierusalem & alia Palestinæ loca è faucibus Ismaelitarum eripere olim gravati non sunt, & tu non frustra, divino inspirante Spiritu, hunc & talem titulum quem rex nullus habet, adeptus es, ut Christianæ fidei Defensor scribaris, tenearis & sis. Quasi te Deus talem speciali prærogativa præviderit, nobisq; servarit, ut his temporibus, quibus tanto impetu Turcæ irruunt, assistas & resistendi materiam pro Regia liberalitate, sanguine juncto commilitoni ac avunculo præbeas. Pro his nempe suppetiis regiis & tuo regio titulo dignis petendis ad te missi sumus. Sed huic tam honorifico titulo, te vivente, & hac tempestate tunc satisfeceris, ubi Regem nostrum, commilitonem ac avunculum tuum, in hoc tam pio & maximè necessario opere non deseras, sed pro tua fortuna juves, & ipso opere factoq; comprobes, quod nomine & titulo præfers, utpote qui Defensor fidei diceris, etiam opere & contributione sis.

O. G. Novus ac peculiaris titulus Regis Angliæ. Alii Angliæ Reges illo titulo gaudebant ante tempora Hen. 8. ut testatur D. Hen. Spelmannus. Papa igitur munificentissimè concessit Regibus Angliæ honorem quem longè antea omni jure habuerunt.

Calamo velociter currenti adversus damnatissimum Lutheri monstrum ac hæresim hoc tibi posterisq; tuis accessit, ut fidei Defensor appelleris, idq; tibi ac tuo regno maximā utilitatem attulit, qui à tam seditiosa fabula ac cruenta tragœdia, quibus Germania, proh dolor! nimium gravata fuit, liberatus es. Idq; non absq; divina gratia fieri potuit, sed nunc cum & hasta adversus infideles ac impios Turcas pugnandum sit, restat, ut huic titulo non desint opera. Nam & Jesus cœpit facere & docere.

Apud Te cogita, discedentibus à te nobis, redeuntibusq; ad Regem nostrum, rebus non pro voto nostro obtentis, per Lutheranorum provincias redire necesse est. Quamprimum intelligernet nos tanto itinere frustra venisse, gloriaturi essent, non modò Te non esse Defensorem fidei, sed & manibus & pedibus in hanc concessisse sententiam, qui cum illis & ad illorum sententiam teneres solam fidem sufficere absq; operibus, utpote qui fidem titulo tenus, scriptisq; defenderes, verùm re ipsa nihil præstare velis: sed hæc labes à tanto & tam catholico Rege longissimè absit, potius hoc respiciat, quod Rex noster, qui illius amicus tam sanguine quàm affinitate junctus facere constituit.

Paratus est Rex noster omnes vires, thesauros, fortunas, populos, provincias & quicquid uspiam habet, etiam corpus proprium, vitam propriam exponere, neq; dubitat, Dominus solem tamdiu stare jubebit atq; præcipiet, quoad veluti Gedeon alter, concesso vellere sese de inimicis vindicarit. Adjecit cogitatum suum in Dominum, qui scutum est omnium sperantium in se, qui pugnabit pro eo, neque difficile illi fuerit salvare, vel in multis vel in paucis: Propterea non timet quid sibi faciat homo; Scuto circumdabit eum, ut non timeat à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Cadent à latere illius mille, & decem millia à dextris ejus.

Magnanimitas Regis Ferdinandi.

Sic enim intra se Rex noster cogitat, si Deus Opt. Max. olim Carolo Martello Pipini senio-

A. D. 726. S. Calvis. P. Æmylius 3. aut 4 annis postea. Armeniam recuperavit Fredericus Barbarossa.

senioris filio dedit, ut Luitprandi Regis Longobardorum auxilio occideret centena millia Saracenorum; & sic fœlici hac victoria non paucos Saracenos ab Hispania & Gallia pepulit: Regibus autem Castiliæ & Aragoniæ concessit, ut Ermelinum Saracenorum regem ab obsidione Toleti, & tota Africa fuso exercitu ejecerint, & novissimè Frederico Barbarossæ Imperatori sic astitit, ut anno Verbi incarnati, millesimo centesimo quinquagesimoquinto, per Hungariam Constantinopolim venerit, post Bosphorum quoq; trajecerit; Non modo Philomenam urbem à Turcis, sed ipsam Armeniam minorem, Tyrum & alia recuperaverit: Is proculdubio mittet angelum de cœlo, exterminatorem Ægyptiorum. qui Regem nostrum quasi Moysen per mare Rubrum, per vasta deserta & solitudines, in Terram sanctam ducet, & triumphatorem cum glorioso triumpho reducet.

Epilogus. Nihil unquam vidi minus affabrè, vel (ut verius dicam) magis vitiosè compositum hâc oratione Joh. Fabri, seu Authoris id inscitiâ, sive Typographi incuriâ accidit: nomina in se barbara facta barbariora; rerum seriem turbatissimam; annorum temporisq; rationem confusam spectaveris: cætera is ipse in Epilogo fatetur. Quorum aliqua, quantum per integri editoris munus licuit, restitui; aliisq; lucem, notulâ in marginem appositâ, dedi: neq; tamen hoc essem ausus, nisi inter res Turcicas aliquot annis versatus fuissem in ipsa Aula Ottomannicâ, in familia viri Clarissimi D. JOH. FINCH, Oratoris Regii; qui primus mihi notitiam hujus libri, illiusq; utilitatem laudavit.

¶ Hæc sunt, Serenissime & potentissime Rex, orthodoxæq; fidei Defensor fortissime, quæ propter labascentem Christi fidem, illiusq; imminentem proximè & præ foribus expectantem interitum, Rex noster tibi, non ut amico, sed ex duplici jure fratri & Defensori fidei nostræ proponi jussit. Quæ etsi rudi, inculta, ineleganti & prorsus barbara oratione, quæ nihil floris, succi & gratiæ habet, dicta sunt, rei tamen gravitas, & amor, quem semper in Regem nostrum gestare solitus es, totum quicquid usquam defuerit, proculdubio supplebit.

ORTHUINUS GRATIUS DAVEN.

Presbyter, ac Bonarum Artium Professor, Lectori amico & bonis omnibus S. P. D.

EPISTOLA PER MODUM PERORATIONIS, IN QUA, non paucorum quæ hoc libro continentur, ratio assignatur, ut citra cujuscunq; offensionem, hæc omnia in lucem prodiisse optimus quisq; intelligat.

Lucæ 11. Matth 5. Marci 4. Lucæ 8. Coloss. 4.

NEmo lucernam accendit, Christo teste, & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant: Non est etiam aliquid absconditum, quod non manifestetur, nec factum est occultum (dies enim revelat omnia) sed ut veniat in palam. Scimus quoq; & Paulum apertò dixisse; Modestiam videlicet nostram cunctis hominibus notam esse debere. Hinc Menander Græcus, idipsum confirmans, hanc solam virtutis promptuarium pulchrè decrevit. Et Euripides, Amet nos, inquit, modestia, donum pulcherrimum deorum. (In Medea.) At quorsum hæc tam multa, lector candidissime? Ut tibi certò persuadeas, in hoc volumine ac cæteris etiam omnibus, absque nominis nostri professione nihil unquam in lucem prodiisse. Omnia enim quæ in hoc libro continentur (eo licèt non ordine ac modo) ab aliis prius excusa recepimus: Nihil certè à nobis excogitatum, nihil additum, nihil confictum, imò & multa quæ scandalosa in marginibus deprehendebantur, & citra multorũ offensionẽ legi vix poterant, atro signavimus lapillo, magnaq; ex parte pro nostro erga omnes bonos amore, delevimus, ut gratiam tandem nobis iidem illi omnes haberent.

Marci 4. Nihil profectò in hoc toto reperies opere, quod non suum ac planè verum habeat authorem, ne vel in tenebris, vel in abscondito, aut fictis etiam titulis sive nominibus, quicquam hic collegisse videamur. Omnia sunt nuda & aperta, ut & per diem honestè ambulare, & à nullo, vel critico aut Momo etiam carpi jure possemus. (Matth. 5.) Hæc enim Christi doctrina est, ut lux nostra sic coram hominibus luceat, ut videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum qui in cœlis est. Væ ergo illis, qui in tenebris agunt quicquam, ferali rectius noctuæ quàm aquilæ similes.

De contentis in hoc libro. Cæterùm quò rem ipsam planius explicem, ipsamq; fatear veritatẽ, multa sunt in hoc libro mala (veluti quidam, non parvæ apud nos authoritatis theologus, frontispicio sui libri

bri inscripsit) & multa similiter bona. Illa quidem ut vitemus, detestemur, fugiamus; hæc verò ut veneremur unicè lubentesq; sequamur. Non simpliciter, inquam, per se mala, aut noxia bene volentibus, sed illis solùm, qui vel talia in bonorum perniciem scripsere, vel illis temerariè indurati, in suæ animæ perniciem turpiter obbrutuerunt. Malum enim (ut nosti non vitatur nisi cognitum,& contraria (ceu dici solet) contrariis curantur. Quibus obsecro contrariis? Impugnationibus, inquam, & condemnationibus. Quî hoc intelligam dicet quis? Sic mehercule, ut quas hic repereris hæreses, & convictæ tibi omnes sint & condemnatæ, ita etiam, ut aliorum hæreses & pestes execrandæ, quæ hoc tempore (proh dolor! nefas est dicere) ab induratis circumferuntur & in domum Domini licentius irrepserunt, convincere ad nutum queas. Quo animo legantur hæreses. Contraria curantur contrariis.

Non est etiam, quòd propter illa (si mala quũ impugnantur, quod absit,dicenda sunt)quisquam intra se ingemiscat, aut mihi, in cunctis bene volenti, ac fuci nescio, aliqua ex parte indignetur, quum in Evangelio tot fatuas habeas virgines, quot prudentes. De his autem & similibus, quæ in sacris literis habentur, in nostra ad te præfatiuncula, non pauca diximus. Pag. 404.

Quid igitur tibi nunc referam insipientem hæreticorum pervicaciam,technas, dolos, vafritiem & pestiferam in cunctis doctrinam? Sicuti enim ecclesia hæc militans & visibilis (ut supra retuli) & bonos habet & malos, ita etiam & hic liber bona æquè ac mala complectitur, id quod fermè de omnium ecclesiæ doctorum libris est sentiendum, sive Hieronymi, sive Augustini, sive Chrysostomi, sive Lactantii, sive aliorum deniq; doctissimorum fermè omnium scripta perlustraveris. Nec indecenter. Nam aliud est docere hæreses, aliud impugnare, aut etiam condemnatas in aliorum ædificationem publicare. Ibidem.

Quid amplius, lector, ut absq; Theseo, hæc omnia defensare possimus? Mali certè in tabernaculo Domini, bonis non præjudicant. Hinc Apostolus se pauca in Sardis nomina habere testatus est, qui se docente non inquinaverint vestimenta sua, haud tamen ab eis qui tunc mundi fuere, sua vestimenta polluerunt. Mali non præjudicant bonis. Apoc. 3.

Itemq; nec zizania præjudicat tritico, nec palea frumento, quamvis eodem in agro, eodemq; è cœlo rore, vel ad messem usq; simul concrescant, & hæc in eadem area, donec ultima ventilatio fiat, æqualiter triturentur. De zizania & tritico simile.

Hœdi quoq; mitibus non modò non obsunt bestiolis, sed ne præjudicant quidem, licèt iisdem in pascuis idem nutrimentum sumant, donec illi ad sinistram, hæ verò ad dexteram per angelos bonos collocentur. De hœdis & ovibus.

Hæc certè quum ita se habeant, nec aliter sese habere possint, certo tibi certius persuadeas velim, ea videlicet, quæ per solidos primum ecclesiæ doctores legitimè convicta, ac deinde per Concilia generalia (quibus reniti temerarium est) justo Dei judicio condemnata sunt, offendiculum tibi aliquod substruere non posse. Nam exuberans in doctoribus Dei rivus vivo ubertim desudat cespite, & ex sincero eorundem mentis recessu, nectar divinum (quo pravæ semper diluuntur hæreses) salubriter ebullit. Nihilo secius igitur nos hisce in rebus agemus, quàm si diversarum hæresum (columbina enim simplicitas, serpentis est jungenda prudentiæ) nulla nobis unquam esset oborta tempestas. Corollarium ex præcedentibus: hæreses videlicet condemnatas bonis obesse non posse.

¶ Verum enimvero, ut latius tandem progrediar & rem ipsam accuratius explicem, nostraq; modestia (ut citra jactantiam loquar) tum tibi primùm, tum bonis tandem omnibus non sit ignota, utq; alter utriq; congaudeat, rationem tibi quorundam (bona etenim facti pars; cui numinis benigni præsidium adesse solet, est propensa voluntas) in hoc opere contentorum perfunctoriè ac summatim sum redditurus. Defensio quorundam quæ hoc lib. continentur.

In primis igitur ut nihil te lateat, lector amice, ego Orthuinus à Graes, ex antiqua Gratiorum familia diœcesis Monasteriensis (id quod propter * obscuros nebulones & fœdas eorum epistolas, à sede apostolica jampridem condemnatas, non sine causa dixerim) in Holtwick, prope Cosfeldiam, patre seculari, Friderico à Graes prognatus, & Daventriæ, in diœcesi Trajectensi, sub ferula Alexandri Hegii, viri mediusfidius in utraq; lingua & doctissimi & optimi illic tunc Gymnasiarchæ, bonis à puero literis altus ac probè enutritus, & ob idipsum vulgò Daventriensis cognominatus, ingenuè ac liberè fateor, omnium præfatiuncularum, seu perorationum quæ hoc libro lectori benevolo dedicatæ continentur (sive hæ duæ literæ O. G. præjectæ illis sint, sive non) me authorem esse. Sunt enim numero (ni fallar) novẽ & viginti. In quibus (si verum fateri licet) bonorũ omnium honorem pro virili nostra tutatus sum, mihi atque aliis dolenter singultimq; conquerens, aliquot hujus Fasciculi opuscula, contempto probitatis decoro, furtivè ab aliis edita, atq; per universum fermè Christianum orbem sine honore aliquo latissimè divulgata. Quorum temeritatem ne sequeremur, suum libro titulum dedimus, ut tam fugiendarum quàm expetendarum rerum Fasciculus diceretur. Verùm hac de re satis. * Innuit Epistolas obscurorum virorum sibi inscriptas. Cum honore omnium hic nunc liber editus. Libri titulus.

¶ Rationis nunc reddendæ materiam aggrediar. Concilium itaque Basileense quàm celebre

De laudibus Concilii Basileensis. lebre fuerit, quamq; egregiū ac sanctū & in Christo Jesu legitimè congregatū, omnes penè Universitates satis superq; declararunt. Hoc autem qui ignorat, aut sese (nescio quā ob causam) scire dissimulat, totius Academiæ Parisiensis, nunquā satis laudatæ, contra Leonem X. (virum alioqui in se & pium & bonum) non contemnendam (ut opinor) appellationem legat. Is proculdubio ibidem offendet, quanti illud fecerint doctissimi illius Universitatis viri quibuscum errare prudenter mallem, quàm cum aliis (nescio quibus) imprudenter sentire. Itemq; si binas Juliani Cardinalis literas ad Eugenium IV. non oscitanter perlegeris, senties evestigio, quo illud Concilium honore sit dignum. Ipse enim legatus ejusdem, vir ut insigniter in suo constans officio, ita miro etiam modo in cunctis prudens. Cujus admonitionem Christianam si Eugenius acceptasset, ac Basileam (ut spoponderat) advenisset, aut populares hi tumultus modò non essent, aut à sanctis illic patribus jam diu forent consopiti, nostraque universalis ecclesia inter syrtim nunc & charybdim haud ita periclitaretur. Sicut ergo Chrysostomo teste, omne bonum de templo egreditur, ita & de eodem omne malum. Adhæc ut Concilii Basileensis laudem prosequamur, videamus obsecro quonam modo Eugenius ipse per patentia sua diplomata Concilium hoc erexerit, statuerit, ordinarit, legatumque suum, sancti Angeli (de quo statim dicebam) Cardinalem, ad idem hoc prosequendum, eò destinarit, licèt postea sacræ Universali Synodo (nescio quo spiritu ductus) parere recusarit, quum tamen complures causæ adfuerint, quare sanctissimum hoc Concilium dissolvi non posset. Quæ omnia ut verissima tam agnoscas quàm comprobes, cape magnum Conciliorum volumen, Coloniæ excusum, & in prima hujus Concilii sessione, non pauca hac de re invenies, quæ sint in ipsius & robur & munimentum. Fatetur quoque Eugenius post XVI. hujus Concilii sessionem, in prima (ut sic dicam) Bulla, sese in hoc ipsum, ut diligenter celebraretur, consensisse.

[Margin: Laus Parisiensium. Supra pag. 68. pag. 54. 63. De Eugenio. Chrysostomus. Sup. pag. 56.]

Ad hæc iterum, non deest nobis Martinus V. Eugenii præcessor, qui in civitate Basileensi universalem Synodum celebrandam decrevit.

[Margin: Hoc invenies eadem pag. pag. 33 &c.]

Intueamur quoq; indefessos ac pios sanctissimi Cardinalis Arelatensis conatus & quo tum pietatis tū justitiæ zelo accensus, seipsū in eodē hoc negotio sacrificiū Deo obtulerit? Dii boni, quanta cura, quanta solicitudine, quanta vigilantia, duo hi Cardinales cum cæteris patribus, die noctuq; illic desudarunt, ut pacificatore Christo Jesu intercedente, omnia schismata omnesq; hæreses ab ipsius tabernaculo removerent. Omnem quoq; simoniam & abusus omnes Diti apud inferos consecrarent. Vigilarunt profectò, unà cum sanctissimo suo ac novo pontifice Foelice, supra gregem suum per devia atq; avia dispersum, positis contra leonum rugientium impetus ac rapacium insidias luporum excubiis.

[Margin: Laus patrum. Simonia Diti consecranda.]

Addamus & his, lector, Foelicem ipsum atq; Arelatensem (sicuti nuper à Carthusiano quodam, miræ apud nos pietatis ac doctrinæ viro aliisque multis sæpenumero accepi) divinis claruisse miraculis. Quæ nunquam Deus Opt. Max. per eos fieri sivisset, si Concilium illud de quo loquimur, minus legitimè in Spiritu Sancto congregatum fuisset. Erubescat igitur scurrilis ille & mendax Poggius, qui hunc beatissimum Foelicem, in sordidissimis suis invectivis Antipapam appellare est ausus, quum hic retrusiora Dei mysteria non ignorans, intra domus Dei septa nos omnes conservare efflictim laborioseq; sategerit.

[Margin: Ille in locum Eugenii suffectus. Sup. pag. 4. in margin, & 324 præfatione.]

Postremò, ne longum faciam, lege, obsecro, exquisitum Nicolai V. diploma, quod in eodem magno Conciliorum volumine, ad illius fermè calcem, post quintam & quadragesimam prædicti Concilii sessionem continetur, ubi clarè invenies Foelicem hunc, fratrem suum ab eo appellari, neq; solùm prætactæ synodi & gesta & acta, sed & hujus etiam beatissimi patris omnia ac singula (ut dici solet) quæ in suo gessisset pontificatu, celebriter esse confirmata. Testatur idipsum Johannes Stella Venetus in suo pontificum catalogo, testatur & idem Nicolaus à Clamengiis Archidiaconus, qui Eugenium IV. ad Christianissimum Franciæ regem scripsisse fatetur, ut Concilium Basileense annihilaret, quod tamen (licet Papam eum agnosceret) facere recusavit.

[Margin: De Nico. V. Require sup. pag. 32.]

Adde huc, nullum in hoc celebri sanctorū patrū consessu bubonē esse visum: Quod an conciliabulo Johannis XXIII. Romæ infoelicius contigerit, à nobis in præcedentibus est explicatū. Hæc atq; alia id genus multa satis superq; testantur, quanti conciliū illud nobis omnibus sit faciundū. Mihi igitur facilè persuaserim, neminē tam emunctæ naris hominem futurum, qui publica illius editione (modò secum habitare, seq; ipsum penitius intueri velit) meritò queat offendi. Quid multa? Audivi sæpenumero à doctissimis viris omniq; virtute præditis, hoc solum (id quod ego neq; dicere, neq; affirmare sum ausus) omnium malorum esse seminarium, summum videlicet pontificem Concilio universali obedire non velle. Quod an ita sit, ab Æнea Sylvio atq; ab aliis abundè satis dictum opinor.

[Margin: Pag 404]

¶ Cæterùm hæc missa faciens, receptui nunc tecū canam, ad inadulabiles ac præclaros Parisiensis Academiæ doctores celerius properando. De quibus mehercule nihil amplius mihi

[Margin: De appellatione doctorum Parisiensium.]

mihi dicendum putaverim, quàm ut eos, invictos justitiæ ac veritatis patronos fuisse significem atq; attester. Sic enim mea sententia, suo omnia consilio & ratione librarunt, sic omnia ad amussim perpenderunt, ut quicquid per eosdem de moribus reformandis & castis legibus vel dictum sit vel scriptum, ex tripode nobis prolatum credamus. Reliqua, quæ hic desiderantur, loco à me adnotato sunt dicta. Papam itaq; an universali ecclesiæ obedire oporteat, Item q; an Pius II. Æneæ Sylvio suo per hoc vel illud (ut dici solet) decretum in aliquo degenerarit, seque inconstantem in hac re ac levem declararit, universali ecclesiæ discutiendum relinquo. Hoc qui intelligit, non obscurè quid velim, tuetur. Sup. pag. 68

¶ Ad insignes nunc Leonis X. legatos properemus, qui decimas à Leone decimo (nescio quàm justè ac probè) à Germanis, Diomedæâ quadam necessitate exigentes, sibi ipsis cantare visi sunt, atq; inter sacrum & saxum constituti, fucum nobis facere non valuerunt. Noster enim Hercules, coram divo Maximiliano Imperatore malo nodo malum adinveniens cuneû, clavum clavo retrusit, ne tam properè Romanistæ illi, nostris onusti pecuniis, in suos montes, suo more, & ut ipsi putarunt, subvolarent. Nec immeritò; Nam in Concilio prius Constantiensi decretum fuit, nullas à sede apostolica decimas, nisi de universali ac communi omnium nationum consensu, exigendas esse, ut eò facilius animadverterent (satis enim diu excæcati fuimus) unum nobis dixisse prophetarum: Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & de manu sese mali liberandum putat. Nunquid non est hoc à Domino exercituum? Nihil mehercule in pientissimum loquor pontificem, qui in sese ipso (ut sæpe dixi) & benignus fuit & bonus. At quales & quàm boni ipsius nuncii atque emissarii fuerint, non Germania solùm sed & multæ etiam nationes aliæ clarâ voce testantur. Quorum culpâ (nam bonam illorum partem novi) eò miseriarû venimus, unde nos ac boni omnes excidere forsitan nunquam possumus. Tu itaque, lector, veritati ausculta, & duas illas orationes, quæ Parisiensium sequuntur appellationem, cum nostro simul ad te epistolio boni consule. Nam quæ in aperto & in Principum Illustriss. comitiis coram divo Maximiliano sunt acta, iniqui tu (etiamsi ilia rumpantur Codro) consulere non potes. Pag. 72. Pag. 77. Abacuc. 2.

¶ Nunc ad Hildebrandi pontificis sive Gregorii VII. historiam declinemus, quam Benno Cardinalis accuratissimè conscripsit. Quem si ego falsitatis redarguere voluero, nihil aliud egisse videbor, quàm si laterem lavare, aut Veneris sandalium coner reprehendere. Quorsum hæc? Si propter malam ipsius vitam & opera quæ gessit mala, quæque hoc Fasciculum complectitur, totus tibi hic liber abjiciendus sit, projice obsecro abs te actutùm Cantica canticorum ac reliquos Bibliorum libros, in quibus stupra & incestus, ac nefandissima quæque, à nullo non modestissimo recitanda, continentur. Projice inquam abs te Suetonium Tranquillum, nobilissimum historicum, quem de Julio Cæsare, Augusto quoque & aliis quibusdam Imperatoribus (quum Coloniæ illum in frequenti auditorio publicè profiterer) obstupenda planè ac indigna relatu conscripsisse deprehendi. Projice iterum & omnes ferme rerum scriptores. Tum etiam Horatium, Juvenalem, Ovidium, Tibullum, Propertium & sexcentos alios, qui malis æquè ac bonis abundant. Hoc autem quia nemo bonus unquam fecit, minus certè nobis indignabere, si Hildebrandi historiam, talem qualem (ut dici solet) ab aliis minus decenter impressam, tibi non absque decoro, perbeatè tradiderimus. Perge itaque ut cœpisti, & nostram illic præfationem minimè velim contemnas, in qua scripsi, Hildebrandum fortasse iniquum (honores enim mutant mores) & Gregorium in cunctis non semper iniquum. Verum hac de re satis. Nam, ut Aulo Gellio placuit, Optimus est homini linguæ thesaurus & ingens gratia, quæ parcis mensurat singula verbis. Est enim qui labitur linguâ sua, sed non ex animo. Et si quis verbo non offendat, is perfectus est vir, estq; beatus qui non sit lapsus verbo oris sui. Nec mirum. Nam omnia rectè agere & nunquam falli solius Dei est, non hominis. Hanc historiam require supra, pag. 77, &c. Ex Hesiodo. Eccl. 19. Jacobi. c. 3. 2. Eccl. 14.

¶ Henrici IV. Cæsaris Augusti vitam & institutiones imperiales, aureo Caroli IV. Rom. Imperatoris diplomate contentas, nemo non & veneratur & colit.

¶ Ad Vallam itaque progredimur, Constantini magni donationem impugnantem, aut rectius confictam & nunquam esse factam, vero verius & certo certius absq; Theseo more suo demonstrantem. Habes hic, lector, non solùm Laurentium Vallam, miræ eruditionis atque eloquentiæ virum, verùm & alios summæ authoritatis viros, idipsum cum Laurentio constanter adseverantes, Nicolaû inprimis à Cusa Cardinalem, sanctû Antoninû, Raphaelē Regium, Alexandri VI. cubicularium, Pomponium Lætum, Socratem Græcum, Theodoricum, Sozomenum, Egnatium, Aurelium Victorem, Volaterranum, Nauclerum, Capnionem, multasque tandem legisperitorum allegationes, quas post Vallæ declamationem, prætactis nunc authoribus, non indecenter interseruimus, quibus certè inconsultò reniti dementissimum foret, nec ego sum is qui hoc vel auderet vel posset. Verùm enimvero, quid ex his lector inferes? Nunquid Papam injusto titulo sua quæ habet possidere existimas? Absit lector mihi in Christo charissime. Est enim Papa Christi in terris vicarius, & De donatione Constantini, quam nunquam esse factam multi asseruut. Pag. 160. Papa dominus omnium.

tam secularium (ut multi doctores affirmant) quàm spiritualium dominus. Hoc patet 22. dist. c. Omnis. Nam B. Petro, æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cœlestis Imperii (sicuti & iidem doctores attestantur) jura commisit. Si igitur ut Antonino placet, multa per Imperatores ac Reges sacrosanctæ sedi Apostolicæ concessa sunt, non quod suũ, sed quòd illius erat, ultro & non inviti dederunt. Lege præfationem nostram,aut potius epistolarem in Laurentium censuram, & in ea fortasse invenies (ut citra jactantiam loquar) quod te oblectet. * Errant infideles schismatici (ut paulo altius conscendamus) nullam apud Ecclesiasticos, temporaliũ dominationem esse debere. Præcepit enim Deus filiis Israel, sicuti in Numeris habetur, ut de suis possessionibus Levitis darent urbes ad habitandum, & suburbia pro pecoribus & jumentis. Iterumque & sic scriptum invenies: Si quis agrum possessionis vovit Domino, sanctificatus Domino erit & possessio consecrata, & ad jus sacerdotum pertinebit. Quicquid igitur Imperatores, Reges ac Principes sacrosanctæ sedi Apostolicæ donarunt, justo dei zelo, id quod justum fuit, suo domino (ut Antoninus ait) restituerunt. Non dubiũ, quin magnus ille Constantinus, donationũ jecerit initia, quæ postea per Imperatores Reges ac summos ecclesiæ principes,. & ampliata sunt & confirmata.

[Margin: Supra pag. 1*0. | Ibidem. | * Vide in Appendice Gregor. Heymb. &c. | Numer. 25 | Levit. ultimo. | In prima historiarum parte tit. 8. cap. 2. §. 8.]

[Margin: Episcopi possunt habere dominia.]

Licitum profectò est spiritualibus ecclesiæ proceribus sive episcopis omnibus temporalia bona possidere, quum maximè liceat eosdem esse proprietarios Quod si admitti non posset, errassent Apostoli (quod nefarium est dicere) in suis decretis, quibus conceditur, Episcopos res habere, tum proprias, tum communes. De hac re multa præclarè dicta in præcedentibus invenies, quibus omnes hæretici ac schismatici, velint nolint, manifestè convincuntur, & in aqua hærent, dicentes, aut rectius garrientes: Episcopos non posse, vel non debere terrenas opes & dominia temporalia, etiam si amplissima sint cum suis & per suos perpetuò possidere. Vallæ igitur declamatio ab aliis (ceu constat) sæpius excusa sacrosanctæ sedi apostolicæ obesse non potest. Nam quod per Constantinum ille factum negat, satis est alios Imperatores ac Reges (ut paulò ante dixi) liberaliter ac magnificè in Dei gloriam peregisse. Si hæc tibi,. lector, non satisfaciunt, lege diligentius quæ paginâ hujus libri 290. & in subsequentibus articulis per Concilium Constantiense sunt decreta.

[Margin: Pag. 222. & in subsequentibus. | Vallæ declamatio prudentem offendere non potest.]

[Margin: Contra triplices hæreticos & eorum sectatores. | Tullius.]

¶ Jam Triadem aggrediar, Hydram multorum capitum, draconem semper vigilantem, ipsumque Cerberum, hoc est impios Waldenses, impiorem Wesaliensem & impiissimum Wiclefum, instar Herculis clava trinodi prostraturus. Conscientia enim judice nemo nocens absolvitur. Neque necesse est homines consceleratos impulsu deorum terreri ardentibus furiarum tædis (ut in Pisonem & pro Roscio Amerino, Tullius elegantissimè disseruit) sed sua quemque fraus, suum facinus, suusque conscientiæ terror, maximè vexat. Triadem itaque, hoc est, tres inferorum furias conficiemus, quorum doctrina pestilens incautum lectorem plus emaciat quàm opimat. Cæci sunt omnes hæretici, Cornelio Ruffo longè infœliciores. Qui male dormiens oculorum amisit visum, quum id sibi accidere somniasset. Consulamus Genethliacos & Planetarios, & atrum tibi diem illum fuisse dicent & infausta appellatione nominandum, in qua hæretici illi è matris visceribus in mundum prodiere: ab ephebia, omnis impudentiæ ac temeritatis uredine in diem suæ vitæ postremum exanimati. Deferbuit profectò senile illorum cerebellum, quos & sordidatos & squalentes esse oportet. Nam dum se catos atque oculatos esse putarunt, quæ noctu nocentissima concepere, ubi primum diluculabat, nemini non revelarunt. Nimirum docti & eloquentes hæretici ad venena nascuntur, quorum verba ex Cerberi & maris spumâ profluunt, quorum atra ceu serpentium lingula insontes vibrat, lædit, enecat, arrodit, eviscerat, quorum tabes ex impura scaturigine manans, contrectata incautius optimum quemque adurit. Nulla ergo pestis pestilentior, nullum venenum venenosius, nulla pernicies perniciosior doctrinâ mala in homine malo. Quum enim mellitis (etsi amariusculis) simplicium animos allicefactos vident, mox exitiale venenum expuunt, per ambages ambulant, corrumpunt omnia, latenter serpunt, Fabricios simulant, falsa congerunt, cavillantur, mussant, rident, applaudunt, & quæ nequiter atque apostaticè congesserunt, perditissimè postea nundinantur, quæque male didicerunt, longè pejus inculcant ac docent. Multi per eos sapientiæ domicilio extruduntur, eliminantur, dum nimium creduli, & dulci veneno inhiantes, totas aures vagis male disserentium ambagibus repandunt, nescientes, aut minimè considerantes, virosis sese linguis, & subrepentibus quibusdam aculeis, velut à viperis, male collidi. Quid multis? Habent profectò hæretici omnes sub melle venenum, subque blanda exosculatione, (exotica certè illorum unguenta olere non debemus) aconitum promunt, multosque, non opinatores tamen, sed temerarios errorum assertores, per totum terrarum orbem callenter constituentes. Illorum quippe strophis ac fraudibus, vera apud nos sapientia assestrix esse non potest. Solutili navicula Euxinum navigant & quicquid è vepreculis trahunt, senticosum est totum, eorumque novelletum nocentes omnibus labruscas parturit.

[Margin: De cæco Cornelio. | O. G. Hæretici semper mali. | Hæretici ad venena nascuntur. | Pernicies multorum vir doctus & perversus. | O. G. Hæretici sub melle venenum habent. | Dum tam furiose rhetoricatur Orth. Gratius, dignus est cui inscribantur epistolæ obscurorum virorum.]

¶ At

¶ At dicet quis, qua ergo ductus ratione, tot pravos hæreticorum articulos hoc libro edidisti? Aperi, obsecro lector, mentis tuæ oculos & vide. Convictæ enim hæreses & ab ecclesia Dei condemnatæ tibi obesse non possunt. Quod nisi sese sic haberet, cogeremur omnium fermè doctorum scripta contemnere. Quis (oro) Roffensem episcopum, quis Eccium, quis Cochlæum, quis hæreticæ pravitatis apud nos Inquisitorem vigilantissimum, Conradum Colin Ulmensem, doctissimum theologum, quis tandem & inprimis Viennensem episcopum, aliosque (ut paucis multa complectar) & præclaros & illustres viros, contra Martinum Lutherum scribentes, tuebitur? Nemo hercule nemo. Quî hoc intelligam roget quis? Quum illius (inquam) articulos, & quæ scripsit fermè omnia suis impugnationibus, non sine causa, interseruerint. Nec indecenter. Nam opposita juxta se posita (ut philosophi voluere) magis elucescunt: quò sic pestiferis draconibus prostratis & omni discussâ intellectûs nostri caligine, veritatis tandem splendor cunctis pateat. Hæreses quæ convincuntur, non semper abjiciendæ.

¶ Licèt itaque de hac re, in principio hujus epistolæ, quæstioni tuæ jam statim motæ, satis superq; satisfecerim, operosius tamen aliquanto nunc mihi agendum est. Pisces mali bonis non præjudicant, quanquam intra eadem retia comprimantur, in extremo vitæ nostræ littore ab invicem separandi. Et quid divus ait Hieronymus? Error qui vitio juvenum & levium mulierculárum contactu per noctem accidit, non est Religiosis hominibus imputandus: quoniam & in vigiliis Paschæ (ut idem ipse ait) tale quid fieri plerumque convincitur. Malorum igitur vigiliæ bonorum vigilias non destruunt. His itaq; parabolis (ut ait Augustinus contra Donatistas) ecclesia militans & visibilis, in seculi usque finem, tam bonos quàm malos simul est habitura. Eloquar an sileam? Aspice ex alio (Isidorus inquit) quod timeas, respice in alieno exitio quod pavescas, evita foveam, in quam alium cecidisse videris, pericula aliena in te pertimesce & quæ verbis doces, exemplis ostende. Non frustra dixit ex Pythagora Laertius: Per viam publicam ne ambules. Hoc est, multorum (si interpretari licet) non sequaris errorem. Nam bonus animus (ut Senecæ placuit) nunquam erranti obsequium accommodat. Quot homines tot sententiæ; falli possumus. Unicuique datur manifestatio Spiritûs, teste ad Corinthios Paulo, ad utilitatem: alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii gratia linguarum, alii interpretatio sermonum, & tamen ex omnibus his, pretiosissimis ac plane divinis Dei donis, maximi, nostrâ certe & non ipsius culpâ, oriuntur abusus, etiamq; & quod pejus est, hæreses non paucæ. Sic etiam & hic liber, qui Fasciculus rerum expetendarum ac fugiendarum inscribitur, à pio, candido, gravi ac modesto lectore contemni non debet. Nullus enim neq; agricola, neque vinitor, propter herbas inutiles, quæ vel seminavit vel plantavit, evulsit unquam. Quam itaq; hæretici sementem jecerunt, eandem & metent. Multa cum bonis toleranda. Matth. 13. Hieronymus adversus vigilantium. Augustinus. Isidorus. Laertius. Epistola 42. Cicero li. 1. de fine bonor. & malorum.

¶ Scio fratres Waldenses, Wiclefum & Johannem Wesaliensem, trium furiarum typum exprimentes, veros diaboli satellites & Antichristi præcursores, scripsisse, id solùm à nobis esse acceptandum, quod in sacris literis continetur. Hoc certè quàm sit falsum, nemo est bonorum omnium, qui non videat, non consideret, non impium decernat. Multa per Apostolos sunt tradita ad catholicam fidem spectantia, quæ in sacra scriptura ad manum non habentur. Hoc patet 1. dist. 11. c. Ecclesiasticarum. Hinc Augustinus ex dictis Basilii, Ecclesiasticarum, inquit, institutionum quasdam in scripturis, quasdam Apostolicâ traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus, quasdam verò consuetudine roboratas usus approbavit. Quibus par ritus & idem utrisq; pietatis debetur affectus. Nec deest nobis divus Hieronymus, cujus sententia gravis ac prægnans habetur dist. 12. c. Illud, sic inquiens: Illud breviter te admonendum putaverim, traditiones ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non deficiunt, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt, nec aliquorum consuetudinem aliorum contrario more subverti. Quid his duorum sanctorum testimoniis lucidius? * quid apertius? quid acceptum magis? Doctrinam itaque approbemus bonam, non malam, vel ex eo potissimum quòd apibus non herbæ necessariæ sint sed flores. Multi in proprium ruunt exitium, quos malus Genius (ut sic dicam) effascinavit. Ecclesiam sequamur Catholicam, quæ immobili nixa saxo, Jesu Christo, nullis turbinibus concutitur, & insedabilem non metuit iniquorum insultum. Hæc nostra mater sanctissima multa nos credere ac facere præcipit quæ in sacris literis non habentur, & tamen nos eadem illa credere (* modo salvi esse velimus) ac facere oportet. Tingere infantes, ante Augustini tempora, vetus fuit consuetudo, & ab ipsis Apostolis dubio procul introducta, quanquam ab his pueros tunc fuisse baptizatos, codices non explicent sacri. O. G. Multa sunt credenda & servanda, quæ in sacris literis non habentur. Hanc materiam quære supra pag 250. * Responsum Christi, S. Mat. 15. 6. De baptismo puerorum. * Hoc tam falsum est quam quod falsissimum.

¶ Una est igitur fidelis Apostolica universalis ecclesia, extra quam non est salus. Quod si hæretici non suscipiunt sacris profana commiscentes, legitima adulterantes, & salubria sanctorum patrum statuta ac sacramenta Christi sanguine sancita, turpiter & blasphemo suo ore antiquantes, inconsutilem tamen Domini tunicam rumpere non possunt. Quid si Extra. de Sum. Trinit. & fide Catho.

Chore,

D: Chore, Dathan, Abiron & Hon.

Chore, Dathan, Abiron & Hon conati sint dissolvere tabernaculum Domini? Quid si schismatici & hæretici impiis suis sectis ac seditiosis conatibus Ecclesiam Catholicam per universum discindere laborent? Vivit Dominus, qui in illos, terrâ sese altius dehiscente, præsens animadvertit, & hos gehennæ ignis incendium excepit, horumq; asseclas proculdubio nunquam consumendos, idem ille ignis aduret.

Erasmus.

Eapropter ut hæc quæ de hæreticis & patrum statutis dixi, paucis absolvam, doctissimi atq; eloquentissimi D. Erasmi Roterodami nobilem sententiam huc adferre non gravabor. Facessant (inquit) favores cum privatis odiis, consilescat dementis rixæ surda vociferatio, ita demum elucescet veritas illa pacifica. Omnibus hoc penitus infixum esse oportet, minimè tutum esse, nec ad fovendam concordiam utile, temerè ab his desciscere, quæ majorum authoritate tradita sunt, quæq; longo seculorum usu consensuq; confirmata. Nec quicquam omnino novandum, nisi huc cogat necessitas, aut insignis invitet utilitas.

In Waldenses. Prover. 25. Prover. 4. Ephes 5.

Waldenses ab ecclesiâ Rom. non immeritò abjecti sunt, quia plus æquo sapere voluerunt, nescientes, aut potius impiè ac pertinaciter dissimulantes, divinæ majestatis perscrutatorem à gloria opprimi. Non mirum igitur cuipiam videbitur, impiorum viam tenebricosam esse, eosque ubi corruant ignorare. Nam si tempori fratres illi Waldenses à mortuis exurrexissent, Christus proculdubio eosdem illuminasset. Vitandi sunt itaque & eorum expurgationi minimè fidendum.

In Wiclefum.

Johannes verò Wiclefus, diaboli mancipium, hæreticorum antesignanus, mortis æternæ præco, pabulum gehennæ ignis & audax Antichristi vexillifer ac dæmonum socius, à Dei ecclesia est condemnatus, qui si nihil aliud scripsisset, quàm Deum Opt. Max. (quanto pejus tanto melius) obedire diabolo debere, sese tanquam pestem quandam nobis omnibus evitandum, fugiendumq; declaravit.

In Wesaliensem. Pag. 325. Pag. 150, 266, 304, 321. * En pseudoprophetam! vide Ind. Expurg. Pag. 341. Pag. 340. Pag. 375.

Quid tandem de Johanne Wesaliensi Theologo dicemus? Humana certè creatura & inveteratus silicernius; Itaq; quas putidas ille protulit vomicas, condemnatæ sunt. Geronticos enim in omnibus loquitur, senecionem sese delirum ac vetulum indicans insensatum. Cujus etiam verba, Germanicè ab eodem prolata, si justâ lance ponderaverimus, temerarium fuisse hominem nemo non cognoscet. Quapropter in sempiternum illorum dedecus, & in bonorum omnium ædificationem, convictæ ac condemnatæ eorundem hæreses in medium proferuntur. Require quæ in nostris præfatiunculis habentur, & præclarum hoc nostrum facinus minimè reprehendes, * nosq; temeritatis aut stultitiæ accusabis nunquam.

¶ De gravaminibus, variisq; abusibus non est quòd dicamus quicquam. Si Adrianus summus pontifex hujus nominis postremus & divus ipse Maximilianus, in principum comitiis, ecclesiæ maculas depingunt, nemini mirum videbitur, si quæ ab illis ante annos aliquot publicè sunt tradita, ab aliis etiam longè lateq; divulgentur. Nec est quòd hic quispiam juveniliter secum exultet, ecclesiasticorum videlicet abusus hic descriptos esse. Nam si principū secularium & aliorum laicorum facta ac negotia ponderaverimus, umbrosam certè ac densissimam prorsus offendiculorum illic sylvam reperiemus. Vide quo animo, qua intentione, quo affectu, illustrissimi nostri principes Germanicæ nationis gravamina summo obtulerint pontifici, & publicæ horum editioni contradices nunquam. Eò ut opinor hoc morbi nondum processit, ut immedicabile credatur. Materiam igni subtrahamus, & extinctum hoc omne videbis incendium. Rex sapiens populi stabilimentum erit: qui & Deo servit, leges justas præcipiendo & contrarias (ut sic dicam) abrogando. Tu autem si me audies (quanquam ignea res sit tuus animus) nullam tibi propter abusus legem constituas. Redde omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: & nostris hisce diebus, multiplicium sectarum atq; errorum feracissimis, tamdiu cum Pythagora conticesce, donec per universalem ecclesiam, malorum omnium (siqua sunt) facta fuerit reformatio.

Sapien. 6. Aug. in epist. 52. Paulus ad Romanos 13. 7.

¶ Reliqua quæ de Annatis, Concilio generali, reformatione ecclesiæ, reformandis moribus, removendis abusibus, de amabili ecclesiæ concordia & potentia denique Turcarum, deque omnibus ac singulis quæ in hoc libro continentur, à suis sunt defendenda authoribus. Vale fœliciter, & ut nostras præfatiunculas, quas de abusibus, hæreticis ac rebus aliis conscripsi, diligenter perlegas, te etiam atque etiam rogo*. Coloniæ ex ædibus nostris. Annò à natali Christiano, M. D. XXXV. quarto Idus Martias.

* Satis fuisset rogasse semel: cum autem Finis coronet Opus, mirum est hunc hominem tam immiti & rabioso Epilogo (qui præfatiuncularum suarum laborem dehonestat) Fasciculum suum colligasse: nec tamen ideo Ecclesiæ Romanæ tam mirificè placuit author noster, quin ipsius opus integrum inter Libros prohibitos referatur. Sed hoc nihil ad nos: ista curent alii quibus terrori est Index Expurgatorius.

FINIS.